MAGNA

BIBLIOTHECA VETERVM PATRVM,

Et antiquorum SCRIPTORVM *Ecclesiasticorum.*

PRIMO QVIDEM A MARGARINO DE LA BIGNE EX ALMA SORBONÆ SCHOLA CELEBERRIMO THEOLOGO Doctore Parisiensi composita,

POSTEA STVDIO DOCTISSIMORVM COLONIENSIVM Theologorum ac Professorum aucta:

NVNC VERO ADDITIONE DVCENTORVM CIRCITER AVTHORVM, TAM GRÆCORVM QVI IN EDITIONE Coloniensi, quam LATINORVM qui in Parisiensibus desiderabantur, locupletata, Accuratissimè emendata, & in XVII. Tomos distributa:

Nec non perfectiori ordine disposita, materiarum enim, de quibus scripserunt authores, seriem complectitur, & Historicam methodum per singula sæcula quibus vixerunt, in indice Chronologico copiosissimo continet.

TOMVS XVI.

Η ϹΟΦΙΑϹ ΠΗΓΗ



ΕΝ ΒΙΒΛΙΟΙϹΙ ΡΕΕΙ.

PARISIIS,

Sumptibus Ægidij Morelli Architypographi Regij.

M. DC. XXXXIV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX OPERVM

QVÆ IN HOC XVI. MAGNÆ BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM TOMO CONTINENTVR.

AVCTVARIVM

SACRÆ BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM ET SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM.

TOMVS SECVNDVS.

FRAGMENTVM LEONTII EPISCOPI CYPRII CONTRA HEBRAEOS.

Bellar. libr. descript. Eccl. scribit floruisse circa annum Christi 630. & propterea scripsisse vitam Ioan. Eleemosynarii.

OSTENDE, inquit, mihi signa Aduentus Christi apud Michæam. Non amplius leuabit gens contra gentem rhomphæam, & illud apud Hieremiam, nó enim inquit, docebunt amplius vnusquisque proximum suum, dicens, cognosce Dominum; quia omnes cognoscent me à paruo vsque ad magnum, & illud apud Esaiam, pascetur, inquit, lupus, cum agno, & pardus simul requiescet cum hædo; & vitulus, & taurus, & Leo simul pascentur, & catuli eorum simul erunt, & Leo atque bos simul comedent paleas, & puer paruus in fotamen aspidum, & in cubile natorum ex aspidibus manum mittet, & non nocebunt. Hæc enim est Iudæorum peruulgata quæstio. Aduertant autem omnia facta, & ad exitum perducta esse. Cum enim venturus erat Christus, statim exiuit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis, deinde omni gente in potestatem Romanorum redacta, omnes pacem fecerunt, & non amplius inter se bella gerentes, quippe qui sub vno capite essent, ad agriculturam se conuerterunt.

Quod si quæ gentes relictæ sunt bellantes, idioma scripturæ est, id est, propria consuetudo, loqui vniuersè de maiore parte. Huiusmodi est illud triũ puerorum, non est in tempore hoc Princeps, & Propheta, erant enim Daniel, & Ezechiel cum ipsis; & Hieremias Hierosolymis: & multa huiusmodi sunt, aut prophetia est de gentibus, quæ crediderunt, secundum verò anagogen, non leuabit gens Dæmonum in gentem hominum gladium idololatriæ, qui occidit animas, & eripit sensum cognitionis Dei, vbi enim Euangelium prædicatum est, omnes vnum corpus facti sunt, & vnum caput Christum habuerunt, & terrorem Dæmonibus intulerunt, illud enim; non veni mittere pacem, sed gladium, non de gladio ciuili dictum est, gladius enim quem misit CHRISTVS, prædicatio est, & fides prædicationis diuidens fidelem ab infideli, & resecans τὸ ἐπὶ κακῷ χαίρειν, καὶ συμφωνίαν αὐτῷ, id est, affectionem vitij, & cum eo consensionem, sic ad illud Michææ.

Videamus deinceps illud apud Hieremiam, cum enim multa, & magna signa CHRISTVS faceret, omnes à paruo vsque ad magnum oculos habuerunt magistros cognitionis Dei, cumque virtutes, quæ Deum decebant, considerarent, ex his per seipsos cognouerunt DEVM esse, vt licet intelligere non solum ex scriptura Euangeliorum, sed ex annalibus Hebræorum, & historijs Gentilium. Reliquum igitur est, vt dicamus de signo Aduentus CHRISTI ad Esaiam. Hic Propheta ex differentia veritatis & mansuetudinis belluarum declarauit diuersos mores hominum: & ex illorum in compascendo coniunctione, vnum horum ouile, & Ecclesias ex his constituendas in ænigmate significauit. Lupum quidem vocauit velocem ad rapiendum, agnum verò eum, quem facile est vexare, & calumniari, pardum verò τὸ ποικιλόγνωμον, id est, versipellem, hædum autem simplicem; vitulum mansuetum, taurum verò audacem, leonem superbum quos ducet, inquit, & pascet homo prudentia quidem senex, innocentia verò & humilitate puer, ac magnus virtute, paruus autem vilitate quæ apparet, & tenuitate. Huiusmodi sunt præsides Ecclesiarum, à quibus qui moribus differunt, temperantur, & coaptantur, ac rursus bouem quidem vocat operarium, vrsum verò voracem; item leonem quidé principem; & ductorem, bouem verò sub iugo seruitutis viuentem, ac subiectum, paleas, vilem & tenuem cibum eius qui, sub iugo est, comedet enim cum subiecto is qui subijcit, propter vnitatem fidei, puer autem paruus est vnusquisque præsul, sicut dictum est, malitia paruulus, cuius doctrina propter multam expeditionem manus vocatur, quæ admonetur & inijcitur infidelibus, qui sunt foramina, & lustra, ac cubilia, & domicilia aspidum spiritualium, id est, Dæmonum venatorum, & mortiferorum, quorum partus, & soboles sunt passiones.

Aliter etiam, qui viuunt secundum CHRISTVM, manum inijciunt Dæmonibus, cum signum crucis inferentes eis non sinunt inhabitantes nocere eis, quos obsident, quod autem bestias siue feras vocat gentes sæpe numero scriptura, ait DEVS per Oseam, disponam testamentum in die illa cum bestijs agri, & cum volucribus cœli, & cum serpentibus terræ, generaliore sermone bestias quidem agri nominat ferinos, & immanes; volucres verò elatiores, serpentes verò humiliores, aut volucres quidem deditos astrologiæ ser-

pentes verò sordidatos passionibus, & rursus per Esaiam, benedicite me omnes bestiæ agri, & iterum per Hieremiã, dedi omnem terram Nabuchodonosor regi Babylonis, vt seruiret ei, & bestias agri, vt operarentur ei, & in Ezechiele, delebo malas bestias de terra, vt omittamus nunc, quæ sunt apud Danielem, & illud comparatus enim, inquit, est iumentis insipientibus, homo mente præditus, & assimilatus est illis.

MARCVLFI MONACHI
FORMVLARVM LIBRI DVO.
ITEM VETERES FORMVLÆ INCERTI Auctoris.
EX BIBLIOTHECA REGIA ET EDITIONE Parisiensi anni 1613.

Accesserunt & veteres aliæ incertorum Auctorum Formulæ ex vetustiss. Codd.

HIERONYMVS BIGNONIVS primum edidit, & recensuit.

LECTORI.

Marculfi, quem nunc damus, erudite Lector, plures docti viri meminerant: sed quis fuerit, & quo tempore vixerit nihil certi ab illis proditum est. Quidam vero in vniuersum circa primam regum nostrorum familiam illius tempora coniecerunt. Adhuc tamen dubiam emanebat ex librorum varietate, quibus permulta posteriores ætatis scriptores infarcierant. Verùm, exemplar quod nacti sumus omnium facile optimum, nos amplius dubitare non sinit. Præfixa siquidem ab auctore ipso epistola docet professione monachum, & septuaginta annos natum, cum hæc scriberet, fuisse. Deinde cum Landerico Papæ suo inscribat, facile apparet, Landericum illum Parisiorum episcopum fuisse, qui Chlodoueo Dagoberti filio rege clarnit circa annum æræ Christianæ DCLX. Nulli quippe alii Galliarum Episcopi hoc nomine reperiuntur, Landerici Parisiensis tempore, neque multis post annis. Tum papa nomen omnibus episcopis passim tribui solitum sub prima regum Francorum dynastia notum est: quod licet sub secunda aliquatenus sit, rarius certe vsurpatum reperitur. Accedunt & alia certissimæ coniectura ex totius libri lectione, quibus permulta occurrunt, quæ vix possunt ad aliud tempus referri, & plane Merouingicorum seculum redolent. Quis enim cum Maiorum domus non semel repetitam mentionem aduerterit, non continuo deprehendat eo tempore Marculfum scripsisse, quo Maiores domus vicerigis, omnia regni negotia pertractabant, imo vere sub alieni nominis specie imperabant? quod à Dagoberto cœpisse scriptores notant. Omitto Patritios sæpius nominatos, quos sub Carolinis raro aut unquam reperiri à doctis obseruatum est. Alia sunt infinita indicia quæ cordatus lector facile animaduertet. In qua autem ciuitate Marculfus vixerit, ex qua sit oriundus, aut cuius cœnobii monachus extiterit, nobis plane incompertum est. Quod si diuinare liceret, suspicarer eum in aliquo Parisiensis diœcesis monasterio regulariter vixisse, cum Landerico Parisiorum antistiti librum suum inscribat. Quicquid sit, vtilissimus certe auctor est, & à doctis non frustra expetitus. Nam vt omittam eo seculo scripsisse cuius pauca nobis hodie supersunt monumenta, sane permultas docet rerum nostrarum origines, magistratuum & dignitatum munia, Iuris dicendi formam, quæ tum recepta erat, Ius denique ipsum, quo maiores nostri vtebantur clare ostendit: quando non aliud certius iuris obseruati iudicium requiri potest, quam eius vsum ex formulis tum vsitatis deprehendimus. Quæ pars nostræ antiquitatis vt inter cæteras fructuosa, ita obscurissima & intacta fere remansit: quo nomine doctis om-

A *nibus & nostri Iuris peritis acceptiorem Marculfum fore confido. Leges quoque veteres, Salicam scilicet, Ribuariam, Alamannicam, Saxonicam, Baiuuaricam & cæteras eiusmodi, quæ à Germanicis gentibus tot sæculis obseruatæ sunt, non alium meliorem habent interpretem. Idipsum de Caroli Magni, Ludouici Pij & Caroli Calui constitutionibus, seu vt tum dicebant Capitulis, dici potest. Ipse etiam Gregorius Turonensis, quo digniorem historicum non habemus, multis locis à Marculfo lucem accipit, & omnino illustratur. Idem & in plerisque medii æui scriptoribus contingit. Quinimo & ad iuris Romani pleniorem cognitionem non parum conferre adserere ausim. Sed commendatitiis in publicum prodituris non eget, qui tot præstantissimorum virorum ingeniis sæpe iam commendatus est. Cuiacium dico, Brissonium, & Pithæos fratres clarissima lumina, qui ex eo perplura immortalibus suis scriptis inserendo, non leuem eius authoris gustum cæteris dederunt. Defuturos tamen non dubito qui sermonis duritiam, & ineptam plane rusticitatem exhorrescant. Facilis vero defensio est. Nam ab eo de Latini sermonis peritia edoceri non petimus. Mores illorum temporum etiam sermonis inculta rusticitas penitius ostendit. Seculo*
B *sane infælicissimo vixit, quo omnes disciplina & litteræ penitus obrutæ & sepultæ erant, adeo quidem, vt qui melioris doctrina quid attigissent, veluti nouæ alicuius & prauæ opinionis auctores, aut vt magi & malefici damnarentur. Qua occasione lectorem monitum velim, ne variis solæcismis qui sæpius occurrunt offendatur, nec operarum typographicarum vitio imputet, quamquam optime emendatum esse non equidem præstiterim. Sed meminerit prout in authentico exemplari scriptum est ita editum esse: nam si ea omnia immutanda fuissent, non iam Marculfus sed alius prodituris auctor videretur. Dubitaui certe vtrum Marculfo, an potius scriptori vitia eiusmodi adscriberem, & vero à scriptoribus permulta in eo deprauata facile crediderim, sed ita fere Marculfum scripsisse haud dubium est, cum id ipsum in reliquis eiusdem æui monimentis deprehendatur. Atque adeo plura in Gregorio Turonensi occurrunt, & infinita prope in manuscriptis codicibus, quæ ab iis qui ediderunt immutata sunt. Neque aliter eum scripsisse dubitari potest, cum historici operis initio id deprecetur:* prius, *in-*
C *quit,* veniam legentibus precor, si aut in litteris, aut in syllabis grammaticam artem excessero, de qua adplene non sum imbutus. *Eadem excusatione vtitur & Benedictus Leuita in collectionis suæ præfatione. Quo fit vt existimem de eo sermonis genere sensisse patres Synodi Turonensis III. sub Carolo Magno, cum vnumquemque episcopum decreuerunt curam habere vt homiliæ sanctorum*

in rusticam Romanam linguam transferrentur, quo facilius possint intelligi. Nã & rustico sermone de miraculis B. Martini libros Gregorium Turonensẽ scripsisse ipsemet testatur Historiarũ lib. 5°. tandemq; excusationẽ repetit initio libri primi De gloria confessorum: qui nullum argumentum, *inquit*, in litteris habes, qui nomina discernere nescis: sæpius pro masculinis fœminina, pro fœmininis neutra, & pro neutris masculina commutas, qui ipsas quoque præpositiones, quas nobiliũ dictatorũ obseruare sanxit auctoritas, loco debito plerumq; non locas. Nam pro ablatiuis accusatiua, & rursũ pro accusatiuis ablatiua ponis. *Quæ verba idèo adscripsi, quod quis fuerit rusticus sermo graphice exprimam, & vt facilius Marculfo ignoscatur, qui adhuc infeliciore seculo vixit, nec vt ille fuit melioribus disciplinis eruditus. Nec tamen dubito hoc opus prisco illo sæculo non minore in pretio habitum fuisse, quam Cnæi Flauij scriba apud Romanos Legis actiones, adeo rari erant qui de negotiis quamquam suis scripta cõficere & quæ vellent possent facile litteris mandare. Igitur in huius auctoris editione non parum laboris in perpurgando, nec minus curandi ne quid temere immutaretur: ea siquidem quæ scriptorum incuria manifesto irrepserant, emendauimus, dubia reliquimus, coniecturas tamen nostras & emendationes in Notis apposuimus. Vnum quidem Marculfi exemplar nacti sumus, quod ex ditissima Regum nostrorum Bibliotheca suppeditauit nobis eruditissimi viri Nicolai Rigaltij humanitas, sed illud optimum & præstantissimum: cum & Marculfi ad Landericum dedicatoriam epistolam contineat, & duorum librorum indices seu capitula ab auctore ipso prænotata: vt planum sit cæteras formulas quæ illis non continentur, Marculfi non esse: quod incognitum doctissimis viris imposuit, qui librorum vitio quibus omnes formulæ permixtæ erant, pleraque laudauerunt. In eo quoque recensendo vsus sum excerptis quibusdam codicis Pithœani, quæ à doctissimo viro Ioanne Sauarone Aruernorum Præside ad me missa sunt, cui multis nominibus me deuinctũ nunquam dubitabo profiteri. Secundum porro Marculfi librũ in Regio exemplari excipiebant formularum capita quædam absque numeris, tum eiusdem voluminis initio aliæ plures formulæ: quarum hæc erat epigraphe* Cartas Senicas: *cuius nominis interpretatiõ mihi incognita est, nec valde laborandum de ea existimo, cum sit fortasse imperiti scriptoris commentũ. Igitur eas etiã formulas in vnũ colligaui, & Incerti auctoris Veteres Formulas inscripsi: ex quibus quædam sunt eiusdem æui cum Marculfo, quædam vero Carolo Magno imperante proculdubio scripta apparẽt. Adiunximus & alias quæ XLVI. capita continent, quas ex vetustissimo codice descripserat, & mihi iampridem communicauerat Iacobus Sirmondus, cuius viri singularis eruditio cum pari humanitate certat. His vt facilius à cæteris discernerentur, titulus præfixus est* Formulæ veteres secundum legem Romanam: *quod ideo fecimus, quia fere omnes iis scripta sint, qui lege Romana viuerentur, cum in his sæpissimè reperiat:* Lex Romana exposcit, & secundũ Legem Romanam: *saltem Romana est obseruatio, quibus tamen nonnulla barbaricì moris admixta videre est. Deniq; cũ beneficio doctissimi viri, Caroli Labbæi in manus nostras incidisset vetus Codex, quo veteres quædã Formulæ cõtinebãtur, qui olim P. Danielis ac demum Iac. Bongarsij fuerant, eas quoque adijcere visum est, ne quid formularum desiderari posset. Vtere his Lector & fruere.* Vale.

MARCVLFI MONACHI Formularum libri Duo.

DOmino sancto, meritis beatissimo, & Apostolico semper honore suscipiendo, omnique præconio laudis celebrando, Domino ac reuerendissimo Papæ Landerico, Marculfus vltimus ac vilissimus omnium monachorum. Vtinam, sancte pater, iussioni vestræ tam efficaciter quam spontaneè obtemperare valuissem, quia iam supra vires meæ

A possibilitatis conatus sum iniunctũ à vobis subire negotium, cũ fere septuaginta aut amplius annos explẽ uiuendi: nec iam tremula ad scribendũ manus est apta, nec ad videndũ mihi oculi sufficiunt caligantes, nec ad cogitãdum sufficit hebetudo. Quia iuxta dictum vobis cuiusdam prudentissimi viri: in pueris crescit sensus, in iuuenibus viget, in senibus minuitur. Propterea elegãter facere non potui vt volui, feci tamen ordinate vt potui, non solũ ea quæ iussistis, verũ etiam multa alia in hac scedula tam præceptiones regales, quam cartas pagenses, iuxta simplicitatis & rusticitatis meæ naturã intimare curaui. Scio enim multos fore, & vos & alios prudẽtissimos viros & eloquẽtissimos ac rhetores & ad dictandum peritos, qui ista si legerint pro minima & velut deliramenta, eorum comparata sapientiæ reputabunt, vel certe legere dedignabuntur. Sed ego non pro talibus viris, sed ad exercenda initia puerorũ vt potui aperte & simpliciter scripsi, vt cui libuerit, is exinde aliqua exemplando faciat. Si vero displicet, nemo cogit inuitum, nec præiudicat mea rusticitas eruditorum & rhetorum fluctibus verborum & eloquentiæ B facundiæ. Sunt propterea nonnulla negotia hominũ, tam in palatio quam in pago, quæ scribi non queunt antequam inuicem conferantur, & iuxta propositiones vel responsiones eloquia eorum tunc scribantur & gesta. Ergo vero hæc quæ apud maiores meos, iuxta consuetudinem loci quo degimus, didici, vel ex sensu proprio cogitaui, vt potui coaceruare in vnum curaui, & capitula prænotaui, vt facilius quod voluerit à quærenti in antea scripto reperiantur.

INCIPIVNT CAPITVLA SCEdolæ operis huius.

MARCVLFI MONACHI Formularum lib. I.

Qui est de chartis Regalibus.

Cap. I. *De Priuilegio.*

Sancto Domino & in Christo venerabili fratri illi Abbati, vel cunctæ congregationi monasterij illius in honore Beatorum illorum in pago illo constructi, ille Episcopus. Compellit nos affectio charitatis vestræ, radio inflammante diuino, illa pro vestra quieti prouidere, quæ nobis maneant ad mercedem, & ea recto tramite, inconuulso limite terminari, quæ perennem deinceps propitiante Domino obtineat firmitatem: quia non minor à Domino retributio speratur futura pro succiduis contemplante temporibus, quam ad præsens munera pauperibus offerente. Et ne nobis aliquis detrahēdo æstimet in id noua decernere carmina, dum ab antiquitus iuxta constitutionem Pontificum, per Regalem sanctionem monasteria sanctorum Lirinensis, Agaunensis, Luxouensis, vel modo innumerabilia per omne regnum Francorum, sub libertatis priuilegium videntur consistere, sed pro reuerentia sanctorum, Beatorumque omnium fratrum implendo missa, custodiendo præcepta, obedientiam propalabo. Quid vero vos, vel successores vestri, sancto suadente spiritu deinceps custodiatis, immo sanctæ illius Ecclesiæ Episcopus debeat adimplere, huic paginæ credidimus inserendum. Hoc est, vt de vestra congregatione qui in vestro monasterio sancta debeant baiulare officia, cum Abbas cum omni congregatione poposcerit, à nobis vel à successoribus nostris sacros percipiat gradus. Nullum pro ipsorum honore prædictus Episcopus benedicat, & sanctum chrisma annis singulis, si voluerint postulare, pro reuerentia loci sine pretio concedat, & iuxta dispensationē diuinam cum Abbas de ipso monasterio à Domino migrauerit, quē vnanimiter omnis congregatio illa monachorum ex semetipsis, optimæ regulæ comparatum, & vitæ meritis congruentem similiter sine præmio memoratæ vrbis Episcopus ipse promoueat Abbatem. Nullam penitus aliam potestatem in monasterio, neque in rebus, neque in ordinādis personis, neque in villabus, ibidem iam collatis, aut deinceps regio munere, aut priuatorum collaturis, vel in reliqua substātia monasterij, nos successoresque nostri Episcopi, aut archidiaconi seu cæteri ordinatores, aut qualibet alia persona prædictæ ciuitatis habere non præsumat: aut quodcumque de eodem monasterio, sicut de parochijs aut cæteris monasterijs, muneris causa audeat sperare, aut ferre. Nec de hoc quod à Dominum timentibus hominibus trāsmissum, aut in altario offertum fuerit, aut in sacris voluminibus vel quibuscumque speciebus ad ornatum diuini cultus pertinet, aut præsens collata vel collatura fuerint, auferre præsumat. Et nisi rogatus à congregatione illa, vel Abbate, pro oratione lucranda, nulli nostrum liceat monasterij adire secreta, aut finium ingredi septa: & si ab eis illuc pontifex postulatus, pro lucranda oratione vel eorum vtilitate, accesserit, celebrato ac peracto diuino mysterio, simplici ac sobria benedictione percepta, absque vllo requisitu domo studeat habere regressum. Vt quatenus monachi, qui solitarij nuncupantur, de perfecta quiete valeant dulce Domino per tempora exultare, & sub sancta regula viuentes, & beatorum patrum vitam sectantes, pro statu Ecclesiæ, & salute regis, vel patriæ, valeant plenius dominum exorare. Et si aliquid ipsi monachi, de eorum religione tepidi, aut secus egerint, secundum eorum regulam ab eorum Abbate, si præualet corrigantur. Sin autem Pontifex de ipsa ciuitate coërcere debet, quia nihil de canonica auctoritate conuellitur, quicquid domesticis fidei pro quietis tranquillitate tribuitur. Si quis autem ex nobis, quod Deus auertat, calliditate commotus, aut cupiditate præuentus, ea quæ sunt superius comprehensa, temerario spiritu violare præsumpserit, à diuina vltione prostratus, reatu anathematis subiaceat, & tribus annis à communione omnium fratrum se nouerit alienum. Et nihilominus hoc priuilegium perpetim maneat incorruptum. Quam constitutionem nostram, vt firmis subsistat vigoribus, & nos & fratres nostri nomini Episcopi subscriptione & manibus nostris decreuimus roborari. Actum ibi, sub die illo, anno illo.

II. *Concessio Regis ad hoc priuilegium.*

Ille Rex, viris Apostolicis, patribus nostris, nec non & illustribus viris, illi Comiti, vel omnibus Agentibus, præsentibus & futuris. Oportet enim clementiam principalē, vt inter cæterorum petitiones sacerdotibus debeat benignum accōmodare auditū, & quod pro timore diuini nominis postulatur, ponatur procul dubio ad effectum, vt fiat in mercedem coniunctio, dum pro quiete seruorum Dei congrua impertitur portio, quia fides perfecta non dubitat ad Altissimi gratiā pertinere, quod secundum sacra elogia præcipue domesticis fidei deuota mente impenditur, quia scriptum est. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnū cælorū.* Ergo dum & ille Episcopus, aut Abbas, aut illuster vir, monasterium in honore illius, in pago illo, aut super proprietate, aut super fisco, noscitur ædificasse, vbi ad præsens ille Abbas, vel turba plurima monachorum adunata esse noscuntur: ad petitionē illius clemētia nostra, pro quiete ipsorū seruorū Dei, præceptionem vigoris nostri placuit propalare, sub quo trāquillitatis ordine, domino protegente ipsi monachi iuxta religionis normam perpetim valeant residere, elegimus, vt & hac serie debeat plenius declarari, quia nihil de canonica institutione conuellitur, quicquid domesticis fidei, per tranquillitatis pacem conceditur. Nec nobis aliquis detrahēdo æstimet in id noua decernere carmina, dū ab antiquis iuxta constitutionem Pontificum, per Regalem sanctionē monasteria sanctorum illorū, vel cætera in regno nostro sub libertatis priuilegium videntur consistere, ita & præsens valeat Deo adiutore constare. Ergo, si quid in villabus, mancipijs, vel reliquis quibuscumque rebus, atque corporibus aut regio munere, aut supra scripti illius: vel à quibuslibet est delegatum, aut deinceps fuerit additum, iuxta quod ab illo pontifice vel cæteris domnis Episcopis ad præfatum monasterium iuxta quod eorum cōtinet priuilegium, quod nobis præfatus ille protulit recensendum, sancitum esse cognouimus, nullus Episcoporū vt diximus, nec præsens, neque si fuerint successores seu archidiaconi, vel eorum ordinatores, vel qualibet persona, possit quocumque ordine de loco ipso auferre, aut aliquam potestatem sibi in ipso monasterio, præter id quod scriptum est adaptare, vel aliquid per commutationis titulum minuere, aut de ministerij ornamētis, vel de altari, vel de offertione in altario illata abstollere, nec ad ipsum monasteriū vel cellulas eius, nisi tantum pro lucranda oratione (illud ipsum, si fuerit, cum voluntate Abbatis, vel eius congregationis) absque

dispendio eorum, aliter accedere penitus non præsumat. Quo facilius secundum delegationis votum, vel huius serici auctoritatem, ad ipsum monasterium absque vllius inquietudine, ibidem cuncta proficiant in augmentis. Adiicientes, vt nulli penitus iudicum, vel cuilibet hominũ licentia sit, de rebus præfati monasterij, absq; voluntate eorum seruorũ Dei, in aliquo iniquiter defraudari, aut temerario spiritu suis vsibus vsurpare. Ne quod primitus est, & Dei iram incurrat, & nostrã offensam, vel à fisco graue damnũ sustineat. Illud nobis pro integra mercede nostra placuit addendũ, vt tam quod ex nostra largitate, quam delegatione ipsius, vel cæterorũ, aut cuiuslibet, ibidẽ est aut fuerit deuoluta possessio, quoque tẽpore, nulla iudiciaria potestas, nec præsens, nec succidia, aut ad causas audiendũ, aut aliquid exactandũ, ibidẽ non præsumat ingredi, sed sub omni emunitate hoc ipsum monasteriũ vel congregatio sua, sibimet omnia freda concessa debeat possidereEt quicquid exinde fiscus noster, forsitan de eorum hominibus, aut de ingenuis, aut de seruiẽtibus in eorum agris commanentibus, vel vndecumque poterat sperare, ex indulgentia nostra, in luminaribus ipsius sancti loci, vel stipendijs sanctorum Dei, tam nobis in Dei nomine viuentibus, quam per tempora succedẽtibus Regibus, & pro mercedis compendio, debeant cuncta proficere, vt pro æterna salute, vel fœlicitate patriæ seu Regis, constanter delectet ipsis monachis, immensã domini pietatẽ iugiter implorare. Quod præceptum decreti nostri, Christo in omnibus suffragante, vt firmior habeatur, & perenniter confirmetur, subscriptione manus nostræ, infra studuimus confirmari.

III. *Emunitas regia.*

MAximum Regni nostri augere credimus munimentum, si beneficia opportuna locis Ecclesiarũ, *aut cui volueris dicere*, beneuola deliberatione concedimus, ac Domino protegente stabiliter perdurare conscribimus. Igitur nouerit solertia vestra quod nos ad petitionem Apostulici viri Domini illius, illius vrbis Episcopi, tale pro æterna retributione beneficium visi fuimus indulsisse, vt in villab. Ecclesiæ, quas moderno tẽpore aut nostro, aut cuiuslibet munere habere videtur, vel quas deinceps in iure ipsius sancti loci voluerit diuina pietas ampliare, nullus iudex publicus, ad causas audiendas, aut freda vndiq; exigendum, quocumque tẽpore non præsumat ingredi, Sed hoc ipse Põtifex, vel successores eius propter nomen Dei sub integro emunitatis nomine valeant dominare. Statuentes ergo vt neq; vos, neq; iuniores, neq; successores vestri, nec vlla publica iudiciaria potestas, quocumq; tempore in villis vbicumq; in regno nostro, ipsi Ecclesiæ aut regia, aut priuatorum largitate collatis, aut qui in antea fuerint collaturis, aut ad audiendas altereationes ingredi, aut freda de quibuslibet causis exigere, nec mansiones, aut paratas, vel fideiussores tollere non præsumatis, sed quicquid exinde, aut de ingenuis, aut de seruientibus, cæterisque nationibus, quæ sunt infra agros, vel fines, seu supra terras prædictæ Ecclesiæ commanentes, fiscus aut de fredis, aut vndecunque poterat sperare, ex nostra indulgẽtia pro futura salute in luminaribus ipsius Ecclesiæ, per manum agentium eorum, proficiat in perpetuum. Et quod nos propter nomen Domini, & animæ nostræ r[illegible]lium, seu nostra prosequenti progenie plena deuotione indulsimus, nec regalis sublimitas, nec cuiuslibet iudicium sæua cupiditas refragare tentet. Et vt præsens auctoritas, tam præsentibus quam futuris temporibus, inuiolata Deo adiutore permaneat, manus nostræ subscriptionibus infra roborare decreuimus.

IV. *Confirmatio de emunitate.*

PRincipalem quidem clementiam cunctis decet accommodare aurẽ benignam: præcipue quæ pro cõpendio animarum à præcedentibus Regibus, parentibus nostris, ad loca Ecclesiarum probantur esse indulta, deuota debemus mente perpendere, & congrua beneficia, vt mereamur in mercedem esse participes, non negare, sed robustissimo iure per nostra oracula conferre. Igitur Apostolicus vir ille, illius ciuitatis Episcopus, clementiæ regni nostri suggessit, eo quod ille Rex per suam auctoritatem sua manu subscriptam, de villis Ecclesiæ suæ illius, quas ad præsens possidebat, vel de eo quod à Deum timẽtibus hominibus ibidem inantea delegaretur, integram emunitatem concessisset, vt nullus iudex publicus ad causas audiendũ, vel freda exigendum, nec mansiones, aut paratas faciendum, nec fideiussores tollendum, nec homines ipsius Ecclesiæ de quibuslibet causis distringendũ, nec ad vllas redhibitiones requirendum, ibidem ingredi non debeant. Vnde & ipsam præceptionem iam dicti principis, seu & confirmationem illorum regum, eorum manibus roboratas, antedictus Pontifex nobis ostendit relegendas, & ipse beneficium circa eodem, vel memorata Ecclesia sua, sicut à supradictis principibus fuit indultum, moderno tempore asserit esse conseruatum. Sed pro firmitatis studio, petit celsitudinem nostram, vt hoc denuo circa eodem, vel memorata Ecclesia sancti illius, nostra deberet auctoritas generaliter confirmare. Cuius petitionem, pro reuerentia ipsius sancti loci, vt mereamur in mercedem sociari, plenissimã voluntatem præstitisse, vel confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo iubemus, vt sicut constat ab antedictis principibus de villis præfatæ Ecclesiæ domni illius integram emunitatem absque introitu iudicum fuisse concessam; ita & inantea auxiliante Domino inspectæ priorum principum auctoritates omnimodo conseruentur: & neque vos, neque iuniores, neque successores vestri, vel quislibet de iudiciaria potestate, in villas antedictæ Ecclesiæ, quas moderno tempore vbicumq; in regno nostro possidere noscuntur, vel quæ inantea à Deum timentibus hominibus fuerunt collatæ, iam de ingenuis, quam de seruientibus vel quibuslibet nationibus hominum, in prædictis ipsius Ecclesiæ villis commanentibus, nec ad agendum, nec freda exigendum, nec fideiussores tollendum, nec mansiones, aut paratas faciendum, nec eos de quibuslibet causis distringendum, nec vllas redhibitiones requirendum, ibidem ingredi non præsumatis, sed sicut ipsum beneficium à iam dictis principibus iam dictæ Ecclesiæ fuit indultum, & vsque modo conseruatum, ita & deinceps per hanc nostram auctoritatem generaliter confirmatum, in Dei nomine perenniter maneat inconuulsum; & quicquid exinde fiscus noster poterat sperare in luminaribus Ecclesiæ ipsius in perpetuum proficiat. & vt hæc auctoritas tam præsentibus quam futuris temporibus inuiolata Deo adiutore possit constare, subtus eam propria manu descibimus roborasse.

V. *Præceptum de Episcopatu.*

ILle Rex, viro Apostolico illi Episcopo, quamuis nos ad administrandum gubernandumq; rerum status, præcelsis occupationibus regiæ sollicitudinis causa cõstringat, nihil tamen tam principali quam Principi dignũ est, vt cum pastorali paululum plebs destituta est præsidio, pro salute animarum, huiusmodi personis, locis celsioribus Pontificalem prospiciat committere dignitatem, in quibus maneat dupliciter sermo, vt populus magistrum actus Christi imitetur: qui plebem non minus pietate quam seueritate cõstringat: qui sciat cõmissa sibi talenta assiduæ prædicationis sermonibus

expolire,& acquisita multiplicataque gregis sui salute, ad ouile dominicum nullis maculis sordidatum valeat præsentare. Et quia cognouimus sanctæ recordationis domnum illum, vrbis illius Antistitem, euocatione diuina ab hac luce migrasse: de cuius successore sollicitudinem congruam, vna cum Pontificibus vel proceribus nostris plenius tractantes, decreuimus illustri viro aut venerabili illi, in ipsa vrbe Pontificalem in Dei nomine committere dignitatem. Quem plerumque apud animos nostros,& actio probata commendar,& nobilitatis ordo sublimat, ac morum probitas, vel mãsuetudinis & pruedntiæ honestas exornat. Qua de re, statura præsentibus ordinamus, vt cum adunatorum caterua Pontificum, ad quos tamen nostræ serenitatis deuotio scripta peruenit, ipsum vt ordo postulat benedici, vestra industria studeat voluntatis nostræ deliberationem reseratis oraculis publicare, atque effectũ Domino annuente sortiri. Quatenus dum Ecclesiam sibi à dispensatione diuina cõmissam, strenue regere atque gubernare videatur, nobis apud æternum retributorem mercedem suffragia largiantur: & ille pro peccatorum nostrorum mole, indesinenter immensum Dominum debeat deprecari.

VI. *Indiculus regis ad Episcopum vt alium benedicat.*

DOmino sancto, sedis Apostolicæ dignitate colendo, in Christo Patri illi Episcopo, ille Rex. Credimus iam ad vestrã reuerentiam peruenisse, sanctæ recordationis illius vrbis Antistitem euocatione diuina de præsentis sæculi luce migrasse. De cuius successore sollicitudine integra, cum Pontificibus, vel primatibus populi nostri pertractãtes, decreuimus illustri viro illi, aut venerabili viro illi, ad præfatam vrbem Pontificalẽ regulariter Christo auspice committere dignitatẽ. Et ideo salutationum iura digno debita honore soluẽtes, petimus vt cũ ad vos peruenerit, ipsum vt ordo postulat benedici vestra sãctitas nõ moretur, & iunctis vobis cum vestris comprouincialibus, ipsum in supra scripta vrbe cõsecrare Christo auspice debeatis. Agat ergo almitas vestra, vt & nostræ voluntatẽ deuotionis incunctanter debeatis implere, & tã vos, quam ipse, pro stabilitate regni nostri iugi inuigilatione plenius exoretis.

VII. *Concessio ciuium pro Episcopatu.*

SVggerendo pijssimo, ac præcellentissimo Domino, illi Regi, vel Seniori communi illius, à seruis vestris, quorum subscriptiones, vel signacula subtus tenentur insertæ. Principalitatis vestræ circumspecta clementia nouit iusta petentibus adnuere, suo moderaminis iudicio ponderante præsertim, cum illa deposcuntur generali prece, cunctorum voce, communiter quod proficiat, constat illud ad Ecclesiæ regimẽ pullulare, quod & ipsum regalis clementiæ proficit saluti, pariter ac mercedi. Quoniam sanctæ memoriæ vir Apostolicus ille, illius vrbis Episcopus, fine adpropinquante ab hac luce migrauit, tempore naturæ complenti, ne destitutæ sint, quod absit, oues decedente pastore, in loco eiusdem suppliciter postulamus, vt instituere dignemini illustrem virum illum, aut venerabilẽ illum cathedræ illius successorẽ, in quo est præspicuitas sublimis, ingenuitas nationis, elegantia refulgens, diligentia castitatis, charitatis locuples, voluntatis irrefragabiliter Manu nostra hunc consensum decreuimus roborare.

VIII. *Charta de Ducatu*, Patritiatu, *vel Comitatu.*

PRæcipue regalis in hoc perfecta collaudatur clemẽtia, vt inter cunctum populum bonitas & vigilantia requiratur personarum. Nec facile cuilibet iudiciariam conuenit committere dignitatem, nisi prius fides seu strenuitas videntur esse probatæ. Ergo dum & fidem & vtilitatem tuam videmur habere compertam, ideo tibi actionem Comitatus, Ducatus, Patritiatus in

A pago illo, quem antecessor tuus ille vsque nunc visus est egisse, tibi ad agẽdum regendumq; committimus. Ita vt semper erga regimen nostrum fidem illibatam custodias, & omnes populi ibidem commanẽtes, tam Franci, Romani, Burgundiones, vel reliquæ nationes sub tuo regimine & gubernatione degant, & moderentur, & eos recto tramite secundum legem & consuetudinem eorum regas: viduis & pupillis maximus defensor appareas: latronum & malefactorum scelera à te seuerissime reprimantur: vt populi bene viuentes sub tuo regimine gaudentes debeant consistere quieti: & quicquid de ipsa actione in fisci ditionibus speratur, per vosmetipsos annis singulis nostris ærariis inferatur.

IX. *Indiculus ad alium Regem, cum legatio dirigitur & verbo suggeritur commendatitijs.*

B DOmino glorioso, atque præcellentissimo fratri, illi Regi, in Dei nomine ille Rex. Desideratus euẽtus fidelissimam nobis obtulit facultatem, qua vestræ serenitati salutationis honorificentiam præbeamus: Eo videlicet dilectionis affectu proprietatem vestræ celsitudinis cognoscere cupientes, quo vestram gloriam erga nos fraternitatis indiuiduam arbitramur. Proinde præsentes viros illustres, illum & illum, ad præsentiam fraternitatis vestræ direximus, quibus vt vestram gloriam condecet, benignissima tranquillitate susceptis, petimus vt dum officium legationis iniunctæ peragerent, responsis vestræ clementiæ præmoniti, ad referendum salutis indicium sacris vestris litteris honorentur.

X. *Rescriptio ad Regem.*

C DOmino gloriosissimo, atque præcellentissimo, & à nobis cum summo charitatis vinculo in amore Christi amplectendo, illi Regi, ille Rex. Apices vestræ celsitudinis, per magnificos & illustres viros illos, summa cum auiditate nos accepisse comperite, per quos vestræ celsitudinis salutationum munera, vt condecet præmittentes, ea quæ circa vos sunt prospera cognoscentes, gauisi, ipsos in vestro amore, tales vt condecet viros deuotione benignissima suscepimus, & officium legationis sibi à vobis iniunctum nostris auribus pandiderunt. Sed omnia à nobis in respõsis accepta, quid cum feliciter in Dei nomine remeauerint celsitudinis vestræ auribus debeant enarrare.

XI. *Tractoria Legatorum vel minima facienda adinstius instar.*

ILle Rex, omnibus agentibus. Dum & nos in Dei nomine Apostolicum virum illum, necnon & illustrem virum illum partibus illis legationis causa direximus, ideo iubemus, vt locis conuenientibus eisdem à vobis euectio simul, & humanitas ministre-

D tur, hoc est veredos, seu parauerdos tantos, panis nitidi modios tantos, vini modios tantos, ceruisiæ mod. tan. lardi libras tantas, carnis libras tantas, porcos tantos, porcellos tantos, veruaces tantos, agnellos tantos, aucas tan. fasianos tantos, pullos tan. oua tan. olei libras tantas, gari libras tantas, mellis tan. aceti tan. cumini lib. tan. piperis tan. costi tan. gariofili tan. spici tan. cinamomi tan. grani mastices tan. dactylas tan. pistacias tan. amandolas tan. cereorum lib. tan. salis tan. olerum, leguminum carra tanta, faculas tantas, itemque victum ad caballos eorum, fœni carra tan. suffusi modios tan. hæc omnia diebus tam ad ambulandum, quam ad nos in Dei nomine reuertendum vnusquisque vestrum locis consuetudinariis, eisdem ministrare & adimplere procuretis, qualiter nec moram habeant, nec iniuriam proferant, si gratiam nostram optatis habere.

XII. *Præceptum donationis.*

A

SI Dominus omnipotens, creator cœli & terræ præmisit in principio, masculum & fœminam copulæ sociari consortio dicens, *Relinquet homo patrem & matrem suam & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Si aliquid pro amore dilectionis inter se inuicem donare decreuerint, hoc nostra serenitas in ipsis non tenuit confirmare. Igitur venientes ille & illa in palatio nostro, pro eo filiorum procreationem inter se minime habere videntur, omnes res eorum inter se, per manum nostram visi sunt condonasse, (si ita conuenit) villas aliquas inter se visi sunt condonasse. Dedit igitur prædictus vir ille per manum nostram, iam dictæ coniugi suæ illi, villas nuncupatas illas, sitas in pago illo, quas aut munere regio, vt de alode parentum, vel vndecumque ad præsens tenere videtur, cum terris, domibus *& cætera.* Similiter in compensationem rerum, dedit prædicta fœmina antedicto iugali suo illi, B villas nuncupatas illas sitas in pago illo, cum terris *& cætera,* seu præsidiis domus eorum, argento & auro, fabricaturis, drappis, vestimentis vel omni supellectile eorum, pars parti per manum nostram visi sunt condonasse. Ita vt dum pariter aduixerint in hoc sæculũ, omnes res super scriptas, ab vtraque parte pariter debeant possidere, vel si pro animabus eorum aliquid exinde ac loca sanctorum dare decreuerint, voluntatis eorum liberũ maneat arbitrium: qui pari suo ex ipsis in hoc sæculũ superstes extiterit, ambabus rebus, quamdiu aduixerit vsufructuario ordine debeat possidere: & post amborum de hac luce discessum, sicut eorum delegationibus continebitur, tã ad loca sanctorũ, quã benemeritis, vel eorum propinquis debeãt reuerti hæredibus, tam supra scriptæ villæ, quam & de præsidio eorum quicquid morientes reliquerint. Propterea per præsens præceptum decernimus, & iubemus, vt C dum taliter super scriptis illis decreuit voluntas, & per manum nostram inuicem condonatum esse dignoscitur, per hoc præceptum, tohnstissimo iure suffultum, atque firmatum, quicquid superius continetur (auxiliante Domino, & nostra gratia) debeat perdurare. Ita vt nulla refragatio nec de parte fisci nostri, nec à parentibus eorum propinquis, nec à quocumque possit conuelli, sed omni tempore maneat inconuulsum. Quam vero auctoritatem, vt firmior habeatur, vel per tempus conseruetur, manu propria subtus eam decreuimus roborari.

XIII. *Præceptum de læsiuuerpo per manum Regis.*

QVicquid enim præsentia nostra agitur, vel per manum nostram videtur esse transuulsum, volumus ac iubemus vt maneat in postertum robustissimo iure firmissimum. Ideo veniens ille fidelis noster, ibi in palatio nostro, in nostra vel procerum nostrorum præsentia, villas nuncupatas illas, sitas in pago illo, sua D spontanea voluntate nobis per fistucam visus est vuerpisse, vel condonasse, in ea ratione si ita conuenit, vt dum vixerit sub vestro beneficio debeat possidere, & post suum discessum, sicut eius adfuit petitio, nos ipsas villas fideli nostro illi plena gratia visi fuimus cõcessisse. Quapropter per præsens decernimus præceptum, quod perpetualiter mansurum esse iubemus, vt dummodo taliter ipsius illius decreuit voluntas, quod ipsas villas in supra scriptis locis nobis voluntario ordine visus est læsiuuerpisse, vel condonasse: & nos prædicto viro illi ex nostro munere largitatis, sicut ipsius illius decreuit voluntas, cõcessimus: hoc est tam in terris, domibus, ædificijs, accolabus, mancipijs, vineis, siluis, cãpis, pratis, pascuis, aquis, aquarũue decursibus, ad integrum quicquid ibidem ipsius illius portio fuit, dum aduixerit absque aliqua deminutione, de qualibet re vsufructuario ordine debeat possidere: & post eius discessum memoratus ille hoc habeat, teneat & possideat, & suis posteris, aut cui voluerit ad possidendum relinquat. Et vt hæc auctoritas, &c.

XIV. *Prologi cessionum Regalium.*

MErito largitatis nostræ munere subleuantur, qui parentibus nostris vel nobis, ab adolescentia ætatis eorum, instanti famulantur officio. ITEM ALIA. Præcipue compẽdijs regalibus illud adscribitur, quod pro contemplatione seruitutis, fidelibus suis cõcedente Domino consultissime muneratur. ITEM ALIA AD LOCVM SANCTVM. Nihil, vt ait Apostolus, in hoc mũdo intulimus, nec quicquam ex eo auferre nobiscum poterimus, nisi quod ob animæ salutẽ, locis sanctorum deuote Domino offerentes impertire videmur. Ergo cognoscat magnitudo, seu strenuitas vestra, nos illustri viro illi promptissima voluntate, villam nuncupatam illam, sitam in pago illo, cum omni merito ex termino suo, in integritate, sicut ab illo, aut à fisco nostro fuit possessa, vel moderno tempore possidetur, visi fuimus concessisse. Quapropter præsentem auctoritatem nostram decernimus, quam perpetualiter mansuram esse iubemus, vt ipsam villam illam antedictus vir ille, vt diximus, in omni integritate, cũ terris, domibus, ædificijs, accolabus, mancipijs, vineis, siluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarũue decursibus, farinarijs, adiacẽtijs, appẽdijs vel quolibet genere hominũ ditioni fisci nostri subditorũ, qui ibidem cõmanẽt, in integra emunitate, absq; vllius introitu iudicũ, de quibuslibet causis ad freta exigendum, perpetualiter habeat concessum. Ita vt eam iure proprietario, absq; vllius expectata iudicum traditione, habeat, teneat atque possideat, & suis posteris, Domino adiuuante, ex nostra largitate, aut cui voluerit ad possidendum relinquat, vel quicquid exinde facere voluerit, ex nostro permissu in omnibus habeat potestatem. Et vt hæc auctoritas, &c.

XV. *Cessio ad locum sanctum.*

COgnoscat magnitudo seu vtilitas vestra, nos propter nomen Domini ad basilicã illam, vel Ecclesiam illam, vbi Apostolicus Pater noster ille, aut venerabilis vir ille Abbas, præesse videtur, villã nũcupatam illam, sitam in pago illo, quam vsq; nunc fiscus noster ille tenuit, promptissima deuotione cũ omni integritate visi fuimus concessisse. Quapropter per præsentem auctoritatem nostrã decernimus, quam perpetualiter mansurã esse iubemus, vt ipsam villam, memorata ecclesia illa, vel antedictus Pontifex, aut ille Abbas, vt diximus in omni integritate cum terris, *& cætera quæ superius sunt,* ita vt eam & ipsi & successores sui habeant, teneant & possideant, vel quicquid exinde ad profectum Ecclesiæ illius aut basilicæ facere voluerint, ex permissu nostro in omnibus habeant potestatem. Et vt hæc auctoritas firmior habeatur, vel per tempora conseruetur, manus nostræ subscriptionibus subtus eam decreuimus roborare.

XVI. *Confirmatio.*

QVem diuina pietas sublimat ad Regnum, cõdecet facta conseruare parentum, præcipue quod pro compendiis Ecclesiarum, aut locis sanctorum, à regali clemẽtia pro æterna retributione probatur esse indultum, oportet conseruare eum. Igitur Apostolicus vir, pater in Christo noster, illius vrbis Episcopus, clemẽtiæ Regni nostri detulit in notitia, quasi ille Rex per suã præceptionem, sua manu subscriptam, ad Ecclesiã illius, cui præesse dignoscitur, villam nuncupatam illam, sitam in pago illo, cum integritate sua, sub omni emunitate, absque vllo introitu iudicum, de quibuslibet causis ad freta exigendum, propter nomen DOMINI concessisset; & ipsam

præceptionem se præ manibus habere adfirmat:& memoratam villam ipse Pontifex, sub eodem modo ad partem Ecclesiæ possidere videatur, petit ad celsitudinem nostram, vt hoc circa eodem, vel memorata Ecclesia domni illius, per nostra deberemus confirmare oracula. Quod nos propter nomen Dei, & reuerentia ipsius sancti loci, vel merito præfati Pontificis, gratante animo præstitisse,& confirmasse cognoscite. Præcipientes enim, vt sicut constat præfatam villam, à iam dicto principe, memoratæ Ecclesiæ illius, cum integritate, sub omni emunitate fuisse concessam, & eam ad præsens possidere videtur, inspecta ipsa cessione, per hoc præceptum plenius in Dei nomine confirmatam, sub eo ordine,& ipse,& successores eorum, vel memorata Ecclesia domini illius, illam teneant, & possideãt, & eorum successoribus ad possidendum relinquãt, vel quicquid exinde pro opportunitate ipsius sancti loci faciendum decreuerint, ex nostro permissu liberam habeant potestatem. Et vt hæc auctoritas, &c.

XVII. *Confirmatio pro secularibus viris.*

REgiam cõsuetudinem exercemus, & fidelium nostrorum animos adhortamur, si petitionibus nostrorum fidelium libenter annuimus, & eas in Dei nomine effectui mancipamus. Igitur illustris vir ille clementiæ regni nostri suggessit, eo quod ante hos annos ille quondam Rex parens noster, villam aliquam, nuncupatam, sitam in pago illo, quæ antea ad fiscum suum adspexerat,& ille tenuerat, pro fide sua recta, eius meritis compellentibus, cum omni integritate,& ipsã villam aspicientem per suã præceptionẽ, sua manu roboratam, in integra emunitate, absque vllius introitu iudicũ de quibuslibet causis ad freda exigendum, eidem cõcessisset. Vnde & ipsam præceptionẽ antedicti principis, nobis ostendit relegandam, & memoratã villam ad præsens sub eodẽ modo possidere videtur; petijt vt hoc circa eodem nostra plenius deberet auctoritas generaliter confirmare. Cuius petitionem pro respectu fidei suæ, sicut vnicuiq; de fidelibus nostris, iusta petẽtibus nequiuimus denegare, sed gratãte animo præstitisse, & confirmasse cognoscite. Præcipientes ergo vt sicut cõstat antedictam villam illam, cum omni integritate sua, ab ipso principe illo memorato illi fuisse concessam, & eã ad præsens iure proprietario possidetur, per hoc præceptum plenius in Dei nomine confirmatum inspecta ipsa præceptione,& ipse,& posteritas eius eam teneant & possideãt, & cui voluerint ad possidendũ relinquant, vel quicquid exinde facere decreuerint, ex nostro permissu libero perfruãtur arbitrio. Quam vero auctoritatẽ, vt firmior habeatur,& per tẽpora conseruetur, propria manu subtus eam decreuimus roborare.

XVIII. *De regis Antrustione.*

REctum est, vt qui nobis fidem pollicẽtur illæsam, nostro tueantur auxilio. Et quia ille fidelis, Deo propitio, noster, veniens ibi, in palatio nostro: vna cum arimania sua in manu nostra trustem& fidelitatem nobis visus est coniurasse, Propterea per præsens præceptum decernimus ac iubemus, vt deinceps memoratus ille in numero antrustionũ computetur. Et si quis fortasse eum interficere præsumpserit, nouerit se vuirgildo suo sol. DC. esse culpabilem iudicetur.

XIX. *Præceptum de clericatu.*

SI eis qui se ad onus clericatus transferre deliberant, licentiam non negamus, retributorem Dominum exinde habere confidimus, *Noli prohibere benefacere ei qui potest; si vales & ipse benefac.* Ille ad nostram veniẽs præsentiam, petijt serenitati nostræ, vt ei licentiam tribuere deberemus qualiter comam capitis sui ad onus clericatus deponere deberet, & ad basilicam illam aut monasterium deseruire deberet. Quod nos propter nomen Domini hoc eidem gratante animo præstitisse cognoscite. Præcipientes ergo iubemus, vt si memoratus ille de capite suo bene ingenuus esse videtur, & in puletico publico censitus non est, licentiam habeat comam capitis sui tonsurare, & ad supra scriptam basilicam, vel monasterium deseruire, vel pro nobis Domini misericordiam attentius exorare.

XX. *De diuisione, vbi Regis accesserit missus.*

DVm & diuisio, vel exequatio, inter illum & illum, seu consortes eorum, de alode lui, aut de agro illo celebrari debet; & quatenus petitio illorum adfuit, vt missus de palatio nostro ad hoc inter eos diuidẽdum, vel exequandum accedere deberet. Ideo cognoscite, quod nos missum nostrum illustrem virum illum ad hoc inter eos exequandum visi fuimus direxisse. Propterea per præsens decernimus præceptum, vt ipsum in hoc vos recipere faciatis,& vnicuiq; ex ipsis iuste debita portio terminetur, & decima illius sumptus litis, quod exinde in fisci ditionibus, tam de terra, vineis, mancipijs, vel vndecunque re debetur, ipse vir ille habeat ex nostra indulgentia concessum, vel quicquid exinde facere voluerit liberam habeat potestatem.

XXI. *De causis alterius recipiendis.*

FIdelis Deo propitio ille, ad nostrã veniens præsentiã suggessit nobis, eo quod propter simplicitatem suã, causas suas minime possit prosequi, vel admallare, clementiæ regni nostri petijt, vt illustris vir ille omnes causas suas in vice ipsius, tam in pago, quam in palatio nostro admallandum prosequendumque recipere deberet, quod in præsẽti per fistucam eas eidem visus est cõmendasse. Propterea iubemus, vt dum taliter vtriusque decreuit voluntas, memoratus ille vir omnes causas lui, vbicumq; prosequi vel admallare deberet, vt vnicuique pro ipso, vel hominibus suis, reputatis conditionibus,& directum faciat,& ab alijs similiter in veritate recipiat. Sic tamen quamdiu amborum decreuit voluntas.

XXII. *Præceptum denariale.*

ET quia Apostolicus, aut illustris vir ille seruũ suum nomine illum, per manum illius ad nostram præsentiam iactante denario secundum legem Salicam dimisit ingenuum, eius quoque absolutionem per præsentem auctoritatem firmamus: præcipientes enim vt sicut & reliqui mansoarij, qui per talem titulum à iugo seruitutis in præsentia Principum noscuntur esse relaxati ingenui, ita & à modo memoratus ille per nostrum præceptum plenius in Dei nomine cõfirmatum nullo inquietante, perennisque temporibus, cum Dei & nostra gratia valeat permanere bene ingenuus atque securus.

XXIII. *Charta de causa suspensa.*

COgnoscat magnitudo seu vtilitas vestra, Dum & nos ad præsens Apostolicum virum, aut illustrem virum pro nostris vtilitatibus, ibi ambulare præcepimus, ideo iubemus vt dum illis partibus fuerit demoratus, omnes causæ suæ, suorumque amicorum, aut gasindorum, seu vndecumque ipsi legitimo redimit mittio, in suspenso debeant residere. Propterea per præsens decernimus ac iubemus præceptum, vt interim quod de illis partibus reuertitur, omnes causæ eius, aut amicorum suorum, tam illorum qui cum illo pergunt, quam qui ad propria eorum resident, vel vndecumque ipse legitimo redibit mittio, in suspenso resideant, & postea vnicuique pro ipsis de reputatis conditionibus, & iustitiam reddat,& ab alijs simili modo recipiat.

XXIV. *Charta de Mundeburde Regis & Principis.* A

REctum est vt Regalis potestas illius tuitionem impertiat, quorũ necessitas comprobatur. Igitur cognoscat magnitudo seu vtilitas vestra, quod nos Apostolicũ, & venerabilẽ illum Episcopum, aut Abbatem Ecclesiæ, vel monasterij in honore illius sancti cõstructi, cũ omnibus rebus vel hominibus aut gasindis, vel amicis, seu vndecumque ipse legitimo reddibit mittio, iuxta eius petitionem, propter malorum hominũ inlicitas infestationes, sub sermonem tuitionis nostræ visi fuimus recepisse, vt sub mundeburde vel defensione illustris viri illius maioris domus nostræ, cũ omnibus rebus præfatæ Ecclesiæ aut monasterij, quietus debeat residere, & sub ipso viro illo, illustris vir ille, causas ipsius Pontificis, aut Abbatis, vel Ecclesiæ aut monasterij, vel qui per eum sperare videntur, vel vndecumque legitimo reddibit mittio, tantũ in palatio nostro, sequi deberet. B Propterea per præsẽs decernimus ac iubemus præceptũ, vt memoratus Põtifex, aut Abbas sub nostro sermone, & mundeburde ante dicti viri quietus residead: & nec vos, nec iuniores, aut successores vestri, vel quislibet eum de inquisitis occasionibus iniuriare, nec inquietare præsumatis. Et si aliquæ causæ aduersus eũ, vel suo mittio surrexerint, quæ in pago absque eius graui dispendio definitæ non fuerint, in nostri præsentia reseruentur. Quam præceptionem, vt firmior habeatur, propria manu subscripsimus.

XXV. *Prologus de Regis iudicio, cum de magna re duo causantur simul.*

CVi Dominus regendi curam committit, cunctorũ iurgia diligenti examinatione cũ rimari oportet, vt iuxta propositionum alloquia, inter alterutrum salubris donetur sententia. C Quo fiat, vt & nodos causarum viuacis mentis acumen coerceat, & vbi præfulcet iustitia, illuc gressum deliberationis imponat. Ergo nos in Dei nomine, ibi in palatio nostro, ad vniuersorum causas recto iudicio terminandas, vna cum domnis & patribus nostris Episcopis, vel cum pluribus optimatibus nostris illis, patribus illis, referendarijs illis, domesticis illis, vel seniscalcis illis, cubicularijs, & illo comite palatij, vel reliquis quamplurimis nostris fidelibus resideremus: ibique veniens ille illum interpellauit, cum diceret, &c.

XXVI. *Indiculus commonitorius ad Episcopum.*

DOmino sancto & Apostolica sede colendo, domno & in Christo Patri illo Episcopo, ille Rex. Fidelis Deo propitio noster ille ad præsentiam nostram veniens, suggessit nobis, eo quod villam aliquam nuncupatam illam, quæ ad eũdem de parte illius peruenire debuerat, post vos retineatis indebite, & nullam iustitiam vobiscum possit consequi. D Propterea præsentem indiculum ad coronam beatitudinis vestræ direximus, vt & pro nobis orare debeatis, & si taliter agetur antedictũ illum de suprascripta villa legibus reuestire faciatis. Certe si nolueritis, & aliquid contra hoc habueritis, quod opponere, vosmetipsi per hunc indiculum commoniti, aut missus in persona vestra instructus, nunc ad nostram veniatis præsentiam, ipsi lui ad hoc dandum responsum.

XXVII. *Item indiculus ad Episcopum pro alijs adstringendis.*

DOmino sancto & Apostolico, domno & patri illi Episcopo, ille Rex. Ille veniens ad præsentiã nostram suggessit, quasi Abbas vester, aut clericus, vel homo vester ille, eidem seruo suo per fortiam tulisse, vel post se retineat iniuste, & nullam iustitiã cum eodem ex hoc consequi possit. A Propterea præsentem indiculum ad sanctitatem vestram direximus, per quem petimus, vt & pro nobis orare dignemini, & si taliter agetur, ipsũ Abbatẽ vestrum, aut clericum, præsentialiter cõstringatis, qualiter si ita agetur hanc causam contra iam dictum illum legibus studeat emendare. Certe si noluerit, & aliquid contra hoc habuerit quod opponere, ipsum illum per fideiussores positos, tunc ad nostram dirigere studeatis præsentiam.

XXVIII. *Charta Audientalis.*

ILle Rex viro illi illustri illi Comiti, Fidelis Domino propitio noster ille, ad præsentiam nostrã veniens, clementiæ regni nostri suggessit, Eo quod pagensis vester ille, eidem terram suam in loco nuncupante illo, per fortiam tulisset, & post se retineat iniuste, & nullam iustitiam ex hoc apud ipsum consequi possit: B Propterea ordinationem præsentem ad vos direximus, per quam omnino iubemus vt ipsum illum taliter cõstringatis, qualiter si ita agetur, hanc causam contra iam dictum illum legibus studeat emendare. Certe si noluerit, & ante vos rectè nõ finitur, memoratum illum, iulris fideiussoribus, KL. illis, ad nostram cum cum omnimodis dirigere studeatis præsentiam.

XXIX. *Indiculus ad laicum.*

ILle Rex vir illuster, illi fideli nostro, ad præsentiam nostram veniens nobis suggerit, quasi vos nulla manente causa, in via adsalliissetis, & grauiter linorassetis, & raupta sua in solidos tantos eidem tulissetis, vel post vos retineatis indebite, & nullam iustitiam & hoc apud vos consequi posse. Propterea præsentem indiculũ ad vos direximus, per quem omnino iubemus, vt si taliter agitur de præsente hoc, contra iam dictum illum legibus studeatis emendare. C Certe si nolueritis, & aliquid contra hoc habueritis quod opponere, non aliter fiat nisi vosmetipsi per hunc indiculum commoniti, KL. illis proximis ad nostram veniatis præsentiam, eidem ab hoc integrum & legale dare responsum.

XXX. *Commutatio cum Rege.*

ILle Rex illi Regi. Nihil sibi quisq; cernitur minuendo, quicquid è contra recipitur in augmento. Dum inter nos & illustrem virum illum vnanimiter conuenit, vt loca aliqua inter nos commutare deberemus, nos dedimus ei locellum nuncupantem illum in pago illo, cum colonicis illis, vel omnibus adiacentijs [illegible], & merito suo, tam domibus, mancipijs, vineis, syluis, campis, pratis, pascuis, vel reliquis quibuscumque beneficijs, quodcumq; ille, vel fiscus noster, in ipsis locis tenuisse noscitur: & ipse hæc contra dedit nobis omnẽ portionẽ suam, quam in villa illa, in pago illo, habuisse visus est, cum itemque domibus, mancipijs, vineis, syluis, vel reliquis quibuscumque beneficiis, quæcumque ibidem habuit, & nos pro animæ nostræ remedio ibi D dedimus. Quapropter hoc præceptum commodum commutationis ipsius, vere fieri decreuimus, vt à præsenti die ipsa locella cum omnibus superius scriptis, vel omni integritate sua, quicquid vt diximus, ille, vel fiscus noster ibidem tenuit, ipse ille hoc habeat, teneat, atque possideat, & suis posteris ad possidendum relinquat, vel quicquid exinde facere voluerit, ex nostra cõmutatione liberam habeat potestatem: & vnaquæque pars quod in concambio bonæ pacis placuit accepisse, exinde per tempora debeat Deo permittente gratulari. Et vt hæc præceptio, &c.

XXXI. *Confirmatio Regis de omni corpore facultatis.*

MEritõ regalis clementia in illos collata munera, vel proprietates parentum nostrorum, con-

firmare deliberat, quos cognoſcit anterioribus Regibus, parentibus noſtris, vel nobis fidem integram conſeruaſſe illæſam. Idcirco illuſter, vir ille, chartas præcedentium Regum nobis protulit recenſendas, qualiter parentibus ſuis loca aliqua fuerunt conceſſa; Petijt vt eum de omni corpore facultatis ſuæ tam quod Regio munere, ipſe vel parentes ſui, promeruerunt, quam quod per venditionis, ceſſionis, donationis, commutationiſque titulum ad præſens iuſte, & rationabiliter eſt conquiſitum, & ad præſens poſſidere videtur, per noſtrum in ipſo deberemus generaliter confirmare præceptum. Quod nos pro diuino intuitu, vel eius meritis compellentibus, integra deuotione magnitudo veſtra præſtitiſſe cognoſcat. Præcipientes enim vt quicquid ex ſucceſſione parentum, vel eius voluntate, tam munere regio, vel per quælibet inſtrumenta chartarum ad eundem iuſte peruenit, tam in villabus, mãcipiis, ædificijs, accolabus, auro, argento, ſpeciebus, ornamentis, mobili aut immobili, aut quodcumque in quibuſlibet rebus, per inſtrumenta chartarum, tempore præſenti cum rationis ordine dominare videtur, per hanc auctoritatem firmatum cum Dei & noſtra gratia, in integritate hoc valeat poſſidere, & ſuis poſteris auctoritate Domino derelinquere. Et vt hæc auctoritas, &c.

XXXII. *Si aliquis contra Regis voluntatem egerit, ſecuritas cui eum perſequi iuſſerit.*

QVi Regiæ obtemperant iuſſioni, experiri malum in poſterum à quolibet non debent. Igitur cum & ille cum reliquis partibus ſuis, qui eum ſecuti fuerint, facientem reuello illum interfecit, aut quaſlibet alias cauſas contra Regem commiſit, vel de regno noſtro ſe tranſtulit, quod nobis ſatis fuit moleſtum; & vna cum conſilio fidelium noſtrorum, omnes res eius ſub fiſci titulum illuſtribus viris illis præcipimus reuocare, quia ſi ſe non diſtuliſſet, non ſolum res perdere, ſed pro tali reuello in vita ordinauimus inſequi. Propterea præſentem præceptionem dedimus, vt dum prædicti viri illi, vel reliqui pares, aut gaſindi, non ex ſua præſumptione, niſi per noſtram ordinationẽ, vna cum conſilio ſeniorum fidelium noſtrorum, ipſas res ſub fiſco noſtro poſitas habuerint, & noſtris ditionibus vbi iuſſimus, vel reliquarum qui cum eodẽ mixti fuerunt, nec hæredes eorum exinde quamlibet calumniam, aut repetitionem vllam habere penitus non debeant, ſed tam ipſi illi, quam pares, gaſindi, vel amici, quicquid de rebus prædicti illius erat, & ablatum fuit, dum per eius culpas, & noſtra ordinatione factum eſt, omni tempore exinde deducti, & abſoluti permaneãt: & vt diximus calumniã aut repetitionẽ, vel dãnietatẽ, quandoquidẽ, exinde ſupraſcripti viri, vel fideles noſtri, nõ pertimeſcant habere. Et vt hæc præceptio, &c.

XXXIII. *Præceptum quorum ab hoſtibus, vel alio modo fuerint inſtrumenta incenſa.*

A Regali neceſſe eſt releuẽtur clementia, qui damnietatem ab hoſtibus, vel paſſi ſunt violentiam. igitur fidelis Deo propitio noſter ille, clementiæ regni noſtri ſuggeſſit, eo quod ante hos annos, aut anno ſuperiori, exercitus noſter, aut illius Regis, domus ſuas incendio cremaſſent, vel res ſuæ quamplures vna cum inſtrumentis chartarum, tam per quod Regio munere perceperat, quam & quod per venditionis, donationis, ceſſionis, commutationis titulum, vel de alode parentum in quocumque loco in regno noſtro aliquid poſſidebat, ibidem concrematæ fuiſſent. Vnde relationem bonorum hominum manibus roboratam, qualiter ipſis ita cognitum ſit, ſuggeſſit nobis, & protulit recenſendam: & omnes res ſuas vnde ipſa inſtrumenta perierant, abſque vllius inquietudine, ſicut & antea fecit quietus poſſidere videtur. Sed pro firmitatis ſtudio petiit memoratus ille, vt per noſtrã auctoritatẽ omnes res ſuas, tam quod Regio munere, quã quod per venditionis, ceſſionis, commutationiſq; titulũ, vel reliquã alodem, ad præſens eum æquitatis ordine quietus poſſedit, deinceps in iure & dominatione eius confirmare deberemus. Cuius petitioni gratante animo præſtitiſſe, vel confirmaſſe cognoſcite, Præcipientes ergo iubemus, vt quicquid memoratus ille tã in terris, domib. ædificijs, accolabus, mãcipijs, vineis, ſyluis, campis, pratis, aquis, aquarumue decurſibus, vel reliquis quibuſcumque beneficijs (quod per relationẽ ſupra ſcriptorum virorũ cognouimus) iuſtitia rationabiliter vſque nunc vbicumque in regno noſtro poſſidere videtur, dum eius inſtrumenta cremata eſſe cognouimus, per hoc præceptum plenius in Dei nomine circa eum ſuffultum, atque firmatum, abſque vllius inquietudine, vel refragatione teneat & poſſideat, & ſuis poſteris, aut cũi voluerit in Dei nomine ad poſſidendum relinquat. Quam verò auctoritatem, perpetuis temporibus valituram propria manu ſubter roborare decreuimus.

XXXIV. *Relatio Pagenſium ad Regem directa.*

SVggerendo pijſſimo atq; præcellentiſſimo domno illi Regi, & Maiori domus illius, à ſeruis veſtris pagenſibus illis, quorũ ſubſcriptiones, vel ſignacula ſubtus tenẽtur inſerta: Principalis veſtri circumſpecta clementia, nouit iuſta petentib. dignanter annuere, & neceſſitatem patientibus ſubuenire clementer. Pene omnibus patet, regionem noſtram ab hoſtibus depopulatam eſſe, & domus multorum igne crematas, vel rebus ablatis. Inter quos ſeruus veſter ille non modicum ibidem perpeſſus eſt dãnum, & de rebus ſuis diſpendium, vel omnia inſtrumenta chartarum, quæ ipſe vel parentes ſui habuerunt, tam quod & munificentia Regum poſſedit, quam quod per venditionis, ceſſionis, donationis, commutationiſq; titulum habuit, vna cum domo ſua incendio concremata eſſe noſcuntur, vnde noſtras paruitates petijt, quod veraciter exinde cognouimus, per hanc noſtram ſuggeſtionem veſtræ innoteſcere clementiæ, quod & facere ſerui veſtri decreuimus. Veſtra pietas iubeat, quod vſque modo in regno veſtro quietus poſſedit, circa eodem per veſtro munere præceptum, vt inantea valeat, dum ſua perdidit inſtrumenta poſſidere quietus & ſecurus. Nos ſerui veſtri quod exinde veracius ſcimus, innoteſcere præſumpſimus, veſtrum eſt neceſſitatem patientibus ſubuenire.

XXXV. *Confirmatio de omni corpore facultatis monaſterij.*

ILle Rex illi Patricio, atque omnibus agentibus. Rectum eſſe cenſemus, vt petitiones ſacerdotum quæ ad profectum pertinent locorum ſanctorum, ad effectum Chriſto præſide perducamus. Igitur venerabilis vir ille ſancti monaſterij Abbas, gloriæ regni noſtri petijt, vt dum ipſum ſanctum monaſterium de collatione parẽtum noſtrorum, Deo adiutore videtur eſſe cõſtructum, Nos omne corpus facultatis eius, tam quod anteceſſores Abbates ibidem laborauerunt, vel ille domnus Abbas, qui ibidem fuiſſe dignoſcitur de re monaſterij ibidem viſus eſt augmentaſſe, aut comparaſſe, quod ab ipſo ſancto loco moderno tempore poſſidetur per noſtrum deberemus generaliter confirmare præceptũ. Quod nos pro diuino reſpectu, vel mercedis noſtræ augmentum præſtitiſſe, veſtra non dubitet magnitudo, etiam & priuilegium ipſius monaſterij quod inſtitutionẽ ſedis Apoſtolicæ, ſeu reliquorũ Epiſcoporum viſi ſunt meruiſſe, & per auctoritatẽ domni illius, ſeu à reliquis ſucceſſoribus parentibus noſtris adumbratum fuiſſe dinoſcitur, iuxta quod etiam propriorem præceptionem noſtram erga ſe perhibentes,

ſe monitum propriam ſtabilitatem decreuimus roborare. Præcipientes ergo, vt omnes facultates ipſius monaſterij, quicquid aut Regia collatione, aut priuatorum munere, vel anteceſſoribus Abbatibus, ſeu & à domno lui ibidem eſt legaliter adquiſitum aut comparatum, immò de quibuſcumque rebus recte attractum, quodcumque dominatio ipſius ſancti loci vndique moderno tempore in villabus, domibus, mancipijs, vineis, ſiluis, pratis, paſcuis, aut quibuslibet beneficijs, cernitur cum æquitatis ordine poſſidere, per hanc auctoritatem ſuffultum, abſque cuius libet inclitis controuerſijs, mihi tamen præſenti quam futuro tempore, Chriſto præſule proficiat in augmentum; Adijcientes vt & priuilegium tam de Abbatum ingreſſu ipſa congregatio, & poſtquam alius migrauerit ex ſe inſtituendo, quam & de reliquis omnibus quæ per inſtitutionem Pontificum, de tempore illo vſque nunc ipſum monaſterium habuit conceſſa, & vſque hactenus conſeruata, vel per deceſſores Reges circa ſe firmata: ita & inantea reſecatis quarum cumque ſuperfluis inquietudinibus ſub eo ordine valeant in noſtro ſermone, auxiliante Domino per tempora permanere, Et vos & ſucceſſores veſtri, vbi neceſſitas fuerit, in conditionibus ipſius monaſterij pro ſalute noſtra crebrius exorare, & vobis ob hoc ad gratiam noſtram debeat pertinere. Et vt hæc præceptio firma ſtabilitate ſubſiſtat, propria manu infra decreuimus roborare.

XXXVI. *Vt cauſas auctorum adſumendi ſuorum aliquis licentiam habeat.*

MAlorū neceſſe eſt tergiuerſatione Regali coërcere cenſura. Igitur Apoſtolicus vir ille, illius vrbis Epiſcopus, aut venerabilis ille Abbas, aut Deo ſacrata illa Abbatiſſa de monaſterio illo, vel quilibet fideliū dominorū, miſſa petitione, aut ipſe nobis innotuit, eo quod à diuerſis hominibus eorū ſpontanea voluntate, tam ipſe quam anteceſſores eorum, data pecunia, infra regnum veſtrum plurima in terris, aut mancipia comparaſſent, vel reliqui homines ad ipſam Eccleſiam vel monaſterium pro animæ eorum remedio, nonnulla per eorum inſtrumenta delegaſſent; & hoc ad præſens cum æquitatis ordine poſſidere videntur; Petijt vt pro tempore futuro, vel maiorum hominum iniurias coërcendo, dum plures benefactores, vel venditores pro clade quæ graſſatur in populo, vel complente fine naturæ, abſque hæredibus de hac luce diſceſſerunt: ſi aliquis per quodlibet ingenium de ipſis rebus eum inquietare voluerit, licentiam haberet in vice auctorum ſuorum ipſe, vel aduocatus ſuus eorum cauſas adſumere. Quod nos propter nomen Dei, & reuerentiam ipſius ſancti loci præſtitiſſe cognoſcite. Præcipientes ergo iubemus, vt memoratus Pontifex aut Abbas, vel Abbatiſſa, vel aduocatus eius, in vice auctorum ſuorum, cauſas ipſius licentiam habeat adſumendi, vel homallandi, & per eorum inſtrumenta aut de annis ipſius rei, vnde tunc à quibuſlibet inquietati videbuntur, partibus Eccleſiæ, vel monaſterij ſui, cum æquitatis ordine reſpondendi, vel homallandi, ſuper annis contra quemcumque ſanciendi.

XXXVII. *Iudicium euinditale.*

VEniens ille, in noſtri vel procerum noſtrorum præſentia, ſuggeſſit, quaſi homo nomine ille pagenſis veſter, eum in villa nulla manente cauſa adſalliſſet, & eum grauiter liuoraſſet, vel raupa ſua in ſolidos tantos eidem tuliſſet, & ob hoc vobis per noſtram ordinationem tales datos habuiſſet fideiuſſores, vt KL. illis ex hoc in noſtri præſentia debuiſſent adſtare cauſantes. A quo placito veniens memoratus ille, ibi in palatio noſtro, & per triduum, ſeu amplius, vt lex

A habuit, placitum ſuum cuſtodiſſet, & memoratus ille abiectus ſit, vel ſolſatus ſit, ipſe nec veniſſet ad placitum, nec nulla ſunnia nuntiaſſet, adfirmat. Proinde nos taliter vna cum noſtris proceribus conſtitit decreuiſſe, vt ſi euidenter memoratus ille pro hac cauſa tales vobis datos habuit fideiuſſores, & placidū ſuum minime cuſtodiuit, Dum & illuſtris vir ille Comes palatij noſtri teſtimoniauit, quod antedictus ille placitum ſuum legibus cuſtodiuit, & eum adiectiuit, vel ſolſatiuit, & ipſe ille placitum cuſtodire neglexit; iubemus vt quicquid lex loci veſtri de tali cauſa edocet, vobis diſtringentibus, antedictus ille partibus illius componere, & ſatisfacere non recuſet.

XXXVIII. *Charta paricla.*

CVm in noſtra vel procerum noſtrorum præſentia, homo nomine ille itemque hominem nomine illum interpellaſſet, quaſi ſeruo ſuo nomine illo, vna cum raupa ſua in ſolidos tantos, poſt ſe fugitiuos pedes recepiſſet, vel poſt ſe retineat indebite: aut hæc
B præfatus ille omnia fortiter viſus eſt denegaſſe, quod nec ipſe ipſo ſeruo fugitiuos pedes, nec raupa ſua poſt ſe nunquam recepiſſet: Sed dum inter ſe intenderent, ſic eiſdem à proceribus noſtris, in quantum illuſtris vir ille Comes palatij noſtri teſtimoniauit, fuit iudicatum, vt de quinque denominatis, idem ille apud tres & alios tres, ſua manu ſeptima, tunc in palatio noſtro ſuper capellam domini Martini, vbi reliqua ſacramenta percurrunt, debeant coniurare, quod ſupra ſcripto ſeruo illo memoratus ille pedes fugitiuos, vna cum raupa ſua in ſolidos tantos, poſt ſe nunquam recepiſſet; Si hoc coniurare potuerit, de hac cauſa ductus ſedeat, ſin autem non potuerit, ipſum ſeruum vna cum raupa ſua in ſolidos tantos cum legis beneficio, partibus ante dicti illius reddere ſtudeat. Interim vero vſque in ipſo placito, quia nec vtra pars ex ipſis victa ſit apparet, vnde æquales præceptiones eis fieri, & accipere iuſſimus.

XXXIX. *Vt pro natiuitate Regis ingenui relaxentur.*

C ILle Rex Francorum viro illuſtri illi Comiti. Dum & nobis diuina pietas, iuxta votum fidelium, & procerum noſtrorum, de natiuitate filij noſtri illius, magnum gaudium habere conceſſit, vt miſericordia Dei vitam eidem concedere dignetur; Iubemus vt per omnes villas noſtras, quæ in veſtra, vel in cuncto regno noſtro aliorum domeſticorum ſunt actionibus, tres homines ſeruientes in vtroque ſexu, in vnaquaque villa, ex noſtra indulgentia, per veſtras epiſtolas, ingenuos relaxare faciatis.

XL. *Vt Leude Samio promittantur Regi.*

ILle Rex ille Comiti. Dum & nos vna cum conſenſu procerum noſtrorum, in regno noſtro illo glorioſum filium noſtrum illum regnare præcepimus; Ideo iubemus vt omnes pagenſes veſtros, tam Francos, Romanos, vel reliquas nationes degentes ban-
D nire, & locis congruis per ciuitates, vicos & caſtella congregare faciatis. Quatenus præſente miſſo noſtro, illuſtri viro illo, quem ex noſtro latere illuc pro hoc direximus, fidelitatem præcelſo filio noſtro, vel nobis, & leode, & ſamio, per loca ſanctorum; vel pignora quæ illuc pro eodem direximus, debeant permittere & coniurare.

INCIPIVNT CAPITVLA DE chartis pagenſibus.

MARCVLFI MONACHI FORMULARUM LIB. II.

Seu de chartis Pagensibus.

CAP. I. *De magna re qui vult Xenodochium aut monasterium construere.*

DOmino vere sancto, atque sedula ostensione, patentibus virtutum miraculis, Christi remuneratione, fulgenti, oratorio, ac cellulæ, in honore sanctæ, ac semper Virginis, genitricis Domini nostri Iesu Christi, seu quidam, meritis flagitijs, quoque sceletibus, præ lasciuis actibus, ac nimia fœdirate pollutus, vel opere omnium bonorum Christianorum longe satis extremus optat, pene sanctarum scripturarum series, Christianis fidelibus pia exhortatione pronunciat, hoc etiam tonitrualis illa Euangelistarum vox, suggerente spiritu, sua potestate concelebrat, vt faciat in pauperes eleemosynam, qui vult tartari euadere supplicia: vnde & Dominus in Euangelio dicit, *Vende omnia quæ habes, da pauperibus & habebis thesaurum in cælum.* Pensemus ergo omnes Christiani quanta sit pietas, & largitio redemptoris, vt eleemosynis pauperum promittantur nobis thesauri regni cælorum. Procuremus igitur, sicut Dominus & saluator noster præcepit, & ac si non quantum habemus saltem in quantum possumus, eleemosynam faciamus. Nemo itaque dubitet, nemo tardet, quia si nos facimus quæ Dominus & saluator noster præcepit, ille sine dubio facturus est quæ promisit. Ait enim scriptura, *abscondite eleemosynam in corde pauperis, & ipse pro te deprecabitur Domino.*

Abscondamus ergo eleemosynam in corde pauperis, vt proueniat nobis deprecatio pauperum in remissionem peccatorum. Multa quidem & alia pro eleemosynis faciendis testimonia, in scripturis sanctis reperimus. In quibus vel ex quibus illam ego existimo potiorem, quæ ait, sicut aqua extinguit ignem, &c. Quid ergo verius potest credi, quid confidentius quidue expressius, quia sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum. Iustè ergo extinguitur, qui peccatorum incendia eleemosynis, iuxta pollicitationem diuinam, extinguere non festinat. Faciant quippe cæteri quod voluerint, agant quod ipsi maluerint, idcirco quoniam omnis homo suo sensu ducitur: ego tamen eius rei exemplum secutus, elegi ad præfatum oratorium, vel cellulam, iuxta Apostolorum numerum, duodecim, ad præsens pauperum, pro remissione peccatorum meorum, vel pro diluenda meorum mole peccaminum, Christo præsule, collocare; vbi etiam per præsentem epistolam donationis meæ, dono ad præsentem diem quod in luminaribus ipsius oratorij, vel in alimonia & substantiali victu, vestitu quoque & sustentatione ipsorum pauperum, vel clericorum ibidem seruientium, Deo gubernante & opitulante, proficiat, donatumque in perpetuum esse volo, atque de meo iure in eorum dominationem, & potestatem trado, lego, transmitto, atque transfundo; hoc est agros, quorum vocabula sunt illa, & illa, quæ ponuntur in territorio illo: pari modo, & quicquid in illo territorio ponitur, in omni soliditate portionem meam, vna cum mancipiis, ædificijs, vineis, terris, pratis, syluis, omnique iure

eorum,vna cum colonicis adiunctis, adiacentiis eorũ in omni soliditate earũ, ficut à me nofcitur fuiffe poffeffum, aut mihi ex legitima fucceffione, aut vndecũque aliquid mihi ibidem euenit, cum omni foliditate, vel opportunitate earum, ad integrum; Ea fcilicet ratione atque prætextu, vt remota, Pontificum, fimulq; Ecclefiafticorum officialium, feu publicorũ, omnium poteftate, nullas functiones, vel exactiones, neque exquifita & lauta conuiuia, neque gratiofa, vel infidiofa munufcula, neq; etiam caballorum preftus, parauereda, vel cæteras angarias, aut quocunque functionis titulo dici poteft, de ipfa facultate penitus non requiratur, fed fub integra emunitate facultaticula ipfa, ficut à me huc vfque poffeffa eft, in iure oratorij fanctæ Mariæ & prædicatorum pauperum debeant Deo proregente & opitulante perfiftere: Nifi tantum fancti & Apoftoli illius vrbis Epifcopi, in cuius oppido Xenodochium ipfum ponitur, pro tradendis benedictionibus, vel fubftituendis Abbatibus, Presbyteris quoque & diaconibus, abfque vlla pecuniarum adeptione: amplius verò donandi, exigendi, vel minuendi caufam, nullam habeat poteftatem. Sed nec per commutationis locum, quicquam ex hoc auferendi, nullo tempore occafio, vel aditus tribuatur, fed perpetualiter in poteftate præfati oratorij illius, ipforũ pauperum, Chrifto fauente præmaneat. Hoc etiam ipfis Pontificibus obfecro, vel committo vt illos, per fuccedentes temporibus, cum cafus mortis extiterit, Abbates aut clericos, & clericorum gradus, in eodem loco dignentur, vel debeant inftituere, quos fapientia & eruditio fcripturarum clarificat, vel quos vita fancta, & actio bona, aut conuerfatio honefta commendat. Vnde obtefto clementiffimis regibus tam præfentibus quam futuris, & omnibus in Deo Epifcopis, omnibufque poteftatibus & primatibus omnibus etiam fenioribus, quofcumque iudices effe conftiterit, per ineffabilem Dei omnipotentiam, per infeparabilem patri & filio & fpiritui fancto trinitatem, vt hanc voluntatem meã pro nullis occafionibus, ficut exiftente fine Deo cupiditate res exigi folet, nulla ratione nulloque tempore conuellere permittatis, fed per folicitudinem & curam Epifcopi conftare potius, pro reuerentia Trinitatis immenfæ, veftro tempore, & ftudio, vel opere iubeatis. Quatenus, vt ille vobis mercedem reftituat in futuro, qui fcit me eleemofynas ipfas fanctis Dei pauperibus per amorem Domini noftri Iefu Chrifti ardenti defiderio tribuiffe. Si quis hanc voluntatem meam pro quibuflibet adinuentionibus, feu propofitionibus ficut mundus quotidie* & iniuriis expolio obuius, vel repetitor, conuulfor etiam, aut tergiuerfator extiterit; anathema fit, & tam qui fecerit quam qui faciendo confenferit, anathema fit: & ficut Datan & Abiron hiatu terræ abforpti funt, viuens in infernum defcendat, & Ziezi fraudis mercatorem, & in præfenti, & in futuro partem damnationis excipiat: & tunc veniam confequatur, quando confecuturus eft, & diabolus, qui fe fallendo æthereta fede deiectus, cruẽta adinuentione, bonis operibus femper vigilari peruigilat: Infuper etiam inferat focietati quoque & fifco, vel fanctis Epifcopis Ecclefiæ illius, auri libras C. Nihilominus præfens epiftola, quæ à me pro timore Dei, & amore pauperum confcripta eft, firma, incorrupta, intemerata, inuiolataque permaneat. Ego namque de collatis ac fuperius prænotatis rebus, omnia ad curam, & follicitudinem, aut defenfionem eorum, vel gubernationem ipforum pauperum, fancto ac prænotato domini illius, Epifcopo, vel fucceffloribus fuis, Deo fibi tefte committo: & inftrumenta per quæ res ipfæ auxiliante Deo per eorum follicitudinem defenfentur fuper fcripto Domini fui Epifcopo præ manibus tradidi, & qualiter ibidem prouidè, piè, rectène an fecus ageret Chrifto Domino in fe iudicio recognofcat. Mihi autem nihil exinde proprietatis titulo penitus non refer-

uaui, quia facile contemnit omnia, qui cupit ab infer-
A ni faucibus erui, vel ille qui peccatorum remiffionem Deo remunerante defiderat, aut ille, qui femper cogitat, cum velit nolit effe moriturum: ftipulatione, &c.

II. *Prologus, Quide grandi caufa fecit donationem.*

QVantum intellectus, fenfufque humanus poteft mente fagaci penfare, atque folerti indagatione perpendere, nihil amplius valet in huius fæculi luce gaudia fugitiua lucrari, quam quod de rebus fuis, locis venerabilibus, in alimoniis pauperum curetur impendere: Quatenus fragilitate ut naturæ quam omnes generaliter patiuntur, priufquam fubitanea tranfpofitio eueniat oportet pro falute animæ vigilare, vt non inueniat quemquam imparatum, & fine aliquo refpectu difcedat à fæculo. Quin potius dum proprio liberta-
B tis iure fubfiftit, ex caducis fubftantiis in æterna tabernacula vitam quærat mercari æternam: Vt inter iuftorum confortium defiderabilem valeat adipifci locum, & retributorem fibi præparet Deum, vt de fructu indeficienti paradifi mereatur foueri. De cuius viuo fonte, perfecta fide pofcente, nec fubtrahitur poculum, nec minuitur alueus, fed potius vt quifq; hauferit, irrigatus dulcedine cælitus, atque fuauis ei flagratur odor balfami paradifi.

Item alius prologus.

IN nomine fanctæ Trinitatis. Profperum ac falubre confilium immoque fatis iucundum effe dinofcitur, vt homo de mundanis rebus cõparet paradifum, & de terrenis transferatur in cœleftia. Sic Dominus in fancto Euangelio præclaram intonat vocem dicens. *Thefaurizate vobis thefauros in cælo, vbi nec fur effodit, nec tinea fulcat.*
C

Prologus De clerico qui in monafterio tonfuratur, & fuam rem ad ipfum locum donat.

DEbet vnufquifque largiente Domino, dum verfatur in corpore futura tractare, & de caducis rebus mercari æterna, vt quandoquidem iubente Deo, de corpore egredi contigerit, de mammona iniquitatis manfionem fibi reperiat comparatam in cœlis. Idcirco ego ille cedo ad monafterium illud, vbi Abbas ille cuftos præeffe videtur, & comam capitis mei ibidem depofui, & in ipfo monafterio fub norma fanctorum viuere cupio, ceffumque in perpetuum effe volo.

Item Prologus.

OPportunum eft vnumquemque dum terræ munera poffidet pro anima fua frequentius cogita-
D re, vt terrenam beatitudinem poffidere mereatur. Ego illufter vir ille, fentio me infra corpus meum infirmum effe, & infra animam meam nimis effe peccatorem. Admonet me diuina potentia, vel compunctio cordis mei mihi obuenit, vt pro peccatorum meorum remedio, aliquid de rebus meis locis fanctorum delegare debeam. Ideo cedo, &c.

Item Prologus.

IN nomine fanctæ Trinitatis. Profperum, falubre & fatis iucundum cenfuimus, vt homo de caduca quapiam re fæculi ad peccata fua redimendum valeat offerre, aut quid promptiore confilio, vt homo de mundanis rebus fæculi comparet paradifum, & de terrena fubftantia fe transferat in cœleftia: Itaque ego ille pro diuino,

intuitu, & mei mercede compendij, vt mihi Dominus in futurum veniam concedere dignetur, vel vt nomen meum in libro vitæ adscribatur, dono ad iam dictum monasterium, in luminaribus Ecclesiæ, vel in stipenpendiis pauperum, aut monachorum, donatumque iure legitimo esse volo, &c.

Item prologus.

DVm huius exempli in quodam noscitur cecidisse, patimur ærumnam, & diem mortis quotidie ante oculos suspicamur esse propinquam: oportet vnumquemque ob amorem cœlestis patriæ deuotionis lucra complecti, & res sibi datas, sanctorum vel etiam indigentium vsibus allegatas relinquere, vt peccatorum pondera, quæ pontificium pœnitendi nō valent laxare, eorum intercessione plenius ad veniam debeant peruenire. Idcirco ego ille, &c.

III. *Item alius Prologus cum ipsa donatione ad hoc opus.*

MVndi terminum ruinis crebrescentibus adpropinquantem indicia certa manifestant, experimēta liquida declarare noscuntur, & ad discutiendas fidelium mentes illa dudum in Euangelijs à Domino dicta oracula incūbere noscuntur: Operæ pretiū arbitror futurum, tempus vicissitudine præoccupans anticipare, & incertum humanæ conditionis euentum sagaci mentis intuitu prouidere. Quatenus ex hoc inflictis facinorum vulneribus, indulta pietate, remedia merear adipisci. Ergo ego in Dei nomine ille, & conjux mea illa, considerantes, qua grauamur sarcina peccatorum, & reminiscentes bonitatem Dei dicentis, *Date eleemosynam, & omnia munda fiunt vobis*; De tanta igitur miseratione & pietate Domini confisi, idcirco per hanc epistolam donationis, donamus, donatumque in perpetuum esse volumus, atque de iure nostro in potestatem, & dominationem monasterij illius, in honore illius, Abbatis illius, in pago illo constructi, vbi præest venerabilis ille Abbas, vel turma plurima monachorum adunata, transmittimus atque transfundimus villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, syluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, adiunctis, adiacentiis, appendiciis, peculio vtriusque sexus, mobilibus & immobilibus, sicut à nobis moderno tempore possidetur, vel si inantea ibi vndecumque aliquid augmentare, vel meliorare poterimus, ad præfatum monasterium in alimoniis, vel substantiis monachorum, ibidem habitantiū, Christo protegente proficiat. Ea scilicet ratione, vt dum pariter aduiuimus, antedictas villas sub vestro beneficio tantummodo, absque vllo præiudicio, vel diminutione aliqua ipsius monasterij possideamus. Nisi tantum, si aliquem ex seruientibus nostris à iugo seruitutis pro cōmuni mercede relaxare voluerimus; Post obitum vero, quandoquidem Deus voluerit, nostrum, absque vllius iudicis, vel hæredum nostrorum expectata traditione, cum omni re emeliorata, quicquid in supra scriptis villis in quibuslibet rebus, vel corporibus augmentatum, vel melioratum fuerit, de præsenti hoc pars antedicti monasterij, vel memoratus Abbas, suique successores in Dei nomine perpetualiter recipiant possidendum: Tanquam si ad præsens absque vsu nostro eorum fuisset subsecuta possessio. Ita vt, quicquid de prædictis villis propter opportunitatem ipsius monasterij facere decreuerint, libero in omnibus potiantur arbitrio. Præsentem vero donationem, nequicquam * auri talium vtilitate, gestis municipalibus alligari curauimus, & omnino decernimus, ne aliquādo in eam ob hoc causam quisquam valeat reperire. Quod si instrumēta de ipsis vil- A lis de nomine nostro in aduersitate prædicti monasterij, quolibet ordine comprehensa, aut interius, aut posterius prænotata, quod nos nec fecimus, nec facere rogauimus, à quocumque præter istum quem firmissimū volumus esse quoq; tempore ostensum, nullum sortiatur effectum, nisi vacuum & inane appareat: auctorem vero criminis, vel falsarium, nec inultum tunc temporis patiatur iudiciaria abire potestas. Si quis vero quod futurum esse non credimus, huic voluntati nostræ pro quibuslibet adinuētionibus, aliquis de hæredibus nostris, aut iudicum sæua cupiditas, vel quælibet persona, obuius repetitor extiterit à cōuentu omnium Christianorum, vel limitibus Ecclesiarum, extraneus habeatur, & Iudæ traditoris Domini nostri Iesu Christi perfruatur consortio: insuper etiam inferat partibus ipsius monasterij, vel fratrum ibidem consistentium, socio quoque tam in actibus, quam B in prosecutione, sacratissimo fisco, auri libras tantas, argenti pondo tan. & ne id quoque quod repetit valeat vindicare, nihilominus præsens donatio, quæ à nobis pro timore Dei & amore pauperū Christi conscripta est, firma & illibata omni tempore debeat permanere, stipulatione subnixa. Actū ibi, sub die illo.

IV. *Cessio à die præsente ad Ecclesiam.*

DVm fragilitatem humani generis pertimescit, vltimum vitæ temporis subitanea transpositione ventura, oportet vt non inueniat vnumquemque imparatum, ne sine aliquo boni operis respectu migret de sæculo: nisi dum suo iure & potestate consistit, præparet viam salutis, per quam ad æternam valeat beatitudinem peruenire. Ideoque ego in Dei nomine ille, & coniux mea illa, pro remedio animæ nostræ, & remissione peccatorum nostrorum, vt veniam in futurum consequi mereamur, cedimus à præsente die cessumque in perpetuum esse volumus, atque de iure nostro in iure & dominatione sanctæ Ecclesiæ illius, in C honore illius constructæ, villam nuncupatam illam, sitam in pago illo, quæ ex alode parentum, aut vndecūque ad nostram peruenit dominationem, & ad præsés possidere videmur, cum omni merito & termino suo, cum adiacentiis, adiunctis, appendiciis, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, syluis, cāpis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, farinariis, cum pastoribus gregis, peculio vtriusque sexus maiore, vel minore, mobilibus, & immobilibus, vel quicquid dici aut nominari potest, & tempore præsenti nostra videtur esse possessio, ad præsens Ecclesiæ volumus esse concessum. Ita vt ab hac die, memoratā villam pars antedictæ Ecclesiæ, vel Pontifex ciuitatis illius, aut actores Ecclesiarum, eam habendi, tenendi, possidendi, vel quicquid exinde pro opportunitate ipsius elegerint faciendi, libero in omnibus perfruātur arbitrio. Ita vt nomen nostrum in libro vitæ conscribatur, vel pro nobis vtrumque sacrificium post obitū D nostrum pio Domino offeratur. Licet in cessionibus pœnam adnecti non sit necesse, sed nobis pro omni firmitate placuit inserendum. Si quis vero, quod futurū esse non credimus, nos ipse, quod absit, aut aliquis de hæredibus, vel prohæredibus nostris, vel quælibet persona, calliditate commotus, aut cupiditate præuentus, vllo vnquam tempore contra præsentem epistolam cessionis nostræ, quam propter nomen Domini, & venerationem sancti ipsius loci, spontanea voluntate fieri decreuimus, venire aut aliquid agere voluerit, aut tergiuersator extiterit: anathema sit, & cum supra scripto Domino illo, ante tribunal Christi, deducat rationes: insuper inferat iuxta pœnam sæculi, cum cogente fisco, partibus ipsius Ecclesiæ: aut auri lib. tantas, aut argenti pondo tan. & quod repetit nullatenus valeat vindicare, sed præsens cessio omni tempore illibata permaneat, cum stipulatione subnixa.

V. *Precaria de ipsa villa, dum viuit.*

DOmino sancto, & Apostolica sede colendo, domno & in Christo patri, illi Episcopo, ille & conjux mea illa. Pluribus non est incognitum, qualiter propter nomen Domini ad Ecclesiam illam, in honore sancti illius, villam nostram nuncupatam illam, sitam in pago illo, quicquid ibidem vndecumque nostra possessio in integritate, per epistolam cessionis nostræ visi fuimus concessisse, & eam vos ad partem subscriptæ Ecclesiæ recepistis; sed dum postea nostra fuit petitio, & vestra beneuolentia, & pietas habuit, vt ipsam villam dum aduiuimus, aut qui pari suo ex nobis superstes fuerit, dum aduiuit, nobis ad beneficium vsufructuario ordine excolendum tenere permisistis. Ea scilicet ratione, vt nihil exinde penitus de qualibet alienandi, aut minuendi pontificium non habeamus, sed absque illo præiudicio, suprascriptæ Ecclesiæ: vel vestro, eam tantummodo excolere debeamus. Ideo hanc precariam vobis emittimus, vt nullo vnquam tempore nostra possessio etiamsi spatium vitæ nobis Dominus prolongauerit, nullum præiudicium aut deminutionem aliquam de ipsa villa vobis generare non debeat, nisi vsu tantum dum aduiuimus habere debeamus & post nostrum ambobus discessum, cum omni re meliorata, quicquid ibidem vndique adtrahere aut meliorare poterimus, per hanc precaturiam, ac si semper per quinquennium renouata fuisset, absq; vllius iudicis, aut hæredum nostrorum expectata traditione, vos vel successores vestri, aut agentes Ecclesiæ, in vestram eam faciatis dominationem reuocare perpetualiter possidendum, vel quicquid exinde facere legeritis, sicut nostra continet epistola, ad profectum præfatæ Ecclesiæ Domini illius liberum habeatis arbitrium. Facta precaria ibi.

VI. *Donatio de Parua re ad Ecclesiam.*

SI aliquid de rebus nostris, locis sanctorum, vel in substantia pauperum, conferimus, hoc nobis proculdubio in æterna beatitudine retribuere confidimus. Ergo ego in Dei nomine ille, in amore Domini nostri Iesu Christi, & remissione peccatorũ meorum, vt veniam delictis meis consequi merear, in futurum dono donatumque in perpetuum esse volo, ad basilicam illam in honore sancti illius constructam, portionem meam in villa nuncupante illa, in pago illo, quicquid ibidem ad præsens tam de alode parentum, vel de quolibet adtractu, possidere videor, totum & ad integrum, ad præfatam basilicam volo esse donatum, Ea videlicet ratione, vt dum aduixero sub vsu beneficij tantum eam, absque vllo præiudicio, vel diminutione aliqua de qualibet re antedictæ basilicæ, excolere debeam. Post meum quoque, quandoquidem Deus de hac luce voluerit, discessum, de præsenti, absque cuiuslibet iudicum, aut hæredum meorum expectata traditione, aut contrarietate cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, campis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, vel reliquis quibuscumque beneficiis, Abbas de ipsa basilica, vel agentes eius, in eorum debeant dominationem reuocare perpetualiter possidendum: habendi, tenendi, vel quicquid exinde pro opportunitate antedictæ elegerint faciendi, liberam in omnib. habeant potestatem. Si quis vero quod futurum esse non credimus, nos ipse, quod absit, aut aliquis de hæredib. nostris, seu quælibet opposita persona calliditate commotus, aut cupiditate præuentus contra hanc Epistolam donationis nostræ, quam spontanea voluntate propter nomen Dei, fieri decreuimus, venire aut eam infringere conatus fuerit, iram trinæ maiestatis incurrat, & cum superscripto sancto illo ante tribunal Christi deducat rationes: Insuper inferat partibus ipsius basilicæ, cum cogente fisco auri tan. argenti tan. & quod repetit vin-

dicare non valeat; sed præsens epistola omni tempore A firma & inuiolata permaneat, stipulatione subnixa.

VII. *Charta Donationis inter virum & fœminam de eorum rebus.*

QVicquid enim inter coniugatos, de propria facultate, manente charitate, pro amore dilectionis, in inuicem cõdonare placuerit, scripturarũ necesse est titulis alligare, ne in posterum ab hæredibus eorũ, vel à quocumque possit conuelli. Igitur ego in Dei nomine ille, & tu dulcissima coniux mea illa, dùm & inter nos procreatio filiorũ minime esse videtur, ideo conuenit nobis, vt omne corpus facultatis nostræ, inuicem vsufructuario ordine condonare debeamus, quod ita & fecimus. Proinde dono tibi dulcissima conjux mea; si mihi in hoc sæculo superstes fueris, omne corpus facultatis meæ, tam de alode, aut de cõparato, vel de quolibet adtractu, vbicumque habere B videor, & quod pariter in coniugio positi laborauimus, tam terris, villabus, domibus cum omni præsidio, accolabus, mancipiis, vineis, cãpis, pratis, aquis, aquarumve decursibus, auro, argento, vestimentis, peculio vtriusque sexus, maiore vel minore; ita vt dum vixeris vsufructuario ordine valeas possidere, vel dominare; excepto quod pro animæ remedio ad loca sanctorum condonauimus, vt inspecta nostra delegatione in omnibus conseruetur, & quantumcumque de alode nostra post meum discessum, pro communi mercede, ad loca sanctorum legaliter condonare, & delegare volueris, hoc licentiam habeas faciendi, & inspecta delegatione inconuulsum maneat; in reliquũ vero omnes res ipsæ, quantum post tuum discessum intestatum remanserit, ad nostros legitimos reuertatur hæredes. Similiter & ego illa, dulcissime iugalis meus ille, commonet me dulcitudo tua, in compensationem rerum tuarum quas in me visus es contulisse C si mihi in hunc sæculum superstes fueris, dono tibi omne corpus facultatis meæ, vbicumque, vndecumque, tam de hæreditate parentum, quam de comparato, vel quod pariter laborauimus, totum & ad integrum, tam in villabus, domibus, &c. excepto quod pro animæ remedio ad loca sanctorum delegauimus, vt inspectis ipsis instrumentis, in omnibus conseruetur, & quod de ipsa alode mea, post meum discessum, pro communi mercede ad loca sanctorũ relinquere, vel ingenuos relaxare volueris, licentiam habeas, & inspectis ipsis instrumentis, in omnibus conseruetur: Post tuũ quoque discessum, quicquid intestatum remanserit, ad nostros hęredes, qui tunc propinquiores fuerint, reuertatur. Si vero quod futurum esse non credimus, aliqui de hæredibus nostris, vel quicumque contra hanc interdonationem, vnde inter nos chartas vno tenore conscriptas firmauimus, venire aut infrigere voluerit, nullatenus valeat vindicare, sed inferat partibus vestris cum cogente fisco, auri lib. tan. argenti tan. præsens vero epistola, in nullo possit conuelli, sed firma D & illibata permaneat.

VIII. *Item alia sine aliqua minuatione.*

I*sta alia à capite instar prioris vsque* dum aduixeris vsufructuario ordine debeas possidere, post tuum quoque discessum ad legitimos nostros reuertatur hæredes, & nullum pontificium quicquam exinde alienandi, aut minuendi habere non debeas. Similiter & ego illa; dulcissime iugalis meus ille: commonet me dulcitudo tua, in compensationem rerum tuarũ, quas in me visus es contulisse, si mihi in hoc sæculum superstes fueris, omnes res meas quascumque, aut vbicũque tam in terris, *& reliqua* sub vsu beneficij debeas possidere, & nullum pontificiũ quicquam exinde alienandi, aut minuendi, præter vsum tantum non habeas, & post tuum discessum ad legitimos nostros reuertatur hæredes.

IX. *Charta obnoxiationis à patre in filiis facta.*

DVlcissimis filiis meis illis. Omnibus non habetur incognitum qualiter ante hos annos villas aliquas nuncupatas illas, sitas ibi genitrix vestra antequã meo sociassem coniugio, per epistolam cessionis, aut libellum dotis visus sum condonare. Sed dum & ipsa, peccatis meis facientibus, ab hac luce discessit, & vos omnem alodem ipsius genitricis vestræ illius iuxta quod & ratio præstitit, mecum exinde in præsentia bonorum hominum, aut Regis, altercaris, per ipsam epistolam, quam in eam feceramus, contra nos eumdicastis, & in vestram potestatem omnem alodem ipsius recepistis. Sed dum & nostra fuit peritio, & vos vt condecet bonis filiis, voluntati nostrę obtemperantes, ipsas villas, vel res quæ fuerunt genitricis vestræ, quas ego ei dedi vel condonaueram, mihi ad vsum beneficij tenere & excolere, absque vllo vestro præiudicio, permisistis. Ideo nobis complacuit, alias villas nostras illas, pro beneuolentia vestra, & supra scripto vsu, de villis vestris per hanc epistolam obnoxiationis vobis obnoxiasse. Ita vt deinceps tam suprascriptas villas, quam etiam & illas quas suprascriptæ genitrici vestræ, per meam epistolam contuleram, per vestrum beneficium excolere debeamus, & nullum pontificium de omnibus suprascriptis nec vendere, nec alienare, nec concamiare, nec pro quolibet ingenio minuere, habere non debeam, nisi tantum vsum, sed per hanc epistolam obnoxiationis meæ, in vestro sint arbitrio & potestate, & quandocumque volueritis, & vobis placuerit, absque vlla mea contrarietate, aut repetitione omnia superius prænotata, tam quod vestrum antea; de parte genitricis vestræ fuit alode, quam & illas alias nuncupatas sic quas vobis pro ipso vsu visus sum obnoxiasse, in vestram debeatis reuocare dominationem perpetualiter possidendum; vel quicquid exinde facere volueritis, liberam inde habeatis potestatem; absque alia aliqua intercedente precaria, sed per hanc obnoxiationem, ac si semper per quinquennium renouata fuisset, perpetim valeat obtinere vigorem; stipulatione subnexa.

X. *Epistola cum in loco filiorum nepotes instituuntur ab auo.*

DVlcissimis nepotibus meis illis ille. Dum & peccatis meis facientibus genitrix vestra mea illa quod non optaueram tempore naturæ suæ complente ab hac luce discessit. Ergo vero pensans consanguinitatis casum dum & per legem cum cæteris filiis meis auunculis vestris in alode meo accedere minimè potueratis, ideo per hanc epistolam, vos dulcissimi nepotes mei, volo vt in omni alode mea, post meum discessum, si mihi superstites fueritis, hoc est tam terris, domibus, acolabus, mancipiis, vineis, syluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus immobilibus, peculio vtriusque sexus maiore, vel minore, omnique supellectile domus, & quodcumq; dici potest, quicquid supradicta genitrix vestra, si mihi superstes fuisset, de alode mea recipere potuerat, vos contra auunculos vestros filios meos, præfatam portionem recipere faciatis, & dum ipsi filiæ meæ genitrici vestræ quando eam nuptam tradidi in aliquid de rebus meis, mobilibus, drappis, fabricaturis, vel aliqua mācipia in sol. tan. dedi, vobis hoc in parte vestra supputate, contra filiis meis faciatis: & si amplius vobis hoc in parte vestra supputare, contra filijs meis faciatis. & si amplius vobis insuper de præsidio nostro obuenerit, tunc cum filiis meis auunculis vestris, portionem vobis ex hoc debitam recipiatis, & quicquid exinde de omnibus superius conscriptis, facere volueritis, liberam in omnibus habeatis potestatem. Si quis vero quod futurum esse non credimus, aliquis de hæ-

A redibus, vel prohæredibus meis, vel qualibet persona, contra hanc Epistolam venire tentauerit, aut eam infringere voluerit, inferat vobis tan. & quod repetit nullatenus vindicare valeat, sed præsens epistola omni tempore firma permaneat, cum stipulatione subnexa. Actum illo, &c.

XI. *Charta qui suo nepote aliquid meliorare voluerit.*

DVlcissimo nepoti meo illi ille. Dum & iam senectus adgrauat, & necessitates meas, vt oportet procurare non valeam, & tu mihi in necessitatibus meis solatium præbere non desisti, & die noctuque deseruire non cessas. Ideo pro bonitate & pro respectu seruitutis tuæ, qua circa me desudas, cedo tibi cessumque in perpetuum esse volo, & de meo iure in tuam transfundo dominationem & potestatem, absque consortio fratrum tuorum, vel filiis meis locum nuncupantem illum, quicquid ibidem nunc tam de alode parentum, quam de reliquo adtractu, visus sum tenuisse, vna cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, syluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, vel reliquis quibuscumque beneficiis, tibi vt diximus à die præsente volo esse concessum. Ita vt ab hac die, sicut superius diximus, eum cum omni integritate sua habeas, teneas, possideas, vel quicquid exinde facere volueris, absque consortio fratrum tuorum, vel filiorum meorum, liberam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, aliquis de hæredibus, vel prohæredibus meis, seu qualibet persona, contra hanc cessionem meam quoque tempore venire, aut eam infringere voluerit, inferat tibi cum cogente fisco auri tantum, & quod repetit vindicare non valeat; sed præsens epistola firma permaneat stipulatione subnexa. Actum, &c.

B

XII. *Vt filia cum fratribus in paterna succedat alode.*

DVlcissimæ filiæ meæ illi, ille. Diuturna, sed impia, inter nos consuetudo tenetur, vt de terra

C paterna sorores cum fratribus portionem non habeat, sed ego perpendens hanc impietatem, sicut mihi à Domino æqualiter donati estis filij, ita & à me sitis æqualiter diligendi, & de rebus meis post meum discessum æqualiter gratulemini; ideoque per hanc epistolam te, dulcissima filia mea, contra germanos tuos, filios meos illos, in omni hæreditate mea, æqualem & legitimam esse constituo hæredem, vt tam de alode paterna, quam de comparato, vel mancipiis, aut præsidio nostro, vel quodcumque morientes reliquerimus æqua lance cum filiis meis, germanis tuis, diuidere, vel exæquare debeas, & in nullo penitus portionem minorem quam ipsi, non accipies, sed omnia inter vos diuidere, vel exæquare æqualiter debeatis. Si quis vero. *& quod sequitur.*

XIII. *Si quis extraneum hominem in loco filiorum adoptauerit.*

D

DOmino fratri illi, ille. Dum peccatis meis facientibus, diu orbatus à filiis, & me paupertas, & infirmitas affieere videtur, & te, iuxta quod inter nos bonæ pacis placuit atque conuenit, in loco filiorum meorum visus sum adoptasse. Ita vt dum aduixero, victum & vestitum, tam in dorso, quam in lecto, seu calciamento mihi in omnibus sufficienter impertias, & procures, & oēs res meas, quascūq; habere videor, tam manso, vinea, prato, peculio, seu reliqua supellectile domus meæ saluo iure illo, me viuente in tua potestate recipere debeat. Propterea tibi hanc epistolam fieri decreui, vt neque ego, nec nullus de hæredibus meis, aut quicūq; hanc conuenientiā, inter nos fa-

ctam emutare non possit, sed sicut superius contine- A tur, meas necessitates dum aduixero debeas procurare; & omnes res meæ, & ad præsens, & post meum discessum, in tua potestate permaneant, & quod tibi exinde placuerit, faciendi, liberam habeas potestatem. Quod si aliquis, hoc, quoque tempore emutare voluerit, inferat tibi tantum, & quod repetit vindicare non valeat; sed præsens epistola omni tempore firma permaneat.

XIIII. *Pactum inter Parentes de eorum hæreditate.*

QVicquid enim inter propinquos, de alode parentum, non à iudiciaria potestate coacti, sed sponte manente charitate iuste debita vnicuique portio terminatur, non de rebus detrimentum, sed augmentum potius potest esse censendum. Et ideo necesse est inter se eorum facta scripturarum serie alligari, ne ab aliquib. in posterum valeat refragari. Ideo dum inter illum & germanum suum illum de alode genitorũ eo-
B rũ illius & illius bonæ pacis placuit, atque conuenit, vt eam inter se manente charitate diuidere, vel exæquare deberent, quod ita & fecerunt. Accipit itaque ille villas nuncupatas illas, sitas ibi, cum mancipiis tantis illis similiter. De præsidio vero, drappis, fabricaturis, vel omni supellectile domus, quicquid dici aut nominari potest æqua lance inter se visi sunt diuisisse, vel exæquasse, & hoc inuicem pars parti tradidisse, & per fistucam omnia partitum esse dixisse. Propterea præsentes epistolas duas, vno tenore conscriptas loco pactionis inter se visi sunt conscripsisse: vt nullus deinceps cõtra parem suum, nisi quod ad præsens accepit, de ipsa alode genitoris eorum amplius requirendi pontificium habere non debeat. Quod si aliquando aliquis ex ipsis, aut hæredes eorum hoc mutare voluerint, aut amplius requirere quam accepit, voluerit, aut adsumere, inferat pari suo (ista tuta seruata) auri lib. tan. argenti pondo tan. & quod repetit vindicare non valeat; sed præsens actio, omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum, &c.

XV. *Libellus dotis.*

QVod bonum, faustum, felix prosperumve eueniat. De disponsandis maritandisque ordinibus, ac procreationi liberorum, causis quæ sunt necessariæ, vt omnis etiam donatio, per scripturarum seriem, pleniorem obtineat firmitatem. Donat igitur ille honestæ puellæ, nurui suæ illi sponsæ filij sui illius, ante diem nuptiarum, donationisque animo transfert, aut transcribit, hoc est in tanto, dono villam nũcupatam illam, sitam ibi, cum condigna ad habitandum, vel omnem integritatem ibidem aspicientem; Similiter & in dotis titulum alias villas nuncupatas illas, sitas ibi, mancipia tanta illa & illa, inter aurum & argentum, fabricaturas in solidos tantos caballos tantos, boues tantos, gregem equorum, gregem armentorum, gregem porcorum, gregem ouium; ita vt hæc omnia per manum suam ad suprascriptam puellam nurum suam illam ante diem nuptiarum debeat peruenire, & in sua dominatione reuocare, vel quicquid exinde facere voluerit liberam habeat potestatem. Quod si quis contra hunc libellum dotis venire, & eum infringere conauerit, inferat partibus illorum tantum, *& reliqua.*

XVI. *Si aliquis puellam inuitam traxerit.*

DVlcissimæ coniugi meæ illi, ille. Dum & te sine voluntate parentũ tuorum, habui desponsatam, & absque tua, vel parentum tuorum voluntate, rapto scelere meo coniugio sociaui: id est, dum & te faciente eorum, contra voluntatem parentum tuorum, rapto scelere, in coniugio sociaui, vnde vitæ periculum incurrere debui, sed interuenientibus sacerdotibus, vel bonis hominibus vitam obtinui; Sic tamen, vt quod tibi in tanto dono, vel in dotis titulum, ante diem nuptiarum si te desponsatam habuissem, conferre debueram, per hanc epistolam compositionalem, aut si conuenit cessionem, firmare deberem, quod ita & feci. Ideoque dono tibi locellum nuncupatum illum, situm in pago illo, cum domibus ad manendum condignis, vel omnibus intrinsecus vtensilibus necessariis, cum terris, accolabus, mancipiis tantis illis, vineis, syluis, pratis, pascuis, vel reliquis quibuscumque beneficiis, caballos tantos, boues tantos, gregem equorum, gregem armentorum, gregem puteorum, gregem ouium, inter aurum & argentum, fabricaturas in solidis tantis, drappos, hæc omnia superius comprehensa, à die præsente in tua traditi potestate & dominatione possidendum, habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegeris faciendi, liberam habeas potestatem. Si quis vero, &c.

XVII. *Qualiter in vno volumine testamentum duarum personarum condatur.*

REgnante in perpetuum Domino nostro Iesu Christo, anno illo, regnante illo Rege, sub die illo, Ego ille & coniux mea illa, sana mente, integroque consilio, metuentes casus humanæ fragilitatis, testamentum nostrum condidimus, quod illi notario scribendum commisimus, vt quo modo dies legitimus post transitum nostrum aduenerit, recognitis sigillis, inciso lino, vt Romanæ legis decreuit auctoritas, per illustres viros illos, quos in hac pagina testamenti nostri legatorios instituimus, gestis Reipublicæ municipalibus, titulisque, eorum prosecutione, ab ipsis muniatur. Igitur, cum iubente Domino de istius vitæ cursu migrauerimus, tunc
C quicquid in omnibus pridie quam moriamur tenere videmur, quicquid & proprietate parentum, vel proprio labore, seu ex munificentia à piis principibus percipere meruimus, vel de quibuslibet titulis atque contractibus venditionis, cessionis, donationis, vel vndique Domino adiuuante ad nostram peruenit dominationem, tu tunc dulcissima coniux mea illa, & quos hæredes meos vos esse volo, hæreditatem meam habitote. Reliqui vos hæredes, exhæredes sint. Ergo excepto quod vnicuique per hoc testamentum dedero, darique iussero, id vt fiat, detur, præstetur, impleatur, te omnipotens Deus, testem committo, villas vero illas, & illas, sitas in pago illo, filius noster ille recipiat. Similiter villas illas, filius meus, vel filia illa, sitas in pago illo recipiat; Villas illas basilica illa, vel monasterium sita ibi recipiat. Id vt fiat, detur, præstetur, impleatur, te omnipotens Deus ad defensandum committo: Licet
D de omnibus dum aduiuimus nostrum reseruauimus vsum. Sed dum in villis quibusdam, quas superius memorauimus, quas ad loca sanctorum, & hæredibus nostris deputauimus, quas pariter stante coniugio adquisiuimus prædicta coniux tertiam habere potuerat, propter ipsam tertiam villas nuncupatas illas, sitas in pagis illis, in integritate, si nobis superstes fuerit in compensationem recipiat. Et quicquid exinde pro communi mercede, vel in pauperibus, aut bene meritis nostris, facere decreuerit, licentiam habeat: Et post eius discessum si aliquid inextatum remanserit, hæredes nostri recipiant. Liberos, liberas, quos quasque pro animæ remedio fecimus, aut inantea facere voluerimus & eis epistolas manu nostra firmatas dederimus, obsequium filiorum nostrorũ habere cognoscãt, & oblata, vel luminaria, iuxta quod ipsæ epistolæ continent, ad sepulchra nostra, tam ipsi quam proles eorum implere studeant. Et quibus aliquid de facultate nostra contulimus, singulariter in hoc testa-

mentum nostrum inserere curauimus. In reliquo vero, qualescumque à quocumque epistolæ, de nomine nostro, manu nostra firmatæ ostensæ fuerint, & ante hoc testamentum prænotatæ, quas hic non commemorauimus, excepto de ingenuitatibus, quas pro animæ nostræ remedio fecimus, aut adhuc facere voluerimus, vacuæ permaneant: Et qui ex nobis pari suo superstes fuerit, & per qualecumque instrumentum de suprascripta facultate, in cuiuslibet persona, vel bene meritis, nostri muneris aliquid contulerimus, in quantum lex permittit, firma stabilitate debeat perdurare. Reliquæ vero epistolæ vacuæ & inaneis permaneant: & sic nobis pariter conuenit. Si tu mihi dulcissima coniux superstes fueris, & ad alium maritum, quod tibi Deus non permittat, transire volueris, omnem facultatem meam quã ad vsufructum possidere tibi concessimus, vel quam à die præsenti deputauimus, & habere poteras, hoc præsentialiter hæredes nostri recipiant inter se diuidendum. Itemque ego illa ancilla tua, Domine & iugalis meus ille, in hoc testamentum promptissima voluntate scribere, atque perpetua conseruatione rogaui, vt si tu domine & iugalis meus, mihi superstes fueris, omne corpus facultatis meæ, quantumcumque ex successione parentum habere videor, vel in tuo seruitio pariter laborauimus, & quod in tertia mea accepi, in integrum, quicquid exinde facere elegeris, aut pro animæ remedio in pauperes dispensare, aut ad vassos nostros, vel bene meritis nostris, absque repetitione hæredum meorum, quod tua decreuit voluntas faciendi liberam habeas potestatem. Et post discessum vestrum, quod non fuerit dispensatum, ad legitimos nostros reuertatur hæredes. Hanc paginam testamenti, & manus nostræ propriæ subscriptionibus, quod ex consuetudine habuimus subscripsimus, & per personas reliquas studuimus subscriptionibus roborari. Et vt pagina huius testamenti in disceptationem venire non possit, si quæ lituræ, caraxaturæ, adiectiones, superdictionesve factæ sunt, nos eas fecimus, vel facere iussimus, dum testamentum nostrum sæpius recurrimus, vel mendauimus. Si quis nostræ voluntati resistere, aut testamento nostro cuiuslibet calliditas conatus fuerit casu aliquo refragari, id implorantes diuini nominis maiestatem, obtestamur, vt pro nostrorum omnium criminum peccatis obnoxius, in die iudicij expers Ecclesiæ Catholicæ communionis & pacis, ante tribunal Christi pro violata defuncti voluntate compellatur subire negotium: atque eum Dominus sua vltione, quam promisit iniustis, cum venerit sæculum iudicare per ignem, feriat, & accipiat in conspectu eius damnationem perpetuam, quam suscepit Iudas traditor Domini. Illud namque intimate volumus, vt si aliquis de hæredibus, vel pro hæredibus nostris, seu quælibet persona contra hanc testamenti paginam, quam plena & integra voluntate fieri rogauimus, venire aut aliquid pulsare voluerit, inferat contra quem repetit tantum, & aliud tantum quantum in hoc testamento continetur scriptum, & insuper faciat fisco auri lib. tan. argenti tan. & quod repetit vindicare non valeat.

XVIII. *Securitas pro homicidio facto.*

DOmino fratri illi, ille. Dum & instigante aduersario, quod non debueras, germanum nostrum illum visus es interfecisse, & ob hoc vitæ periculum incurrere poteras. Sed interuenientes sacerdotes, & magnifici viri, quorum nomina subtus tenentur adnexa, nos ad pacis concordiam ob hoc visi fuerunt reuocasse. Ita vt pro ipsa causa solidos tantos, quos in præsentia mihi dare deberes, quos & in præsenti per vuadium tuum visus es transsoluisse, & nos ipse causa persistata, contra te visus sum vuerpisse. Propterea iuxta quod conuenit, hanc epistolam securitatis, in te nobis

A conscribere complacuit, vt de ipsa morte germani nostri, nec à me, nec ab hæredibus meis, aut suis, nec de iudiciaria potestate, nec à quolibet, nullo casu, nec refragationem aliquam, aut damnietatem amplius habere non pertimescas, sed in omnibus exinde ductus & absolutus appareas. Et si fortasse ego ipse, aut aliquis de hæredibus meis, vel quicumque te ob hoc inquietare voluerit, & à me defensatum non fuerit, inferamus tibi cum cogente fisco, duplum, quod nobis dedisti; & quod repetit quis vindicare non valeat, sed præsens epistola securitatis à me facta infirma permaneat.

XIX. *Venditio de villa.*

DOmino fratri illi, ille, Licet empti venditique contractus sola pretij adnumeratione, & rei ipsius traditione consistat, vt tabularum aliorumque
B documentorum ad hoc tantum interponatur instructio, vt fide rei, facti & iuris ratio comprobetur. Ideirco vendidisse me tibi constat, & ita vendidi illam iuris meis nuncupantem illam, sitam in pago illo, quam ex legitima successione parentum, *vel de quolibet modo ad eum peruenit*, habere videor, in integritate, cum terris, domibus, ædificijs, accolabus, mancipiis, vineis, silvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, adiacentiis, appenditiis, vel omni merito & termino ibidem aspiciente. Et accepi vobis in pretio, iuxta quod mihi complacuit tantum, & memoratam villam vobis præsentialiter tradidi ad possidendum. Ita vt ab hac die habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegeris, faciendi, liberam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse, aut aliquis de hæredibus, vel prohæredibus, seu quælibet opposita persona, contra venditionem venire tentauerit, aut me male vendidisse conuicerit, & à
C me vel hæredibus meis defensatum non fuerit, tunc inferamus vobis hæredibusque vestris duplam pecuniam quantum à vobis accepi, & quod ipsa villa meliorata valuerit; & quod repetit vindicare non valeat, sed præsens venditio omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum, &c.

XX. *Venditio de area infra ciuitatem.*

DOmino sancto & Apostolico, domno & patri illi Episcopo ille. Constat me nulli coactum imperio, neque imaginario iure, sed proprio voluntatis arbitrio, vobis vendidisse, & ita vendidi, aream iuris mei, infra muros ciuitatis illius, habentem per longum pedes tan. & in lato pedes tantos: quæ subiungit ad vnum latus terræ illi, ab alio latere terræ illi, à fronte vno terræ illi, & ab alio fronte terræ illi: & accepi à vobis in pretio, iuxta quod mihi complacuit, auri soli-
D dos tan. & præfatam aream vobis præsentialiter tradidi possidendam, ac habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegeritis, faciendi, libero perfruamini arbitrio. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse, aut aliquis de hæredibus meis, seu quælibet persona, contra hanc venditionem venire tentauerit, aut eam infringere conatus fuerit, inferat vobis, aut auctoribus vestris, duplam pecuniæ, vel quantum area ipsa eo tempore meliorata valuerit, &c.

XXI. *Venditio de campo.*

DOmino fratri illi, ille. Constat me tibi vendidisse, & ita vendidi campum iuris mei, situm in territorio illo, habentem plus minus tantum, qui subiungit à latere vno lui, ab alio latere lui, à fronte vno lui, ab alio vero fronte illius, & accepi à vobis in pretium iuxta quod mihi complacuit auri solidos tantos, & ipsum campum vobis præsentialiter tradidi possiden-

dum, habendi vel quicquid exinde volueris faciendi liberam habeas potestatem. Si quis vero, &c.

XXII. *Venditio de seruo aut ancilla.*

DOmino fratri illi, ille. Constat me vobis vendidisse, & ita vendidi, seruum iuris mei, aut ancillam nomine illam, non furem, non fugitiuum, neque cadiuum, sed mente & omni corpore sanum. Pro quo accepi à vobis in pretio, iuxta quod mihi complacuit auri solidos, probos atque præsentes, numero tantos, & ipsum seruum vobis præsentialiter tradidi possidendum. Ita vt ab hac die habendi, tenendi, vel quicquid exinde decreueris faciendi, libero potiaris arbitrio. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, si ego ipse aut aliquis de hæredibus meis, seu qualibet persona, contra hanc venditionem venire tentauerit, aut eam infringere voluerit, inferat tibi cum cogente fisco auri tantum, vel quantum seruus ipse eo tempore melioratus valuerit; & hæc venditio omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo, sub die illo, anno illo.

XXIII. *Concambium de villis.*

INter quos charitas illibata permanserit pars parti, beneficia opportuna præstantur. Quia nihil sibi de rebus propriis censet minui, quod è contra recipit in augmentum. Ideo placuit atque conuenit inter venerabilem virum illum ex permissu Apostolici viri illius, & illustrem virum illum, vt locellos aliquos inter se concambiare deberent, quod & ita fecerunt. Dedit igitur illi venerabilis vir lui, locellum nuncupatum illum, situm ibi, de parte basilicæ sanctæ, illi memorato lui, quicquid ibidem ad præsens, de quolibet adtractu, tenere videbatur, cum terris, domibus, ædificiis, accolabus, mancipiis, vineis, syluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, vel omnibus ibidem aspicientibus. Similiter in compensationem huius meriti, dederit supraſcriptus ille, ad partem memorati Abbatis illius, vel prædictæ basilicæ alium locellum nuncupatum illum, situm ibi quicquid ibidem ad præsens, de quocumque adtractu, ibidem habere videbatur, cum terris, domibus, ædificijs, accolabus, mancipiis, vineis, syluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, vel omnibus ibidem aspicientibus. Ita vt ab hac die vnusquisque memoratos locos quos acceperunt, habendi, tenendi, vel quicquid exinde pro eorum opportunitate & compendio facere elegerint, libero perfruantur arbitrio. Illud vero addi conuenit, vt si aliqua pars ex ipsis aut hæredes, vel successores eorum, hoc emutare, vel refragare voluerit, rem quam accepit amittat, & insuper inferat patri suo, cui hoc facere præsumpserit, auri libras tan. argenti pondo tan. & quod repetit vindicare non valeat; sed præsens, vnde duas inter se vno tenore conscripserunt, firma & inuiolata permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

XXIV. *Concambium de terra, aut vinea.*

IDeoque placuit inter illum & illum, vt terram aliquam, aut pratum, aut vineam, seu quodlibet inter se commutare deberent, quod ita & fecerunt. Dedit igitur ille illi, illum campum in loco nuncupante illo, habentem tantum, quod subiungit à latere vno illi, ab alio latere, aut fronte illi. Simili modo è contra in compenso dedit ille illi alium campum ibi, aut in alio loco, habentem tantum, qui subiungit de lateribus, à frontibus illis. Ita vt ab hac die vnusquisque ex ipsis, quod accepit habendi, tenendi, vel quicquid exinde elegerint faciendi, liberam habeant potestatem. Si quis vero aliquis ex ipsis, aut hæredes eorum, vel quicumque

A hoc emutare voluerit, quam acceperit pari suo amittat, & insuper inferat cum cogente fisco auri tan. & quod repetit vindicare non valeat; sed præsens commutatio, vnde inter se pro firmitatis studio duas vno tenore conscripserunt, omni tempore firma permaneat; stipulatione subnixa. Actum illo.

XXV. *Cautiones diuerso modo factæ.*

DOmino mihi propitio illi, ille. Dum & ad meam petitionem, & necessitatem supplendo, vestra bonitas habuit, vt libram de argento, de rebus vestris nobis ad beneficium præstitistis. Ideo per hoc vinculum cautionis, spondeo me KL. illis proximis ipsum argentum vestris partibus esse redditurum. Quod si non fecero, & dies placitus mihi præfinitus transierit, B pro duplo in crastinum me, aut hæredes meos, vos aut hæredes vestri, aut cui hanc cautionem dederitis exigendam, teneatis obnoxium. Facta cautione ibi, sub die illo, Anno illo.

XXVI. *Item alia.*

DOmino suo illi, ille. Constat me à vobis accepisse, & accipere debere, & debeo, hoc est solidos tantos, pro quibus solidis quos post me retinuero, annis singulis, per singulos solidos, singulos trientes vestris partibus esse redditurum. Et si hoc facere contempsero, aut exinde negligens apparuero, ad duplum ipso loco vobis reddere spondeo. Et quomodo de mea proprietate ipsos solidos vestros reddere potuero, hanc cautionem à vobis recipiam.

XXVII. *Item alia.*

DOmino fratri illi, ille. Quatenus necessitati meæ supplendo, solidos vestros numero tantum, mihi C ad beneficium præstitisti. Ideo iuxta quod mihi aptificauit, taliter inter nos conuenit, vt dum ipsos solidos de meo proprio reddere potuero, dies tantos in vnaquaque hebdomada seruitio vestro, quale mihi vos, aut agentes vestri iniunxeritis, facere debeam. Quod si exinde negligens, aut tardus apparuero, licentiam habeatis, sicut & cæteris seruientibus vestris disciplinam corporalem imponere: & quomodo solidos vestros reddere potuero, meam cautionem absque vllo euacuario intercedente recipiamus.

XXVIII. *Qui se in seruitio alterius obnoxiat.*

DOmino mihi propitio illi. Dum & instigante aduersario, fragilitatem meam præualente, in casus graues cecidi, vnde mortis periculum incurrere potueramus. Sed dum vestra pietas me iam morti adiudi- D catum, de pecunia vestra redemistis, vel pro meo scelere res vestras quam plures dedistis: Et ego de rebus meis, vnde vestra beneficia rependere debuissem, non habeo: Ideo pro hac statum ingenuitatis meæ vobis visus sum obnoxiasse. Ita vt ab hac die de vestro seruitio penitus non discedam. Sed quicquid reliqui faciunt, pro vestro, aut agentium vestrorum imperio facere spondeo. Quod si non fecero, aut me per quodlibet ingenium de seruitio vestro abstrahere voluero, vel dominium alterius expetere, aut res suscipere voluero, licentiam habeatis mihi qualemcumque volueritis disciplinam ponere, vel venundare, aut quod vobis placuerit de me facere. Facta obnoxiatione tunc, sub die illo.

XXIX. *Charta de Agnatione, si seruus ingenuam trahit.*

IGitur ego in Dei nomine ille, illi fœminæ. Illud non habetur incognitum, qualiter seruus meus nomine

ille, te absque parentum vel tua voluntate, rapto scelere in coniugium sociauit, & ob hoc vitæ periculum incurrere potuerat. Sed venientibus & mediantibus amicis, vel bonis hominibus conuenit inter nos, vt si aliqua procreatio filiorum orta fuerit inter vos, in integra ingenuitate permaneant. *Et si voluntaria seruum accipit dicis.* Omnibus non habetur incognitum, qualiter seruum meum nomine illum voluntaria secuta es, & accepisti maritum. Sed dum te ipsam & agnationem tuam, in meo inclinare potueram seruitio: Sed propter nomen Domini, & remissionem peccatorum meorum, propterea præsentem epistolam in te mihi complacuit conscribendam, vt si aliqua procreatio filiorum, aut filiarum inter vos orta fuerit, penitus nec nos, nec hæredes nostri, nec quislibet, vllo vnquam tempore in seruitio inclinare non debeamus. Sed integræ ingenuitatis, tamquam si ab vtrisque parentibus ingenuis fuissent procreati, omni vita sua permaneat. Peculiari concesso, quocumque labore potuerint, & sub integra ingenuitate, super terram nostram, aut filiorum nostrorum, absque vllo præiudicio de statu ingenuitatis eorum commanere debeant: & reditus terræ, vt mos est, pro ingenuitate annis singulis desoluat, & semper in integra ingenuitate permaneant, tam ipsi quam & posteritas illorum. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, nos ipsi, aut aliquis de hæredibus, vel quicumque contra hanc chartulam venire tentauerit, aut eam infringere voluerit, inferat tibi, aut hæredibus tuis, auri libras tantas, argenti pondo tan. & quod repetit vindicare non valeat; sed præsens chartula omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

XXX. *Libellus repudij.*

DVm & inter illum & coniugem suam illam, non charitas secundum Deum, sed discordia regnat, & ob hoc pariter conuersare minime possunt: Placuit vtriusque voluntate, vt se à consortio separare deberent, quod ita & fecerunt. Propterea has epistolas inter se vno tenore conscriptas fieri, & adfirmare decreuerunt: vt vnusquisque ex ipsis, siue ad seruitium Dei in monasterio, aut copulæ matrimonij sociare se voluerit licentiam habeat, & nullam requisitionem ex hoc de parte proximi sui habere non debeat. Si quis vero, aut aliqua pars ex ipsis hoc emutare, aut contra parem suum repetere voluerit, inferat pari suo auri lib. I. & vt decreuerunt à proprio consortio sequestrati, in ea quam elegerint parte permaneant. Facta epistola, sub die illo. Anno illo, regnante illo Rege.

XXXI. *Mandatum.*

DOmino fratri illi, ille. Precor & supplico dominationi vestræ, dum & causam pro alode, aut qualicumque, cum homine nomine illo in palatio, aut vbilibet, habere videor, & ipsam causam suscipere admallandam, vel prosequendam in vice mea debeas, & cum suprascripto illo ex hoc rationare, vel quicquid exinde cum eo de ipsa causa egeris, gesserisue, ratum & definitum apud me esse cognoscas. Factum mandatum sub die illo.

XXXII. *Incipiunt ingenuitates diuersæ modo facta.*

Ingenuitas à die præsente.

QVi debitum sibi nexum relaxat seruitium, mercedem in futurum apud Dominum sibi retribuere confidat. Igitur ego in Dei nomine ille, & coniux mea illa, pro remedio animæ nostræ, vel retributione æterna, te illum, aut illam, ex familia nostra, præsente die, ab omni vinculo seruitutis absoluimus. Ita vt deinceps, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, vitam ducas ingenuam, & nulli hæredum ac prohæredum nostrorum, vel cuicumque seruitium, nec libertinitatis obsequium debeas, nisi soli Deo, cui omnia subiecta sunt. peculiari concesso, quod habes, aut deinceps elaborare potueris. Si tibi necessitas, ad tuam ingenuitatem tuendam, contigerit, absque vllo præiudicio ingenuitatis tuæ, defensionem Ecclesiæ, aut cuiuscumque te eligere placuerit, licentiam habeas, & vitam semper bene & integrè ducas ingenuam. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, nos ipsi, quod absit, aut aliquis de hæredibus nostris, vel qualibet opposita persona, contra hanc ingenuitatem tuam venire, aut eam infringere conauerit, aut te in seruitio inclinare voluerit, diuina illum vltio subsequatur, & à liminib. Ecclesiarum, vel à communione extraneus efficiatur. Et insuper inferat tibi cum cogente fisco auri lib. I. & quod repetit vindicare non valeat, sed præsens ingenuitas omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa.

XXXIII. *Item ingenuitas alio modo post discessum.*

DIlecto suo illi, aut illi. Pro respectu fidei ac seruitutis quam mihi famularis, pro remissione peccatorum meorum, te ab omni vinculo seruitutis absoluo. Ea tamen conditione, vt dum aduixero, mihi deseruias: post obitum vero meum si mihi superstes fueris, sis ingenuus, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, & nulli hæredum ac prohæredum meorum, vel cuicumque seruitium impendas. Peculiaras concessum quod habes, aut elaborare potueris, &c.

XXXIV. *Item alia adhuc alio modo.*

SI aliquos ex seruientibus nostris à iugo seruitutis absoluimus, mercedem in futurum nobis ab hoc retribuere confidimus. Igitur ego ille, propter nomen Domini, & retributionem æternam te illum ab omni vinculo seruitutis absoluimus. Ita vt ab hac die vitam ducas ingenuam, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, & nulli hæredum ac prohæredum meorum, vel circumque seruitium impendas: nisi sub integra ingenuitate defensionem eius quem ex meis hæredibus elegeris habere debeas, & oblata mea vbi meum requiescit corpusculum, vel luminaria annis singulis debeas procurare. Peculiari concesso, quod habes, aut elaborare potueris, aut si conuenit defensionem Ecclesiæ illius, & vitam semper ducas ingenuam. Si quis vero, &c.

XXXV. *Euacuatoria.*

DOmino fratri illi. Omnibus non habetur incognitum qualiter ante hos annos, aut ante annum solidos nostros, numero tantos ad beneficium accepisti, & cautionem nobis pro hoc emisisti, vt ipsos solidos tunc nobis reddere deberes, quod & ita fecisti. Sed dum illam cautionem, quam nobis emiseras ad præsens non inuenimus, ideo tibi hanc epistolam euacuatoriam fecimus, vt de ipsis solidis tant. omni tempore ductus & absolutus resideas: & si ipsa cautio apparuerit, vel à nobis, aut hæredibus nostris, quoque tempore ostensa fuerit, nullum sortiatur effectum, sed vacua & inanis permaneat.

XXXVI. *Si aliquis seruo suo gasindo suo aliquid concedere voluerit.*

IVstissime nostris subleuantur muneribus, qui nobis fideliter & instanti famulantur officio. Ego in Dei

nomine, nomine illo, fideli nostro illi. Pro respectu fidei & seruitutis quam circa nos impendere non desistis, promptissima voluntate cedimus tibi à die præsente locellum nuncupantem illum, aut mansum illum infra terminum villæ nostræ illius cum omni adiacentia ad ipsum locellum, aut mansellum aspicientem, terris, domibus, mancipiis, vineis, ptarellis, sylua, vel reliquis beneficijs, ibidem aspicientibus. Ita vt ab hac die ipso iure proprietario, si ita conuenit, aut reditus terræ in tuam reuoces potestatem, & nullam functionem, aut reditus terræ, vel pascuarium, aut agrarium, aut quodcumque dici potest, exinde soluere nec tua posteritas, nobis, nec hæredibus nostris, nec cuicumque post nos ipsam villam possederit, non debeatis, nisi tantum si ita vult riga. Sed ipsum omnibus diebus vitæ tuæ, aut hæredis tui emuniter debeatis possidere, vel quicquid exinde facere volueris liberam habeatis potestatem. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, aliquis de hæredibus nostris, vel quicumque contra hanc cessionem nostram agere, aut ipsam rem tibi auferre conauerit, inferat tibi cum cogente fisco auri tan. & hæc epistola firma permaneat, stipulatione subnixa.

XXXVII. *Gesta iuxta consuetudinem Romanorum, qualiter donationes vel testamenta legantur.*

ANno illo, regnante Rege illo, sub die illo, in ciuitate illa: adstante viro illo laudabili defensore, & omni curia illius ciuitatis, vir magnificus ille prosecutor dixit, Peto optime defensor, vosque laudabiles curiales atque municipes, vt mihi codices publicos patere iubearis: quædam enim in manibus habeo, quæ gestorum cupio alligatione roborari. Defensor & curiales dixerunt, prosequere quæ optas, dicere ne moreris: vir magnificus prosecutor ille dixit; Venerabilis vir aut illuster vir ille, per chartam mandata sua iniunxit, vt illam donationem testamenti, aut cessionem, quam ad basilicam ad locum sanctum illum, aut illustri viro illi ad præsens, aut post discessum delegauit, in vice sua, vt mos est gestis municipalibus ipsam donationem debeam alligare: vir honestus defensor dixit illi, Mandatum quod in te conscriptum habere dicis nobis ostende, vel in præsenti recitetur.

XXXVIII. *Textus mandati,*

DOmino magnifico fratri illi, ille. Peto & supplico charitati tuæ, vt in vicem meam epistolam donationis aut testamenti, seu cessionis quam de rebus meis illis, ad basilicam illam pro animæ meæ remedio, aut illustri viro illi, post discessum meum, vel ad præsens delegaui, in ciuitate illa publice prosequere, & gestis municipalibus, vt mos est, eam debeas alligare. Propterea tibi hoc mandatum conscripsi, vt sicut superius continetur, taliter prosequere & firmare debeas; & quicquid exinde egeris, gesserisue, ratum & definitum apud nos esse cognoscas. Factum mandatum tunc, ibi, anno illo, Post recitationem mandati, vir honestus ille defensor dixit, Mandatum quidem recitatum est, sed suprascripta donatio, testamentum, aut cessio quam præ manibus habere dicis, nobis præsentibus recitetur, & vt postulas gestis publicis firmetur. Quam vero donationem ille professor recitauit. Post recitationem vero, vir laudabilis ille defensor & curiales dixerunt: epistola quæ recitata est, gestis publicis inseratur, & quod ille prosecutor vult & petit, gesta ei publice dentur: Ille prosecutor dixit, sufficit mihi bone defensor, & donatio quæ recitata est, si mihi gesta tradere iubeatis: ille defensor dixit, Et quia epistola donationis, aut cessionis, seu testamenti, & mandatum in te conscriptum per ordinem condita, & bonorum hominum manibus roborata, atque signata, manifesta esse cognouimus, dignum est vt gesta ex hoc conscripta, atque subscripta tibi tradantur, & vt in arcipibus publicis memoranda seruentur: Edatur super ordine, & mandatum suum in loco, & totus textus, & manumissoris epistolæ scribantur: & postea defensor, & curiales ciuium, & reliqui eam subscribant, atque signent.

XXXIX. *Epistola si aliqui rem Ecclesiæ ad vsum habeant, & de sua proprietate aliquid donent.*

DOmino sancto & Apostolico, Domino & in Christo patri illi Episcopo, ille & coniux mea illa. Quatenus ad nostram petitionem vestra habuit pietas & beneuolentia, vt locellum aliquem Ecclesiæ vestræ, nūcupantem illum, situm ibi, quem ille pro animæ suæ remedio ad Ecclesiam vestram illam, in honore sancti illius, delegauit, nobis ad beneficium dum pariter aduiuimus, aut qui ex nobis pari suo superstes fuerit, dum aduixerit excolere permisistis. Et nos pariter, iuxta quod conuenit, tam pro ipso vsu, quam pro animæ remedio, alium locellum nuncupantem sic, situm ibi, post nostrum ambobus discessum, vobis vel successoribus vestris, ad memoratam Ecclesiam visi fuimus condonasse, Ea tamen conditione, vt dum aduiuimus, suprascripti loci, tam illi quos nobis præstitistis, quam eos, quos pro animæ nostræ remedio ad ipsam Ecclesiam delegauimus, absque vllo præiudicio Ecclesiæ vestræ, sine vlla diminutione, de qualibet re vsufructuario ordine possidere debeam. Et post nostrum, vt diximus, ambobus discessum, præfatos locos, absque vlla alia renouata, (vt mos est in cæteris) precaria per hanc epistolam absque vllius hæredum nostrorum, aut cuiuscumq; contrarietate, vel expectata traditione, vos vel successores aut agentes vestri, in vestram faciatis reuocare dominationem perpetualiter dominandum: & nostra possessio nullo vnquam tempora nullum præiudicium vobis ex hoc generare non debeat. Si quis vero, quod futurum esse non credimus, nos ipsi, aut aliquis de hæredib. nostris, vel quælibet persona, contra hanc epistolam venire, aut aliquid de ipsis locellis vobis minuere aut auferre voluerit, cum suprascripto domino illo, ante tribunal Christi deducat rationes: & insuper inferat partibus Ecclesiæ vestræ tantum, & quod repetit vindicare non valeat; sed præsens epistola firma permaneat, stipulatione subnixa, Actum illo.

XL. *Præstaria de re Ecclesiæ ab Episcopis facta.*

IN Christo sanctæ Ecclesiæ filiis, *aut si tales fuerint* illustribus viris illis ille gratia Dei Episcopus. Dum ad petitionem vestram alium locellum nuncupantem sic, situm ibi, de proprietate vestra, tam pro ipso vsu quam pro animæ vestræ remedio, post amborum discessum ad ipsam Ecclesiam sancti illius, per vestram epistolam delegastis: ideo nobis, cum consensu fratrum nostrorum, conuenit, hanc epistolam præstariam in vobis pariter conscribere, vt dum pariter aduixeritis, aut qui ex vobis pari suo superstes fuerit, & aduixerit, nec nos nec successores nostri, nec quislibet de parte Ecclesiæ nostræ locellos de vestra potestate pōtificium auferendi non habeamus, sed per nostrum beneficium, aut successorum nostrorum, dum aduixeritis, absque vllo præiudicio Ecclesiæ nostræ, vel minutione aliqua, de qualibet re, integritate ambos locellos excolere debeatis: Et post vestrum ambobus discessum, sicut & vestra continet epistola. loco precariæ facta, absque vllius expectata traditione, eas nos, aut successores nostri, ad partem Ecclesiæ nostræ reuocare debeamus. Facta epistola, &c.

XLI. *Si aliquis Rem alterius quam excolit ad proprietatem habere vult & non potest, & postea eam precauerit.* A

DOmino illustri illi, & mihi proprio domino illi. Dum per malorum hominum consilium, quod non debueram de terra vestra in loco nuncupante illo, quam excolere video, amaui, & ipsam terram ad proprietatem facere, & non potui: quod nec ratio præstitit, & vos vel agentes vestri eam & partem vestram reuocastis, vel nos exinde eiecistis: Sed postea ad petitionem bonorum hominum, nobis eam ad excolendam reddistis: Propterea hanc precariam dominationi vestræ emittimus, vt quam diu vobis placuerit, vt eam teneamus, absque vllo vestro præiudicio, quicquid reliqui accolaui vestri faciunt, nos reddere spondimus. Quod si non fecerimus, & ob hoc negligentes tardi aut contumaces fuerimus · publice per hanc precariam, ac si semper per quinquennium renouata fuisset, condemnati, vel ex præstat tardis aut negligentibus, & de ipsa terra pontificium habeatis eiiciendi. Facta precaria ibi, sub die illo, anno illo, illo rege. B

XLII. *Indiculus Episcopi, qui ad alium in resurrectione Domini eulogias dirigit.*

DOmino sancto, Apostolica veneratione colendo, donmo & in Christo fratri, illi Episcopo, ille gratia Dei, ac si peccator Episcopus. Dominicæ festiuitatis resurrectionisque mysterijs, in qua idem Deus Christus terram per semetipsum decreuit absoluere, nudus victorque de exsuperato hoste triumphans captiuitatem, dedit dona hominibus, propterea remeauit ad cælos, anni circulo reuoluente, quæ fœlicitas, vel prosperitas vestram constitit industriam, aut sanctitatem excepisse, ipsoque Deo præsule peregisse, cum eulogijs peculiaris patris vestri sancti illius, & salutationis officia veneratione præcipua mittentes, quæsumus vt nostram extremitatem affatu dignabili iubeatis specialibus informare. C

XLIII. *Rescriptio ad Episcopum.*

DOmino sancto, meritis Apostolico, in Christo desiderabili, Domino & fratri illi Papæ, ille peccator Episcopus; Vestras sacras almitatis vestræ deferente venerabili filio communi illo, vt celitus donatum, nos accepisse præn͡oscite & comperite. De edulio depasti recreatique sancto hoc de munere vestro trepudiantes, gratias multas agimus, &c.

XLIV. *Quomodo Episcopus in natiuitate Domini ad Regem, Reginam, vel ad Episcopum, visitationis dirigit scriptum.*

GLorioso atque præcelso, & vniuersalis Catholicæ sanctæ Ecclesiæ filio illi Regi, ille Episcopus: Gloriosæ atque præcelsæ, & vniuersalis Catholicæ sanctæ Ecclesiæ, filiæ illi Reginæ ille misericordia Dei Episcopus: Domino inclitoque cultori, atque Apostolico, Domino & in Christo fratri illi Episcopo, ille peccator Episcopus: Dum generaliter dominicæ natiuitatis exultamus aduentum, censum debitæ subiectionis desoluere perurgemus: atque ideo salutationum munia cum eulogijs peculiaris patroni vestri sancti illius, *si ad Regem* clementiæ vestræ, *si ad Episcopum* sanctitati vestræ direximus, cum omni humilitatis genere clementissime dependentes, suggerimus, vt iugi nos præmunientes oratione de vestræ sospitatis integritate trepudiare faciatis, dignabili protinus rescripto. D

XLV. *Item alia de Natiuitate Domini.*

IVcunditatis mutuæ gratiam cognoscere cupientes, diuinitus vniuersitate collata, non desistemus epistolis, præferendam vestram præuenire clementiã, *aut* sanctitatem, cum eulogijs peculiaris patroni vestri illius, honorabili ac deuoto cultu poscentes, vt qua alacritate festiua natiuitatis dominicæ peregistis insignia, nos doceant vestræ sanctitatis exempla. Erunt enim nobis prouectiuum vestræ incrementa salutis, locupletes thesauri facultatis.

XLVI. *Commendatitia litera ad Episcopum notum.*

DOmino reuerendissimo illi Papæ, ille. Reminiscentes vestram affectuosam beatitudinis charitatem, qua tunc ob retributionem æternam, nostræ extremitatis personalem, in intimis visceribus, ac si vnicæ dilectionis vinculo amplectabamini sedule; Qua fiducia prouocatus, hos apices vtilitatis nostræ, fidenter ad dignationem vestram, per fratres nostros, filios vestros, gerulos præsentes destinare præsumpsi, per quos vestræ almitati, si præsumptio non offendit, salutationum munia, vt decet, non arroganter, sed humiliter destinare præsumo, quos vt commendentur in omnibus recipere dignetis, quæsumus opportune. Etenim in tam longinquis regionibus, propter necessitates fratrum comparandas euntes, vestris Christo præsule adminiculis fulciantur, pro quibus beneficijs centuplicato fœnore, à Domino retributore bonorum omnium refertam mercedis summulam in eum recipiatis dignissimam. Dominus Deus noster piam coronam vestram memorem mei, & præsentibus replear bonis, & dignam reddat æternis. Domine semper meus.

XLVII. *Item commendatitia littera ad Abbatem notum.*

DOmine beatissimo, & meritis venerando, patri illi Abbati, ille in Domino perpetuam mittit salutem. Multimoda nobis, beniuolo vestro, generare comperite gaudia, quotiens aditus dederit opportunos, vt ad indagandam sospitatem vestram, nostras dirigere debeamus litterulas: idcirco cum salutationum officijs, humili prece almitati vestræ quæsumus, vt pro nobis misericordiarum Dominum, vbi dignas sedulasque funditis preces, exorare non dedignemini, quatenus vestris fulti precibus, olim optatam adire mereamur patriam. Pariterque latores præsentes, famulos vestros, fratres in Christo nostros, quos ob necessaria monasterij nostri, illuc vsque destinauimus, vestræ beatitudini plurimum commendare præsumimus, vt eis quod necessarium duxerint solatium præbere, pro diuino intuitu non dedignetis. Vale pro nobis orans, domne & sancte, ac beatissime pater.

XLVIII. *Supplicatio pro eo qui in monasterio conuersare desiderat.*

DOmino sancto, Deique cultori, & mihi in Christo honorabili fratri, illi Abbati, ille salutem optans mitti in Christo. Primum illud tanquam præsens sanctis vestris suggero prouolutus pedibus, vt meæ extremitatis litterulæ, cum vestris fuerint sacris manibus traditæ, pro me meisque, quos mihi in Christo cohærere fecit amor, fratribus, precibus Domino commendetis. Deinde subiectus vester frater in Christo noster ille, superno inspiratus munere, vestræ sanctitati obedientiæ nostris se petijt litteris almitati vestræ commendari, per quas suppliciter postulamus, vt ouis fauce lupi, boni pastoris Christi manu erepta, ad caulas Christi gregis, tua sit diligentia reducta, ac vice

patris ac medici pia circa hunc sit vigilantia ægrum. A Quem si pristinæ redditum sanitati pastoru omnium cum cæteris præsentaueris illæsum, quæ sequatur tui merces laboris, optime diuinis nostri instructus oraculis. Vale memor mei venerabilis in Christo frater.

XLIX. *Indiculus generalis ad omnes homines.*

DOmino nostro, orthodoxo Romanæ sedis Apostolicæ, à Deo instituto, illi Papæ: vel omnibus Apostolicis domnis, & patribus, seu Abbatibus, vel Deo dicatis in cœnobijs degentibus: nec non & illustribus viris, Patricijs, Ducibus, Comitibus, vel omnibus Christi cultus diuinam religionem sectantibus, ille peccator vilissimus omnibus in Domino præsumo mittere salutem. Quatenus præsens portitor ille, radio inflammante diuino, non (vt plerisque mos est) vacandi causa, sed propter nomen Domini, itinera ardua & laboriosa paruipēdens, ob lucrandam orationē, limina sanctorum Apostolorum Domni Petri & Pauli, adire cupiens, meæ paruitatis se petijt vestræ commendari almitati ac industriæ litterulis. B Per quas vilissimus omnium, tanquam vestris prouolutus vestigijs singulorum, supplicare præsumo, vt pro minimo exorati iubeatis, & eundem euntem vel redeuntem, si Dominus permiserit, propter nomen Domini, solida pietate commendatum recipiatis, & quod necesse habuerit impertire tanti habeatis; quatenus ab ipso mereamini mercedem recipere commodam, qui sibi dixit impleri, quantum quis in suis pauperibus visus fuerit erogare.

L. *Indiculus commendatitius ad viros illustres laicos.*

DOmino illustri, & præ cunctis magnificentissimo, ac nobilitate prosapiæ decorato, atque sublimato, illi, ille peccator in Domino præsumit mittere salutem. C Quamquam vestræ excellentiæ mea paruitas minime sit cognita, tamen multorum relatione didici vestram in Domino maximam deuotionem, & in seruos Dei, vel pauperes eius, ob æternam retributionem sollicitudinem non pigram. Qua fiducia prouocatus, hos apices vilitatis meæ, per latores præsentes, famulos vestros, fratres in Christo nostros, ad dominationem vestram direximus: per quos vestram industriam, si præsumptio non offendit, plurimum salutare præsumo: & peto vt eis euntibus vel redeuntibus, in quo necessarium duxerint, propter nomen Domini solita pietate consolari iubeatis.

LI. *Indiculus ad homines potentes palatinos, maxime ad cognitos sibi.*

DOmino illustri, & præ cunctis magnificentissimo viro illi, ille peccator perennem in Domino mittit salutem. D Vbere ftenuitatis vestræ agapem erga nos potissimo iure flagrantem, litterarum serie non omittimus excitare, quo, auidi facilitatis vestræ quæstus præstolantes; vberes in Domino à vobis fructus semper suscipiamus: & dum præsenti in vita tibi rerum arbiter locum dedit, quo & Ecclesiarum, & amicorum feras suffragia, non pigeat subire laborem, qui in posterum mercedis conferat lucra, & nunc multiplicia ex numero amicorum ferant suffragia & vnde tibi præsentium portitores, sodales mei, famuli vestri suggesserint, pie obaudientes affectui mancipetis. Vale vigor atque tuorum decus amicorum; omnipotens Dominus pietatis, ad Ecclesiarū profectum per multa spatia temporum, vos conseruare & custodire dignetur.

LII. *Qualiter ex ordinatione Regis, pro natiuitate filij sui, Domesticus de villa Regis per suam Epistolam relaxat ingenuos.*

EGo in Dei nomine ille Domesticus, ac si indignus gloriosissimi Domini illius Regis super villas ipsius illas, illi ex familia dominica de villa illa. Dum generaliter ad omnes domesticos Regis ordinatio processit, pro natiuitate domnicelli nostri illius, vt à Domino melius conseruetur, de vnaquaque villa fiscali tres homines ex seruientibus, ex vtroque sexu, à seruitio laxarentur, & nos ita faciendum ob hoc ordinationem recipimus. Propterea te per hanc epistolam, sicut mihi iussum est, ab omni vinculo seruitutis absoluo. Ita vt deinceps tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus vitam ducas ingenuam: & in nullo seruitio, nec à nobis, nec à successoribus Domesticis, nec à quocumque de parte fisci penitus in seruitio inclinari non possis: sed per hanc epistolam ingenuitatis, sicut nobis iussum est fieri, bene & integre ingenuus cunctis diebus vitæ tuæ debeas permanere. Si quis vero te de statu ingenuitatis tuę impulsare voluerit, inferat tibi cum cogente fisco auri libram I. & quod repetit vindicare non valeat, sed præsens epistola firma permaneat; stipulatione subnixa. Actum ibi, sub die illo, anno illo, Rege illo, suprascripto illo domno nostro Rege.

Marculfi formularum finis.

FORMVLÆ VETERES incerti auctoris.

INCIPIVNT CAPITVLA FORMVLArum harum.

CAP. I. *Notitia de colono euindicato.*

NOtitia qualiter, vel quibus præsentibus, veniens homo aliquis, nomine ille, aduocatus sancti illius de monasterio illo, & illius Abbatis, in ciuitate illa, viro illo Comite vel alijs quam pluribus personis ibidem residentibus, interpellabat hominem aliquem nomine illum, repetebat ei, dum diceret eo quod ante hos dies, ipse homo sacramentum intra ipsam casam Dei, vel ipsius Abbatis, habuisset adrhamitum, ad suam ingenuitatem tensandum, in ipso mallo in basilica sancti illius ob hoc iurare debuisset; & ipse homo de ipso sacramento iectiuus remansit, & ipse homo nullatenus rationes potuit tradere, per quod ingenuus esse deberet, vel ipsum sacramentum iurare potuisset. Et dum hæc causa apud ipsum Comitem, vel ipsos racimburgios diligenter fuit inuenta, vel inquisita, & legibus fuit definita: & ipse homo in præsenti pro colono ad casam sancti illius, vel ipsius Abbatis, recognouit vel recredidit; ipse vicarius per iussionem ipsius comitis ipsum hominem per manus, pro colono ipsius, aduocato illius Abbatis, visus est reddidisse. Propterea taliter ei fuit iudicatum, de hac causa notitiam bonorum hominum manibus roboratam eum accipere debere; quod ita & fecit, vt ipsum hominem ipsa casa Dei, vel ipse Abbas, seu rectores eorum pro colono habeant euindicatum, ne sit inter ipsos postmodum ex hac re subita causatio. His præsentibus qui subter firmauerunt.

II. *Charta sacramentalis.*

VEniens aduocatus sancti illius, de monasterio illo, seu & illius Abbatis de prædicto monasterio illo, castro illo, in mallo publico, ante illustrem virum illum Comitem, vel alios quamplures, qui ibidem aderant, interpellabat hominem aliquem, nomine illum, repetebat ei dum diceret, eo quod genitor suus, nomine ille colonus sancti illius de villa illa fuisset, & ipsum colonitium de capite suo ad ipsam casam Dei rede beat, & exinde negligens aderat; & ipse in præsenti hoc fortiter denegabat, & taliter dedit in suo responso quod de patre Franco fuisset generatus, & de matre Franca fuisset natus: vnde tale sacramentum per suam fistucam visus fuit adrhamire, & taliter ei fuit iudicatum, vt hac causa apud proximiores parentes suos, octo de parte genitoris sui, & octo de parte genitricis suæ, si forte mortui non sunt, & si forte mortui sunt, apud XII. Francos, tales qualem se esse dixit, in illo castro, in basilica sancti illius, vbi reliqua sacramenta percurrunt, in L. noctes, in proximo mallo, hoc debeat eiurare.

III. *Notitia de seruo.*

NOtitia qualiter, vel quibus præsentibus, veniens ille in causa monasterij sancti illius, ciuitatis illius pontifici, ad vicem venerabilis viri illius Abbatis de prædicto monasterio, die illo, illa ciuitate, in mallo publico, ante illustrem virum illum Comitem, & ante illum Episcopum, vel alios plures magnificos viros, qui ibidem residebant, hominem aliquem nomine illum ibidem interpellabat dicens, eo quod seruus monasterij sancti illius, de capite suo aderat, & colonus ipsius sancti ille nomine, illum de Franco homine comparasset, & malo ordine ipse seruitium partibus monasterij sancti illius effugiebat, vel intendebat. Interrogatum fuit ipsi seruo, si ipsa causa vera erat aut non; sed ipse seruus in omnibus hoc fortiter denegauit, & ipse Abbas vel suus aduocatus contra prædictum seruum intendebant, & taliter dixerunt, quod testimonia hominum Francorum præsentare poterant, qui hic adstabant, quod ipse colonus ipsum comparauerat, & in suum seruitium eum viderant deseruire, & per legem seruus sancti illius esse debet. Et ipsa hora ipse Abbas, vel pro se aduocatus, sua testimonia homines septem, his nominibus ille & ille, adrhamiuit vt in crastinum die illo ibidem præsentare deberent, quod ita & fecerunt. Et ipsi homines sic testimoniauerunt, quod per legem seruus sancti illius aderat debitus, & quomodo hoc testimoniauerunt tam super altarium sancti illius, in illa capella, quam in curte fisci, vbi reliqua sacramenta soluta sunt, iurati dixerunt. Denuo ipse seruus fuit interrogatus si ipsam causam recognoscebat, si sic erat veritas: sed ipse seruus in omnibus hanc causam recognouit, & ad seruitium reuersus fuit: & ipse Abbas: per iudicium ipsarum personarum, per iussionem illius Comitis de manu illius vicarij exceptum, ibidem pro seruo sancti illius euindicabat, his præsentibus.

IV. *Iudicium euindicatum de colono.*

CVm resedissent venerabilis ille Abbas, & illustris vir ille in villa illa, in pago illo, vbi ille Comes esse videtur per iussionem domni, & gloriosi illius Regis ad vniuersorum causas audiendum, vel recta iudicia in Dei nomine terminandum, ibique veniens, ille aduocatus monasterij illius, vel illius Abbatis, hominem aliquem nomine illum interpellabat, repetebat ei, dum diceret eo quod legitimum colonitium partibus monasterij sancti illius, vel illius Abbatis ad villam illam de parte genitricis suæ redeberet, & negligens & iectiuus exinde adesset, sed ipse homo de præsenti adstabat, & ipsam causam nullatenus potuit denegare, & ad ipsum colonitium se recognouit, & per manus ipsum hominem ipsius Abbatis reddidit. Proinde taliter ab ipsis missis dominicis, vel illo Comite, seu & ab ipsis rachimburgijs, ipsius aduocato in causa sancti illius vel ipsius Abbatis, pro firmitatis studio fuit iudicatum, vt dum ipsa causa taliter fuit inuenta & legibus definita, vt tale iudicium euindicatum exinde accipere deberet. Quod ita & fecit: vt omni tempore ad ipsum colonitium sancti illius, ad villam illam illum habeat euindicatum, ne sit in postmodum inter eos ex hac re subita causatio. Datum in mense illo, in anno illo.

V. *Notitia*

V. *Notitia de colona euindicata.*

VEniens homo aliquis nomine ille, aduocatus sancti illius de monasterio sancti illius, vel illius Abbatis de ipso monasterio, die illo, in mallo publico, ante illustrem virum illum Comitem, vel ante plures personas, quæ ibidem aderant, ad vniuersorum causas audiendum, vel recta iudicia in Dei nomine terminandum, qui subter firmauerunt, fœminam aliquam, nomine illam, ibidem interpellabat, repetebat ei dum diceret eo quod auus suus nomine ille quondam, vel genitor suus ille, quondam coloni sancti illius de villa illa fuissent, & ipsa fœmina colona esse debebat, & ipsum colonitium malo ordine de ipsa causa Dei effugeret: sic ipsa fœmina in præsenti adstitit, & ab ipsis personis interrogata fuit, si ipsa causa esset veritas, aut non. Sed ipsa in omnibus fortiter denegauit, & taliter dixit quod auus suus ille quondam, nec genitor suus ille quondam, coloni sancti illius de villa illa nunquam fuissent, nec ipsa colonitium de capite suo ad ipsam casam Dei sancti illius, nunquam reddebat, sed de patre & de matre bene ingenua nata vel procreata fuisset. Sic ab ipsis personis taliter ei fuit iudicatum, vt apud XII. homines parentes suos, octo de patre & quatuor de matre, si forte mortui non sunt, & si forte mortui sunt, apud XII. homines bene Francos Salicos, in ipso mallo super altario sancti illius, in proximo mallo quod ipse Comes ibidem tenebit, hoc coniurare debeat, quod auus suus ille quondam, nec genitor suus ille quondam coloni sancti illius de monasterio illo, de villa illa nunquam fuissent, nec ipsa colonitium de capite suo ad ipsam casam Dei redebeat. Et si in eo placito sicut superius insertum est, coniurare potuerit, de hac causa ducta & secura resideat; sin autem non potuerit ad ipsam casam Dei se recognoscere faciat. Datum ibi.

VI. *Notitia de seruo quem colonus comparat.*

NOtitia qualiter vel quibus præsentibus, veniens magnificus vir ille in illa ciuitate, in mallo publico ante illustrem virum illum Comitem & ante Apostolicum virum illum, vel præsentibus quampluribus viris venerabilibus rachimburgis, qui ibidem ad vniuersorum causas audiendum, vel recta in Dei nomen iudicia terminandum, dum residebant vel adstabant, quorum nomina subtus tenentur adnexa, hominem aliquem nomine illum interpellabat, dicens eo quod seruus ad colonum suum nomine illum de capite suo aderat, & venditionem habebat, quomodo ipse colonus ipsum comparauerat, & ipsam venditionem ibidem ostendebat ad relegendum. Relecta epistola sic ipsi viri ipsum interrogauerunt, si aliquid contra ipsam chartam dicere volebat, vel si eam agnoscebat, aut non. Sed ipse seruus ipsam chartam veram & legitimam recognouit: sic ipsi viri tale decreuerunt iudicium, vt ipse ille ipsum ad seruitium recipere deberet, quod ita & fecit, & per manus vicarij per iussionem illustris viri illius Comitis, & per iudicium ad ipsas personas, præsentialiter recepit: his præsentibus. Datum ibi, sub die illo.

VII. *Notitia de terra euindicata.*

NOtitia qualiter vel quibus præsentibus, veniens venerabilis vir ille Abbas de monasterio illo, die illo in illo loco ante illustres viros magnificos illos & illos missos domni & gloriosissimi illius Regis, vel alios quamplureis qui subter firmauerunt, quorum nomina subtus tenentur inserta, hominem aliquem nomine illum interpellabat, repetebat ei, eo quod illam terram quam apud hominem illum cōcambiauit, quæ

A est in pago illo, in grafia illa, in loco qui vocatur ille, post se malo ordine retineret iniuste, & ipse homo in præsenti adstabat, & hanc nullatenus potuit denegare nec tradere rationes, per quas ipsam terram habere debeat. Sic ipsi homini fuit indicatū, vt ipsam terram ante ipsos missos dominicos, secundum suam legem ipsi venerabili viro illi Abbati, reddere vel reuestire deberet; quod ipsa in præsente & fecit. Propterea iubemus vt dum hanc causam sic actam vel perpetratam esse cognouimus, vt ipsam terram ipse Abbas habeat euindicatā, atque elidata sit postmodū ex hac re, omnique tempore subita causatio. Datum ibi sub die illo, anno illo; regnante domino nostro illo gloriosissimo Rege.

VIII. *Ingenuitas.*

B QVoniā sanctissimi HLudouici Imperatoris pietas, quam habet in Deum, ea quærere & indagare non cessat, quæ Domini potissimum congruant voluntati. Quibus quoque religionis honor & deuotio, magis ac magis de die in dies crescat, atque proficiat: & ea quæ ad diuinum cultum & officiū sanctum pertinent, decoris & honestatis amplius in diebus eius quam prius habuerunt accipiant, & cunctis in futurum temporibus quæ secundum Deum ab eodem inuenta procurataque sunt, proficiant, & perenni stabilitate à successoribus eius, & fidelibus sanctæ Dei Ecclesię inuiolabiliter in perpetuum conseruētur, memor semper eius quod dicitur, *Misericordia & veritas custodiunt Regem, & iustitia firmatur thronus eius*, adeo verissime & propemodum specialiter de eo dictum videbatur, *Beata terra cuius Rex sapiens est.* Cui etiam illud non inconuenienter potest aptari, quod Dominus de Dauid perhibuit, dicens, *Inueni Dauid secundum cor meum, qui faciat omnes voluntates meas*, Huiusmodi itaque studiis Rex iste sapiens & beatus, indesinenter intentus, & Domini semper adhærens volūtati, cupiens,
C vt præmissum est, diuinum officium modis omnibus honestare, & eos qui Domino Deo sacrificium super altare sanctum offerre debent, & corpus & sanguinem dominicum precum meditatione consecrare, honori habere, & ampliore gratia circumdare: Statuit vt Episcopi & Abbates, & quicumque Ecclesiasticis possessionibus iure prælati sunt, si aliquos ex familia ad presbyteratus ordinem promouere velint, prius eos, permissu ipsius, libertate donent; & sic tandem ad sacerdotij gradum dignissime subueharent.

Igitur ego ille minimus seruorum Dei famulus Ecclesiæ Senonicæ Archiepiscopus, tanta serenissimi HLudouici Augusti auctoritate, quæ Senonis in archibo Ecclesiæ Episcopij seruatur, fultus, per hunc libellum manumissionis, te fratrem nostrum, quam seruilis conditio hactenus addictum tenuit, inter huius Ecclesiæ familiam, qui fratrum testimonio, inter quos enutritus es, dignus ad sacerdotalem honorem suscipiendum prædicaris, censeo te atque statuo, ante sacri altaris cornu, in conspectu sacerdotum & cleri & populi adstantis, à præsenti die & deinceps, ab omni
D iugo seruitutis humanæ absolutum fore, ciuemque Romanum appellari. Ita vt nulli hominum pro seruili conditione, quicquam debeas seruitij nec obsequij, nec etiam libertinitatis munus impendere, non mihi, nec successoribus, aut actoribus, quicumque præfuerint huic Ecclesiæ, non iudiciaria præditis potestate; sed soli Domino licentiam & facultatem habeas libere famulandi, diesq; tuos, vitamque ipsi dicandi: vt in ipsius Ecclesia proficias ad honorem, & profectum plebis, pretioso sanguine Christi redemptę; quatenus hanc pro modulo tuo, moniris instruas, orationibus iuues, exemplis informes, corporis & sanguinis dominici cōsecratione, propter cuius honorem hanc consecutus es dignitatem, reficias, vt sicut ab

humana seruitute liberatus per hanc manumissionem esse cognosceris, ita per diuinam doceas diabolicæ A dominationis iugum euadere plebem, quæ tibi à proprio pontifice fuerit commissa. His quoque subnectere placuit, canonicis admoniti constitutionibus, vt si qua deinceps prædia, vel mancipia tui nominis titulo comparaueris, hoc obseruari studeas, quod in eisdem decretum esse cognoscitur. Et si forte, quod absit, à tuo proposito exorbitaueris, presbyteratus gradum canonico iudicio amittere cogaris. Hanc ingenuitatem manu propria subscripsi, & qui subscriberent rogaui.

IX. *Mandatum.*

LEgibus institutum est, & consuetudine per tempora confirmatum, vt quicumque aduocatum instruere velit, mandato legaliter dato, atque solenniter confirmato, eum instruere debeat, vt omnes causas B quas aggredi vel repellere debet, prosequi & defendere inoffensè valeat. Igitur ego ille sanctæ illius Ecclesiæ vocatus Episcopus, iniungo, mando, & per has litteras delego tibi illi fideli meo, de rebus sancti illius, sitis in pago illo, in locis nuncupatis sic, cum adiacentijs, vel aspicientibus ad eas, locis alijs, per omne ius inuestigare, inquirere, prosequi, & admallare, debeas per mallos, vicos, castella, oppida, & ciuitates nec non etiam si necessitas incubuerit, in palatio, ante vicarios, Comites, missos dominicos, Comites palatij, siue ante omnes iudices quibus hoc officium delegatum est, vt causationes & lites definire & terminare iuste & rationabiliter debeant, & quicquid legibus cum iustitia, vnde prosecutus fueris & definieris, scito apud me ratum & acceptum, atque inconuulsum mansurum. Quod mandatum in te collatum, vt firmum fixumque permaneat, manu propria subterfirmaui, & qui adfirmare deberent rogaui. C

X. *Tractoria pro itinere peragendo.*

DOminis sanctis & Apostolicis sedibus, allocatis, Episcopis, Abbatibus, vel Abbatissis, & omnibus in Christo patribus: Ducibus, Comitibus, Vigarijs, Centenarijs, & Decanis, vel omnibus in Christo credentibus, & Deum timentibus, Ego in Dei nomine ille, ac sic indignus peccator, vltimus omnium seruorum Dei seruus, Episcopus videlicet, siue Abbas de ciuitate illa, vel de monasterio illo, vbi pretiosus ille martyr seu confessor Christi humatus in corpore requiescit, Salutem vobis perennem in Domino destinare curauimus. Cognoscatis siquidē domni & sancti patres, seu & sorores in Christo, quia innotescimus vobis eo quod peregrinus iste, nomine ille, ex genere illo, ad nos venit, & nobis innotuit, atque consilium quæsiuit, de hoc videlicet facto quod instigāte aduersario, peccatis facientibus, proprium filium suum, siue nepotem nomine illū interfecit: Et nos pro hac causa D secundum consuetudinem, vel canonicam institutionem diiudicauimus, vt in lege peregrinorum ipse præfatus vit annis tot in peregrinatione *permanere* deberet. Propterea cognoscatis, sanctissimi patres, has litteras, vt quando ad sanctitatem vestram venerint, meliusei credatis: Et quod nullatenus pro alia causa ambulare dinoscitur, nisi sicut superius diximus, pro peccatis suis redimendis, vt vos eum nullo modo teneatis, nisi tantum quando ad vos venerit, mansionem ei & focum, panem & aquam, largiri dignemini. Et postea sine detentione liceat ei ad loca sanctorum festinare. Sic exinde agite pro amore Dei & reuerentia sancti Petri, sanctissimi patres, vt vos pius Dominus in illa beata seu immortali vita remunerare dignetur, quia in ipso peregrino Christum pauistis seu suscepistis, considerantes videlicet quod ipse Dominus dixit, *hospes fui, & suscepistis me, Quod vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.* Quid plura ad sapientes: sufficit semel loqui. Commendamus nos obnixè in vestris sacris precibus, vt nobis commendari dignemini in Christo feliciter sanctissimi patres, vt ad æternam angelorum digni habeamini mansionem perpetuam.

XI. *Cessio ad Ecclesiam à nouo ædificatam.*

REgnante Domino Iesu Christo in perpetuum, ego ille Episcopus. Omnibus non habetur incognitum, qualiter ego auxiliante Domino, in pago illo, in villa cuius vocabulum est, ibi basilicam sancti....atque Stephani, vel in honore cæterorum sanctorum, quorū ibidem reliquiæ quiescūt construxi, atque K L. Iunij dedicari curaui, consentientibus etiam confratribus, tam canonicis, quam & monachis, vel cæteris hominibus, qui præsentes fuerunt, vt villæ quarum vocabula sunt, Cadiliaco, Tanculfouilla, Fagido & Barbirione villare, vt ibidem aspicere deberent, ad missas venire, & ad baptismum, vel prædicationem, & vt decimas suas ad memoratam basilicam dare deberent. Propterea pro firmitatis studio hanc consensionem scribere rogauimus, vt temporibus nostris atque successorum nostrorum hæc nostra consensio firma & stabilis valeat permanere: & sciant omnes tam præsentes quam & absentes seu successores nostri, quia dedimus in memoratam illam Cadiliacum duos mansos ad ipsa luminaria prouidenda, vel vnde presbyter, qui ibidem officio fungi videtur, viuere debeat: & addimus ad hoc insuper de terra arabili.... & de vinea aripennem vnum & dimidium: vt æuo tempore in eleemosynam nostram, seu successorum nostrorum ita valeat perdurare. Actum fuit hoc sub die memorato KL. Iunij, in anno VIII. Christo propitio Imperij Domini Karoli serenissimi Augusti, & anno XLIII. regni eius in Francia, atque XXXV. in Italia, Indictione prima in Dei nomine feliciter, Amen. His præsentibus qui adfuerunt.

XII. *Littera commendatitia.*

SAncto & Deo amabili Magnoni dono Dei Archiepiscopo ex Senonica vrbe. Ego enim in Dei nomine Ebtonius dono Dei Archiepiscopus ex Biturige vrbe, in Domino Iesu salutes optamus vobis in perpetuum. De cætero notum facimus sanctitati vestræ, quia iste præsens presbyter, nomen Dodobertus parrochianus noster, in nostra diœcesi natus, & sacras litteras doctus sit, eumque ad ordinem sacrum promoueri iussimus. Postea vero petijt nobis licentiam, vt in vestra parochia apud hominem aliquem, nomen Hercambaldum manere voluisset. Nos vero petitionē illius non denegauimus, nisi licentiam illi dedissemus, quia scimus quod de bene liberis ortus sit. Vnde has litteras commendatitias more Ecclesiastico factas ad sanctitatem vestram misimus, vt scite valeat Deo digna charitas vestra, eum nec fuga lapsum, nec sua malitia à nobis eiectum, sed nostra voluntate destinatum. Et certius credatis Græca elementa quæ octogenarium quadringentesimum & primum numerum exprimunt in primitus adneximus. Π. Petri quoque nominis primam litteram sumptam in medio adscribere rogauimus. Nihilominus etiam paruitatis nostræ nominis primam litteram HE. magnitudinis vestræ secundam litteram A. istius fratris nominis tertiam litteram Δ. ciuitatis nostræ quartam Γ. & indictione quarta adiunximus. Addidimus nonagenarium & nonum numerum, id est ϙ. & Θ. & insequenter impressione sigilli nostri subter confirmauimus, & manu propria eam roborauimus, & clericis nostris roborari iussimus. Actum in anno decimi Imperij domni nostri Caroli, & anno XLIII. regni eius in Dei nomine feliciter. Amen.

In nomine π & τ & A. Reuerendissimo sancto & Deo amabili illi Archiepiscopo Senonicæ vrbis. Ego enim in Dei nomine ille Cenomanicæ ciuitatis Episcopus in Domino Iesu Christo opro vobis salutem in perpetuum. De cætero notum facimus sanctitati vestræ, quia istum præsentem presbyterum &c. *quæ ad verbum eadem sunt cum superiori, ideoque hic repetita noluimus.*

In Dei nomine sanctissimo ac reuerendissimo fratri illi Episcopo, ille illius vrbis Episcopus, in Domino sempiternam salutem. Cognoscat fraternitas, seu charitas vestra, quia iste præsens presbyter nomine ille, in parochia, & in Ecclesia nostra sacris litteris educatus fuit, & ab infantia fuit apud nos seu prædecessores nostros bonum habens testimonium bonamque continentiam, & innocentem vitam deducens. Vnde placuit illi modo, vt ad aliam Ecclesiam se conuerteret, volens sibi quærere seniorem, qui se de rebus temporalibus adiuuet, & cui ille secundum ministerium, quod sibi iniunctum est, obsequium præbeat. Vnde vestram fraternitatem compertam facimus, vt cuicumque placuerit eum suscipere, absque vlla ambiguitate hoc faciat: Sciens illum & boni esse testimonij, & à nobis sibi ab Ecclesia, quæ nobis ad regendum concessa est, migrandi licentiam accepisse: Et vt hæ litteræ firmiorem obtineant dignitatem, meliusque eis fides adhibeatur, manu nostra eas subter firmauimus.

XIII. *Ingenuitas.*

Dum omnipotens Deus nos præcepit in hoc sæculo sanum corpus habere: Oportet nobis pro salute animæ nostræ frequentius cogitare debere, vt aliquantulum de peccatis nostris minuere mereamur. Itaque ego ille in Dei nomine pro animæ nostræ remedio, vel pro meis peccatis minuendis, vt in futurum Dominus veniam mihi præstare dignetur, seruum iuris mei nomine illum, relaxaui ingenuum. Ea vero ratione, vt à die præsente sis bene ingenuus, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus, vel natus. Peculiare vero si quid habes, aut inantea Christo propitio laborare potueris, cessum habeas. Et nulli hæredum, ac prohæredum meorum nullum impendas seruitium, nisi soli Deo, cui omnia subiecta sunt. Testamentum etiam faciendi, defensionem, vel mundeburdem Ecclesiarum, aut bonorum hominum, vbicumque eligere volueris licentiam habeas ad conquirendum. Si quis vero, quod nec fieri credimus, si ego ipse, aut vllus de hæredibus meis, vel quælibet opposita persona, quæ contra hanc ingenuitatem, quam ego plenissima voluntate mea, pro amore Domini nostri Iesu Christi, & pro meis peccatis fieri, & affirmare rogaui, venire conauerit, inferat tibi, vna cum socio fisco auri vncias tantas, & præsens ingenuitas omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

XIV. *Venditio.*

Domino illustri illi, ille. Ratio & consuetudo exposcit, vt inter emptorem & venditorem scriptura confirmet. Ita vt nec distrahendi, seu vlla repetitio, nec comparandi quælibet videatur esse formido. Idcirco nulli cogentis imperio, nec à iudiciaria potestate coactus, sed mea propria & spontanea voluntate, & arbitrio, accepto vero pretio, constat me vendidisse, vel tradidisse & ita vendidi, vel de præsente tradidi, hoc est res proprietatis meæ in pago illo, quæ dicuntur illæ. Id est tam mansis, domibus, ædificijs, totum & ad integrum re inexquisita. Et accepi à te pretium pro hoc, quod mihi bene complacuit, hoc est tam in argento quam in fabricato valenre solidos rantos. Et superscriptas res per hanc venditionem publi-

A ce tibi à die præsente tradidi ad possidendum, vt quicquid exinde à die præsente facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, quod futurum esse non credo, si ego ipse, aut vllus de meis hæredibus, vel quælibet vlla opposita persona, quæ contra venditionem istam venire conauerit, & à me vel hæredibus meis non fuerit defensatum, tunc inferat tibi, vna cum socio fisco, duplum tantum, quantum à re accepi, & quantum ipsæ res immelioratæ valuerint; & præsens venditio omni tempore firma permaneat.

XV. *Cautio.*

Domino fratri illi, ille. Ad petitionem meam mihi non denegasti, nisi vt in summa necessitate mea argenti, vel......tuum valentem solidos tantos in manu mea ad præstitum beneficium mihi præstitisti. Et ego pro hoc talem cautionem in te fieri, & affirmare rogaui, vt vsque ad annos tantos, in quaque hebdomada diebus tantis, opera tua, qualia mihi iniunxeris,
B & ratio præstat, facere debeam. Quod si minime fecero, aut negligens, aut tardus exinde apparuero, aut ante ipsum placitum me immutare præsumpsero: tunc spondeo me per huius vinculum cautionis, vbi & vbi me inuenire potueris, sine vlla iudicis interpellatione pro dupli satisfactione me retineri debitorem. Sic quomodo ipsi anni transacti fuerint, debito tuo tibi reddito, cautionem meam per manus recipiam, stipulatione, &c.

XVI. *Obnoxiatio.*

Domino fratri illi, ille. Omnibus non habetur incognitum, qualiter grauis necessitas & infirmitas pessima me oppresserunt, & minime habeo vnde viuere, vel vestiri debeam. Propterea ad petitionem meam mihi non denegasti, nisi vt in summa necessitate mea argentum vel....acto tuum valens solidos tot, in manu mea mihi dedisti, & ego minime habeo vnde ipsos so-
C lidos tuos tibi reddere debeam. Propterea obnoxiationem de capite ingenuitatis meæ in te fieri, & affirmare rogaui: vt quicquid de mancipio tuo, originali vestro, facitis, tam vendendi, commutandi & disciplinam imponendi, ita & de me ab hodierna die liberam, & firmissimam in omnibus potestatem faciendi habeas. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut vllus de hæredibus meis, vel quælibet opposita persona, quæ contra obnoxiationem istam venire conauerit, inferat tibi, vna cum socio fisco auri vncias tantas: & præsens obnoxiatio firma permaneat, cum stipulatione subnixa. Actum illo.

XVII. *Commutatio de terris.*

Inter quos charitas illibata permanserit, pars pari suo opportuna & congrua beneficia non denegat. Ideo auxiliante Domino nostro placuit atq; conuenit
D inter illum & illum, de commutandis terris eorum, vt pro communi opportunitate inter se cõmutare deberent, quod ita & fecerunt. Dedit ille de parte sua ad partem ipsius illius, terram proprietatis suæ, in pago illo in loco qui dicitur ille, habet in longo.... tantos, & in lato....tantos, subiungit de vno latere terræ lui, de vno fronte terræ illius, ex alio vero fronte terræ illius, infra ipsam terminationem, & mensuram ad integrũ. Econtra ad vicem dedit ille de parte sua ad partem ipsius lui terram proprietatis suæ, in pago illo, in loco qui dicitur ille, habet in longo......tantos, & in lato......tantos, subiungit de vno latere terræ lui, de alio latere terræ illius, infra ipsam terminationem, & mensuram ad integrum. Ita vt ab hodierna die

vnusquisque contra parem suum quod accepit habeat, teneat, atque possideat, vel quicquid exinde à die præsente facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut aliquis de hæredibus meis, vel quælibet vlla opposita persona quæ contra hanc commutationem pars contra parem suum venire conauerit, inferat pars pari suo, ista tota seruata, vna cum socio fisco, auri vncias tantas, & præsentes commutationes duæ vno tenore conscriptæ, omni tempore firmæ & inuiolatæ permaneant.

XVIII. *Charta agnationis.*

FOeminæ illi, ille. Omnibus non habetur incognitum qualiter te per voluntatem tuam seruus iuris mei, nomine ille, ad coniugium sociauit vxorem: vnde te vel procreationem tuam in seruitio inclinare potueram. Sed mihi præpatuit voluntas plenissima, vt talem epistolam donationis in te fieri & adfirmare rogarem: vt si aliqua procreatio filiorum, aut filiarum ex te nata, vel procreata fuerit, sub integra ingenuitate, cum omni peculiari eorum valeant Christo propitio laborare, cessum habeat, & nulli hæredum ac pro heredum meorum nullum impendat seruitium, nec dominium, vel patronatus obsequium, nisi soli Deo cui omnia subiecta sunt. Testamentum etiam faciendi, defensionem vero vel mundeburdem, Ecclesiarum aut bonorum hominum vbicumque eligere voluerit, licentiam habeat ad conquirendum. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut vllus de hæredibus meis vel quælibet vlla opposita persona, quæ contra hanc epistolam agnationis venire conauerit, inferat ei cui litem intulerit, ista tota seruata, vna cum socio fisco, auri vncias tantas, & præsens agnatio omni tempore firma permaneat.

XIX. *Traditoria de terra.*

VEniens homo aliquis, nomine ille, in pago illo, in loco qui dicitur ille, ante bonos homines, qui subterfirmauerunt, terram illam, id est tam mansis, &c. totum & ad integrum, quam ante hos dies homo aliquis nomine ille, per venditionis titulum, accepto vero pretio visus fuit vendidisse: sed ante ipsos bonos homines, ad integrum, vt quicquid prædicta venditione ei vendidit, per manus, partibus ipsius lui, vel herbam, vel terram visus fuit tradidisse, & per suam festucam contra ipsum illum exinde exitum fecisse, vt quicquid ipse ille de ipsa terra à die præsente facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi.

XX. *Traditoria de Manso vel terra.*

NOtitia, qualiter & quibus præsentibus, veniens homo aliquis, nomine ille missus illustris viri illius, super fluuium illum, in loco qui dicitur ille, ad illum mansum, vel terram, quam ille homo ante hos dies, ad casam sancti illius pagensis, per chartam cessionis partibus ipsius illius, per illud ostium de ipsa casa, per herbam vel terram, ipsum mansum, vel quicquid ad ipsum mansum aspicit, sicut in ipsa cessione est insertum, ad partem ipsius Ecclesiæ visus fuit tradidisse, vel consignasse. His præsentibus.

XXI. *Notitia de seruo.*

NOtitia qualiter & quibus præsentibus, veniens homo aliquis nomine ille, in pago illo, in loco qui dicitur ille, vel in quocumque loco ante bonos homines, qui subterfirmauerũt, dato suo pretio ad hominem negotiantem, solidos tantos, seruum suum nomine illum visus est comparasse. Et ipse negotians ipsum seruum superius nominatum, per manus partibus ipsius lui visus est tradidisse, nec fraude, sed in publico: Vt quicquid exinde à die præsente facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi.

XXII. *Notitia de iactiuis.*

NOtitia qualiter & quibus præsentibus, veniens homo aliquis, nomine ille, in pago illo, in loco qui dicitur ille, in mallo publico, ante virum illum Comitem, vel reliquos quam plures bonos homines qui subterfirmauerunt, repetebat ei, dum diceret, eo quod hominem aliquem nomine illum, ante ipsum Comitem adrhamitum habuisset; ad placitum venir, ipse ille placitum suum custodiebat, & nec ipse ille ad id placitum venit, nec missum in vicem suam direxit, qui vllam soniam nuntiaret: & placitum suum neglexit, & iactiuus exinde remansit. His præsentibus.

XXIII. *Securitas.*

NOn minima, sed maxima vertitur discordia inter illos & illos. Venientes ante illum & illum, repetiuit ipse ille aduersus ipsum lui, eo quod genitorem suum, aut germanum suum illum malo ordine interfecisset. Interrogatum fuit ab ipsis viris ipsi lui, si hæc causa acta vel perpetrata fuisset aut non, sed ipse in præsenti dicere deberet. Sed ipse ille minime hanc causam potuit denegare, Sic ab ipsis viris fuit iudicatum, vt illam leudem, vt lex erat, soluere deberet: quod ita in præsenti & fecit. Et ego hanc securitatem in ipso illo fieri & adfirmare rogaui, vt nullo vnquam tempore, de iam dicta morte, nec de ipsa leude, nec ego ipse, nec vllus de hæredibus meis, nec quislibet vllas calumnias, nec repetitiones agere, nec repetere non debeamus. Quod quando attentauerimus, nullum obtineat effectum, & insuper inferamus tibi, vna cum socio fisco, auri vncias tantas, & præsens securitas omni tempore firma permaneat.

XXIV. *Charta denarialis ante Regem.*

ILle Rex Francorum vir illuster. Et quia veniens ille ante nos vel procerum nostrorum præsentiam, &c. *iisdem plane verbis cum Marculfi cap. 22. lib. 1.*

XXV. *Mandatum.*

DOmino magnifico fratri illi, ille. Omnibus non habetur incognitum, qualiter me senectus adgrauat, & infirmitas domat, & causas meas minime valeo prosequere, vel admallare: Ideo precor & supplico charitati tuæ, vt in vicem meam omnes causas meas, tam in pago, quam & in palatio, vel in quibuscumque pagis vel territorijs, vbicumque mihi oportet, apud quemlibet hominem tam ad admallandum, quam ad responsum dandum prosequere facias. Et quicquid exinde egeris, gesserisue, apud me in omnibus, & ex omnibus ratum, & aptum, atque transactum, in omnibus definitum esse cognoscas. Quia plus amo te quam me, plus te quam hæredes meos. Et vt hoc mandatum post te firmius retineas, & taliter obtineat firmitatem, quasi gestibus fuisset obligatum, manu propria subter decreui adfirmare, & qui subscriberent in præsenti rogaui.

XXVI. *Cessio ad Ecclesiam.*

DOminæ, sanctæ ac reuerendissimæ Ecclesiæ sancti illius, quæ est constructa in pago illo, in loco qui dicitur ille, Ego in Dei nomine ille, pro meis peccatis minuendis, vt in futurum Dominus veniam mihi præstare dignetur cedo ad lumen, vel sacrificium ad ipsam casam Dei, vel ipsam domumDei, cessumque in perpetuum esse volo, & de iure meo in ius, & dominationem ipsius Ecclesiæ transscribo, atque trãsfundo, hoc est res proprietatis meæ in pago illo, in loco qui dicitur ille, id est tam mansis, domibus, ædificijs totum & ad integrum re inexquisita. Ita vt ab hodierna die, ipsa casa Dei ad altare Domini proferendo, vel ad ipsam domum Dei condirigendo, ipsas res habere debeat. Etsi mihi placuit inserendum, vt nullus pontifex, aut quislibet rector, si de ipsa casa Dei, de ipso lumine vel sacrificio ipsas res abstrahere conauerit aut in beneficium dare præsumpserit, tunc ipse res ad me, vel hæredes meos perueniant. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse, aut vllus de hæredibus meis, vel qualibet opposita persona, quæ contra hanc cessionem istam, quam ego plenissima voluntate mea pro amore Domini nostri Iesu Christi, fieri & affirmare rogaui, venire conauerit, inferat tibi, ista tota seruata, vna cum socio fisco, auri vncias tantas & præsens cessio omni tempore firma permaneat.

XXVII. *Precaria.*

DOminæ sanctæ ac reuerendissimæ Ecclesiæ pagensi, his nominibus, quæ est constructa in pago illo, in loco qui dicitur ille, ego in Dei nomine ille. Omnibus non habetur incognitum, qualiter res proprietatis meæ in pago illo, quibus vocabula sunt illa & illa, in iam dictis locis, id est tam mansis, &c. omnia & ex omnibus per meam cessionem, ad lumen vel sacrificium ad ipsam casam Dei, à die præsente delegaui, postea ad petitionem meam mihi non denegasti, nisi vt ipsas res quamdiu aduiuo, mihi ad vsandum vel condirigendum præstare debeatis. Quod taliter fecistis; sic taliter vt tempore vitæ meæ ipsas res habere & vsare vel condirigere debeam. Et post meum quoque discessum, cum omni re immeliorata, agentes ipsius Ecclesiæ, absque expectata traditione in eorum reuocent dominationem, vel potestatem. Propterea talem precariam ad ipsam casam Dei fieri, & affirmare rogaui, vt ipsas res nec vendere, nec donare, nec commutare, nec vllis modis, vllisque ingenijs de ipsa casa Dei abstrahere, nec minuere pontificium non habeam: nec mea possessio vllum præiudicium vobis, nec ad ipsam casam Dei agere, nec generare non debeat, nec ego ipse, nec vllus de hæredibus meis, nec qualibet opposita persona. Quod si attentauerimus, nullum obtineat effectum, & insuper inferamus partibus ipsius Ecclesiæ, vel suis rectoribus, vna cum socio fisco auri vncias tantas, & vt aliæ precariæ, ac si per quinquennium fuerit renouata ista, per se obtineant firmitatem.

XXVIII. *Præstaria.*

IN Christo filio illi, ille dono Dei rector & custos Ecclesiæ illius, quæ est constructa in pago illo, in loco qui dicitur ille. Omnibus non habetur incognitum, qualiter tu res proprietatis tuæ, tam infra ciuitatem, quam & foras in ipso pago, in loco cuius vocabulum est ille, & ille, in iam dictis locis omnem rem tuam per tuam cessionem ad ipsam casam vel domum Dei, à die præsente delegasti. Postea ad petitionem tuam tibi non denegauimus, nisi vt ipsas res ad præstitum beneficium tibi præstare deberemus. Quod ita & fe-

A cimus: sic taliter, vt tempore vitæ tuæ ipsas res per nostrum beneficium habere, vel condirigere, siue vsare debeas; & annis singulis in festiuitate sancti illius, censum ad lumen vel sacrificium solidos tantos per temetipsum soluere facias: & nec nos ipsi, nec vllus de successoribus nostris, nec quislibet de parte nostra, ipsas res tempore vitæ tuæ, tibi abstrahere, nec minuere non debeamus. Et vt has litteras firmius post te retineas, manu propria subter decreuimus affirmare.

XXIX. *Notitia de homine forbatudo.*

NOtitia qualiter vel quibus præsentibus, veniens homo aliquis, nomine ille, in pago illo, in loco qui dicitur ille, in mallo publico, ante ipsum Comitem illum, vel alios bonos homines qui subterfirmauerunt posita manu sua super sacrum altarium
B sancti illius sic iuratus dixit: Hic iuro per hunc locum sanctum, & Deum altissimum, & virtutes sancti illius, quod homo aliquis nomine ille, ita factus, cum armis suis super me venit, & colpus super me misit, & sic mihi Dominus directum dedit; ego ipsum de armis meis percussi, & tales colpus ei dedi pro quibus ipse mortuus est, & quod fecit super me fecit, ego hodie ipsum facio infra damnum & forbatudum infra noctes XLII. sicut lex est & nostra consuetudo, apud tres aloarius, & XII. conlaudantes iurauerunt, & linguas eorum legibus direxerunt.

XXX. *Indiculus Regalis.*

ILle Rex Francorum vir illuster, magnifico fratri illi Comiti. Cognoscas quod iste præsens ille missa petitione suggessit, eo quod homo aliquis nomine ille, res suas in vestro ministerio ad sanctum illum delegasset, & dicit quod ille, vel alij homines ipsas res
C contendunt malo ordine. Propterea omnino te rogamus, vt si veritas est, integram iustitiam, sine vlla moratione ei facias exinde. Etsi ante te minime definitum fuerit, tunc ipsos homines, qui hoc contendunt malo ordine, per fideiussores positos, super noctes tantas, post quam has litteras recipis, ante nos facias aduenire. Taliter ages, si gratiam nostram velis habere.

XXXI. *Item alius Indiculus.*

ILle Rex Francorum vir illuster illi Comiti, seu iunioribus atque successoribus vestris, seu missis nostris discurrentibus. Cognoscatis qualiter in nostra eleemosyna tali isti præsenti, dum & ipse senex esse videtur, taliter ei concessimus, vt de omni hoste vel omni banno, seu & arribanno sit conseruatus, vt neque iuniores atque successores vestri ipsum pro hoc
D inquietare, nec dismanare non præsumatis, nec facere dimittatis. Sed liceat ei cum Dei & nostra gratia, quieto ordine ad propria viuere, vel residere. Et vt certius credatis manu nostra subterfirmauimus, & de annulo nostro sigillauimus.

XXXII. *Notitia de colonitio.*

NOtitia qualiter vel quibus præsentibus, veniens homo aliquis nomine illo, in pago illo, in mallo publico ante virum illustrem Comitem, vel reliquos quamplures bonos homines qui subterfirmauerunt, hominem aliquem nomine illum interpellabat, repetebat ei eo quod genitor suus, aut genitrix sua illa coloni sui fuissent, & ipse ille suus colonus esse debebat, & malo ordine de ipso colonatico se abstrahebat, & negligens erat. Interrogatum fuit ab ipsis viris ipsi, si ipse ille colonus ipsius lui esse debeat

aut non, & in præsenti ei dicere deberet. Et ipse ille nullatenus potuit dicere nec ad ponere, nec vllam rationem tradere, per quam ipse de ipso colonatico se abstrahere potuisset: & in præsenti pro colono ipsius lui se recredidit, vel recognouit. Sic ab ipsis viris fuit iudicatum, vt ipse ille ipsum illum pro colono habere debeat. Et si iam dictus Comes ipsum illum per manus, partibus lui visus est reddidisse. Isis præsentibus.

XXXIII. *Notitia Sacramentalis.*

NOtitia qualiter & quibus præsentibus, veniens homo aliquis nomine ille in pago illo, in basilica sancti illius, vbi plurima sacramenta percurrere videntur, ante virum magnificum illum, vel reliquos quamplures bonos homines, qui subterfirmauerunt, posita manu sua super sacrosanctum altare sancti illius, sic iuratus dixit: Hic iuro per hunc locum sanctum, & Deum altissimum, & virtutem sancti illius, vnde me homo ille in mallo publico mallabat, quod ego terram suam, aut ad coniugem suam illam, in pago illo, in loco qui dicitur ille, de eorum potestate per fortiam nunquam prisi, aut peruasi, sed de ista parte triginta & vno anno fere amplius semper exinde fui vestitus, & post me diuisi, & per legem, & iustitiam plus obtineat me habere, quam ipsi lui, aut coniugi suæ reddere, & quod mihi iudicatum fuit in nullo me debere, nisi istud & vnicum sacramentum, per hunc locum sanctum, & Deum altissimum & virtutes sancti illius. Insequenter vero post ipsum tres aloariæ & XII. conlaudantes iurauerunt, & de linguis eorum legibus dixerunt.

XXXIV. *Notitia de herbis maleficis.*

NOtitia qualiter & quibus præsentibus, veniens fœmina aliqua, nomine illa, in pago illo, in mallo publico, in basilica sancti illius, ante illos & illos, & alios quamplures bonos homines, qui subterfirmauerunt, posita manu sua super sacrosanctum altare sancti illius, sic iurata dixit: Hic iuro per hunc locum sanctum, & Deum altissimum, & virtutes sancti illius, vnde me ille ante virum magnificum illum, vel alios bonos homines mallauit, quod ego herbas maleficas temperassem, vel bibere ei dedissem, per quod ipse infirmasset, aut vitam suam perdere debuisset, ego herbas maleficas, nec potiones malas nunquam temperaui, nec bibere dedi, per quod ipse infirmus, vel insanus fuisset, aut vitam suam perdere debuisset, & aliud de ista causa in nullo debeo, nisi istud vnicum & idoneum sacramentum, per hunc locum sanctum, & Deum altissimum & virtutes sancti illius. Insequenter vero post ipsam tantæ iurauerunt, & de linguis eorum legibus dixerunt.

XXXV. *Cessio.*

DVlcissimo atque in omnibus amantissimo filio meo illi, ille. Ammonuit me amor & dulcitudo tua, & ex alia parte mihi non cessas deseruire, & in bonum impendis effectum. Propterea mihi præpatuit plenissima voluntas, vt aliquid de rebus proprijs meis, extra consortium germanorum tuorum, tibi concedere deberem. Quod ita & feci: propterea cedo tibi post meum quoque discessum de hac luce, à die præsente, cessumque perpetuum esse volo, & de iure meo in ius & dominationem tuam transcribo atque transfundo: hoc est seruum iuris mei, nomine illum, vel aliam rem, terris, &c. Ita vt ab hodierno die habeas, teneas atque possideas, vel quicquid à die præsente facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si ego ipse, aut vllus de hæredibus meis, vel quælibet opposita persona, quæ contra hanc cessionem venire conauerit, inferat tibi vna cum socio fisco auri vncias tantas, & præsens cessio omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum.

XXXVI. *Euacuatoria.*

FRatri illi, ille. Omnibus non habetur incognitum, quia ego ad petitionem tuam solidos tantos ad præstitum beneficium in manu tua tibi præstiti, & tu pro hoc talem epistolam cautionis in me affirmasti, vt vsque ad annos tantos, in quaque hebdomada diebus tantis opera mea facere deberes, quod ita & fecisti, ad placitum ipsum debitum mihi reddere deberes; quod ita & fecisti, & ego ipsam cautionem nunime inuenire possum. Propterea talem epistolam euacuatoriam in te fieri & affirmare rogaui, vt si ipsa cautio vllo vnquam tempore inuenta, aut reperta fuerit, nullum obtineat effectum, sed euacuata, & inanis permaneat. Et nec ego ipse, nec vllus de hæredibus meis, vel quilibet de parte mea ipsum debitum superius nominatum, nec per ipsam cautionem, nec nullis modis vllo vnquam tempore tibi ex hoc nullas calumnias, nec repetitiones agere, nec repetere non debeamus. Quod si attentauerimus, ista tota seruata, vna cum socio fisco, auri vncijs tantis simus multandi; & præsens euacuatoria omni tempore firma permaneat.

XXXVII. *Libellus dotis.*

DVm omnipotens Dominus concessit iugale consortium, vt vnusquisque nubat iuxta consuetudinem antenotum Christianorum: & iterum legimus, quod ipse Dominus noster cum discipulis suis ad nuptias inuitatus fuisset, & quos Deus coniunxit homo non separet: Quod bonum felix, faustumque sit. Donat itaque ille honestæ puellæ sponsæ suæ, nomine illo, quam si Christo placuerit, in coniugium sociare vxorem cupio, donatumque in perpetuum esse volo, & de iure meo in ius & dominationem ipsius puellæ transcribo atque transfundo, hoc est res proprietatis meæ in pago illo, in loco qui dicitur ille, tam mansis, domibus, ædificijs, totum & ad integrum te inexquisita, seu mancipia stantia, his nominibus ille & ille, seu caballos tantos, boues tantos, vaccas cum vitulis tantas, oues, capita tanta......tantas, lectarias condignas ad lectos, fabricaturia, aurum, argentum in solidos tantos, vtensilia vero tam ærea quam ferrea, seu & linea, quicquid domo rationabiliter continetur, omnia superius nominata, cum dies fœlicissimus nuptiarum aduenerit, dulcissima sponsa mea illa, à die præsente habeas, teneas atque possideas, vel quicquid exinde à die præsente facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, quod nec fieri credo, si ego ipse aut vllus de hæredibus meis, vel quælibet vlla opposita persona, quæ contra hunc libellum dotis venire conauerit, inferat tibi, vna cum soco fisco, auri vncias tantas, & præsens libellus dotis firmus permaneat.

XXXVIII. *Indiculus Regalis.*

ILle Rex Francorum vir illuster. Cum nos in Dei nomine, palatio nostro, ad vniuersorum causas audiendas, vel recta iudicia terminanda, vna cum proceribus nostris resideremus, ibique veniens homo aliquis nomine ille, suggessit eo quod apud nostrum signaculum, hominem aliquem, nomine illum, manumum

habuisset, & super noctes tantas ante nos debuisset venire in rationes, pro eo quod dixit, quod res suas post se malo ordine tenebat iniuste. Ad quod placitum veniens ipse ille per triduum, seu amplius placitũ suum custodiuit; & nec ipse ille ad id placitum venit, nec missum in vicem suam direxerit, qui vllam soniam nuntiaret. Proinde nos taliter vna cum fidelibus nostris, vel Comite palatij nostri illo, visi fuimus iudicasse, vt dum ipse ille per triduum, seu amplius placitum suum legitime custodiuit, & nec ipse ille ad illud placitum venit, nec missum in vice sua direxit, qui vllam soniam nuntiaret, & placitum suum neglexit, & iectitus exinde remansit. Propterea iubemus, vt quicquid lex loci vestri de tali causa debuerit, vobis distringentibus, ipse ille partibus ipsius sui hominis componere atque emendare studeat.

XXXIX. *Æqualentia vel pactum.*

AVxiliante Domino nostro Iesu Christo, placuit atque conuenit inter illum & germanum suum illum de alode quæ fuit genitoris sui, vt inter se æqualentia diuidere, vel exæquare deberent; quod ita & fecerunt. Accepit ille de parte sua mansum in pago illo, in loco qui dicitur ille, cum omni desuper posito, seu vineis, oleis, campis, totum & ad integrum re inexquisita. E contra ad vicem accepit ille de parte sua mansum illum vbi accola commanet, id est tam mansis, vineis, oleis, totum & ad integrũ re inexquisita, etiam aurum, argentum, drapalia, æramen, peculium, præsidum vtriusque sexus, mobile & immobile inter se æqualentia visi fuerunt diuisisse: & pars contra parem suum se exinde exutos fecerunt. Ita vt ab hodierna die vnusquisq; quod accepit habeat, teneat, atque possideat, vel quicquid exinde facere voluerit, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi. Si quis vero, &c.

XL. *Donatio ad casam Dei.*

DOmino vere sancto, ac reuerendissimo monasterio illi, quod est constructum in honore sanctæ Mariæ semper virginis, genitricis Dei & Domini nostri Iesu Christi, vel cæterorum dominorum suorũ, quorum reliquiæ ibi conditæ sunt: & illustri Deo sacratæ Abbatissæ illi, vna cum turba plurima ancillarum Dei, ad laudem Christo canendam, cui custos præesse videtur, ego in Dei nomine fœmina aliqua, nomine illa, dono ad præfatum monasterium à die præsente, donatumque in perpetuum esse volo, & de iure meo, in ius & dominationem ipsius monasterij, vel suis rectoribus, trado atque transfundo ad possidendum, pro eo quod in ipso monasterio sub religione, & sancta conuersatione habitare debeam, hoc est res meas in pago illo in loco nuncupante sic, & in pago illo, in grafia illa, super fluuium illum, quantumcunque à die præsente in iam dictis locis visa sum tenere, vel possidere, quod manente coniugio apud iugalem meum illum visa sum conquisisse, vel in meam portionem recepi, vel quantumcumque de filij mei illius luctuosa hæreditate mihi obuenit, sicut dixi, quantumcumque in his locis die præsente meæ possessionis & dominationis est, totum & ad integrum ad ipsum monasterium, à die præsente de iure meo in ius ipsius monasterij, & suis rectoribus trado, atque trãsfundo ad possidendum, hoc est tam terris, mansis, vna cum superpositis, domibus, ædificiis, vineis, syluis, campis, pratis, pascuis, cultis & incultis, adiacentiisque, hominibus, aquis, aquarumve decursibus, vna cum mancipiis tãtis, his nominibus, sicut dixi re inexquisita portionem meam ad integrum publice trado atque transfundo ad possidendum: Vt quicquid ab hac die Abbates vel rectores ipsius monasterij ad profectum ip-

A sius exinde facere voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem faciendi. Si quis vero, &c.

XLI. *Precaria.*

DOmini virente, atque ostensione crucis patibuli miraculorum remuneratione fulgenti basilicæ, quæ in honore sanctæ Mariæ & sancti Petri, & sancti Pauli principis Apostolorum, Gaico monasterio constructo in pago Vuastmensi, & illustri Abbatissæ illi, quæ inibi custos præesse videtur, vna cum turba plurimarum ancillarum Dei ibidem consistentium, ego illa fœmina. Dum non habetur incognitum sed pluribus est manifestum, quod ego res proprietatis meæ, in loco qui dicitur ille, per epistolam donationis ad ipsum monasterium vestrum delegaui. Propterea expetiui à vobis, & petitionem meam non denegasti, vt ipsas res quamdiu aduiuo, sub vsu beneficij vestri tenere, & vsare debeam, & alicubi ipsas res alienandi pontificium non habeam, & post meum quoque discessum, cum re immeliorata ad ipsum mo-
B nasterium, absque vlla expectata traditione, vos vel rectores ipsius monasterij in eorum faciant reuocare potestatem & dominationem: vt in postmodum mea possessio aliquod præiudicium ex hoc generare non debeat. Propterea hanc precariam vobis, vel ipsi monasterio vestro emittendam decreui, vt neque ego, neque vllus de hæredib. meis quãuis per longinqua spatia ipsas res ad vsandum habuerim, agere & repetere non debeamus. Quod si quis fecerit, inferat vobis, & partibus ipsius monasterij suisque rectoribus, auri libram vnam, argenti pondo duo, & præsens precaria firma permaneat, & vt aliæ precariæ de quinquennio in quinquennium renouantur istam, vero non sit necesse renouandi, sed per semetipsam, omnique tempore obtineat firmitatem, cum stipulatione subnixa. Actum illo.

XLII. *Præstaria.*

C DVlcissimæ fœminæ illi, ego illa Abbatissa. Dum non est incognitum, qualiter tu ante hos dies rem proprietatis tuæ, in pago illo, in loco qui dicitur ille, ad monasterium sanctæ Mariæ adfirmasti, vnde precariam à nobis, vel ab ipso monasterio adperisti. Propterea has litteras in te adfirmauimus, vt dum aduiuis vsualiter ipsam rem tenere, & dominare debeas: & alicubi ipsam alienandi pontificium non habeas. Et si hoc conaueris facere, ipsam rem à die præsente perdas. Et vt has literas firmius obtineas, manu nostra subterfirmauimus, cum stipulatione subnixa. Actum illo.

XLIII. *Traditoria de terra.*

NOtitia qualiter & quibus præsentibus, veniens homo aliquis aduocatus sancti illius de mona-
D sterio illo ad res illas, in pago illo, in loco cui vocabulum est ille, quas ante hos dies fœmina aliqua, nomine illa, per sua instrumenta ad ipsum monasterium visa fuit delegare cum omni integritate, sicut ex ipsa donatione constat, quæ portio sua est, ad integrum à die præsente: missus ipsius fœminæ ille ipsi misso monasterij, nomine illi per ipsum hostium de ipsa casa per terram vel herbam, sicut lex est, ad partem sancti illius, visus est tradidisse, & per suam festucam ipsum missum, vel ipsam fœminam de ipsius rebus se exutos ex omnibus esse dixisse.

XLIV. *Emunitas Sanctorum.*

ILle Rex Francorum, vir illuster. Quotiescumque petitiones sacerdotum aut ancillarum Dei ad effe-

ctum perducimus, regiam consuetudinem exercemus, & nobis ad mercedem, vel ad stabilitatem regni nostri in Dei nomine permanere confidimus. Ideoque dominis, viris sanctis ac venerabilibus Apostolicis in Christo patribus, omnibus Episcopis, vel omnibus Abbatibus; seu illustribus, atque magnificis viris, Ducibus, Comitibus, Vigarijs, Centenarijs, seu hominibus vassis nostris, vel omnibus missis nostris discurrentibus. Cognoscatis quod illustris Abbatissa illa de monasterio illo. in pago illo, in loco qui dicitur ille, in honore sancti illius constructo, vna cum monachis, vel Dei ancillis, quæ ad laudem Christo canendam sub religionis norma conuersari videntur, clementiæ regni nostri suggestionem intulit, eo quod gloriosus dominus & genitor noster ille quondam Rex, per suam præceptionem sua manu roboratam talem emunitatem, ad ipsam casam Dei, seu monasterium illud, vel ipsam Abbatissam habuisset concessum atque indultum: Vt nullus Episcopus, aut Archidiaconus, eo loci nisi orationis, aut prædicationis lucrandæ gratia accedat, & vt nullus iudex publicus, vel quislibet iudiciaria potestate accinctus, in curtib. vel villis ipsius monasterij, nullum debuisse habere introitum, nec ad causas audiendas, nec freda exigenda, nec ad fideiussores tollendos, nec mansiones, aut paratas requirendas, nec nullas retributiones exactandas, & quod fiscus noster. exinde exhibere poterat, nullatenus ex hac re requiratur. Vnde & confirmationes anteriorum Regum parentumque nostrorum nobis in præsenti protulit relegendas, & petiit celsitudinem nostram, vt circa ipsum monasterium, nostra hoc deberet auctoritas generaliter confirmare. Cui nos hoc beneficium gratanti animo pro mercedis nostræ augmento non solum confirmasse, sed etiam in nouo sub emunitatis nomine concessisse. Denuo per hoc præceptum specialius decernimus ordinandum, atque omnino iubemus, quod in perpetuum absque illis obstaculis, & refragationibus volumus esse mansurum, præcipientes, vt sicut constat in supradictis titulis scriptum esse, vt illud monasterium maneat absque vllo introitu Episcopi, aut Archidiaconi nisi orationem, aut prædicationem lucrando, & vt nullus iudex publicus in curtes, vel villas ipsius monasterij nullum debeat habere introitum; nec ad causas audiendas, nec freda exigenda, nec fideiussores tollendos, nec mansiones vel paratas, nec vllas retributiones exactandas, & quod fiscus noster exinde exhibere poterat, nullatenus ex hac re requiratur, nisi vt diximus pro mercedis nostræ augmento, sicut ab antecessoribus Regibus parentibus nostris, seu & dono & glorioso genitore nostro illo quondam Rege, moderno tempore fuit concessum atque indultum, ita per nostra oracula plenius confirmamus, quod in perpetuum volumus esse mansurum. Et vt hæc præceptio firmior habeatur, & per tempora melius conseruetur, manu nostra, signaculis subter decreuimus roborare, & de annulo nostro subtersigillauimus.

XLV. *Indiculus Regalis.*

KArolus Dei gratia Rex Francorum, tam præsentibus quam futuris, dominis sanctis & Apostolicis, ac venerabilibus in Christo fratribus: Ducibus, Comitibus, Domesticis, Vicariis, Centenarijs, vel omnibus agentibus nostris, & iunioribus & successoribus nostris, vel omnibus amicis nostris, seu & hominibus, & missis nostris discurrentibus. Cognoscat magnitudo, seu almitas vestra, quod nos isti fideli nostro merito suo compellente concessimus, vbicumque infra regnum Deo propitio nostrum, homines sui ad negotium exigendum aduenerint, nullus quislibet de iudiciaria potestate vestra, nec missus noster nulla telonea, nec nullas venditas, nec rodaticum, nec foraticum, nec pontaticum, & sicut dixi nullus quælibet telonea, nec venditas eius in nullo exactare non præsumatis; sed vt diximus, in quoscumque portus ciuitatis, seu mercada nulla contradicente suus venditor, vel commercius quodlibet negotium potestatem habeat vendendi, quia nos taliter ei habemus concessum. In reliquo vero de parte nostra, vel vestra, ex nostra indulgentia visi fuimus concessisse, seu & in omnibus confirmasse. Et vt hæc præceptio nostra firmior appareat, & per tempora conseruetur manu propria subtus eam decreuimus adfirmare.

XLVI. *Relatum quod dicitur apennis.*

MOs nobilium Romanorum adsueuit, & ratio iuris deposcit, vt si cuiuscumque domus igne crementur, is per seriem scripturarum chartulam rationis quæ dicitur apennis recipiat. Quamobrem cum quadam die illuster ille Comes, ad multorum causas audiendum, vel recta iudicia terminandum vna cum pluribus personis residerent: ibique veniens homo aliquis nomine ille suggessit & intulit, eo quod ante hos dies, casu faciente, casa sua, cum omni mobili, vel intra domum compendio, seu & instrumentis chartarum, ibidem igne cremata essent. Et quia ille iudex vel vicini pagenses ipsius ad præsens ita dixerunt, & testimoniauerunt, quod ad hoc videndum accesserant, sic vero & actum aderat: Sic supradictus ille Comes vel reliqui Franci, chartulam relationis quæ dicitur ei dare decreuerunt, vt quicquid ex cessione parentum, aut ex contractu habebat, tam per venditiones, donationes, cessiones, iudicia, obnoxiationes, commutationes, seu quod per cæteras scripturas ad eum peruenit, deinceps permaneat in suo iure & dominatione absque refragatione.

XLVII. *Hæreditoria.*

DVlcissimæ filiæ meæ illi, ille. Dum non est incognitum, sed per populum deuulgatum, & patefactum quod ego in ancilla mea nomine illa te generaui, & postea ante domnum illum Regem, iactante denario, secundum legem Salicam te ingenuam dimisi, & tu minime in hæreditate mea sociari poteras. Propterea ego hanc chartulam hæreditoriam in te fieri, & adfirmare rogaui, vt si Dominus iusserit, quod mihi in hoc sæculo superstes appareas de omnibus rebus meis, tam quod ex alode parentum, quam ex meo contractu mihi obuenit, in hæreditate succedas, tam terris, mansis, domibus, ædificiis, mancipiis, accolabus, vineis, syluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, in quibuscumque pagis, aut territoriis, seu agris vel omnibus locis, vbi habere videor: etiam peculium, præsidium vtriusque generis & sexus, aurum, argentum, stapalia, mobile & immobile, quicquid dici aut nominari potest quantumcumque moriens de meo dereliquero, in omnium rerum mearum hæreditate apud germanos tuos filios meos succedas, & æqualentia inter vos exinde diuidere, vel exæquare faciatis: & quod ad partem tuam exinde recipis, quicquid exinde facere volueris liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, &c.

XLVIII. *Redemptionale.*

DIlectissimo mihi, bene merito illi, ille. Omnibus non habetur incognitum, sed patefactum, quod tu quotidie in bonis partibus fideliter mihi deseruire non cessas, & pro respectu vel seruitio tuo, & pro fidelitate tua, quam circa partes meas impendere non desistis, mihi præparuit plenissima & integra voluntas propter nomen Domini, vt de seruitio tuo temet-

ipsum, vel omne peculiare tuum redimere deberes. Quod ita & fecisti: & dedisti mihi pro hoc pretium, quod mihi bene complacuit, tam in argento, quam in amicto valente solidos tantos. Propterea hanc chartulam redemptionalem in te fieri, & adfirmare rogaui vt taliter sis ingenuus, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisses procreatus vel natus, cum omni peculiari tuo & nec mihi, nec vlli hæredum meorum nullum impendas seruitium, nec hominum, nec libertaticum, nec vllum obsequium, nec patronaticum: sed eas, pergas partem quam volueris, liberamque & firmissimam in omnibus habeas potestatem: & neque seruitij, nec libertatici, aut vllius obsequij nomine, nec ego ipse, nec vllus de hæredibus meis, nec quælibet opposita persona, tibi exinde nullas calumnias, nec fatigationes, nec repetitiones agere, nec generare, nec repetere non debeamus. Quod qui tentauerit, & à me vel hæredibus meis defensatum non fuerit, infetemus tibi vna cum socio fisco, auri vncias tantas, & presens redemptionale omni tempore firmum permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

XLIX. *Hæreditoria.*

DVlcissimæ atque in omnibus amantissimæ filiæ meæ illi, ego vir magnificus ille. Omnibus non habetur incognitum, quod sicut lex Salica continet, de rebus meis, de eo quod mihi ex alode parentum meorum obuenit, apud germanos tuos, filios meos minimè in hæreditate succedere poteras. Propterea mihi præpatuit plenissima & integra voluntas, vt hane epistolam hæreditoriam in te fieri, & adfirmare rogarem, vt si mihi in hoc sæculo superstes apparueris, in omnes res meas, tam quod ex alode parentum meorum, quam ex meo contractu mihi obuenit, in pago illo, in loco qui dicitur ille, & in quibuscumque pagis, aut territoriis, vbicumque habere videor, tam mansis, domibus, ædificis, vineis, oleis, syluis, campis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, quicquid dici aut nominari potest, quantumcumque de meo proprio moriens dereliquero, in omnium rerum mearum hæreditate apud germanos tuos, filios meos succedas, & æqualentia inter vos exinde diuidere, vel exæquare faciatis. Et quod ad partem tuam exinde recipis, quicquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi. Si quis vero, &c.

L. *Cautio de vinea.*

DOmino fratri illi, ille. Ad petitionem meam mihi non denegasti, nisi vt in summa necessitate mea argentum, vel amictum valentem solidos tantos in manu mea ad præstitum beneficium mihi præstitisti: propterea oppignero tibi vineam proprietatis meæ in pago illo, in loco qui dicitur ille, quæ continet aripennos tantos, subiungit de ambobus lateribus, & ambobus frontibus terræ lui; infra ipsam terminationem & mensuram ad integrum, & vsque ad annos tantos fructum, quem ibidem Deus dederit, ad partem tuam habere debeas, & ipsam vineam condirigere: & quomodo cum ipsis fructibus tantos annos transactos habueris, & debitum tuum tibi reddidero, cautionem meam per manus recipiam, stipulatione subnixa. Actum illo.

LI. *Securitas.*

NOn minima, sed maxima vertitur discordia inter illum, & illum. Venientes in loco illo, ante bonos homines, repetebat, ipse ille in causa sua, vel coniugis suæ illius, aduersus ipsum lui, dum diceret, eo quod ipse genua sua impinxerit, & super filiam eorum, nomine illam cessisset. & ipsam ibidem occidit, sed ipse ille hanc causam maxime potuit denegare.
A Exinde taliter ab ipsis bonis hominibus fuit iudicatum, vt illam leudem, vt lex erat, ipsi lui soluere deberet: quod ita in præsenti fecit, & fetnum suum nomine illum, vel aliam raupam ipse ille pro illa leude, ipsi lui, vel coniugi suæ illi, in quod eis bene complacuit, dedit. Propterea iam dictus ille, & coniux sua illa hanc securitatem in ipso illo fieri, & adfirmare rogauerunt, vt nullo vnquam tempore de iam dicta causa, nec de illa morte, nec de ipsa leude, nullas calumnias, nec repetitiones, nec fatigationes, nec nos, nec vllus de hæredibus nostris, nec quælibet opposita persona agere, nec penetrare, nec repetere non debeamus. Quod qui attentauerit, & à nobis vel hæredibus nostris defensatum non fuerit, infetamus tibi vna cum socio fisco auri vncias tantas, argenti pondo tan. & præsens securitas omni tempore firma permaneat, stipulatione subnixa. Actum illo.

B

LII. *Donatio ad filios.*

LEx & consuetudo exposcit, vt quæcunque persona naturales filios habuerit, & alios plures non habuerit si eos in sua voluerit instituere hæreditate, qualiter voluerit, & suo penitus arbitrio faciendi hoc quod voluerit, liberam habeat potestatem, Ideoq; ego ille, dum non est incognitum, vt fœminam aliquam bene ingenuam ad coniugium sociaui vxorem, sed talis causa, vel tempora me oppresserunt, vt chartulam libelli dotis ad eam, sicut lex declarat, minime concessit facere, vnde ipsi filij mei secundum legem naturales appellantur, & filios in ea generaui, quibus baptismo nomen imposuimus illos & illas. Propterea volo, vt prædicti filij mei omne corpus facultatis meæ, in pago illo, in locis denominatis illis, in legitimam successionem debeatis adire & adprehendere,
C hoc est tam mansis, &c. vna cum superpositis domibus, ædificiis, vtriusque generis & sexus peculiis, mancipiis ibidem commanentibus, tam ibidem, quam & aliunde translatis, sicut dixi, quod nostra est possessio, & quod successione parentum nobis obuenit, tam de alode, quam de comparato vel de quolibet adtractu ad nos noscitur peruenisse; & à die præsente nostra est possessio, vel dominatio, cum omni iure & merito; omni re inexquisita quam quidem moriens dereliquero in vestram debeatis reuocare potestatem, & dominationem: & faciatis exinde iure proprietario quod volueritis, nullusque vos de omni hæreditate mea repudiare non debeat, nec facere possit, stipulatione subnixa.

LIII. *Mandatum.*

DVlcissimo amico meo illi, ego ille. Rogo atque iniungo charitati tuæ, vt eas ad vicem meam ad ciuitatem illam, ad illum defensorem, & illum pro-
D fessorem, vel curiam publicam ipsius ciuitatis, & hanc epistolam, quam ego in filios meos illos, vt totius hæreditatis meæ legitimæ successioni adhæreant, & legitimi filij mei sint, sicut in ipsius epistolæ textu continetur, conscribere ea gestis municipalibus, vt mos & lex est, alligare, atque firmare facias; ad prosecutionem celebratam, quod te rogo mihi rescribere pigre non graueris.

LIV. *Gesta.*

IN nomine Domini, Anno illo Domini nostri illius Regis, mense illo, gesta habita apud laudabilem virum illum defensorem, & illum professorem, vel curiam publicam illius ciuitatis, ille ait. Quæso vos optime defensor, vt mihi codices publicos patere iubeatis, quia habeo quædam prosequi, & quæ ge-

storum alligatione cupio roborari. Memorati defensor & ordo curiæ dixerunt: Patent tibi codices publici, prosequere quæ optas, ille dixit, Amicus meus ille mihi iniunxit per suum mandatum solenniter roboratum, ad laudabilitatem vestram accedere debere, & hanc epistolam, quam ipse, sicut lex declarat, in prædictos filios suos, pro eo quod in bene ingenua fœmina illa ipsos generauit, & tamen chartulam libelli dotis ei secundum legem non affirmauit, propterea iam dicti filij secundum legem naturales appellantur, ita antedicto patri eorum complacuit, vt ipsos secundum legem Romanam, in ipsa ciuitate, ante curiam publicam, debeat in legitima totius hæreditatis suæ instituere hæreditate, ita & fecit, dum inprolis fuerit, nec legitimos infantes habuerit, ipse in legitimam hæreditatem, vt legitimos filios, eos in omnes causas recepit; vt prædicta epistola iuxta morem & consuetudinem gestis municipalibus alligari, atque firmari debeat: supra scriptus defensor, vna cū suis curialibus instituerunt, & signaculis subterfirmauerunt. Et hæc gesta quomodo fuerunt conscripta, manu eorum roborata, ei visi sunt tradidisse; stipulatione subnixa. Actum.

LV. *Epistola.*

MAgnifico amico meo illi, ego ille. Cognoscas iuxta iniunctionem tuam, vt per tuum mandatum rogasti, me ad illam ciuitatem, ad illum defensorem vel curiam publicam ipsius ciuitatis accessisse, & hanc chartulam, qua infantes tuos, quod naturales essent, in legitimam hæreditatem secundum legem instituisti, sicut in ipsa continetur, gestis municipalibus, iuxta morem & consuetudinem alligasse atque firmasse cognoscas, & persecutione celebrata, quod me rogasti, rescribere vel prosequi pigritu non fuit.

LVI. *Gesta manumissionis.*

QVod secundum legem Romanam actum est nullatenus reuocetur. Itaque sub die illo, anno illo regni Domini nostri illius Regis, indictione illa, ille vir venerabilis ille diaconus testatur eis qui tabulis subscriptis manumittere in Ecclesia illa, vindictaque liberare famulum illum suum bene sibi meritum cupiunt, secundum constitutionem bonæ memoriæ Constantini faciant, legisque qua dicitur, vt omnes qui sub oculis Episcoporum, presbyterorum, seu diaconorum in Ecclesia manumittuntur, ad ciuitatem pertinere Romanam, & ab Ecclesia defensantur. * *Desunt hic quædam videlicet quæ ad gesta manumissionis pertinent,* ea tamen conditione, vt eat vbique, quam voluerit partem pergat, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus, vel procreatus, & nulli hæredum ac prohæredum eorum minime quicquam debeat seruitutis, nec libertinitatis gratia, nec patronatus obsequij, sed sicut dixi, sub integra & legitima ingenuitate debeat permanere ingenuus atque securus, & semper ad ciuitatem pertineat Romanam: Testamentum etiam faciendi liberam in omnibus habeat potestatem.

LVII. *Traditoria.*

NOtitia traditionalis, qualiter & quibus præsentibus venit homo aliquis nomine ille, ad illum mansum, quem ante hos dies per chartulam venditionis ad filium suum affirmauit, per herbam & terram visus fuit tradidisse vel consignasse, & exitum inde fecisse. His præsentibus.

LVIII. *obnoxiatio.*

DOmino meo semper, ego enim ille. Dum non est incognitum, qualiter instigante parte aduersa, mihi cōtigit, quod caballum ad hominem aliquem nomine illum subduxi, vnde & pro furto victus apparui, & vitæ periculum exinde incurrere potueram, & ego non habeo vnde ipsum facinus, vel furtum emendare, vel satisfacere debeam, propterea expetij vos, & habuit pietas & dignatio vestra, &c. *plura in M S. non erant.*

FORMVLÆ VETERES secundum legem Romanam.

INCIPIVNT CAPITVLA FORMVlarum veterum secundum legem Romanam.

EXPLICIVNT CAPITVLA.

Cap. I. *Donatio Ecclesiæ.*

Mundi terminum adpropinquantem ruinis crebrescentibus, iam certa signa manifestant. Idcirco ego in Dei nomine ille, considerans grauitudinem peccatorum meorum & reminiscens bonitatem Dei dicentem, *Date eleemosynam & omnia munda fient vobis.*

Item alio modo.

SI aliquid de rebus nostris, locis sanctorum, vel in substantia pauperum conferimus, hoc nobis procul dubio in æterna beatitudine retribui confidimus. Ego quidem de tanta misericordia, & pietate Domini confisus, per hanc epistolam donationis, dono donatumque in perpetuum esse volo ad Basilicam sancti Martini, vbi ipse pretioso corpore requiescit, vel omni congregationi ibidem consistenti, cui venerabilis vir ille Abbas præesse videtur, villam iuris mei nuncupantem illam, sitam illo, in condita illa, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omnibus appenditiis, suisque adjacentiis, sicut à me præsenti tempore videtur esse possessum, totum & ad integram de iure meo, in vestrum vel S. Martini, iure proprietario trado, atque transfundo. Ea vero ratione, vt quamdiu aduixero, sub beneficij vestri, absque vllo præiudicio, vel diminutione aliqua prædictas res tenere & vsurpare debeam: & post meum quoque discessum, quicquid in iam dicta villa, vel in finibus suis additum, adtractum, melioratum, repertumque fuerit, & transitus meus ibidem dereliquerit, cum omni supraposito, rectores ipsius Ecclesiæ, agentesque illius, absque vllius expectata traditione, vel iudicum consignatione, in nostra eleemosyna, vel substantia monachorũ ibidem vitam degentium, Christo protegente, tanquam si ad præsens, absque vsu nostro eorum fuisset obsecuta possessio, in eorum faciant reuocare potestatem vel dominationem. Ita vt quicquid exinde pro opportunitate monasterij facere decreuerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem. Et si fuerit vlla quælibet persona, quæ præter istum alterum instrumentum exinde præsentauerit, aut anterius, aut posterius, quod nos nec fecimus, nec facere rogauimus, nullum sortiatur effectum, nisi vacuum & inane permaneat. Auctorem vero criminis, vel falsarium iudiciaria potestas condemnet. Et si fuerit, aut ego ipse, aut vllus de hæredibus meis, vel quælibet persona, quæ contra hanc donationem aliquid refragare, vel calumniam generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit sol. L. cõponat, & hæc donatio cum stipulatione subnixa illibata permaneat.

II. *Mandatum.*

MAgnifico fratri illi, ego ille, filius illius, rogo, supplico, atque tuæ charitati iniungo, vt ad vicem meam ciuitatem illam adeas, & donationem illam, quam ego partibus illius de locis nostris, nuncupantibus illis, sitis in pago illo, per mea legitima instrumenta, gestis municipalibus cum curia publica, & defensore facias alligare, vel prosequere, & de ipsa prosecutione me reddas certiorem. Et quicquid exinde egeris, gesserisve, ratum à me in omnibus esse cognoscas. Quod mandatum, vt pleniorem obtineat vigorem, manu propria subterfirmaui, & bonorum virorum manibus roborandum decreui.

III. *Gesta.*

CVm conuentus, Turonus ciuitate adfuisset, adstante venerabili viro illo defensore, vna cum honoratis principalibus suis, venerabilis vir ille dixit, Rogo te venerabilis vir ille defensor, vt mihi codices publicos patere iubeatis, quia illuster vir ille per hoc mandatum ad me spetauit, vt donationem illam, quã de rebus suis proprietatiis, de locis nuncupantibus illis, sitis in pago illo, partibus illius per sua legitima instrumenta confirmauit, gestis municipalibus cum curia publica, & defensore prosequi, & alligare deberem. Ecce ipsam donationem, iubete iam recitari: Venerabilis ille defensor, & ordo curiæ dixerunt, Codices publici te patefaciant: & ille amanuensis hanc donationem accipiat, vel recitetur. Qui statim accipiens, per ordinem eam recitauit. Iam dictus prosecutor dixit: Et quia petitiones meas laudabilitas vestra per ordinem implere dignata est, rogo vt publica monumenta suscipiat. Et patefactis codicibus, gesta cum à vobis fuerint subscripta, nobilitas vestra, vt mos est, tradi præcipiat. Venerabilis vir ille defensor, & ordo curiæ dixerunt, Gesta cum à nobis fuerint suscripta, & à venerabili viro illo amanuense edita, tibi tradantur ex more, vt facilius quod superius insertum est, diuturno tempore maneat inconuulsum.

IV. *Cessio.*

LAtores legum sanxerunt, vt quicquid vnusquisque alteri cesserit, profiteatur se tantum rem cessisse, vel concedere, & sola voluntas illius, aut scriptura, aut testibus comprobata pro omni firmitate sufficiat. Igitur ego in Dei nomine ille, fideli nostro illi: cedo tibi, à die præsente cessumque in perpetuum esse volo, hoc est villam iuris nostri nuncupantem illam, sitam in pago illo, in condita illa, cum terris, ædificiis, accolabus, mancipiis, libertis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omnibus appenditiis, suisq; adjacentijs, cum omni supraposito, vel quicquid in iam dicto loco à die præsente tenere & possidere videor. Ita vt quicquid exinde facere volueris, iure proprietario, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem, quia malo hoc te habere quam me, plus me quam cæteros hæredes meos. Et si fuerit, aut ego ipse, aut vllus de hæredibus meis, vel quælibet persona, quæ contra hanc cessionem aliquid refragare, vel calumniam generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solutio tantos componat. Et hæc cessio meis, vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione subnixa, diuturno tempore maneat inconuulsa.

V. *Venditio.*

MAgnifico fratri illi, ego ille. Constat me tibi vendidisse, & ita vendidi, rem proprietatis meæ, sitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum terris, ædificijs, accolabus, mancipijs, libertis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, totum & ad integrum cum omnibus appenditijs suis, vel omni supraposito, sicut à me præsenti tempore videtur esse possessum, de iure meo in tua trado potestate, vel dominatione: vnde accepi à te pretium, in quod mihi bene complacuit, illis præsentibus qui subtus tenentur inserti, valens solidos tantos. Ita vt ab hodierna die, quicquid exinde facere volueris, liberam habeas potestatem. Et si fuerit, aut ego ipse, aut vllus de hæredibus meis, vel quælibet persona, quæ con-

tra hanc venditionem aliquam calumniam, vel repetitionem generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit, solidos tantos componat, & hæc venditio firma permaneat.

VI. *Obligatio.*

DOmino venerabili illi, Ego in Dei nomine ille. Dum & omnibus habetur percognitum, qualiter vestro accepto pretio, rem proprietatis meæ sitã in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni integritate, vel quicquid à me præsenti tempore inibi fuit possessum, vobis per venditionis titulum distraxi. Sed postea mea fuit petitio, & vestra decreuit voluntas, vt mihi ipsam rem vsufructuario ordine conseruare iuberetis: quod ita & fecistis. Et ego pro huius merito beneficij, obligo vobis rem proprietatis meæ, sitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni integritate, vel quicquid ibidem præsenti tempore à me videtur esse possessum. Ea vero ratione, vt quandiu in caput aduixero, vtrisque partibus sub vestro prætextu tenere & vsurpare debeam, & mihi exinde non liceat aliubi nec vendere, nec donare, nec in nullo modo distrahere, nec ipsos vsus in alterius manus transferre. Sed post meum quoque discessum absque vllius expectata traditione, vel iudicum consignatione, absque diminutione rerum, vel mancipiorum, cum omni suprapositо, vel quicquid ad ipsa loca aspicere, vel pertinere videtur vos hæredesque vestri, vel cui à vobis permissum fuerit in eorum faciant reuocare potestatem vel dominationem: Et si fuerit aut ego ipse, aut vllus de hæredibus meis, vel qualibet persona, quæ contra has obligationes aliquam calumniam, vel repetitionem, aut contemptum generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos CC. componat. Et hæ obligationes vno tenore conscriptæ firmæ permaneant.

VII. *Precaria.*

DOmino venerabili illi rectori Ecclesiæ illius, vel omni congregationi ibidẽ consistenti. Ego enim ille ad meam petitionem vestra decreuit voluntas, vt mihi villam vestram, sitam in pago illo, in condita illa, in loco nuncupante illo, cum omni merito ad se pertinente vel aspiciente, vsufructuario ordine mihi conseruare iuberetis, quod ita & fecistis. Ea vero ratione vt mihi exinde non liceat aliubi, nec vendere, nec donare, nec in nullo modo distrahere; sed sub vestro prætextu, quatenus vestrum decretum manserit hoc tenere & vsurpare faciam. Vnde censum me annis singulis ad festiuitatem ipsius sancti partibus vestris reddere argentum tantum. Et post meum quoque discessum suprascriptam rem, cum omni integritate & soliditate sua, quicquid ibidem aspicere vel pertinere videtur, cum omni suprapositо; vel quicquid ibidem transitus meus dereliquerit, absque vllius expectata traditione, vel iudicum consignatione, aut hæredum meorum repetitione, vos agentesque ipsius Ecclesiæ in eorum faciant reuocare potestatem, vel dominationem. Et si fuerit aut ego ipse, aut vllus de hæredibus meis, vel qualibet persona, quæ contra hanc precariam aliquam calumniam vel repetitionem, aut cõtemptum generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit solidos C. componat. Et hæc precaria, quamuis per diuersorum annorum curricula à me fuisset possessa, nullum præiudicium vobis præparetur, sed ita firma permaneat, quasi per quinquennium fuerit renouata, cum stipulatione subnixa, omnique tempore inuiolata permaneat.

VIII. *Item venditio.*

MAgnifico fratri ego ille. Constat me tibi vendidisse, & ita vendidi infra terminum sancti illius, in loco nuncupante illo, campum, vel vineam, iuris mei, habentem aripennos tantos. Est quidem de vno latere & fronte terra illius, de alio latere & fronte terra illius: vnde accepi à te pretium, in quod mihi bene complacuit valens sol. tantos, ita vt ab hodierna die quicquid de supradicta re facere volueris, liberam habeas potestatem, saluo iure ipsius sancti. Et si fuerit, aut ego ipse aut vllus de hæredibus meis, vel quælibet persona, quæ contra hanc venditionem aliquam calumniam, vel repetitionem generare præsumpserit, contra cui litem intulerit sol. xv. componat, & hæc venditio firma permaneat.

IX. *Venditio de seruo.*

MAgnifico fratri illi, ego ille. Constat me tibi vendidisse, & ita vendidi seruum iuris mei nomine illum, non furem, non fugitiuum, sed sano corpore bonisque moribus constructum. Vnde accepi à te pretium, in quod mihi bene complacuit, valens sol. tantos. Ita vt ab hodierna die, quicquid de supradicto seruo facere volueris, liberam habeas potestatem. Et si fuerit, aut ego ipse, aut vllus de hæredibus meis, vel quælibet persona quæ contra hanc venditionem aliquam calumniam vel repetitionem generare præsumpserit, contra cui litem intulerit sol. 60. componat, & hæc venditio firma permaneat.

X. *Venditio de semetipso, qualiter homo liber venundetur.*

DOmino semper meo illi, ego ille. Placuit mihi vt statum ingenuitatis meæ in vestrum deberem obnoxiare seruitium: quod ita & feci. Vnde accepi à te pretium, in quod mihi bene complacuit sol. tantos, ita vt ab hodierna die, quicquid de me seruo tuo, sicut & de reliquis mancipijs tuis facere volueris, à die præsente liberam habeas potestatem. Et quod fieri non credo, si fuerit vlla quælibet persona, quæ contra hanc venditionem, quam ego mea spontanea voluntate fieri rogaui, aut qui contra eam aliquid agere, vel calumniam generare conauerit, illud quod repetit non vindicet, & contra cui litem intulerit, auri libram vnam, argenti pondo quinque coactus exsoluat, & hæc venditio firma permaneat.

XI. *Epistola collectionis.*

NOs quoque in Dei nomine matricularij sancti illius, dum matutinis horis ad ostia ipsius Ecclesiæ obseruanda conuenissemus, ibique infantulum sanguinolentum, periculo mortis imminentem, pannis inuolutum inuenimus, & ipsum per triduum, seu amplius apud plures homines inquisiuimus, quis suũ esse diceret, & non inuenimus: cui nomen ipsum imposuimus. Sed postea pietate interueniente, & Domini misericordia opitulante ipsum infantulum homini aliquo, nomine illo ad nutriendum dedimus, vt si Deo præsule conualuerit, ipsum in suis seruitiis ac solatiis secundum legis ordinem retineat. Pro quo pretium accepimus, in quod nobis bene complacuit, valens sol. tantos. Et vt præsens epistola firmior sit, manibus proprijs eam subterfirmauimus, & bonis hominibus roborandam decreuimus, secundum sententiam illam, quæ data est ex corpore Theodosiani libri quinti, dicentem. *Si quis infantem à sanguine emerit; si nutritum dominus, vel pater eum accipere voluerit, aut eiusdem meriti mancipium, aut pretium nutritor quantum valuerit consequatur.*

XII.

XII. *Ingenuitas.* A

QVi debitum sibi nexum relaxat seruitium, in futuro apud Dominum sibi retribui confidat. Igitur ego in Dei nomine ille pro remedio animæ meæ, vel æterna retributione, seruum juris mei nomine illũ ingenuum esse præcipio, & in sacrosancta Ecclesia beatissimi sancti illius, sub præsentia sacerdotum ibidem consistentium, ante cornu altaris ab omni vinculo seruitutis eum absoluo, ita vt deinceps, tanquam si ab ingenuis parentibus fuisset natus, vel procreatus, eat, pergat partem quam maluerit, & sicut alij ciues Romani vitam ducat ingenuam. Et si aliqua procreatio filiorum vel filiarum ex ipso orta fuerit, similiter viuat ingenua, & nulli hæredum meorũ, nec cuicumque alij personæ quicquam debeat seruitutis, nec libertinitatis obsequium, nisi soli Deo cui omnia subjecta sunt, vel pro cujus amore ipsum deuotus obtuli: patrocinium, & defensionem cuicumque se elegerit, B in omnibus illius perfruatur arbitrio. Si quis vero quod futurum esse non credo, si fuerit aliquis ex hæredibus meis, vel quælibet persona, quæ contra hanc ingenuitatem venire, aut eam refragare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit sol. 60. componat, & præsens ingenuitas meis, vel bonorum hominum manibus roborata cum stipulatione subnixa, omnique tempore maneat inconuulsa.

XIII. *Cautio.*

MAgnifico fratri illi, ego ille. Ad meam petitionem vestra decreuit voluntas, vt mihi beneficium de rebus vestris illis inter annos tantos facere deberetis: quod ita & fecistis. Et ego pro huius merito beneficij oppignero vobis locellum rem proprietatis meæ nuncupantem illum, situm in pago illo, cum C omni sua integritate vel soliditate. Ea vero ratione vt quomodo iam dicti anni adimpleti fuerint, & fructus ipsius terræ per quinque annos tantum exinde collegeris, ego supradictam debitum tum tibi desoluam, & res meas, vna cum cautione mea manibus tuis recipiam. Et si negligens aut tardus exinde apparuero, suprascriptum debitum in duplum, patribus tuis sim redditurus.

XIV. *Donatio in sponsa facta.*

LEx & consuetudo exposcit, vt quicquid inter sponsum, & sponsam de futuris nuptijs fuerit definitum, vel largitum, aut ex consensu parentum, aut ipsorum, si sui iuris sunt, scripturarum solennitate firmetur. Idcirco ego in Dei nomine ille, dum multis habetur percognitum, quod ego te illam, vna cum cõsensu parentum, vel amicorum nostrorum tua sponta- D nea voluntate sponsaui, mihi placuit, vt aliquid de rebus meis per hunc titulum libelli dotis ante dies nuptiarum tibi confirmare deberem, quod ita & feci. Ergo dono tibi donatumque esse volo, locellum, rem proprietatis meæ nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, ædificijs, accolabus, mancipijs, libertis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omni suprapposito suisque adjacentijs, tam de alode quam de comparato, seu de quolibet adtractu, totum & ad integrum, sicut à me præsenti tempore videtur esse possessum, & in fabricaturis aurum tantum, argentum tantum, vestimenta, Hæc omnia superius jam dicta, per hunc titulum libelli dotis diebus nuptiarum, tibi sum impleturus vel traditurus, ita vt dum aduixeris secundum legis ordinem teneas, atque possideas, nostrisque quæ nobis procreati fuerint filijs, vel filiabus dere-

A linquas. Si quis vero, si ego ipse aut vlla quælibet persona fuerit, quæ contra hanc donationem aliquid agere, vel calumniam generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit sol. C. componat: Et hæc donatio meis, vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione subnixa firma permaneat.

XV. *Traditio.*

DVm multis habetur percognitum, qualiter ego ille puellam aliquam, nomine illam, vna cum consensu parentum vel amicorum nostrorum legibus sponsaui, & aliquid de rebus meis ei donare ante dies nuptiarum disposui, ideo placuit mihi, vt de ipsis rebus, misso ipsius puellæ, nomine illo, traditionem vel introductionem locorum secundum legem Romanam facere deberem, quod ita & feci. Ergo trado ei & tradidisse me constat, locellum rem proprietatis B meæ nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, ædificijs, accolabus, mancipijs, *vel cætera quæ sequuntur*, aurum, argentum, vestimenta. Hæc omnia superius iam dicta ad vicem sponsæ meæ tibi trado, ita vt tempore nuptiarum ad iam dictæ sponsæ deueniat potestatem; ita vt secundum legis ordinem teneat atque possideat. Et si contra hanc traditionem aliquid refragauero, partibus ipsius puellæ sol. tantos componam. Et hæc traditio firma permaneat.

XVI. *Charta in puellam facta ab eo qui illam inuitam traxerit.*

VIuentibus patribus inter filiosfamilias sine voluntate eorum matrimonia non legitime copulantur, sed contracta non soluuntur. Idcirco ego in Dei nomine ille, dulcissima conjux mea illa, dum & te sine voluntate parentum tuorum rapto scelere in meo C sociaui conjugio, vnde vitæ periculum incurrere debui, sed interuenientibus sacerdotibus, vel bonis hominibus vitam obtinui. Ideo placuit mihi vt per hanc epistolam compositionalem, aut si conuenit cessionem, aliquid de rebus meis tibi confirmare deberem, quod ita & feci, Hoc est locellum nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, ædificijs, accolabus, mancipijs, libertis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omni suprapposito suisque adjacentijs, vel omni integritate, quicquid inibi præsenti tempore mea videtur esse possessio, de iure meo in tua trado potestate, vel dominatione. Ita vt quicquid exinde à die præsente facere volueris, liberam ac firmissimam in omnibus habeas potestatem. Etsi fuerit, aut ego ipse, aut vlla quælibet persona, quæ contra hanc epistolam refragationem aliquam, aut calumniam generare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & D insuper contra cui litem intulerit sol. tantos componat, & hæc epistola firma permaneat.

XVII. *Donatio inter virum & vxorem quæ gestis sit alligata.*

QVicquid enim inter conjugatos de propria facultate, ob amorem dilectionis inuicem condonare placuerit, scripturarum necesse est titulis alligari, ne in posterum ab hæredibus eorum possit conuelli; quia secundum legem, si manente conjugio vir vxori, vel vxor marito aliquid donauerit, si is cui donatum est prior mortuus fuerit, apud donatorem ea quæ donata fuerant remanebunt. Igitur ego in Dei nomine ille, dulcissima conjux mea illa, si prius mortuus fuero, quam tu, dono tibi per hanc epistolam donationis, donatumq; in perpetuum esse volo, tres partes de omni re facultatis meæ, quantumcumq;

in pago illo, in villis nuncupantibus illis habere visus sum. Hoc est tam terris, ædificijs, accolabus, mancipijs, libertis, vineis, sylvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, aurum tantum, argentum tantum, æramentum in sol. tantos; Hæc omnia cum omnibus appendiτijs, suisque adjacentijs, vel cum omni supraposito, tibi dono atque transfundo: quartam vero legitimis hæredibus meis reseruo, quia malo hoc habere te quam me, plus te quam cæteros hæredes meos. Similiter ego in Dei nomine illa dulcissimo jugali meo illi, si prior mortua fuero, quam tu, dono tibi per hanc epistolam donationis, *sequitur supradictus textus.*. Si quis vero, quod fieri non credimus, si fuerit vllus de hæredibus nostris, vel qualibet persona, quæ contra has epistolas vno tenore cõscriptas, quas inter nos fieri rogauimus, aliquid agere, vel refragare conauerit, illud quod repetit non vindicet, Et insuper contra cui litem intulerit sol. tantos coactus exsoluat. Et hæ epistolæ contulitionis, cum stipulatione Aquiliana, nostris vel bonorum hominum manibus roboratæ, firmæ permaneant.

A

B

XVIII. *Item alio modo.*

IGitur ego in Dei nomine ille, dulcissimæ conjugi meæ illi, dono tibi per hanc epistolam contulitionis, donatumque esse volo locellum rem proprietatis meæ nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, ædificijs, accolabus, mancipijs, libertis, vineis, sylvis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omnibus appendiτijs suis, vel omni supraposito, quicquid inibi præsenti tempore mea videtur esse possessio. Ea vero ratione, vt si tu mihi superstes fueris, vsufructuario ordine, hæc omnia absque repetitione hæredum meorum tenere & possidere debeas. Et post tuum quoque discessum, cum omni re meliorata, vel supraposito, ad legitimos filios nostros, qui ex nobis procreati fuerint reuertantur. Similiter ego in Dei nomine illa dulcissimo jugali meo, *sequitur supradictum textum.* Et illud inter nos inserere placuit, vt si fuerit vllus de hæredibus nostris, vel qualibet persona quæ contra has duas contulitiones, vno tenore conscriptas, aliquid agere, vel refragare præsumpserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit, sol. tantos componat: & hæ contulitiones nostris vel bonorum hominum manibus roboratæ, cum stipulatione subnixa firmæ permaneant.

C

XIX. *Libellus repudij.*

CErtis rebus & probatis causis, inter maritum & vxorem repudiandi locus patet. Idcirco quia inter illum & conjugem suam illam non charitas secundum Deum, sed discordia regnat, & illorum nulla est voluntas pariter conuersandi, placuit vtrisque voluntatibus, vt se à consortio conjugali separare deberent: quod ita & fecerunt. Propterea has epistolas, vno tenore conscriptas, inter se fieri & adfirmare decreuerunt: Vt quicquid vnus quisque ex ipsis de semetipso facere voluerit, absque repetitione socij sui, liberam habeat potestatem, & nullam requisitionem neque ipsius in caput, neque vlla qualibet persona, exinde habere pertimescat. Quod qui contra parem suum, vel contra alium quemcumque hominem, vllam repetitionem exinde facere conauerit, partibus illius contra cui litem intulerit sol. tantos componat & sua repetitio nullum obtineat effectum; sed vnus quis ex ipsis, per hunc libellum repudij eorum manibus roboratum, omnique tempore, quieti valeant residere.

D

XX. *Mandatum qualiter maritus negotium vxoris prosequatur.*

DVm & humana prodit vtilitas, & lex Romana exposcit, vt quicumque vxoris suæ negotium fuerit prosecutus, quamuis maritus sit, nihil aliud agat, nisi quod ei agendum per mandatum illa commiserit. Igitur ego in Dei nomine illa, filia illius, tibi dulcissimo jugali meo illi, Dum me simplicitas dominatur, quod minime res vel causas meas valeo exercere, te in omnibus rebus vel causis meis, instituo dominum, procuratorem & auctorem: ita vt quicquid exinde egeris, gesserisve ratum, vel definitum à me in omnibus esse cognoscas, quia malo hoc habere te, quam me, plus te quam cæteros hæredes meos. Et adhuc mihi inserere placuit, vt hoc mandatum ad ciuitatem illam, cum curia publica, vt mos est, gestis municipalibus facias alligari. Et vt nostra voluntas æuis temporibus firmius perduret, manu propria subterfirmaui, & bonorum virorum roborandum decreui.

XXI. *Charta qualiter pater filium, vel nepotem de rebus suis meliorare potest.*

QVicquid pater vnumquemque ex filijs vel nepotibus habere voluerit, hoc sibi secundum legis ordinem, sine consortis repetitione defendat: nec præsumat aliquis contra voluntatem patris agere. Igitur ego in Dei nomine ille, dulcissimo filio vel nepoti meo illi. Cedo tibi, cessumque in perpetuum esse volo, & de meo iure in tuam trado dominationem, absque consortio fratrum tuorum, vel filiorum meorum villam in loco nuncupante illo, cum terris, domibus, accolabus, mancipijs, libertinis, vineis, sylvis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omni supraposito, suisque adjacentijs, vel quicquid inibi præsenti tempore mea videtur esse possessio, totum & ad integrum, à die præsente tibi volo esse concessum atque indultum; Ita vt quicquid exinde facere volueris, liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem. Si quis vero, &c.

XXII. *Epistola qualiter nepotes in loco filiorum instituuntur ab auo.*

QVicquid filiis, vel nepotibus de facultate patris cognoscitur ordinasse voluntatem eius, in omnibus lex Romana constringit adimplere. Ideoque ego in Dei nomine ille, dulcissimis nepotibus meis illis. Dum peccatis meis facientibus, filia mea genitrix vestra tempus naturæ suæ compleuit, & ego pensans consanguinitatis causam, dum & per legem cum filiis meis, auunculis vestris, in alode meo ad integrũ minime succedere poteratis, ideo per hanc epistolam firmitatis volo, vt in omni alode meo, post meum discessum, si mihi superstites fueritis, quicquid moriens dereliquero, sicut supradicta genitrix vestra, si mihi superstes fuisset, ita & vos cum auunculis vestris succedere faciatis. Ea vero ratione, vt quicquid tempore nuptiarum ei tradidi, vel dedi, hoc in partem vestram recipiatis, & si amplius insuper de rebus nostris obuenerit, tunc cum filiis meis matris vestræ portionem recipias: ita vt quicquid exinde facere volueritis liberam habeatis potestatem. Si quis vero fuerit, *& reliqua.*

XXIII. *Epistola qualiter extraneus homo in loco filii adoptetur.*

EGo enim in Dei nomine ille. Dum peccatis meis facientibus orbatus sum à filiis, mihi placuit, vt

illum vna cum consensu patris sui, in ciuitate illa, cum curia publica, de potestate patris naturalis discedentem & in meam potestatem venientem in loco filiorum adoptarem: quod ita & feci. Ea vero ratione, vt quandiu aduixero, fideliter mihi præstet solatium, vel adjutorium, & omnes res meas diligenter excolat; & post obitum quoque meum, sicut à me genitus fuisset; ita in omni hæreditate mea per hanc epistolam adoptionis sit successurus; vel quicquid de supradictis rebus meis, quantumcumque moriens dereliquero, facere voluerit, iure proprietatio, absque repetitione hæredum meorum, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et illud mihi inserere placuit, vt si fuerit vllus ex hæredibus meis, vel quælibet persona, quæ contra hanc epistolam adoptionis, aliquid contra te, aut contra eum, cui tu ipsas res dereliqueris calumniator, aut repetitor accesserit, illud quod repetit non vindicet, & insuper contra cui litem intulerit sol. tantos componat; & hæc adoptatio gestis alligata, firma permaneat.

XXIV. *Epistola qualiter tutores publice recipiantur.*

LEx Romana constringit, vt qui tutores noluerint esse paruulorum; si forte cesserit luctuosa hæreditas, ab ipsa habeantur extranei. Propterea ego in Dei nomine ille, Iudex prouinciæ illius; Dum & omnibus habetur percognitum, qualiter parentes istius præsentis orfanuli, nomine illo, ab hac luce discesserunt, & testamentarium tutorem ei non dimiserunt, & minime suas procurare potest necessitates; ideo vna cum consensu primatum ciuitatis, conuenit nobis, vt istius patruo, vna cum omnibus bonis suis, facto conscripto rerum inuentarum, ei sub officium tutoris commendare deberemus; quod ita & fecimus. Ea vero ratione, vt per nullam occasionem supradicti pupilli hæreditas, quicquid in pago illo, in villis nuncupantibus illis videtur habere, non minuatur: sed ipsas res, vel mancipia, atque omnem suam substantiam diligenter excolat, & ipsum pupillum exinde nutrire, vel ministrare faciat. Et si Deo propitio in perfectam venerit ætatem, omnia ei secundum legis ordinem cum integritate seruata reddantur. Vnde conuenit nobis, vt duas epistolas vno tenore conscriptas, exinde conscribere, vel adfirmare deberemus: quod ita & fecimus. Vnam quidem iam dictus patruus suus secum retineat, alteram vero aliquis homo, nomine ille, de manu nostra, vel iam dicti pupilli, suscipiat, vt futuris temporibus, Deo auxiliante, sub restificatione bonorum virorum, qui subter tenentur inserti, per ipsam cum omni integritate omnia sua exigere debeat.

XXV. *Pactum inter parentes.*

CHaritatis studium & dilectionis affectus inter propinquos decet, vt quicquid de rebus eorum inter se diuiserint, scripturarum serie alligetur, secundum Romanam legem ordinantem, vt quicumque in ætate perfecta pactionem, vel definitionem per scripturam fecerit, & hoc quod fecit implere neglexerit, aut contra eam ire præsumpserit, infamis vocetur, & ipsam causam agere non permittatur, atque pœnam statutam cogatur exsoluere. Igitur placuit atque conuenit inter illum, & germanum suum illum, vt hæreditatem paternam atque maternam inter se diuidere, vel exæquare deberent, quod ita & fecerunt. Accepit itaque ille in portione sua villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, cum terris, ædificijs, accolabus, mancipijs, *vel cætera quæ sequuntur.* Similiter contra, accepit ille, in compensationem portionis suæ, villas nuncupantes illas, sitas in pago illo, cum terris, ædificijs, accolabus, mancipijs, *vel cætera quæ sequuntur.* Hæc quidem omnia vnanimiter consentientes, pars parti tradidisse, vel consignasse cognoscite, ita vt quicquid post hunc diem vnusquisque de hoc quod accepit facere voluerit, absque nostris repetitionibus liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et si aliquando aliquis ex nobis, aut hæredibus nostris contra has epistolas aliquid agere, vel refragare præsumpserit, eius repetitio nullum obtineat effectum, & insuper contra cui litem intulerit sol. tantos componat, & præsens pactio vel definitio, cum stipulatione subnixa firma permaneat.

XXVI. *Commutatio.*

INter quos charitas illibata permanserit, à parte parti beneficia opportuna præstantur. Ideoque placuit atque conuenit, inter illustrem virum illum, & illum, vt loca aliqua inter se cõmutare deberent, quod ita & fecerunt. Dedit igitur vir ille, partibus illius, locellum nuncupantem illum, situm in pago illo, cum terris, domibus, ædificijs, accolabus, mancipijs, libertinis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquarumve decursibus, mobilibus & immobilibus, cum omnibus appendītijs suisque adjacentijs, vel omni suprapposito, totum & ad integrum, de iure meo, sicut præsenti tempore à me videtur esse possessum, in tuam trado potestatem, vel dominationem. Similiter in compensationem huius meriti, dedit iam dictus ille, partibus illius, alium locellum nuncupantem illum: situm in pago illo, *vel cætera quæ sequuntur:* ita vt ab hac die vnusquis de hoc quod accepit facere voluerit, iure proprietario, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem. Et illud inter nos inserere placuit, vt si vllus ex nobis, hæredibus successoribusque fuerit, qui hoc immutare, vel refragare tentauerit, rem quam accepit amittat, & insuper contra cui litem intulerit sol. tantos componat, & sua repetitio nullum obtineat effectum. Et hæ commutationes vno tenore conscriptæ omnique tempore maneant inconuulsæ.

XXVII. *Confirmatio Regis, vel inspecta ista, cuiuscumque principis, in eo qui ab hostibus est deprædatus, vel ab igne concrematus.*

MErito largitate Regis, & munere subleuantur, qui ab hostibus vel incendio passi sunt damna vel violentiam. Igitur fidelis noster ille, clementiæ regni nostri suggessit, eo quod ante hos annos exercitus noster, aut illius Regis, vel per negligentiam alicuius hominis in loco nuncupante illo, domus suæ, vel res quamplures vna cum instrumentis chartarum, tam quod Regio munere perceperat, quam & de diuersis partibus per venditiones, donationes, cessiones, commutationes, adtraxerat, vel quicquid in pago illo, vel locis nuncupantibus illis possederat, incendio fuisset crematum: vnde relationem sub testificatione bonorum hominum cognouimus recensendam, omnes res suas, vel instrumenta chartarum, perisse, vel sibi sicut nobis suggessit, damna sustinuisse. Præcipientes ergo iubemus, vt quicquid memoratus ille, sicut vsque nunc tam de terris, domibus, accolabus, mancipijs, libertinis, vineis, pratis, syluis, aquis, aquarumque decursibus, vel reliquis quibuscumque beneficijs, vsque ad præsens cum æquitatis ordine quietus possedit, ita & deinceps in iure & dominatione eius permaneat. Et per hoc præceptum, plenius in Dei nomine circa eum suffultum, atque confirmatum, absque vllius inquietudine, teneat & possideat, suisque posteris, aut cuicumque voluerit ad possidendum derelinquat. Quam vero auctoritatem propria manu subter roborare decreuimus.

XXVIII. *Item Apennis.*

CONsuetudine huius loci, vel etiam legis terrenæ iustitiæ, constat esse prospectum, vt quicumque ab incendijs, vel hostibus, seu à latronibus fuerit perpessus dispendium, oportet hoc casu in foro publico vel ciuitate, cum curia publica & defensore, vel reliquis ciuibus publicare. Idcirco non habetur percognitum, qualiter homo nomine ille, per timorem illius qui Turonus ciuitatem anno præsente hostiliter venit, & multa mala ibidem perpetrauit, instrumenta sua de locis denominatis illis, vel de diuersis facultatibus suis, subtus terram in villa illa misit, & ibidem cõputruerunt & perierunt. Propterea ei necesse fuit, vt vna cum notitia pagensium, qui hoc cognitum bene habebant, Turonus ciuitate apennem exinde deberent adfirmare; vt quantumcumque per ipsa instrumenta, tam in terris, quam in mancipijs, seu & reliquis rebus, sicut vsque nunc quieto ordine tenuit & possedit, ita & admodum liceat inantea ipsas res quiete tenere & possidere, & cui voluerit, Christo auxiliante, derelinquere. Vnde conuenit, vt duæ epistolæ, vno tenore conscriptæ, exinde fieri vel adfirmari deberent, vt vna in foro publico in ipsa ciuitate sit adfixa, aliam vero ipse secum pro cautela & temporibus futuris apud se retineat, vt si ei inantea necesse fuerit, in præsentia Regis, aut Principis loci sit proferenda.

XXIX. *Editio legibus comprehensa.*

LEx Romana pro vtilitate humani generis exposcit, vt si quando cuiuscumque iniusta appellatio comprobatur, sumptus quos post appellationem aduersarium suum accusator compulit sustinere, non in simplum ei, sed in quadruplum ab accusatore cogatur restitui. Igitur ego in Dei nomine ille, dum non est incognitum, qualiter apud te homo ille, nomine illo, in rationes publicas, ante illustrem virum illum, vel reliquos viros, qui subter tenentur inserti, Turonus ciuitatem adstiti, de aliquibus locellis, nuncupantibus illis, sitis in pago illo, qui mihi per legitimam successionem sunt debiti, & tu præsenti ordine, malo ordine eos possidere videris. Vnde apud me in responsum introire noluisti, nisi, sicut lex edocet, tibi inscriptionem de sumptibus & expensis confirmassem. Ideo placuit mihi, vt hanc editionem in te adfirmare deberem, quod ita & feci: vt si apud me de ipsis rebus in rationes, vel in iudicium introieris, & ipsa causa inter nos legibus definita fuerit, & mea iniusta fuerit accusatio comprobata, de eadem causatione, omnique tempore quietus resideas, & sumptus, vel expensas superius nominatas, quas pro necessitatibus tuis me compellente visus es expendisse, secundum legis ordinem, transacto litis tempore partibus tuis cogar restitui. Et pro rei totius firmitate hanc editionem manu propria subterfirmaui, & bonorum virorum roborandam decreui. *Et si de homicidio accusatio processerit, secundum hanc sententiam inscriptio celebretur.* Quicumque alium de homicidij crimine periculosa, vel capitali objectione pulsauerit, non prius à iudicibus audiatur, quam se similem pœnam quam reo intendit conscripserit subiturum. Et si seruum alienum accusandum esse crediderit, se simili inscriptione constringat in futurum, vt supplicia innocentium seruorum, aut pœna capitis sui, aut facultatum, amissione compenset.

XXX. *Relatio cum iudicio.*

AVctoritate legis præceptum est, vt in toto litis termino requiratur, per quem orta est contentio. Et si quis ad rapinam faciendam adgreditur, aut iter agentem insidiauerit, aut domum alterius no-
A ctutnus spoliauerit, mors animæ ipsius ne requiratur. Igitur ego in Dei nomine, ille Iudex, veniens in loco, nuncupante illo, sub die illo, vna cum bonis hominibus, ad locum accessionis, vbi aliquis homo nomine ille quondam interfectus iacebat, requirens pro qua re ibidem interfectus fuisset: sed venientes homines ibidem commanentes, qui in initio litis ibidem fuerunt, vel qui ad ipsos voces cucurrerunt, quando iam dictus homo ibidem interfectus fuit, taliter testimonium præbuerunt. Vt dum aliquis homo, nomine ille, solenniter ambulabat, sic iam dictus ille quondam, ipsum adsalliuit, vel ei insidiauit, & res suas ei contradixit, atque violenter super ipsum euaginato gladio venit: vnde liuores vel capulaturæ, atque colaphi manifesti apparent. Ideo etenim, dum sic veritas comprobatur, iam dictus ille, adprehensam manum vel arma prædicti iudicis, sicut mos est, apud homines XII. manu sua tertia decima, distractus vel
B conjuratus dixit, quod dum ipse solenniter ambulabat, iam dictus ille quondam eum, malo ordine adsalliuit, & euaginato gladio super eum venit, & super ipsum liuores vel capulationes misit, & res suas illas ei diripere voluit, & postquam illos præsentes liuores recepit necessitate compulsus, ipsum plagauit, per quem mortuus jacet: & in sua orta contentione, vel in sua mouita, atque per suas culpas ibidem interfectus fuit: Et sic est veritas, absque vlla fraude, vel colludio, & in sua culpa secundum legem ipsum forbatudum fecit. Proinde opportunum fuit ipsi illi, vt hanc notitiam ad instar relationis, exinde accipere deberet: quod ita & fecit. Sed postea taliter in iam dicto loco ipsi illi iudicatum fuit, vt in noctes xl. apud homines XXXVI. manu sua trigesima septima, in Ecclesia illa, in loco nuncupante illo, conjurare debeat apud homines visores & cognitores; eo quod ille quondam malo ordine super eum venisset, & res suas ei contendisset, vel primitus ipsum plagasset, vel liuo-
C rasset, & ipsum in via adsallisset, vel insidiasset, & in sua mouita vel in sua culpa ibidem interfectus fuisset. Et si hoc facere poterit de ipsa morte quietus valeat residere.

XXXI. *Breue sacramenti.*

BReue sacramenti, qualiter ingressus est ille in loco nuncupante illo, in Ecclesia illa, sub præsentia illius iudicis, vel bonorum virorum, qui subter tenentur inserti, ad placitum suum custodiendum. Vnde retroactis diebus quadraginta, relationem de morte illius, per iudicium bonorum virorum accepit, juratus dixit: per hunc locum sanctum & Dei reuerentiam, dum ego solenniter inibi ambulabam, jam dictus ille quondam in loco nuncupante illo, me malo ordine adsalliuit; vel liuorauit, & colaphos super me posuit, & ad rapinam, vel ad insidiam super me faciendam adstitit, & res meas mihi malo ordine diripere, vel
D tollere tentauit. Et ego in sua orta tentatione, vel in sua mouita atque per suam culpam in ipso loco ipsum interfeci, per reuerentiam istius sancti & Dei altissimi; Similiter testes sibi similes visores & cognitores, secũdum quod ei iudicatum fuit, post ipsum iurauerunt, vt quicquid iam dictus ille de hac causa jurauit, verũ & idoneum sacramentum dedit. Ij sunt qui hoc sacramentum exceperunt, manibusque eorum subterfirmauerunt.

XXXII. *Si quando masculus & fœmina pariter raptum consenserint, infra quinquennium litigetur.*

NOtitia, sub quorum præsentia, vbi veniens ille ante illum, vel eos qui subter tenẽtur inserti, ibique accusabat aliquem hominem nomine illum, eo

quod aliquam fœminam nomine illam, iam anno expleto sine definitione parentum, vel sine eius clamore, aut vociferatione eam volentem rapuisset, atque in coniugio sibi malo ordine contra legem & iustitiam sociasset: qui iam dictus ille, & præfata illa hoc denegare non potuerunt: sed in omnibus taliter fuerunt professi, quod ambo pariter consentientes, sic apud eosdem actum vel perpetratum fuerat. Tunc ipsi viri qui ibidem aderant, tale dederunt iudicium, vt secundum legem Romanam, pro hac culpa ambo pariter vitæ periculum incurrissent, vel sententiam mortis ob hoc scelus excepissent. Sed interuenientibus bonis hominibus, taliter eis conuenit, vt iam dicti homines redemptione vitæ eorum, vadios suo: iam dicto illi vnusquisque pro solidis tantis dare deberent, quod ita & fecerunt, & ad hoc placitum institutum, quod eueniet tunc temporis hoc debeant desoluere. Vnde & fideiussorem pro ipsis solidis, aliquem hominem illum obligauerunt. Propterea necesse fuit ipsis, vt hanc notitiam exinde accipere deberent: quod ita & fecerunt, vt si necessitas euenerit omnibus sit manifestum, qualiter supradicti homines infra quinquennium ab hoc scelere conuicti, vel comprobati apparuerunt.

XXXIII. *Iudicium euindicatum.*

ILle Rex vir illuster, illi Comiti. Veniens ille in nostra, vel procerum nostrorum præsentia, suggessit, eo quod aliquis homo nomine ille pagensis vester, eum in via malo ordine adsallisset, & res suas ei tulisset, vel grauiter ipsum liuorasset: & ob hoc vobis per nostram ordinationem iussimus vt datis fideiussoribus KL. illis ex hoc in nostra præsentia debuissent adstare rationantes: sed memoratus quidem ille per triduum suum custodiuit placitum, & iam dictum illum secundum legem adiectiuit, vel solsatiuit, qui nec ecsonia nuntiauit, nec suum placitum adimpleuit. Propterea omnino tibi iubemus dum tales vobis datos habuit fideiussores, & placitum suum nullatenus custodiuit, vt quicquid lex loci vestri de tali causa edocet, vobis distringentibus, memoratus ille partibus illius componere, & satisfacere non recuset.

XXXIV. *Epistola Abbatis vel rectoris Ecclesiæ.*

IN Dei nomine ille quamquam peccator Abbas, dilecto amico nostro illi. Dum & omnibus habetur percognitum, qualiter tu rem proprietatis tuæ illam accepta pecunia de thesauro ipsius sancti per venditionis titulum distraxisti. Vnde & precariam nobis ex hoc emisisti, & censisti te dare, in luminaribus ad festiuitatem ipsius Sancti, hoc est tantum. Ideo vno cum consensu fratrum nostrorum, hanc epistolam tibi emittendam decreuimus. Vt ipsum locum cum omni integritate, vna cum Dei gratia & nostra voluntate, absque præiudicio sancti illius, diebus vitæ tuæ vsualiter tibi liceat tenere. Et post tuum quoque discessum ipse locus cum omni integritate, vel re meliorata, vel suprapposito, partibus nostris, vel ipsius Basilicæ reuertatur: quam epistolam manu propria subterfirmauimus.

XXXV. *Donatio ad Ecclesiam post obitum.*

LVerum maximum credimus animarum, si dum vnusquisque corporeis moribus terram inhabitat, pro amore cogitet domus æternæ, vel amore temporalium rerum sperandarum sibi cumulet munimina diuitiarum, aut certe si id quod remanendo perire poterat in sæculo, in alimonijs pauperum, vel locis sanctorum distribuatur Dei. Quamobrem ego in Dei nomine ille, pertractaui tam de Dei parte, quam & reuerentia sancti illius, ciuitatis illius, vbi ipse pretiosus domnus in corpore requiescit, seu pro animæ meæ remedio ad sacrosanctam Basilicam Sancti domni illius, eiusq; congregationem, vbi ille Abbas, vel rector præesse videtur, dono donatumq; in perpetuum esse volo, hoc est villam rem proprietatis meæ, nuncupante ni illam, sitam in pago illo, super fluuium illum, in condita illa, cum omnibus adjacentijs, vel appenditijs suis quantumcumque ad ipsam villam aspicere, vel pertinere videtur, vel quantumcumque inibi præsenti tempore mea videtur esse possessio, totum & ad integrum per hanc donationem tibi trado, atque transfundo, eo videlicet modo, vt dum ego in caput aduiuo, ipsam villam cum omni integritate vsualiter, sub prætextu illius Basilicæ tenere & vsurpare faciam. Post meum quoque discessum, ipsam villam cum omni integritate, vel suprapposito, hoc est cum terris, domibus, ædificijs, accolabus, mancipijs, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, mobilibus & immobilibus, pecunijs, peculijs vtriusq; sexus. præsidijs, vel omni supellectile, vel quod ibidem inantea addere, adtrahere, comparare, aut emeliorare potuero, & transitus meus ibidem dereliquerit, pars ipsius Basilicæ, & eius rectores, absque vllius expectata traditione, vel iudicum consignatione, in eorum vel ipsius Basilicæ faciant reuocare potestatem vel dominationem, & ad ipsam sanctam Basilicam proficiat in augmentum, quia malo hoc post meum discessum ipsam Basilicam habere, quam cæteros hæredes meos. Si quis vero.

XXXVI. *Cessio à die præsente.*

DVm fragilitas seu casus humani generis pertimescit vltimum vitæ terminum, subita transpositione ventura, oportet vt non inueniat vnumquemque imparatū, nec sine aliquo boni operis fructu migrantem de sæculo: sed dum in suo iure & potestate quisq; consistit præparet sibi viam salutis, per quam ad æternam beatitudinem valeat peruenire. Idcirco ego in Dei nomine ille, pertractans tam de Dei parte, quam & reuerentia Sancti illius, seu animę meæ remedio, cedo ad sacrosanctam Ecclesiam Sancti illius, quæ est constructa infra vrbem illam, in honore sancti illius, vbi ille Abbas & Rector præesse videtur, non occulte sed publice, non priuatim, sed palam, cessumq; in perpetuum esse volo iure legitimo, & de iure meo in ius, & dominationem ipsius Ecclesiæ trado atque transfundo. Hoc est locum rem proprietatis meæ illum, sitū in pago illo, in condita illa, cum omni integritate, vel adjacentijs suis, hoc est cum terris, mansis, casis, vineis, syluis, campis, pratis, pascuis, aquis, aquarumque decursibus, farinarijs, mobilibus & immobilibus, pecunijs, peculijs vtriusque sexus, præsidijs, vel omni supellectile, quantumcumque ibidem præsenti tēpore mea videtur esse possessio, totum & ad integrum rem quæsitam & inquisitam, per hanc cessionem à die præsente ad ipsam sanctam casam delego & confirmo. Ita vt ab hodierna die quicquid exinde pars ipsius Ecclesiæ, eiusque Rectores de ipsa re facere voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeat potestatem faciendi, quia ipsam sanctam Ecclesiam plus id habere volo, quam me vel cæteros hæredes meos. In cessionibus vero licet pœna non inferatur, mihi tamen pro rei totius firmitate placuit inserendum, vt si ego aut vllus de heredibus meis, *& reliqua.*

XXXVII. *Venditio ad Ecclesiam.*

DOmino venerabili & in Christo patri illi, Abbati de Basilica sancti illius, in ciuitate illa, vbi ipse pretiosus dominus in corpore requiescit, vel omni congregationi ibidem consistenti; Ego enim in Dei

nomine ille. Constat me vobis, vel partibus ipsius basilicæ vendidisse, & ita vendidi, hoc est locum rem (A) proprietatis meæ, situm in pago illo, super fluuium illum, in condita illa, cum omni integritate vel adjacentijs, quicquid ad ipsum locum aspicere vel pertinere videtur, vel quantumcumque præsenti tempore mea videtur esse possessio, hoc est tam terris, mansis, casis, domibus, ædificijs, accolabus, mancipijs, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, libertinis, ministerialibus, mobilibus & immobilibus, pecunijs, peculijs vtriusque sexus, vel omni supellectili totum & ad integrum, rem quæsitam & inquisitam, quicquid dici aut nominari potest, vel quicquid ibidem præsenti tempore mea videtur esse possessio, per hanc venditionem à die præsente trado atque transfundo. Vnde accepi à vobis pretium pro iam dicto loco, de thesauro ipsius sancti, in quod mihi complacuit, vel amplificatum fuit, hoc est tantum, quod pretium in manus meas accepi: & ipsum locum cum (B) omni integritate, sicut dixi, per hanc venditionem vobis, vel ad ipsam sanctam casam, tradidi perpetualiter ad possidendum, ita vt ab hodierna die, quicquid exinde vos, aut successores vestri, vel pars ipsius Basilicæ facere volueritis, liberam & firmissimam in omnibus habeatis potestatem faciendi. Si quis vero.

XXXVIII. *Epistola Abbatis vel Rectoris ipsius Ecclesiæ.*

IN Dei nomine ille Abbas; in Christo nobis dilecto illi. Ad tuam petitionem nostra decreuit voluntas, vt tibi res nostras, vel sancti illius in pago illo beneficiare vsufructuario ordine deberemus: quod ita & fecimus. Et tu pro huius merito beneficij obligasti nobis res tuas tam de alode quam & de comparato, seu de quolibet, sic denominatas, in pago illo, in condita illa, quas præsenti tempore tenere & possidere (C) videris: hoc est cum terris, vel omnia & in omnibus. Ea vero ratione vt tibi ex ipsis rebus quas nobis obligasti, & illis quas tibi vsufructuario ordine beneficiauimus, non liceat alicubi, nec vendere, nec donare, nec alienare, nec in nullo modo distrahere, nec in naufragium ponere, sed sub nostro, vel sancti illius prætextu tibi liceat tenere & possidere. Et post tuum quoque discessum absque diminutione rerum vel mancipiorum, cum omni re emeliorata, vel suptaposito quicquid in iam dictis rebus inuentum repertumque fuerit, in nostram vel ipsius sancti absque vllius expectata traditione, vel iudicum consignatione faciamus reuocare potestatem vel dominationem. Vnde censisti te nobis annis singulis, ad festiuitatem sancti illius, in luminaribus ipsius sancti, vel pro mercedis tuæ augmento, argentum solidos tantos. Et si de ipso censo negligens apparueris, fidem exinde facias, & ipsas res perdere non debeas, Quam epistolam manu propria subterfirmauimus.

XXXIX. *Securitas de homicidio.*

FRatri illi, Ego enim ille. Dum & omnibus habetur percognitum, qualiter tu ante hos dies instigante aduersario germanum meum vel quemlibet parentem interfecisti. Vnde & postea ex hoc comptobarus apparuisti, & ante me apud illum iudicem exinde in rationes fuisti, & pro integra compositione pro iam dicto parente meo, pro ipsa morte, sicut mihi bene complacuit, argentum solidos tantos dedisti: Ideo hane epistolam securitatis tibi ex hoc emittendam decreui, vt neque à me, neque ab hæredibus meis, neque à qualibet opposita vel emissa persona, nullam calumniam neque repetitionem de iam dicto homicidio habere non pertimescas, neque tu, neque vllus de parte tua qui tecum commorantur, sed ducti atque securi in omnibus, exinde valeatis residere. Si quis vero, si fuerit, aut ego ipse, aut vllus de hæredibus meis, seu quælibet persona, quæ contra hanc securitatem venire, aut agere vel refragare tétauerit, & à me, vel ab hæredibus meis defensatum non fuit sociante fisco qui litem intulerit sol. tantos cóponat, & sua repetitio nullum obtineat effectum, sed sit inter nos vel ab hæredibus nostris ex hac re omniq; tempore calcanda causatio; Et hæc securitas meis, vel bonorum hominum manibus roborata, cum stipulatione inserta, diuturno tempore maneat inconuulsa.

XL. *Iudicium iuxta quod causa continet.*

VEniens ille, die illo, mense illo, dies tantos, in loco nuncupante illo, ante venerabilem virum illum, suosque auditores, vel reliquos viros, qui ibidem aderant, vel subterfirmauerunt, ibique interpellabat aliquem hominem nomine illum, dum diceret eo quod hæreditatem suam in loco nuncupáte illo, quæ ei erat debita, post se retineret, vel ei malo ordine contradiceret iniuste. Interrogatus ille ante ipsos viros taliter dedit in responsis, quod ipsam hæreditatem, quam ipse contra eum repetebat, genitor suus vel quilibet parés, ipsam ei moriens dereliquerat, & de annis xxx. inter ipsum & parentes suos, qui ipsam ei dereliquerant ipsam tenuisset, & secundum legem ei fit debita. Dum sic intenderent sic ipsi viri memorato homini decertauerunt iudicium, vt in noctes tantas, quod euenit de illo, apud homines tantos, sua manu tanta in Basilica sancti illius, in loco nuncupante illo, taliter debeat cójurare quod ipsam hæreditaté, quam ipse homo contra ipsum repetebat, per annos xxx. inter ipsum & memoratos parentes suos, qui ipsam hæreditatem moriétes ei dereliquerant, semper ipsam tenuissent, & per ipsos annos xxx. secundum legem plus sit ipsa hæreditas ei habendi debita, quam ipsi homini reddendi: si hoc ad illud placitum conjurare potuerit, ipsam hæreditaté, absque repetitione ipsius hominis, omni tempore habeat elitigatam, atque euindicatam: sin autem non potuerit, hoc legibus emendare studeat. His præsentibus actum fuit.

XLI. *Breue Sacramenti secundum ipsum iudicium.*

BReue sacramentorum, qualiter ingressus est ille, die illo, in loco nuncupante illo, in Basilica sancti illius, iuxta quod iudicium solum loquitur, apud homines tantos sua manu tanta, positis manibus super sanctum altare iuratus dixit: Per hunc locum sancti, & reuerentiam istius sancti, quia vnde me ille interpellauit, quasi hæreditatem suam, quæ ei esset debita, in loco nuncupante illo, post me retinerem, vel ei malo ordine contradicerem iniuste, ipsam hæreditatem parentes mei mihi morientes dereliquerunt, & inter me (D) vel ipsos parentes meos de annis xxx. semper exinde vestiti fuimus, & secundum legem plus est mihi debita habendi quam ipsi homini reddenda, per Deum & reuerentiam istius sancti iuro. Similiter venientes testes sui, per singula iurati dixerunt, quicquid iste de hac causa iurauit Hij sunt qui subterfirmauerunt.

XLII. *Notitia de alode vindicato.*

NOtitia, qualiter vel in quotum præsentia, veniés ille, die illo, in loco nuncupante illo, ante illum iudicem, vel reliquos viros, qui ibidem aderant, vel subterfirmauerunt; Ibique interpellabat aliquem hominem, nomine illú, eo quod alodem quæ fuerat genitoris sui nomine illius, in loco nuncupante illo, post se malo ordine retineret vel ei contradiceret iniuste. Interrogatus ipse homo ab ipsis viris, si sic erat veritas,

an non; sed ipse iudicium, vel breue sacramentorum, ibidem ante ipsos viros protulit ad relegendum, qualiter cum ipso homine, ante hos dies, exinde ante illum iudicem in rationes fuerat, & qualiter ipsam alodem contra ipsum hominem, vel contra germanos suos elitigatam, atque euindicatam legibus habebat, Relecto ipso iudicio, vel ipso breui sacramentorum, sic ipsi viri ipsum hominem interrogauerunt, aliquid contra ipsum iudicium, vel contra ipsum breuem opponere volebat. Sed ipse taliter dixit, quod nihil habebat quod contra ipsum opponere deberet, & se in omnibus recognouit, quod contra legem ipsum hominem calumniabat; & se exinde omni tempore taciturum esse spopondit. Propterea opportunum fuit ipsi, vt hanc notitiam ex hoc accipere deberet: quod ita & fecit, his præsentibus actum fuit. A

XLIII. *Venditio de Area vel de casa infra ciuitatem.*

B Magnifico fratri illi', Ego enim ille. Constat me tibi vendidisse, & ita vendidi, hoc est, casam meam cum ipsa area, vbi posita est, infra ciuitatem vel burgum illum, in ratione illius, in loco illo, quem ego data mea pecunia de aliquo homine nomine illo comparaui. Habet ipsa casa in attiamento membra in gyro tanta, de lateribus vel frontibus casæ vel terræ illorum & illorum. Vnde accepi à te pretium in quod mihi bene complacuit, hoc est tantum: quod pretium in manu mea accepi, & ipsam casam vel aream per hanc venditionem tibi tradidi à die præsente perpetualiter ad possidendum. Ita vt ab hodierna die quicquid exinde facere volueris liberam & firmissimam in omnibus habeas potestatem faciendi, saluo iure ipsius terræ.

XLIV. *Qui se in Alterius potestate commendat.*

C Domino magnifico illi, Ego enim ille. Dum & omnibus habetur pereognitum qualiter ego minime habeo, vnde me pascere vel vestire debeam, ideo petij pietati vestræ, & mihi decreuit voluntas, vt me tam de victu quam de vestimento, iuxta quod vobis seruire & promereri potuero, adiuuare, vel consolari debeas. Et dum ego in caput aduixero in genuili ordine, tibi seruitium vel obsequium impendere debeã, & me de vestra potestate, vel mundeburde, tempore vitæ meæ potestatem non habeam subtrahendi, nisi sub vestra potestate, vel defensione diebus vitæ meæ debeam permanere. Vnde conuenit, vt si vnus ex nobis de his conuenientiis, se emutare voluerit sol. tantos pari suo componat, & ipsa conuenientia firma permaneat. Vnde conuenit, vt duas epistolas vno tenore conscriptas ex hoc inter se facere vel adfirmare deberent, quod ita & fecerunt. D

XLV. *Euacuatoria.*

Domino magnifico fratri illi, Ego enim ille: dum & omnibus non habetur incognitum, qualiter ante hos annos sol. nostros, numero tantum, ad beneficium accepisti, vt ipsos solidos tantos tu nobis reddere deberes. Quod ita & fecisti. Sed dum illam cautionem, quam nobis emiseras, ad præsens non habeo, ideo hanc epistolam euacuatoriam fecimus, vt de ipsis solidis tanto omni tempore ductus & securus sedeas. Et si ipsa cautio apparuerit, vel à nobis, vel ab hæredibus nostris vllo quoque tempore ostensa fuerit, nullum sortiatur effectum, sed vacua & inanis permaneat.

XLVI. *De causis commendatis.*

Magnifico fratri illi, Ego enim ille. Rogo, supplico, atque publiciter tuæ charitati iniungo, vt omnes causas meas, tam in pago, quam & in palatio, aut ante iudices, vel vbicumque mihi necessitas euenerit, ipsas causas meas ad meam vicem prosequi & admallare facias, & de ipsa prosecutione me reddas certiorem. Et quicquid exinde egeris gesserisue, ratum & bene acceptum à me in omnibus esse cognoscas. Quod mandatum vt pleniorem obtineat firmitatem manu propria subterfirmaui, & bonos viros adfirmare rogaui.

FORMVLÆ QVÆDAM Variæ & incerti auctoris.

Ex Vet. Cod.

TITVLI SEV CAPITVLA HARVM Formularum.

INCIPIVNT CHARTÆ REGALES siue Parensales.

I. *INGENVITAS.*

Oportet enim vnumquemque hominem, dum in hac vita viuit, pro animæ suæ remedio cogitare. Idcirco ego in Dei nomine ille, recogitans pro Dei intuitu; vel pro animæ meæ redemptione, vt ab impiorum consortio eruimereamur, dimitto ergo à die præsente vernaculum iuris mei nomine illum, ingenuum: in ea vero ratione, vt ingenuus permaneat, tanquam si de bene ingenuis parentibus fuisset natus vel procreatus. Peculiare vero si aliquid habet, aut inantea laborare potuerit, in omnibus habeat concessum atque indultum, & mundeburdem, vel defensionem ad basilicam sancti illius se habere cognoscat, non ad affligendum, sed ad se defensandum, nisi vt diximus bene ingenuus

de hoc die valeat residere. Si quis vero quod fieri non credo, si fuerit, aut ego ipse, aut vllus de hæredibus, aut vlla emissa persona, quæ contra ingenuitatem istam venire, aut eam infringere tentauerit, fisco discutiente, solidos xxx. multæ componat, & quod repetit per nullum ingenium euindicare valeat: præsens ingenuitas, & merces nostra, firma & stabilis permaneat, cum stipulatione subnixa. Actum in loco illo.

II. *Venditio de seruo.*

DOmino magnifico fratri illi emptori, Ego in Dei nomine ille venditor. Constat me, non imaginario iure, nec nullo cogentis imperio, sed proprio voluntatis meæ arbitrio, tibi vendere, quod ita & vendidi, à die præsente, vernaculum iuris mei, nomine illum, non furem, non fugitiuum, nec cadiuum, nec vllum vitium in se habentem, sed in omni tempore scimus eum sanum vsque ad annum & diem. Et accepi à te in pretio pro hoc, iuxta quod mihi bene complacuit, vel conuenit, solidos tantos, tanto ita vt ab hac die memoratum vernaculum, superius denominatum quem dato pretio de me legibus comparasti, habeas, teneas, atque possideas & quicquid exinde facere volueris, libere & firmissime, in tua permaneat potestate ad faciendum. Si quis vero, quod fieri non credo, si fuerit, aut ego ipse, aut vllus de hæredibus meis, qui contra venditionem istam venire aut eam infringere tentauerit, fisco discutiente solidos xxx. multæ componat, & quod repetit nihil euindicet, sed præsens, &c.

III. *Venditio de terra.*

DOmino magnifico fratri illi emptori, Ego in Dei nomine ille venditor. Constat me non imaginario iure, nec vllo cogentis imperio, sed proprio voluntatis meæ arbitrio, tibi vendere, quod ita & vendidi, tibi à die præsenti bunnuaria tanta de terra arabili, in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, quem de parte parentum meorum, tam & de alode quam & de comparato ad me legibus obuenit: hoc est de vno latere terræ illius subiungit, de alio latere illi, & de vno fronte terræ illius, de alio vero fronte per viam publicam. Et accepi à te, in pretio taxato, pro hoc iuxta quod mihi bene complacuit, vel conuentum fuit, solidos tantos, tanto ita vt ab hac die memoratam terram superius denominatam, quam de me legibus comparasti, ipsam hanc habeas, teneas, possideas, vel quicquid exinde facere volueris, libera in omnibus Christo propitio in tua permaneat potestate ad faciendum.

IV. *Venditio de seruo ad Ecclesiam.*

BReue in vicem venditionis. Qualiter vendidit homo aliquis, nomine ille, ad Ecclesiam aliquam, nomine illam, vernaculum suum, nomine illum, à die præsente, non furem, non fugitiuum, non cadiuum, nec vllum vitium in se habentem, sed in omni corpore scimus eum sanum vsque ad annum & diem, *& sicut superius factum est.*

V. *Donatio ad sponsam.*

DVm Dominus ab initio concessit in veteri testamento, & præcepit vt relinquat homo patrem & matrem & adhæreat suæ vxori, vt sint duo in carne vna, & quod Dominus coniunxit homo non separet, Ego enim in Dei nomine ille, dulcissimæ coniugi meæ illi. Dum & ego te per solidum & denarium secundum legem Salicam visus fui sponsare, ideo in ipsa amoris dulcedine, dabo ego tibi à die præsente, quod in perpetuum volo esse mansurum, rem pro portione mea in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, quæ de parte parentum meorum ad me legibus obuenit, hoc

A est in ipsa portione, mansis ad commanendum, cum casticijs suprapositis, terris arabilibus, & mancipijs, vel quicquid in ipsa portione est aspectum, tibi dico esse donatum, atque firmatum; vt quando die fœlicissimo nuptiarum insimul nos Deus coniunxerit, ista omnia superius conscripta in tua permaneant dominatione ad possidendum. Si quis vero, &c.

VI. *Notitia de mancipio.*

CVm resedisset ille Vigarius, illustris viri illius Comitis, in illo mallo publico, vna cum ipsis Scabinis, qui in ipso mallo residebant, ad causas audiendas, vel recta iudicia terminanda, ibique veniens monachus sancti illius, vel ille Abbas nomine illo, de illo monasterio, vna cum aduocato sancti illius, nomine illo, fœminam aliquam nomine illam interpellabat,

B repetebat ei dum diceret, eo quod colona esset sancti illius, de curte sua, quæ dicitur illa, de parte auiæ suæ, nomine illius quondam, & ipsa illa, & de ipso seruitio sancti illius negligens aderat, sed ipsa fœmina de præsenti adstare videbatur, & nullatenus habuit quod dicere, nec opponere, nec tradere rationes per quas de ipso seruitio sancti illius se abstrahere potuisset: Sic ei in præsenti fuit iudicatum, vt ipsum seruitium sancti illius, vnde negligens aderat, ipsi aduocato sancti illius reuuadiare deberet, quod ita & fecit, & se ad ipsum seruitium sancti illius, ibi se in præsenti recredidit. Exinde opportunum fuit, ipsos monachos sancti illius, vel ipsum aduocatum sancti illius, nomine illum, talem notitiam ante ipsas personas, quæ in ipso mallo residebant, manibusque eorum roboratas accipere, quod ita & fecerunt, vt omni tempore ipse aduocatus, vel casa sancta illa, vel ille Abbas, vel successores sui, ipsam fœminam superius nominatam, vel

C agnationem suam ad opus sancti illius habeant euindicatam, atque elitigatam. Præsentibus his quorum præsentia actum fuit. Facta notitia in loco illo publiciter.

VII. *Notitia de homicidio.*

DVm & per plures homines ponitur in notitia, qualiter veniens homo aliquis, nomine ille, in contubernio, hominem aliquem, nomine illum, ipsum ibidem adsallisset, & ipsum ibidem interfecisset, vel occidisset: sed venientes parentes & amici ipsius hominis interfecti ante illustrem virum illum Comitem, interpellabant ipsum hominem qui eorum parentem in contubernio adsallisset, vel interfecisset, sed ipse ille in præsenti adstare videbatur, & hanc causam nullatenus potuit denegare, sed taliter fuit professus, quod instigante inimico, ipsum hominem interfecisset, vel occidisset. Tunc taliter ei iudicauerunt, vt ipsam leudem, vel ipsum homicidium ad ipsos parentes

D legibus transsoluere deberet: quod ita & fecit, sed postea in ipso placito ei fuit iudicatum, vt ipsi parentes talem epistolam securitatis, manu eorum vel bonorum hominum firmatam, ei fieri vel conscribere deberent, quod ita & fecerunt, vt post hunc diem, nec ipsi illi, nec vllus in causa ipsorum, nec vlla opposita persona de præfata morte illius quondam, nec de ipso homicidio, nec de ipsa leude nullam reclamationem, nec nullum impedimentum pontificium non habeant ad faciendum. Qui hoc facere voluerit, ipsos solidos per manus reddat, & ob hoc solidos tantos vnacum fisco discutiente multæ componat, & qui repetit nihil euindicet.

VIII. *Securitas de homicidio.*

CVm resedisset illuster vir ille Comes in illo mallo publico, ad vniuersorum caussas audiendas, vel recta iudicia terminanda. ibique veniens homo aliquis nomine ille repetebat ei, dum diceret eo quod ipse ille hominem suum nomine illum quondam bene ingenuum in via malo ordine ipsum adsallisset, & ipsum ibidem interfecisset, vel occidisset, & rauba sua, caballos, aurum & argentum, & drapalia, exinde tulisset, vel deportasset, vel laudem contra legem ibi burisset; sed ipse ille de præsenti adstare videbatur, & hanc caussam nullatenus potuit denegare, sed taliter fuit professus, quod faciente inimico ipsum hominem occidisset, vel interfecisset, sed taliter in ipso mallo ei iudicauerunt, vt ipsum hominem, vel ipsam leudem legibus exinde transsoluere deberet, quod ita & fecit; sed postea apud ipsum grafionem, vel apud ipsos bonos homines qui in ipso mallo resedebant, epistolam securitatis manu eorum firmatam accipere deberet, quod ita & fecit: vt post hanc diem, nec ipsi illi, nec vllus de hæredibus suis, nec vllus in causa ipsorum, & hominis interfecti quondam, nec vlla opposita persona de præsenti die de ipsa morte illius, nec de ipso homicidio, nec de ipsa leude contra ipsum illum nullam reclamationem, nec nullum impedimentum pontificium non habeat ad faciendum: & qui hoc facere præsumpserit, duplum tantum, quantum ipsa leudis continet; & partibus cui hæc facta est, vna cum socio fisco coactus multæ componat, & quod repetit vindicare non valeat.

IX. *Donatio quam pater facit filio suo.*

DVlcissimo atque amantissimo filio meo illi, Ego in Dei nomine ille genitor tuus. Dum & ego te dulciter enutriui, & tu mihi fideliter deseruisti, vel tuum seruitium, vel beneuolentiam, circa partem nostram habemus compertam, ideo in ipso amore dulcedinis, vel tuo seruitio componente, dabo ergo tibi à die præsente quod in perpetuum volo esse mansurum, hoc est mansum ad commanendum, cum casticia superposita, terris arabilibus, & mancipiis, his nominibus illis & illis, vt per hanc epistolam donationis, vel deliberationis nostræ, manu mea vel bonorum firmatam, vt quamdiu aduiuis tam tu ipse quam hæreditas tua, contra tuos germanos, quieto ordine vel elitigato valeas possidere, vel dominare, propterea hanc epistolam traditionis, vel deliberationis nostræ manu mea firmatam exinde tibi fieri, vel conscribere rogaui, vt de præsenti die de ipso manso, vel quicquid ad ipsum mansum aspicit, & ipsa mancipia superius denominata hoc habeas, teneas atque possideas.

X. *Conculcatoria quam Abbas facit ad hominem suum.*

EGo in Dei nomine, ac si peccator, venerabilis vir, ille Abbas de monasterio sancto illo, quod est in pago illo constructum. Dum & omnibus non est incognitum, qualiter filius serui nostri nomine ille, quandam fœminam nostram nomine illam, bene ingenuam, filiam illius quondam contra voluntatem parentum ipsius fœminæ sociauit sibi ad coniugium: sed postea ipsis parentibus complacuit & nobis, vt talem epistolam conculcaturiam manu nostra vel à fratribus nostris firmatam, ipsi fœminæ fieri vel firmare rogaremus, vt de ipso seruitio, si agnatio inter ipsos apparuerit in seruitio publico nunquam sint coinquinari, sed sub integra ingenuitate dies eorum debeant perseuerare. Et precor atque supplico ad successores nostros, vel ad Deum timentes homines, vt benefacta nostra iubeant conseruari, qualiter ipsi vellent, vt in postmodum eorum facta debeant esse stabilia; Et per malorum hominum infestationem, multam in ipsa epistola conculcaturia fieri vel conscribere rogauimus, vt si fuerit quod Deus non permittat, extranea pars, quæ hæc facta nostra infringere voluerit, imprimis iram Dei, & sancti illius incurrat, & ob hoc sol. C. partibus ipsius cui hæc facta est multæ componat; & quod repetit vindicare non valeat.

XI. *Donatio quam homo facit ad filium suum.*

EGo in Dei nomine ille. Constat me in amore Domini nostri Iesu Christi, vt veniam delictis meis consequi mereamur, donasse, & dono donatum esse volo ad dulcissimum filium meum nomine illum, peciam de terra arabili, in loco qui dicitur ille, qui est in pago illo, per locos designatos vel circuitus: in ea ratione vt post hunc diem iam dictus filiolus meus, cui epistola donationis ista legibus facta fuit, ipsam terram habeat, teneat, atque possideat, vel quicquid exinde facere voluerit, liberam in omnibus Christo propitio, habeat potestatem. Et si quis, &c.

XII. *Notitia de Cruce euindicata.*

DVm & omnibus non est incognitum, qualiter veniens homo aliquis nomine ille ante Vigarium illustris viri illius Comitis nomine illo, aduersus hominem aliquem nomine illum, repetebat ei dum diceret, eo quod terram suam de suo manso, vel de sua potestate malo ordine proprisisset, sed ipse ille de præsente adstare videbatur, & hanc causam fortiter denegauit, quod suam terram de suo manso malo ordine nunquam proprisisset, nec post se nunquam retinuerit, sed taliter ei fuit iudicatum, in ipso placito, ante ipsum Vigarium, vel ante ipsos pagenses, vt ad crucem ad iudicium Dei, pro ipsa terra in noctes XII. in ipso placito pro hoc deberent adstare, quod ita & fecerunt, sed venientes ad ipsum placitum, sicut eis fuit iudicatum, ante ipsum Vigarium, vel ante ipsos pagenses, ad ipsum iudicium, vel ad ipsam crucem visi fuerunt stetisse, sed ipse illum hominem qui ipsam terram proprisit ad ipsum iudicium, vel ad ipsam crucem, conuicuit: sed ipse in ipso placito, ad ipsam crucem visus cadisse, sed dum hæc causa sic fuit inuenta, quod ipse ille qui ad ipsum iudicium, vel ad ipsam crucem cadisset, solidos tantos ei transsoluere deberet, quod ita & fecit & de ipsa terra ipsum illum legibus reuestire deberet, quod ita & fecit. Tunc taliter ei iudicauerunt, vt ipse ille de præsenti die ipsam terram tam contra ipsum illum, vel hæredes suos, quam contra quemlibet hominem, omnique tempore habeat euindicatam atque elitigatam, vt tam ipse ille quam & posteritas sua post hanc diem prædictam terram quieto ordine valeat possidere vel dominare, & ducti & securi exinde valeant residere. Factum iudicium in loco illo publiciter.

XIII. *Cautio de clauibus.*

DVm & per plures homines est patefactum, qualiter in Dei nomine ille, veniens in placito ante illos, vel quamplures bonos homines, aduersus hominem nomine illum, repetebat ei dum diceret, eo quod cellaria, vel camata, & granica, quicquid in eis habuit repositum, hoc est aurum, argentum, drapalia, arma, vinum, annonam, vel vitalia sua, per suas claues commendasset, ad custodiendum vel ad saluandum, & ipsam rem in naufragium, vel in damnum posuit. Sed ipse ille de præsentia adstabat, & hanc causam nullatenus potuit denegare: sed taliter ei fuit professus quod ipsam rem superius denominatam, per suum neglectum, & per suum facinus fuit perdita, parata

Tunc taliter ei iudicauerunt, vt ipsam rem ei transsoluere vel emendare deberet,sed ipse ille nullatenus habuit, vnde ipsam rem transsoluere vel emendare deberet. Sed taliter ei fuit iudicatum, vt talem cautionem de capite suo, manu sua vel bonorum hominum firmata, ei fieri vel conscribere rogaret, quod ita & fecit. Vt dum ipsam rem non habui, nec pretium vnde transsoluere vel emendare debuissem, vt quamdiu aduiuam in seruitio publico, quod mihi iniungitis, vobis deseruire debeam, & si negligens aut tardus de ipso seruitio apparuero, qualemcumque disciplinam ad alios seruos tuos impendis, talem super me potestatem habeas ad faciendum. Et si fuerit aut ego ipse, aut vllus de meis hæredibus, qui contra hanc cautionem venire aut reclamare, &c.

XIV. *Concamiatura inter duos Abbates.*

PLacuit auxiliante Domino, atque conuenit, inter venerabilem virum illum, Abbatem de monasterio illo, vel congregationem monasterij sui, necnon & magnificum virum illum, de commutatione locorum, quam inter se facere deberent, quod ita & fecerũt. Per quam accipit venerabilis vir ille Abbas ad opus monasterij sui in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, hoc est in ipso loco illo mansus ad commanendum, casticiis superpositis terris arabilibus, vel quicquid ipso loco ad præsens cernitur esse possessio, totum & ad integrum re inexquisita in commutatione, vel in concamio. Simili modo vir magnificus ille accepit ad opus suum aliam rem in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, hoc est, quod superius diximus totum, & ad integrum re inexquisita, in commutatione vel in concamio; Vnde duas epistolas pariculas, vno tenore conscriptas, manu eorum vel bonorum hominum firmatas, inter se fieri, & firmare rogauerunt, vt vnusquisque post hunc diem quod à pari suo in commutatione vel in concamio accepit, teneat atque possideat, vel quicquid.

XV. *Charta tracturia.*

DOmnis, sanctis, & Apostolicis ac venerabilibus in Christo patribus, Regibus, Comitibus, Episcopis, Abbatibus, Sacerdotibus, Clericis, vel omni populo Christiano; qui in Romanorum vel Longobardorum prouincijs Deo seruiunt, tam in monasterijs quam & in ciuitate, seu per pagos, vel per vicos, ego in Dei nomine ille Maior domus. Cognoscat magnitudo seu & sanctitas vestra, quod iste frater noster nomen ille, seruiens vester, petijt nobis vt ad basilicam S. Petri patris vestri, pro suis culpis, vel pro nostra stabilitate, valeat ambulare ad orationem. Propterea has litteras cum salutatione per ipsum ad vos direximus, vt in amore Dei, & S. Petri, ipsum ad hospitium recipiatis, ad benefaciendum, vel ad suam consolationem, tam ad ambulandum quam & ad intrandum, vt per vos saluus eat & saluus reuertatur, interim sicut vestra est consuetudo bona, vel consolationem, vel adiutorium ei impendere iubeatis, lætumque diem iubeatis habere. Cuius potestas regnat in æternum, ipse vos custodiat in regno suo perpetuo, & salutamus vos omnes salutationes plenissimas.

XVI. *Donatio Quam Homo donat ad suam parentem.*

DIlectissimæ atque amabili mihi in Domino consobrinæ meæ nomine illo, ego in Dei nomine ille. Dum & pluribus est percognitum, eo quod tu partibus meis amabilia seruitia impendere non desinis, pro tua bonitate, & pro eo quod dictum est faciamus bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, vel ad propinquos nostros. Igitur dono tibi à die præsente per hanc epistolam donationes, quæ in perpetuum sit mansura, & de iure meo in tua dominatione trado atque firmabo, id est, mansum ad commanendum, in pago illo, in loco qui dicitur ille, & est ipse mansus per loca designata de latere vno, & de fronte terræ illius, & de alio latere & fronte terræ illius, tanto ita vt ab hac die memorata consobrina mea illa, quidquid de ipso manso facere voluerit, vt absque vniuscuiusque repetitione, liberam in omnibus habeat potestatem ad faciendum.

XVII. *Donatio ad casam Dei.*

PRudens consilium baiulat, qui pro animæ suæ remedio cogitat illi Dominum retribuere, & exinde habere cogitat, & de Dei misericordia non dubitat: Idcirco nos in Dei nomine ille, & coniux mea illa. Admonet nos diuina pietas, & Christi misericordia, vt aliquid de rebus nostris pro redimenda vltione nostrorũ peccaminum, Domino offerre deberemus, vt in die iudicij misericors Dominus, vel in aliquantulum de scelere nostro nobis relaxare dignaretur, donamus compuncto corde & deuoto animo ad basilicam illam, quæ est in honore sancti illius constructa, in loco illo, hoc est rem nostram, in loco nuncupante illo, hoc est in ipsa re mansis ad commanendum, casticiis, superpositis, terris, arabilibus, vt post hunc diem ipsi custodes qui ad ipsum sanctum locum deseruiunt, ipsam rem superius denominatam habeant, teneant atque possideant, vel quicquid exinde facere voluerint, liberam & firmissimam habeant potestatem ad faciendum. Et si quis.

XVIII. *Pactum diuisionis inter fratres.*

PActum diuisionis inter fratres, qui sunt ille & ille, hæredes illius & illius quondam, qualiter se de alode eorum diuidere vel exæquare deberent, quod ita & fecerunt. Per quem accepit vir magnificus ille mansum illum, in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, hoc est, ipse mansus circumcinctus cum arboribus & casticijs, superpositis, terris arabilibus, *& cætera*. Simili modo vir magnificus ille cœpit ad opus suum, alium mansum, in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, in Centena illa, hoc est, quod superius diximus mansum circumcinctum cum arboribus & casticia superposita, terris arabilibus, *& cætera*, vel quicquid pars contra parem suum per æqualentiam inter se diuiserunt, absque vlla repetitione, vel reclamatione, hoc habeant, teneant, possideant, vel quicquid exinde facere voluerint, libera in omnibus Christo propitio in sua permaneat potestate ad faciendum. Et si quis vero.

XIX. *Venditio ad monasterium.*

VEnerabili in Christo patri illi, Abbati de monasterio qui vocatur sancti illius, quod est in pago illo, super fluuium illum constructum, emptori, Ego in Dei nomine ille venditor. Constat me non imaginario iure, nec nullo cogentis imperio, sed proprio voluntatis meæ arbitrio; vobis vel ad monasterium vestrum vendere, quod ita & vendidi vobis à die præsente, rem pro portione mea, in loco nuncupante illo, quod est infra pagum illum, quod de parte parentum meorum ad me legibus obuenit, hoc est tam mansis, casis, casticijs, mancipijs, ingenuis, his nominibus, vel quicquid ibidem præsens est mea dominatio, totum & ad integrum de iure meo in dominatione vestra, per hanc venditionem tradidi vobis ad possidendum; & accepi à vobis in pretio taxato iuxta quod nobis aptificatum vel conuentum fuit, solidos

probos atque pensantes, numero tantos; tanto ita vt ab hac die memorata omnia, superius nominata, quæ de me legibus comparastis, hoc habeatis, teneatis, possideatis, tam vos quam & successores vestri liberum & firmissimum in vestra permaneat potestate ad faciendum, Si quis vero.

XX. *Precaria.*

IN Christo venerabili patri, & domino illi Abbati de monasterio sancti illius, quod est in pago illo super fluuium illum constructum, ego in Dei nomine ille precator. Accessi ad vos vt rem pro portione vestra, in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, quam ego ille ante hos dies per venditionis titulum dato precio, sancto illi, seu vestro monasterio adfirmaui, hoc est in ipsa portione mansum ad commanendum, casticiis, superpositis, terris arabilibus, mancipiis, ingenuis, his nominibus, vineis, pratis, syluis, pascuis, vel quicquid ibidem aspicit, vobis delegauimus, sed postea taliter vobis supplicauimus, vt ipsam portionem ad vsum beneficij ad excolendum quandiu adviuo mihi præstare vel relaxare deberetis, quod ita & fecistis. Propterea hanc precariam, manu mea vel bonorum hominum firmatam, vobis exinde emisimus, vt annis singulis censum denariorum tot ad luminaria sancti illius, & illa decima de omnibus fructibus, quicquid supra ipsam conlaborare potuerimus die illo, quod eueniet festo ipsius sancti illius pro hoc vobis dare, & adimplere faciam. Et si negligens aut tardus de ipso censu ad illud placitum appatuero, fidem exinde vobis legibus faciam, & ipsam rem dum aduiuo per vestrum beneficium tenere & vsufructuare faciam, in ea vero ratione, vt aliubi ipsas res nec vendere, nec donare, vel alienare, nec ad alias casas Dei delegare, nec in naufragium ponere, nec ad proprium facere, nec hæredibus meis in alode derelinquere pōtificium non habeam ad faciendum, nisi post meum discessum, vna cum re immeliorata vel superposita quicquid ibidem inuentum fuerit, absque vllius iudicis contradictione pars monasterij vestri ad vestrum faciat reuocare dominium. Si quis vero.

XXI. *Commendatia.*

IN Christo filio Ecclesiæ illi, in Dei nomine ille Abbas, de monasterio illo sancti illius, quod est in pago illo, vna cum consensu fratrum nostrorum. Dum & tua fuit petitio, & nostra decreuit voluntas, vt duas partes darem pro portione nostra in loco nuncupante illo, qui est in pago illo, quem tu ipse ante hos dies per venditionis titulum dato pretio de thesauro sancti illius nobis vendidisti, sed postea taliter nobis supplicasti, vt ipsius portionis duas partes, in prædicto loco illo, ad vsum beneficij ad excolendum, quamdiu aduiuis, tibi præstare deberemus: quod ita & fecimus. Propterea hanc commendatiam manu nostra firmatam tibi pro hoc dedimus, vt annis singulis, censum tantum, & illam decimam de omni fructu, quicquid supra ipsam terram conlaborare potueris, quod eueniet festo sancti illius, pro hoc dare debeas. Et si negligens aut tardus ad id placitum de ipso censu fueris, fidem exinde pro hoc nobis facias, & ipsam rem ad viuentum tuum per nostrum beneficium teneas, in ea tamen ratione vt ipsam rem aliubi, nec vendere nec donare, nec alienare, nec ad alias causas Dei delegare, nec ad proprium facere, nec hæredibus tuis in alio derelinquere, nec in naufragium ponere, potestatem non habeas ad faciendum, nisi post tuum discessum, vna cum ipsa re immeliorata, vel superposita, quicquid ibidem inuentum fuerit, sine vllius iudicis consignatione pars monasterij nostri elitigato ordine præsentialiter ipsam rem immelioratam in nostrum faciat reuocare dominium, & hæc commendatia firma sit. Facta commendatia in ipso monasterio sancti illius, publicitei in anno XII. regni.

XXII. *Indiculus quem præpositus transmittit ad Abbatem.*

DOmino sancto & Apostolica sede colendo, in Christo venerabili domino & patri illi pontifici, vrbis illius, ciuitatis illius, Ego in Dei nomine ille, bene cupiens vester, in Domino vobis dirigimus salutem, & precamur sanctitatem vestram vt pro nobis orare dignemini. Denique cognoscatis quod iste homo vester, nomine illo, ad nos confugium fecit, & dixit quod contra vos culpas habeat commissas. Propterea has litteras eum salutatione ad vos direximus, & precamur vobis, vt vitam & inmancationem, & disciplinam corporalem ei concedere iubeatis, aliam pœnitentiam qualem ei volueritis iudicare in vestra est potestate. Qualiter ipse homo secum gaudeat, quod nostram suggestionem ad vos deportasset, & vnde nobis reconiungitis vobis remittere cupimus. Quid plura.

XXIII. *Indiculus quem præpositus transmittit ad Abbatem.*

DIligendo ad nos domno, & in Christo patri nostro venerabili illi Abbati, Ego ille seruiens atque præpositus vester. In primis, illud precamur sanctitatem vestram, vt in vestra sancta oratione pro me esse non dedignemini. Denique Domine cognoscatis, de isto seruitio vbi nos transmisistis, per verbum illustris viri illius Comitis, sui iuniores non exinde fecerunt quomodo eis fuit demandatum. Propterea has litteras ad vos direximus, vt de ipso certiores sitis, & inantea quomodo vobis est vtile sic compenseris, vt nostram rem non perdamus. Quid plura? salutamus vos vsque ad gaudium.

XXIV. *Indiculus Quem Abbas transmittit ad hominem pagensem.*

DVlcissimo nostro, & vt credimus amico sancti illius in Dei nomine illi, ille etsi peccator Abbas nos & nostri, seruientes vestri, in Domino vobis dirigimus salutes, & illud precamur Deum vt increatis agere in ista vita quod Deo sit beneplacitum. Precamur vos de illis vestris homunciunculis, qui in vestro ministerio commanent, vel de nostris causis inuicem nostrum bonum certamen exinde mittatis, sicut nos de vestra charitate bene confidimus, vt sic exinde perportare faciatis, vsque nos insimul coniungimus. Quid plura?

XXV. *Indiculus Quem Episcopus transmittit ad Abbatem.*

SAnctorum meritis beatificato domino atque patri, Deique cultore, & vt confidimus vero amico nostro illi gratia Dei Abbati: nos enim in Dei nomine ille quamuis peccator donum Dei Episcopus. Deus scit, vester in omnibus proprius amicus, imprimitus salutationem. *Desunt reliqua.*

XXVI. *Cautio de infracturis.*

COntigit, quod cellarium, vel spicarium vestrum infregi, & exinde annonam, vel aliam raupam in solidos tantos furaui, dum & vos & aduocatus vester, exinde ante illum Comitem interpellare fecistis, & ego hanc causam nullatenus potui denegare. Sic ab ipsis Racimburgiis fuit indicatum, vt per Vuadium meum, eam contra vos componere atque satisfacere

debeam, hoc eſt, ſolidos tantos vel *: ſed dum ipſos ſolidos minime habui vnde tranſſolnere debeam. ſic mihi aptificauit, vt brachium incollum poſui & per comam capitis mei coram præſentibus hominibus tradere feci, in ea ratione vt interim quod ipſos ſolidos veſtros reddere potuero, & ſeruitium veſtrum, & operam qualemcumque vos vel iuniores veſtri iniunxeri- A ris, facere & adimplere debeam, & ſi exinde negligens, vel iactinus apparuero, ſpondeo me contra vos, vt talem diſciplinam ſupra dorſum meum facere iubeatis, quam ſuper reliquos ſeruos veſtros.

Finis Formularum.

EPISTOLÆ.

S. BONIFACII MARTYRIS,

PRIMI MOGVNTINI ARCHIEPISCOPI Germanorum Apoſtoli: pluriumque Pontificum, Regum, & aliorum, nunc primum è Cæſareæ Maieſtatis Viennenſi Bibliotheca luce donatæ

PER NICOLAVM SERARIVM, SOCIETATIS Ieſu Presbyterum, SS. Theol. Doct.

DEVTERONOM. XXXII.

Memento dierum antiquorum:
Cogita generationes ſingulas.
Interroga Patrem tuum,
& annunciabit tibi:
Maiores tuos, & dicent tibi.

Ex Bellarmino de Scriptorib. Eccleſiaſticis.

S. Bonifacius natione Anglus Archiepiſcopus Moguntinus, & Martyr, vixit temporibus Gregorii ſecundi, & tertij, & Zachariæ Pontificum Romanorum, & obiit anno 755. Scripſit epiſtolas multas, quæ extant. De eius rebus geſtis vide Card. Baron. tomo 9. Annal. ad annum 755.

S. BONIFACII MARTYRIS, & Archiepiſcopi Moguntini primi epiſtolæ.

EPISTOLA I.

VVinfredus Nidhardo.

VVinfred.

Chariſſimo ſodali & amico dilectiſſimo quem mihi temporalis caducum auri munus nec mellitate per blandimenta adulantium verborum faceta vrbanitas aſciuit: ſed ſpiritalis neceßitudinis famoſa affinitas immarceßibili cathena charitatis nuper copulauit, Nithardo VVinfredus ſupplex in Chriſto Ieſu perpetua ſoſpitatis ſalutem.

HVMILIBVS mediocritatis meæ apicibus illuſtrem pubertatis tuæ indolem precor, frater chariſſime, vt te ſapientiſſimi *Salomonis* ſententiæ minime recordari pigeat dicentis. *In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis.* Er alibi. *Currite, dum lucem* (vitæ) *habetis, ne tenebræ* (mortis) *vos comprehendant.* Quia cuncta velocitet tranſitura ſunt inſtantia: & in æternum manſura cito affutura: & vniuerſa mundi huius pretioſa ſiue in ſpecie auri & argenti, ſiue in ſtellantium varietate gemmarum, vel in luxurioſorum ciborum aut comptorum veſtimentorum acquiſita diuerſitate ſimillima collectione rerum, vt vmbra prætereunt, vt fumus fatiſcunt, vt ſpuma marceſcunt, iuxta veridicam pſalmographi ſententiam dicentis: *Homo ſicut fœnum dies eius, & ſicut flos agri, ita floriet.* & alibi. *Dies mei ſicut vmbra declinauerunt: & ego ſicut fœnum arui.* Et hac de re vniuerſi aurilegi ambrones apoto grammaton agiis fruſtratis afflicti inſeruire excubiis, & fragilia aranearum incaſſum ceu flatum tenuem, ſiue puluereum captantia tetendiſſe retia dinoſcunt: quia iuxta Pſalmiſtam, *Theſaurizant, & ignorant, cui congregent illa,* & dum exactrix inuiſi Plutonis, mors videlicet, cruentatis crudeliter frendens dentibus in limine latrat, tum tremebundi, & omni ſuffragio deſtituti animam pariter pretioſam, & fallacem gazam, cui auari diu noctuque ſollicite inſeruiebant, ſubito amittentes perdent: & exinde diabolicis rapti manibus, teterrima ſubeunt clauſtra herebia æterna luituri ſupplicia. His autem omnibus, abſque ſcrupulo falſitatis, ita ſe habentibus, precibus charitatis interlitis obnixe flagitantibus te implorare procuro, vt his vniuerſis veraciter perſpectis, reſuſcitare feſtines gratiam ingenij naturalis, quæ in te eſt, & liberalium litterarum ſcientiam & diuini intellectus flagrantē ſpiritualiter ignem aquoſo luto & humido terrenæ cupiditatis puluere non extinguas: ſed memor pſalmigraphi de beato viro ſententiam proferentis. *In lege domini fuit voluntas eius die ac nocte.* Et alibi. *Quomodo dilexi legem tuam domine! tota die meditatio mea eſt:* Et Moyſis in Deuteronomio. *Non recedat liber legis de ore tuo: & meditaberis in ea diebus ac noctibus omnibus.* non profuturis aliarum rerum obſtaculis porro abolitis, ſtudium ſacrarum litterarum mentis intentione ſequi nitaris, & inde glorioſæ ac veræ pulchritudinis venuſtatē acquirere, id eſt, diuinam ſapientiam, quæ eſt ſplendidior auro, ſpecioſior argento, ignitior carbunculo, candidior cryſtallo, pretioſior topazio: & ſecundum ſanctionem ingenioſi cōcionatoris, omne precioſum non eſt ea dignum. Quid enim, frater Chriſtiane, à iuuenibus decentius quæritur? aut quid à ſenibus demum ſobrius poſſidetur, quā ſcientia ſcripturarum ſacrarum, quæ, ſine vllo naufragio periculoſæ tempeſtatis, nauem animæ noſtræ gubernans, deducit

Eccleſ. 4. v. 40. Ioan. 12. v. 35. Vt Ambulate. — collatione. — Pſ. 102. v. 15. l. florebit V. ſic efflorebit. — Pſ. 101. v. 12. — Pſ. 38. v. 7. — Pſal. 1. — Pſal. 118. v. 97. — Deut. 6. v. 7. — Ioſue 1. v. 8.

deducit ad amœnissimi littus paradisi, & ad perpetua superna gaudia angelorum, de quibus supra dictus Sapiens dixit. *Sapientia vincit malitiam. Attingit ergo vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Hanc amaui, & exquisiui à iuuentute mea, & exquisitor sum formæ illius: generositate clarificat contubernium Dei habens, sed & omnium dominus dilexit illam, doctrix est enim disciplina Dei.* Propterea si Dominus omnipotens voluerit, vt aliquando ad istas partes remeans, sicut propositum habeo, per viam spondeo me tibi in his omnibus fore fidelem amicum, & in studio diuinarum scripturarum, in quantum vires suppeditent, deuotissimum adiutorem.

magis sobrie. Sap. 7. 30. c. 8. v. 1. 2. 3. 4.

V. amator f.

Vale frater, florentibus
Iuuentutis cum viribus:
Vt floreas cum Domino
In sempiterno solio
Qua martyres in cuneo
Regem canunt æthereo
Propheta Apostolicis
Consonabunt & laudibus:
Nicharde nunc nigerrima
Imi Cosmi contagia
Temne fauste tartarea
Hæc contra hunc supplicia
Altaque super æthera
Rimari petens agmina
Domini qua semper cælicolis
Verum canunt angelicis.
Qua Rex Regum perpetuo
Ciues ditat in seculo
Iconisma sic Cherubin
Vt & gestes cum Seraphin
Editus Apostolorum
Filius Prophetarum
Summa sede vt gaudeas
Vnaque simul fulgeas
Excelsi regni præmia
Lucidus captes aurea,
Inque throno æthereo
Christum laudes præconio.

EPISTOLA II.

BONIFACII AD BVGGAN Abbatissam.

VENERANDÆ AC DILECTISSIMÆ SORORI Buggan Bonifacius, qui & Vuinfrethus seruus seruorum Dei, optabilem in Christo charitatis salutem.

O Soror charissima, postquam nos timor Christi & amor peregrinationis longa & lata terrarum ac maris intercapedine separauit, multorum relatu audiui tempestates tribulationum, quæ tibi in senectute Deo permittente, superuenerunt. Mœrore contristatus ingemui, reputans quia postquam quietem contemplatiuæ vitæ quærendo, maiores monasteriorum sollicitudines abiecisti, frequentiores & validiores tribulationes occurrerunt. Nunc autem, soror veneranda, tribulationibus tuis compatiens, fraternas & hortatorias, & consolatorias, beneficiorum tuorum, & antiquarum amicitiarum memor litteras ad te transmitto, rogans vt mente non excidat sententia Veritatis, qua dixit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Et verbum sapientissimi Salomonis. *Quem diligit Deus, corripit, & flagellat omnem filium, quem recipit.* Et Psalmigraphi sententia. *Multæ tribulationes iustorum, & de his omnibus liberabit eos Dominus.* Et alibi. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum*

Luc. 21. v. 19. Prou. 3. v. 12. secundum 70. &

A *& humiliatum Deus non spernit.* Et recordare Apostolicæ sententiæ, qua dixit. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Et alibi. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit.* De ista spe, soror charissima, semper gaude & lætare, quia non confunderis: & tribulationes mundanas toto mentis annisu contemne, quia omnes milites Christi vtriusque sexus, tempestates & tribulationes infirmitatesque huius sæculi despexerunt, pro nihiloque duxerunt, Paulo attestante, qui ait: *Quando infirmor, tunc potens sum.* Et alibi. *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio? An angustia? an fames? an nuditas? An periculum? An persecutio? an gladius (sicut scriptum est, quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus, sicut oues occisionis) sed in his omnibus superamus propter eum qui nos dilexit,* qui Pater & amator castæ virginitatis tuæ, qui te primæuo tempore iuuentutis tuæ, paternæ dilectionis voce, ad se

D. Paul. Heb. 12. v. 6. Ps. 7. v. 20. Ps. 50. Act. 14. 22. Rom. 5. 5.

2. Cor. 12. Rom. 8. 35. & seq. Ps. 43. 23.

B inuitans, *Filiam* vocauit, dicendo per Prophetam. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: quia concupiuit Rex speciem tuam.* Ipse est, qui modo in senectute tua laboribus & tribulationibus speciem & pulchritudinem animæ tuæ decorare & adornare desiderat. Tu autem, charissima, de futura hæreditate patriæ cœlestis, in spe gaudens, contra omnes aduersitates siue cordis siue corporis, scutum fidei & patientiæ oppone, vt & Christo sponso cooperante turris euangelicæ ædificium, quod in bona iuuentute cœpisti, in senectute bella ad gloriam Dei perficias, vt cum Christo veniente, cum sapientibus virginibus, lampadem cum oleo fulgentem obuiam portare merearis. Interea intimis obsecro precibus, vt, memor promissionis antiquæ pro me orare digneris, vt Dominus, qui est redemptor noster & salus omnium, de istis multifariis periculis animam meam eripiat in fructu spiritali. Vale in Christo.

Ps. 44. 11. V. decorē tuum.

1. in obuiā

C

EPISTOLA III.

EPISTOLA SANCTI BONIFACIJ Episcopi ad Danielem. EPISCOPVM.

Domino dilectissimo Danieli Episcopo Bonifacius seruus seruorum Dei, optabilem, in Christi, charitatis salutem.

CONsuetudo apud homines esse dinoscitur, cum alijs triste & onerosum quid acciderit, anxiatæ mentis solatium vel consilium ab illis quærere, de quorum maxima amicitia, vel sapientia, & fœdere confidunt. Eodem modo & ego de paternitatis vestræ probabili sapientia & amicitia confidens, vobis fessæ mentis angustias expono, & vestræ pietatis consilium & solatium quæro. Sunt enim nobis, iuxta decretum Apostoli, non solum *foris pugnæ, & intus timores:* sed etiam intus pugnæ simul cum timore maximæ semper per falsos sacerdotes & hypocritas, qui & Deo aduersantur, & sibi perduntur, & populum per plurima scandala & varios errores seducunt, dicentes populis, iuxta dictum Prophetæ. *Pax pax & non est pax:* & semen verbi quod de sinu Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ sumptum, & nobis commendatum seminare aliquantulum studemus, illi cum lolio superseminare, & suffocare nituntur, vel in herbam pestiferi generis conuertere. Et quod plantamus, nō irrigant vt crescat, sed euellere student, vt marcescat: offerentes populis, & docentes nouas sectas, & diuersi generis errores: quidam abstinentes à cibis, *quos Deus*

C. honerosū.

D

2. Cor. 7. 5.

Ier. 6. 14. c. 8. 11.

E

ad percipiendum creauit. Quidam melle & lacte proprie pascentes se, panem & cæteros abiiciunt cibos: Quidam autem affirmant (quod plurimum populo nocet) homicidas vel adulteros in ipsis sceleribus perseuerantes, fieri tamen posse Dei Sacerdotes. Populi autem, iuxta dictum Apostoli, sanam doctrinam non sustinent, sed coaceruant *sibi Magistros secundum sua desideria prurientes auribus.* Nos quidem patrocinatus auxilium in palatio Francorum quærentes, à talium corporali communione abstinere & segregare iuxta præceptum canonum non possumus, nisi hoc tantum, quod per sacra Missarũ solennia in sacris mysteriis corporis & sanguinis Domini, cum eis non communicauimus: sed & consilium & consensum eorum deuitamus.

1. Tim. 4. v. 3. Propio correxit Anonymus. An. pro pane. 2. Tim. 4. v. 3. sustinebunt coaceruant.

Nam cum talibus, & cum paganis, & cum permixta & cum plebeia multitudine nostri labores & pugnæ forasticæ videntur esse: intimæ vero, quãdo quis de gremio matris Ecclesiæ Presbyter, vel Diaconus, Ecclesiasticus vel Monachus discedit à fide & veritate: tum deinde prorumpit cum paganis in contumelias filiorum Ecclesiæ, & est obstaculum horrendum euangelio gloriæ Christi. De his namque omnibus, vt sine detrimento animæ cursum ministerij implere possimus, inprimis apud Deum paternitatis vestræ intercessionem quætimus: & intimis, per Deum, obsecramus precibus, vti pro nobis intercedere dignemini, vt pius laborantium consolator Deus inter tales turbines diuersarum causarum animas nostras illæsas & sanas à peccatis custodire dignetur. De supra dicta autem dictorum sacerdotum communione salubre consilium vestrum audire & exaudire inhianter desidero. Nam sine patrocinio Principis Francorum, nec populum regere, nec Presbyteros vel Diaconos, Monachos vel ancillas Dei defendere possum, nec ipsos paganorum ritus & sacrilegia idolorum in Germania, sine illius mandato & timore, prohibere valeo. Cum autem ad illum de istis causis auxilium quærens peruenero, à talium communione abstinere canonice nullatenus corporaliter possum, nisi tantum à consensu illorum. Nam ego de illa communione culpam timeo, quia recolo me, ordinationis meæ tempore, iuxta præceptum Gregorij Papæ, iurasse in corpore sancti Petri, talium communionem me declinaturum, si eos ad viam Canonicam conuertere nequiuerim. Sed iterum timeo maius damnum de prædicatione, quam populis impendere debeo si ad Principem Francorum non venero. De istis quid Paternitas vestra tristi & dubitanti filio decernere & indicare & mandare ad consilium voluerit, indicare dignemini. Mihi enim maxima ex parte segregatus ab illis esse videor, si ab illis, voluntatis consilio, & consensu & Ecclesiastico ministerio vbi canonici non sunt, abstinuero. Præterea Paternitatis vestræ clementiam de vno solatio peregrinationis meæ intimis precibus diligenter rogare velim, si præsumam, id est vt librum Prophetarum, quem venerandæ memoriæ Vuybertus Abbas & Magister quondam meus, de hac vita ad Dominum migrans dereliquit, sex Prophetæ in vno corpore, claris & absolutis litteris, scripti reperiuntur, mihi transmittatis. Et si hoc Deus cordi vestro facere inspirauerit, maius solatium vitæ meæ senectuti, & maius vobis mercedis præmium transmittere non potestis. Quia librum Prophetarum talem in hac terra, qualem desidero, acquirere non possum: & caligantibus oculis minutas ac connexas litteras discere non possum. Et propterea de illo libro supradicto rogo, quia tam clare discretis & absolutis litteris scriptus est. Interea per Forthereum Presbyterum litteras & parua munuscula, propter indicium puræ charitatis, transmitto vobis: id est, casulam non holosericam, sed caprina lanugine mixtam & villosam ad tergendos pedes dilectionis vestræ. Nuper quoque reuelante Presbytero qui à vestra præsentia ad Germaniam venit, corporalem orbitatem vobis contigisse cognoui: sed vt vos, Domine, melius scitis, qui, vel per quem dixit: *quem Deus diligit, corripit:* & cætera. Et Paulus Apostolus. *quando infirmor, tunc potens sum, & virtus in infirmitate perficitur.* Et Psalmigraphus, *Multæ tribulationes iustorum:* & reliqua. Habes, Pater mi, sicut Antonius de Didymo fertur dixisse, oculos, quibus potest Deus videri, & angeli eius, & supernæ Hierusalem gloriosa gaudia speculari. Et propter hoc, de sapientia & patientia tua confidens, credo quia hoc Deus ad perfectionem virtutum, & ad augmentum meritorum tibi dedisset: & vt eo magis spiritalibus oculis ea conspicias & desideres, quæ præcipit & diligit Dominus, & eo minus respicias vel concupiscas, quæ non amat, sed interdixit Dominus. Quid enim sunt, isto periculoso tempore, corporales oculi, nisi, vt ita dicam, maxima ex parte, veraciter fenestræ peccatorum? per quas aut peccata, & ad peccantes aspicimus: aut, quod peius est, ad nos ipsos flagitia considerantes & concupientes contrahimus. Valete sanctitatem vestram, & pro me orare in Christo diligenter opto.

C. talibus I. omnibus. C. intimi, scilicet timores. I. Interim. C. I. erit.

Nam, abest. à C. est in I.

Sed, Iterum, abest à C. est in I. & illic pro maius, est magis. I. timesc. centi.

Vbi sex

C. corporalis orb. Prou. 3. 2. Cor. 12. Ps. 7. 20. D. Hieron. epist. ad Castratiũ.

Responsio Danielis infra erit. lib. 2.

EPISTOLA IV.

Reuerendissimo fratri Deal vno, iam dudum magistro LVI. indignus Diaconus, sine prærogatiua meritorum, diaconatus officio fungens, optabilem in Domino salutem.

ALmitatis tuæ clementiam intimis precibus flagito, vt meæ mediocritatis carinam fulcire digneris tuis almis oraminibus, quatenus tuarum orationum intercessionibus, seu pelta protectus, ad portum salutis peruenire merear, & piaculorum meorum in hoc terreno ergastulo veniam consequi, sicut iam præterito anni circulo, per Denewaldum fratrem nostrum literarum mearum portitorem, deprecatus sum. Ergo vilium munusculorum transmissio scedulam istam comitatur non tam digna quam deuota mente directa. Similiter obsecro vt mihi Aldhelmi Episcopi aliqua opuscula, seu prosarum, seu metrorum, aut rythmicorum, dirigere digneris ad consolationem peregrinationis meæ, & ob memoriam ipsius beati Antistitis: & mihi per aliqua verba tuæ affabilitatis, indica, quid de istis valeat precibus tua fraternitas perficere, quæ inhianter audire satago. Bene valentem te & proficientem in prosperitate dierum, & intercedentem pro me exopto longis temporibus.

Seu abest. C. I.

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea Regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto.
Fercula gemmatis cum poneret aurea vasis,
Et misceret opes pauperiemque simul;
Quærenti causam respondit, Rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reuerenter habe, quicunque repentè
Diues ab exiguo progrediere loco.

Quorsum isti, hoc loco Ausonii versus.

EPISTOLA V.

Dominæ dilectissimæ Christique religiosissimæ Abbatissæ Kanebadæ, Regalis prosapiæ generositate præditæ. Den. & L. & B. filii tui ac vernaculi sempiternæ sospitatis salutem.

AGnoscere cupimus almitatis tuæ clementiam, quia te, præ cæteris cunctis feminini sexus, in cordis cubiculo, cingimus amore, quod post genitoris, & genitricis, & aliorum propinquorum nostrorum obitum ad Germanicas gentes transiuimus: & quod in venerandi Archiepiscopi Bonifacii mona-

Deneualdus Lul B. Post non in C. C. vsque.

sticæ conuersationis regula suscepti, ipsiusque laboris adiutores sumus, in quantum naturæ paupereulæ vilitas præualet. Nunc itaq; ex intimis præcordiorū iliis, suppliciter flagitamus, vt digneris nos habere in tuæ sacræ congregationis communione, & nostram lintrem procellosis fluctibus huius mūdi fatigatam, tuorum oraminum præsidio ad portum salutis deducere, & atra contra piaculorum spicula, parma tuæ orationis protegere non recuses, sicut nos quoque pro tuæ celsitudinis statu, diuino subfragio, singulis momentis deprecantes sumus. Hoc vero si corporibus præsentes fuissemus, flexis genuum poplitibus, & salsis lachrymarum imbribus rogitantes diligenti petitione speramus posse impetrari: & nunc absentes hoc idem obnixis precibus postulamus. Illud etiam scire desideramus tuæ sagacitatis industriam, quod si cui nostrum contingit huius Brettaniex telluris sceptra visitare, quod nullius hominis obedientiam & institutionem antea quærimus, quam tuæ beneuolentiæ subiectionem qui in te firmissimam spem mētis nostræ positam habemus. Similiter obsecramus vt puerulos duos nostros Beiloe & Man, quos ego Lul, & Pater noster liberos dimisimus, Romam destinantes & auunculo nostro commendauimus, pro mercede animæ tuæ, & si liberi arbitrij sint, & illorum voluntas sit, & in tua potestate sint, nobis transmittere per harum litterarum gerulos studeas: & si aliquis eis prohibere vellet iter pergendi sine iustitia, deprecamur vt eos defendere digneris. Parua quoque munusculorum transmissio scedulam istam comitatur: quæ sunt tria, id est, thuris, & piperis, & cinamomi permodica xenia, sed omni mentis affectione destinata. Huius muneris magnitudinem vt non consideres, sed spiritalis caritatis amorem attendas, poscimus. Illud etiam petimus, vt rusticitatem huius epistolunculæ emendes, & nobis aliqua verba tuæ dulcedinis non renuas dirigere, quæ inhianter audire gratulabundi satagimus. Vale viuens Domino æuo longiore, & vita feliciore, intercedens pro nobis.

C. nostra. C. quoque licet C. præsentes C attendere proposcimus. C. epistolunculæ.

EPISTOLA VI.

Vniuersis reuerendissimis coëpiscopis venerabilibus Presbyteris candidatis gratia Diaconibus, Canonicis, Clericis, vero gregi Christi prælatis Abbatibus seu Abbatissis humillimis, & pro Deo subditis Monachis, consecratis, & Deo denotis virginibus, & cunctis consecratis ancillis Christi, imo generaliter omnibus Catholicis Deum timentibus de stirpe & prosapia Anglorum procreatis, eiusdem generis vernaculus, vniuersalis Ecclesiæ Legatus Germanicus, & seruus sedis Apostolicæ, Bonifacius, qui & Vuynfrethus, sine prærogatiua meritorum nominatur Archiepiscopus, humillimæ communionis & sincerissimæ in Christo charitatis salutem.

FRaternitatis vestræ clementiam intimis obsecramus precibus, vt nostræ paruitatis in orationibus vestris memores esse dignemini, vt liberemur à laqueo venantis Satanæ, & ab importunis & malis hominibus, & sermo Domini currat & clarificetur, & vt precibus pietatis vestræ impetrare studeatis, vt Deus & Dominus noster Iesus Christus, qui *vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem Dei venire*, conuertat ad Catholicam fidem corda paganorum, Saxonum, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quibus capti tenentur, & adgregentur filiis matris Ecclesiæ. Miseremini illorum, quia & ipsi solent dicere de vno sanguine, & de vno osse sumus: recordantes, quia ad propinquat via vniuersæ terræ, & nemo in inferno confitebitur Domino, neque mors laudabit eum, & ad propinquat via vniuersæ terræ. Et scitote quod in hac prece, duorum Pontificum Romanæ Ecclesiæ adstipulationem & consensum & benedictionem accepi. Agite nunc de hac obsecratione nostra, vt mercedis vestræ præmia in superna curia Angelorum clarescant, & crescant. Vnitatem & communionem dilectionis vestræ valentem ac proficientem in Christo Creator omnipotens æternaliter custodiat.

1. Tim. 2. C. obsecratione.

EPISTOLA VII.

Reuerendissimæ & in Christo carissimæ Eadburgæ Abbatissæ. N. indignus & exiguus Diaconus perennem in Domino salutem.

ALmitatis tuæ clementiam intimis obsecro precibus, vt mei memor esse digneris in tuarum sacro sanctis orationum subsidiis, sicut mihi per redeuntem fratrem nostrum N. tua benigna charitas concedens promisit. Hoc etiam obnixa prece flagito, vt meæ fragilitatis nauem, quæ quotidie præsentis mundi procellarum turbinibus quatitur, tuæ stabilitatis suffragio fulciatur, vt contra antiqui hostis venenata spicula, oraminum tuorum frequente iuuamine muniar. Parua munuscula tuæ venerandæ dilectioni transmisi, id est, vnum graphium argenteum, & storacis, & cinnamomi partem aliquam, quatenus ex his minimis cognoscas allata muneta tuæ salutationis quam grata mihi sunt: & si quid mihi per gerulum horum apicum qui dicitur Ceola, vel per alium quemlibet impetrare volueris, scit charitas illa quæ inter nos est copulata spiritali germanitate, id meam paruitatem totis nisibus implere velle. Interea rogo, vt mihi literas tuæ dulcedinis destinare non deneges. Bene valere te desidero, & sanctis successibus proficere in Christo optamus.

F. Vuiser.

EPISTOLA VIII.

AD ECBERTHVM EPISCOPVM.

L. Hecberti.

Dilectissimo ac reuerendissimo fratri Ecbertho Archiepiscopo Bonifacius, seruus seruorum Dei, Legatus Germanicus sedis Apostolicæ: sinceram in Christo spiritualis germanitatis salutem.

CHaritatis tuæ muneribus & libris susceptis, erigens ad supra palmas magnas omnipotenti Deo gratias egi, qui mihi longe peregrināti talem inuenire concessit amicum, qui mihi & in rebus terrenis adiutorium, & in spiritalibus, oratione & vnitate communionis, diuinum solatium transmisit. Nunc autem intimis præcordiorum precibus almitatis tuæ clementiam obsecro, vt vestræ fraternitatis synodo, vna cum seruis Dei mecum laborantibus adunatus esse merear: & sis mihi consiliarius, & adiutor in inquirendis & inuestigandis regulis Ecclesiasticis iudiciorum Dei: & vt me non ludiuaga sermonum voce, sed seriè rogantem ac dicentem esse scias; & me non arrogantem, vel superbum ac proprio iudicio plus iusto placentem æstimes. Nam Catholica & Apostolica Romana Ecclesia, quando indignum ac vilem prędicatorem ad prædicandum Germaniæ erroneis vel paganis gentibus direxit, pręcepit mihi ex auctoritate Romani Pontificis, si alicubi viderem inter Christianos pergens, populos erroneos vel Ecclesiasticas regulas mala consuetudine deprauatas, vel homines per inuium à Catholica fide abductos, ad viam salutis inuitare & reuocare totis viribus niterer. Hoc præceptum seruare cupiens, admonitoriam vel precatoriam epistolam Ethelbaldo Regi Mercionum, cum consilio & consensu Episcoporum, qui vnà nobiscum sunt, transmisi, quam præsentare fraternitatis tuæ obtutibus iussi, vt si quæ in ea praue posita sint, emēdes & quæ iusta sunt, sale sapientiæ tuæ condias, & auctoritate cōfirmes; & si radicem aliquam flagitiorum, de quibus in

L. me & L. ant præd. L. Athel.

illa epistola contra Regem Mercionum disputatum, in genere tua germinare velle videas, sicut prouidus & sapiens colonus, cum falce dominicæ auctoritatis in tempus præcidas, & radicitus euellas, ne dum floruetir, fiat ex vinea Sodomorum vitis eorum, & propago eorum ex Gomorrha, & sit fel draconum, vinum eorum & venenum aspidum insanabile. Inauditum enim malum est præteritis seculis, &, vt serui Dei ignari scripturarum dicunt? in triplo vel in quadruplo Sodomitanam luxuriam vincens, vt gens Christiana contra morem vniuersæ terræ, imo contra præceptum Dei despiciat legitima matrimonia, & adhæreat incertis luxuriosis adulterijs, & nefanda stupra consecratarum & velatarum fœminarum sequatur. Præterea, vt mihi de opusculi Bedan Lectoris aliquos tractatus conscribere, & dirigere digneris: quem nuper, vt audiuimus, diuina gratia spirituali intellectu ditauit, & in vestra prouincia fulgere concessit, & vt candela, quam vobis Dominus largitus est, nos quoque fruamur. Interea ad indicium charitatis, fraternitati tuæ direxi exemplaria Epistolarum sancti Gregorij (quas de serinio Romanæ Ecclesiæ excepi, quę non rebar ad Britãniam venisse. Et plura item si mandaueris, remittam) quia multas inde excepi) & corporale pallium, & villosam vnam ad tergendos pedes, cum laueris, seruorum Dei. Valere Beatitudinem tuam & sacris virtutibus proficere in Christo optamus.

Deut. 32. 32.

EPISTOLA IX.

AD HVETBERTHVM Abbatem.

Dilectissimo ac reuerendissimo Fratri Huetbertho Abbati, & vniuersis fratribus sanctæ congregationis eius, Bonifacius exiguus seruus seruorum Dei in Christo fraternæ charitatis salutem.

FRaternitatis vestræ pietatem intimis obsecramus precibus, vt nos inter feras & ignaras gentes Germaniæ laborantes, & grana Euangelica plantantes, vestris sacrosanctis orationibus adiuuemini, & precibus sanctitatis vestræ in nobis sæuus Babylonicæ ardor restinguatur flammæ, & sparsa sulcis ad fructum multiplicata surgant semina, quia iuxta dictum Apostoli: *Neque qui plantat, neque qui irrigat est aliquid: sed Deus, qui incrementum dat, vt detur nobis sermo in apertione oris, & sermo Domini currat, & clarificetur.* Interea rogamus, vt aliqua de opusculis sagacissimi inuestigatoris scripturarum Beda Monachi, quem nuper in domo Dei apud vos vice candelæ Ecclesiasticæ scientia scripturarum fulsisse audiuimus, conscripta nobis transmittere dignemini. Et si vobis laboriosum non sit, vt cloccam vnam transmittatis. Ad indicium quoque intimæ charitatis, lectisternia caprina sicut hic vocant, direximus, quæ petimus licet digna non sint, vt pro memoria suscipiatis. Alma Trinitas & vna diuinitas fraternitatem vestram, & hic sanctis virtutibus proficientem ac valentem augeat & custodiat, & in futura beatitudine inter splendida Angelorum agmina gaudentem remunerando glorificet.

1. Cor. 3. 7. Ephe. 6. 19. 2. Thess. 3. 1.

EPISTOLA X.

BONIFACIVS PEREFRIDO Presbytero.

Dilectissimo ac reuerendissimo Fratri Herefrido Presbytero Bonifacius seruus seruorum Dei æternam in Christo charitatis salutem.

AMicitatis tuæ clementiam intimis obsecro precibus, vt in tuis sacrosanctis orationibus mei memor esse digneris: & iam sic narrantibus & à te venientibus iam fecisse fraternitatem tuam, & facturam esse non dubito, vt sancti Iacobi Apostoli sententia in nobis impleatur, qua dixit: *Orate pro inuicem, vt saluemini. Multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Præterea nos octo Episcopi, qui ad vnam synodum conuenimus, quorum nomina subter annotauimus, in commune te, frater charissime, deprecamur, vt verba admonitionis nostræ Ethelbaldo Regi Mercionum interpretando & recitando annuncies: & eo modo & ordine, quo ad te scripta transmittimus, sollicite enumerando & prædicando illi indicaueris. Audiuimus enim, quia, pro timore Dei, personam hominis non timeas: & quod supra dictus Rex aliquantulum quibusdam temporibus audire dignetur tua monita. Et notum sit charitati tuæ, quia hæc verba admonitionis nostræ ad illum Regem propter nihil aliud direximus, nisi propter puram charitatis amicitiam, & quod de eadem gente Anglorum nati & nutriti hic per præceptum Apostolicæ sedis peregrinamur, bonis & laudibus gentis nostræ lætamur & gaudemus: peccatis autem eius & vituperationibus tribulamur & contristamur. Opprobrium namque generis nostri patimur, siue à Christianis, siue Paganis dicentibus, quod gens Anglorum spreto more cæterarum gentium, & despecto præcepto Apostolico, imo Dei constitutione, legitimas vxores dedignetur habere: & hinnientium equorum consuetudine, vel rudentum asinorum more, luxuriando & adulterando omnia turpiter fœdet & confundat. Igitur si hoc scelus maximum verum sit, frater charissime, rogemus omnes communiter, supra dictum Regem, vt semetipsum cum populo corrigat, ne tota gens cum Principe hîc & in futuro pereat: sed vt vitam propriam emendando & corrigendo, exemplis suis vniuersam gentem propriam ad viam salutis dirigat, & vnde peccatum antea contraxit, inde mercedem mereatur æternam. Præterea partem thymiamatis, & sabanum pro benedictione, & signo puræ charitatis tibi direximus. Sanctis operibus florentem, & probatis moribus proficientem fraternam dilectionem tuam atque bene valentem sancta Trinitas æternaliter custodiat.

Iacob. 5. 16.

1. Cor. 7. Eph. 5. Matth. 5. & 19.

EPISTOLA XI.

BONIFACIVS PETHELMO

Dilectissimo ac reuerendissimo fratri à me diligẽdo Pethelmo Coëpiscopo Bonifacius exiguus seruus seruorum Dei optabilem in Christo charitatis salutem.

PAternam sanctitatis vestræ clementiam intimis obnixè flagitamus precibus, quia nobis opus est periclitantibus, vt vestris Deo dignis orationibus adiuuemur: quia Germanicum mare periculosum est nauigantibus; vestris precibus, & Deo gubernante ad æternæ tranquillitatis littus, sine macula vel damno animæ perueniamus: & dum cæcis propitias tenebras ignorantibus, & aspicere nolentibus lumen Euangelicæ veritatis offerre nitimur, tenebris propriorum peccaminum non inuoluamur, & non in vacuum curramus, aut cucurrissemus: sed vestris intercessionibus fulti ad æternitatis lumen immaculati & illuminati tendamus. Præterea parua munuscula pro indicio charitatis vobis direximus, id est, corporale pallium albis stigmatibus variatum: & villosam ad tergendos pedes Dei seruorum, quæ petimus, vt pro memoria accipere non dedignemini. De vna quoque re vestrum consilium, & responsum audire desideramus. Affirmant sacerdotes per totam Franciam & Gallias, nec nõ & Romani, maximi criminis reum esse hominẽ, qui in matrimoniũ acciperet illam viduam, cuius ante filium in baptismo adoptiuum suscipiebat. Quod

Gal. 2. 2. Phil. 2. 16. Corporale, pallium album stigmatum variatum, & villosa. LL. & pro hist. Vide inf. ep. 41 & 43.

peccati genus, si verum est, hactenus ignorabam: & nec in antiquis canonibus, nec in decretis Pontificum Patres, nec in calculo peccatorum Apostolos vsquam enumerasse cognoui. Qua de re si vspiam aliquid in Ecclesiasticis scriptis disputatum inuenissetis, nobis indicare curate: & quid vobis videatur nosse vellemus. Sospitatem vestram sanctis virtutibus proficere in Christo, & longo tempore valere te cupio in Christo.

Prius in Christo, non in L.

EPISTOLA XII.

AD ETHELBALDVM REgem Anglorum.

L. Athell.

Domino reuerendissimo & dilectissimo Ethelbaldo Regi Mercionum Bonifacius seruus seruorum Dei intima charitatis salutem.

L. Ceolam.

OBsecramus Celsitudinis tuę clementiam, vt istum missum meum, nomine Ceola, præsentatorem harum litterarum in necessitate nostra, & itineris sui, & in quocunque illi necessitas contigerit, solatium præbere, & adiuuare dignemini: & mercedem pro eo & à Deo habeas de missis nostris, qui præterito anno ad vos venerunt, quia eis in omnibus adiutorium, vt referebant, præstitistis. Interea pro signo veri amoris & deuotæ amicitiæ, direximus tibi accipitrem vnum, & duos falcones, duo scuta, & duas lanceas. Quæ rogamus, licet digna non sint munuscula, tamen pro charitate benedictionis suscipere digneris *Finem loquendi omnes pariter audiamus: Deum time, & mandata eius obserua.* Petimus quoque, vt si per alterum nuntium verba nostra ad præsentiam tuam scripta peruenerint, auditum tuum accommodare digneris, & solicite audire cures. Vale in Christo.

Eccl. 12. 13.

EPISTOLA XIII.

EIVSDEM AD EADBVRgam Abbatissam.

Aureo spiritalis amoris vinculo amplectendæ & diuino ac virgineo charitatis osculo stringendæ sorori Eadburgæ Abbatissæ Bonifacius Episcopus Legatus Romanæ Ecclesiæ in Domino salutem.

DIlectionis vestræ clementiam intimis imploramus precibus, vt pro nobis apud auctorem omnium intercedere dignemini. Vt non ignoretis causam huius precis, sciatis quia nostris peccatis exigentibus, conuersatio peregrinationis nostræ variis tempestatibus illiditur. Vndique labor, vndique mœror, foris pugnæ, intus timores. Super omnia grauissimum, quod vincunt insidiæ falsorum fratrum malitiam infidelium paganorum: Rogate ergo pium defensorem vitæ nostræ, & vnicum salutare laborantium refugium, Agnum Dei, qui abstulit peccata mundi, vt nos inter talium lupotum cubilia lustrans dextera sua protegente, illæsos custodiat, vt vbi debuerunt esse speciosi pedes portantium lucernam pacis Euangelicæ, non inueniantur tenebrosa errantium Apostatarum vestigia, sed magis pater pijssimus, accinctis lumbis nostris, perficiat lucernas ardentes in manibus nostris, & illuminet corda Gentilium ad contemplandum Euangelium gloriæ Christi. Interea precor, vt intercedere pietas vestra pro istis Paganis, qui nobis ab Apostolica sede commissi sunt, dignetur, vt eos Saluator mundi ab idolorum cultura eripere dignetur, & aggregare vnicæ matris Ecclesiæ Catholicæ filijs, ad laudem & gloriam nominis sui, *qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Vale.

2. Cor. 7. 5.

Ioan. 1. & 1. Timot. ...

EPISTOLA XIV.

BONIFACIVS EADBVRgæ Abbatissæ.

Dilectissimæ sorori, & iam dudum spiritualis clientelæ propinquitate connexæ Eadburgæ Abbatissæ Bonifacius seruus seruorum Dei perennem in Christo salutem.

CHARISSIMAM sororem remunerator æternus iustorum operum in superna lætificet curia Angelorum, quæ Sanctorum librorum munera transmittendo, exulem Germanicum spirituali lumine consolata est, quia qui tenebrosos angulos Germanicarum gentium lustrare debet, nisi habeat lucernam pedibus, & lumen semitis suis verbum Domini, in laqueum mortis incidet. Præterea de charitate tua diligenter confidens obsecro, vt pro me orare digneris, quia peccatis meis exigentibus, periculosi maris tempestatibus quatior, rogans, vt ille qui in altis habitat, & humilia respicit, indulgens flagitia, præstet mihi verbum in apertione oris mei, vt currat & clarificetur inter gentes Euangelium gloriæ Christi.

Psal. 112. Ephes. 6. 19. 2. Thess. 3. 1.

EPISTOLA XV.

BONIFACIVS NOTHELMO.

Nobis dilectissimo summi Pontificatus infula prædito Nothelmo Archiepiscopo Bonifacius exiguus seruus seruorum Dei optabilem in Christo æternæ charitatis salutem.

ALmitatis vestræ clementiam intimis obsecro precibus, vt mei in vestris sacrosanctis orationibus memores esse dignemini: & nauem mentis meæ variis Germanicarum gentium tempestatum fluctibus quassatam, precibus vestris, in portu firmæ petræ stabilire studeatis: & vt communione fraterna non aliter, quam vt mihi venerandæ memoriæ antecessor vester Berthunaldus Archiepiscopus exeunti à patria concessit, vobis cum adunatus sim nexu spiritali & glutine charitatis coniunctus: similiter cum fraternis comitibus peregrinationis meæ, Catholicæ fidei vnitate, & spiritalis amoris dulcedine, semper sociatus esse vobis merear. Similiter & diligenter obsecro, vt illius Epistolæ, qua continentur, vt dicunt, interrogationes Augustini Pontificis ac prædicatoris primi Anglorum, & responsiones sancti Gregorij Papæ, exemplar mihi dirigere curetis, in qua inter cætera capitula continetur, quod in tertia generatione propinquitatis, fidelibus liceat matrimonia copulare: & vt scrupulosa cautela diligenter inuestigare studeatis, si illa conscriptio supra dicta Patris nostri sancti Gregorij esse comprobetur, an non; quia in scrinio Romanæ Ecclesiæ, vt affirmant scriniarii, cum cæteris exemplaribus supra dicti Pontificis quæsita non inueniebatur. Præterea de vno peccato commisso vestrũ consilium audire desidero, quod cuidam homini, in matrimonio concedendo, nesciens commisi. quod hoc modo contigit. Homo quidam, sicut multi solent, alterius filium de sacri baptismatis fonte eleuans adoptauit sibi in filium, cuius matrem postea viduatam duxit vxorem, quod Romani peccatum esse asserunt, & capitale peccatum: ita vt in talibus diuortia facere præcipiant: & affirmant, regnantib. Christianis Imperatoribus, illius matrimonij scelus capitali sententia mul-

l. 1. Resp. ...

Supp. q. ... inf. ...

tandum, vel peregrinatione perpetua delendum: vt si hoc in catholicorum Patrum decretis, vel canonibus, A vel etiam in sacro elogio pro tam magno peccato computatum esse inueneritis, indicari mihi curetis, vt & ego intelligendo cognoscam, cuius auctoritatis sit in illo iudicio: quia nullatenus intelligere possum, quare in vno loco spiritualis propinquitas in coniunctione carnalis copulæ tam grande peccatum sit, quando omnes in sacro baptismate Christi & Ecclesiæ filij & filiæ, fratres & sorores esse comprobemur. Similiter rogo, vt mihi studeatis indicare, in quoto anno ab incarnatione Christi, prædicatores primi missi à sancto Gregorio ad gentem Anglorum venissent.

L. eloquio. L. auctoritas. L. carnali grande.

EPISTOLA XVI.

BONIFACIVS CVIDAM

Reuerendissimæ ac dilectissimæ ancillæ Christi N. Bonifacius supplex seruus seruorum Dei, in Christo sinceram charitatis salutem. B

CHARITATIS vestræ clementiam intimis obsecramus precibus, vt pro nobis peccatoribus apud Dominum intercedere curetis: quia multis & varijs tempestatum turbinibus concussi & quassati sumus siue à Paganis, siue à falsis Christianis, seu à fornicariis Clericis, siue à pseudosacerdotibus: & maxime, vt timemus, nostris meritis exigentibus, tribulamur: Sed vt consolemur, & eripiamur orationib. vestris, deprecamur: & confidimus in Domino IESV, quia per orationes vestræ dilectionis, & veniam peccatorum, & tranquillitatem tempestatum inuenire mereamur: quia fidelis promissor Iacobus
Iaco. 5. Apostolus dixit: *Confitemini alterutrum peccata vestra, vt saluemini. Multum enim valet deprecatio iusti assidua.*
1. Ep. 5. 14. Et Ioannes Euangelista in prima Epistola ait: *Scimus quoniam audit nos, quicquid petierimus: Scimus quoniam habemus petitiones quas postulamus ab eo.* Et quia iam de hoc ipso ante deprecatus sum, rogo vt non indignemini, eo quod raro petere non debeo, quod sine intermissione semper fieri desidero: quia quotidiana tribulatio diuina solamina fratrum ac sororum me quærere admonet: Præterea, quia timemus easdem tentationes Satanæ ibi esse, quæ hic sunt, secundum
1. Cor. 15. 58. dictum Apostoli: *Stabiles estote, & immobiles, abun-*
Ib. c. 16. 13. *dantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester*
Matth. 5. *non est inanis in Domino.* Et alibi, *Vigilate, & state in fide, viriliter agite, & confortamini, omnia vestra in charitate fiant.* Et si egestas tangat, dicti Euangelici nolite
Luc. 21. Psal. 9. 19. obliuisci, *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est re-*
2. Cor. 12. *gnum cœlorum.* Si tribulatio veniat, memores estote veritatis dicentis: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*: Et in Psalmo: *Patientia pauperum non peribit in finem.* Si infirmitas corporis, Pauli Apostoli sententia proferatur, quia dixit: *Quando infirmor, tunc potens sum, & virtus in infirmitate perficitur.* D

EPISTOLA XVII.

BONIFACIVS QVIBVSdam Monachis.

L. Zedde. L. Nunfrido.

Charissimis filiis Tatuuino & VVigberto Presbyteris, Bernhardo & Hiedde, Hunfritho, & Stirme Bonifacius seruus seruorum Dei, perennem in Domino salutem.

L. abest tura vel nomen fratris.

PAterno amore dilectionem vestram obsecro, vt eo maiore cura monasterialis normam vitæ custodire studeatis, quo pater vester VVigberthus defunctus est. VVigbertus Presbyter & Magingordus Diaconus regulam vestram vobis insinuent, & speciales horas, & cursum Ecclesiæ custodiant, & cæteros admoneant, & magistri sint infantium, & prædicent verbum Dei fratribus. Hiedde sit præpositus, & seruos vestros admoneat, & Hunfridus adiuuet illum vbicumque opus sit. Stirme in coquina sit. Bernhardus operarius sit, & ædificet domunculas vestras vbi opus sit, & de omnibus, vbicumque vobis necesse sit, insinuet. Tatuuinum Abbatem interrogate, & quodcumque vobis insinuet, hoc facite: Et vnusquisque studeat, secundum vires suas, & proprios mores in castitate conseruare, & in communi vita vos alterutrum adiuuare, & in fraterna charitate permanere, vsque ad præsentiam reuersionis nostræ in Dei voluntate: & tunc simul laudantes Dominum in omnibus ei gratias agamus. Valete in Christo.

L. maiorem mon. L. Meganotaus. L. Hedde. L. Naefriduus.

EPISTOLA XVIII.

BONIFACIVS AD Iammulum.

Reuerendissimo & dilectissimo Filio Iammulo Archidiacono Bonifacius exiguus seruus seruorum Dei amabilem in Christo æternæ charitatis salutem.

SÆpe spiritalis charitas iungit, quos corporaliter longa intercapedine disiungit. Et hæc non minima peregrinationis ærumna esse dinoscitur, quod amicus amicum, quem ardenter diligit, longe disiunctum tristis & mœrens memorat, & aduersantem inimicum prope tribulatorem & molestum difficulter patitur. Vtinam te, frater, peregrinationis huius consolatorem prope habeam, tuo sancto consilio vtar, consolatione gaudeam, aspectu charæ C faciei læter, & sancta exhortatione reficiar. Sed quia hoc fieri vitæ mortalis conditio, & rerum ratio non permittit, faciat vera charitas, solum & maximum quod concedit & præcepit Deus. *Hoc est* Ioan. 15. *præceptum meum, vt diligatis inuicem, &c.* Amet in Deo veraciter absentem, quem corporaliter præsentem tenere nequit. Et sic sanctus Augustinus dixit: Licet vnus sit in Oriente, & alius in Occidente, conglutinati charitate nunquam ad inuicem separantur, & Saluator mundi: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Ergo iuxta Iacobum, qui dixit: *Oratio fidei saluabit infirmum*: Et post pauca: *Orate pro inuicem, vt saluemini*; Oremus pro inuicem, vt saluemur: & pietas Domini, quæ nos in terra separauit, gaudentes in cœlorum culmine congreget. Ioan. 13. Iacob. 5.

EPISTOLA XIX.

BONIFACIVS AD ETHIbaldum Regem Mercionum.

Domino charissimo & in Christi amore cæteris Regibus præferendo inclyta Anglorum imperij sceptra gubernanti Ethibaldo Regi, Bonifacius Archiepiscopus Legatus Germanicus Romanæ Ecclesiæ, & VVera, & Burchart, & VVarbeth, & Abel, & VVilibald Coëpiscopi, perennem in Christo charitatis salutem. L. Aethib. L. Vuetbert.

COnfitemvr coram Deo & sanctis Angelis, quia quãcumque prosperitatẽ vestram video, &

A

opera bona, Deo coram hominibus per nuncios fideles audiuimus, quod inter gaudentes, & pro vobis orantes, læti gratias agimus Deo, poſtulantes & obſecrantes Saluatorem mundi, vt vos ſoſpites & in fide ſtabiles, & in operibus coram Deo rectos, in Principatu Chriſtiani populi, longo tempore cuſtodiat. Quando autem aliqua dilectionis veſtræ iniuria de ſtatu regni veſtri, vel euentu bellorum facta, aut quod maius eſt, de ſalute animæ periculoſum damnum perpetratum per auditum ad nos vſque peruenerit, mœrore & triſtitia nos cruciat: quia gaudio veſtro in Dei voluntate congaudemus, & aduerſitate contriſtamur. Audiuimus enim quod eleemoſynarum plurima facias, & in hoc congratulamur, quia qui eleemoſynas minimis fratribus indigentibus tribuunt, iuxta veritatem Euangelicam, in die iudicij clementem ſententiam à Domino audituri ſunt, dicente: *Quamdiu feciſtis vni ex minimis meis fratribus, mihi feciſtis. Venite benedicti patris mei: poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Audiuimus quoque quod furta & iniquitates, perjuria, & rapinas fortiter prohibeas, & defenſor viduarum & pauperum eſſe dignoſcaris, & pacem ſtabilitam in regno tuo habeas. Et in hoc quoque laudantes Deum gauiſi ſumus, quia ipſa veritas & pax noſtra, quæ eſt Chriſtus, dicebat: *Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.*

Matt. 25. 40. & 34.

Eph. 2. 14. Matt. 5. 9.

C. inter. 1. Iterum. L. extili. ſtimatione.

Sed interim vna malæ æſtimationis fama de vita pietatis veſtræ ad auditum noſtrum peruenit, qua audita contriſtati ſumus, & illam optamus non fuiſſe veram. Multis enim narrantibus compertum eſt nobis, quod nunquam legitimam in matrimonium vxorem duxiſſes, quod à Domino Deo ab ipſo mundi primordio conſtitutum eſt, & per Apoſtolum Domini Paulum præceptum & intimatum, illo docente, *Propter fornicationem autem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque virum ſuum.* Nam ſi hoc, cauſa caſtitatis & abſtinentiæ, facere voluiſti, vt ab vxoris coniunctione pro timore & amore Dei abſtinuiſſes, & hoc verum & impletum coram Deo comprobaueris, & in hoc gaudemus, quia non eſt reprehenſibile, ſed magis laudabile. Si autem quod abſit, vt multi dicunt, nec legitimam accepiſti vxorem, nec caſtitatis abſtinentiam pro Deo ſeruaſti, ſed, libidine dominante, in ſcelere luxuriæ & adulterij famam gloriæ tuæ coram Deo & hominibus confudetis, in hoc valde contriſtamur: quia & in conſpectu Dei flagitium, & coram hominibus famæ veſtræ confuſio eſſe dinoſcitur. Et adhuc, quod peius eſt, qui nobis narrant, adijciunt, quod hoc ſcelus maxime cum ſanctimonialibus, & ſacratis Deo virginibus per monaſteria commiſſum ſit. Nam hoc peccatum duplex eſſe non dubium eſt. Vt verbi gratia dicamus: Cuius vindictæ reus ſit puer apud Dominum ſuum, qui vxorem Domini ſui adulterio violauerit, quanto magis ille, qui ſponſam Chriſti, Creatoris cœli & terræ, putredine ſuæ luxuriæ & libidinis commaculauerit, dicente Beato Apoſtolo, *Anneſcitis, quia corpora veſtra templa ſunt Spiritus ſancti.* Et alibi, *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? ſi quis autem templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Et iterum idolatriæ ſeruituti adulteros & fornicatores in ſermone & numero peccatorum iungit dicens: *An neſcitis, quia iniqui regnum Dei non poſſidebunt, Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis ſeruientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces regnum dei poſſidebunt.* Apud Græcos enim & Romanos quaſi blaſphemiam Domino irrogaſſet qui hoc reus ſit, vt proprie de hoc peccato ante ordinationem interrogatus, ſi reus inuentus fuerit, vt cum velata & conſecrata Domino Nonna concubuiſſet, ab om-

C. inter. minatum. 1. Cor. 7. 2.

1. Cor. 6. 19. & 3. 16.

1. Cor. 6. 9.

B

D

ni gradu Dei ſacerdotij prohibetur.

Propter hoc, fili chariſſime, ſolicite conſiderandum eſt, quanti ponderis hoc peccatum eſſe iudicetur, ante oculos æterni Iudicis, quod facientem inter idololatriæ ſeruos conſtituit, & diuino myſterio altaris abiicit, licet autem, peracta pœnitentia, reconciliatus ſit Deo. Corpora enim per votum propriæ ſponſionis, & per verba Sacerdotis Deo conſecrata, templa Dei eſſe per ſacram Scripturam dicuntur. Et ideo violatores illorum, filij perditionis, iuxta Apoſtolum, eſſe dinoſcuntur. Princeps autem Apoſtolorum Petrus, luxurioſos libidine prohibens dixit: *Sufficit enim præteritum tempus,* & reliqua, vſque *mortuos.* Et, *pretium ſcorti vix vnius panis eſt: mulier autem viri precioſam animam capit.* Et alibi. *Non grandis eſt culpa cum quis furatus fuerit. Furatur enim vt eſurientem impleat animam, deprehenſus quoque reddet ſeptuplum. Qui autem adulter eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam.* Longum eſt enim enarrare quanti ſpiritales medici, huius peccati venenum & horrendum vituperabant, & terribiliter prohibebant, quia pene omnibus peccatis grauior & deterior eſt fornicatio, & veraciter dici poteſt laqueus mortis, & puteus inferni, & vorago perditionis. Propterea obſecramus & obteſtamur, fili chariſſime, clementiam tuam per Chriſtum filium Dei, & per aduentum eius, & regnum ipſius, vt ſi hoc verum ſit, quod in iſto ſcelere verſaris, & vitam tuam pœnitendo corrigas, & purificando emendes. Et memor eris, quia indecens eſſe comprobatur, vt imaginem Dei, quæ in te creata eſt, per luxuriam ad imaginem & ſimilitudinem maligni diaboli conuerteris. Et tu, quem non propria merita, ſed larga pietas Dei Regem ac Principem multorum conſtituit, teipſum ſeruum maligno ſpiritui per luxuriam conſtituas, quia iuxta dictum Apoſtoli, Quodcunque peccatum fecerit homo, huius ſeruus eſt. Non ſolum à Chriſtianis, ſed etiam ab ipſis Paganis in opprobrium & verecundiam deputatur, quia ipſi Pagani verum Deum ignorantes, naturaliter quæ legis ſunt, & quod ab initio Deus conſtituit, cuſtodiunt in hac re, quia propriis vxoribus matrimonii fœdera ſeruantes fornicatores & adulteros puniunt. Nam in antiqua Saxonia, ſi virgo paternam domum cum adulterio maculauerit, vel ſi mulier maritata, perdito fœdere matrimonii adulterium perpetrauerit, aliquando cogũt eam propria manu per laqueum ſuſpenſam vitam finire, & ſuper buſtum illius incenſæ & concrematæ corruptorem eius ſuſpendunt: aliquando, congregato exercitu fœmineo, flagellatam eam mulieres per pagos circumquaque ducunt, virgis cædentes & veſtimenta ei abſcindentes iuxta cingulum, & cultellis ſuis totum corpus eius ſecantes & pungentes, minutis vulneribus cruentam & laceratam de villa ad villam mittunt, & occurrunt ſemper nouæ flagellatrices, zelo pudicitiæ adductæ, vſq; dum eam aut mortuam, aut vix viuam derelinquunt: vt cæteræ timorem adulterandi, & luxuriandi habeant, & Vvinedi, quod eſt fœdiſſimum & deterrimum genus hominum, tam magno zelo matrimonii amorem mutuum ſeruant, vt mulier, viro proprio mortuo, viuere recuſet; & laudabilis mulier inter illas eſſe iudicatur, quæ propria manu ſibi mortem intulit; vt in vna ſtrue pariter ardeat cum viro ſuo. Sic ergo Gentiles, qui Deum neſciunt, & legem non habent, iuxta dictum Apoſtoli, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, & oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Præterea, fili chariſſime, cum tu Chriſtianus & verus Dei cultor eſſe cognominaris, ſi in iuuentute adoleſcentiæ tuæ putredine luxuriæ inquinatus, & fœtore adulterii inuolutus, & voragine libidinis, quaſi puteo inferni demerſus fueris, iam tempus eſt, vt memor Domini tui à Diaboli laqueis reſipiſcas; & à fœtore luxuriæ ſordidatam animam laues. Iam tempus eſt vt pro ti-

1. Pet. 4. 3. & 4. 6. Prou. 6. 26.

C. 1. L. Tã eſt preciu. Prou. 6. 26. 30.

Rom. 6. 17. 2. Pet. 2. 19. Ioan. 8. 34. Rom. 2. 14.

C. 1. ſedat.

C. 1. vſque ad. 1. Vvinedi.

C. 1. & in. C. 1. Cum ergo. Rom. 1. 9. 14. & 15.

more Creatoris tui tale piaculum iterare & maculare vltra non præsumas. Tempus est, vt multitudini pereuntis populi parcas, quæ sequendo exempla peccantis Principis, cadebat in puteum mortis, quia quantoscunque vel per bona exempla ad vitam cœlestis patriæ contrahimus, vel per mala exempla ad perditionem sequentes præibimus, de tantis procul dubio ab æterno Iudice vel pœnas vel præmia accepturi sumus. Si enim gens Anglorum, sicut per istas prouincias diuulgatum est & nobis in Francia & Italia improperatur, & abipsis Paganis improperium est, spretis, legalibus connubijs, luxuriando & adulterando ad instar Sodomitanæ gentis, fœdam vitam vixerit, de tali commixtione meretricum æstimandum est degeneres populos, & ignobiles, & furentes libidine fore procreandos: & ad extremum vniuersam plebem ad deteriora & ignobiliora vergentem, & nouissime nec in bello sæculari fortem, nec in fide stabilem, & nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem esse venturam, sicut alijs gentibus Hispaniæ, & prouinciæ, & Burgundionum populis contigit, quæ sic à Deo recedentes fornicatæ sunt, donec Iudex omnipotens talium criminum vltrices pœnas per ignorantiam legis Dei, & per Saracenos venire & sæuire permisit. Et notandum, quod in illo scelere aliud immane flagitium subter latet, id est, homicidium, quia dum illæ meretrices siue monasteriales, siue seculares male conceptas soboles in peccatis genuerint, eas sæpe maxima ex parte occidunt, non implentes Christi Ecclesias filijs adoptiuis, sed tumulos corporibus, & inferos miseris animabus satiantes.

Præterea nunciatum est nobis, quod multa priuilegia Ecclesiarum & monasteriorum fregisses & abstulisses inde quasdam facultates. Et hoc si verum est, peccatum grande esse dinoscitur, testante sacta Scriptura, quæ ait: *Qui abstulerit aliquid patri vel matri, & dicit, hoc non est peccatum homicida particeps est.* Pater noster siue dubio Deus est, qui nos creauit, mater nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo, spiritaliter generauit. Ergo qui Christi pecunias & Ecclesiæ fraudabit vel rapiet, homicida ante conspectum iusti Iudicis esse deputabitur. De quo quidam sapientium dicebat. Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem facit: qui autem pecuniam Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit.

Et dicitur quod Præfecti & Comites tui maiorem violentiam, & seruitutem Monachis & Sacerdotibus irrogent, quam cæteri ante, Christiani Reges fecissent. Igitur postquam Apostolicus Pontifex sanctus Gregorius ab Apostolica sede missis prædicatoribus Catholicæ fidei gentem Anglorum ad Deum verum conuertit, priuilegia Ecclesiarum in regno Anglorum intemerata & inuiolata permanserunt vsque ad tempora Ceolredi Regis Mercionum, & Osredi Regis Deirorum & Berniciorum. Hi duo Reges, hæc duo peccata maxima in prouincijs Anglorum, diabolico instinctu, suis exemplis sceleratis contra præcepta Euangelica & Apostolica Saluatoris nostri publice facienda monstrauerunt, & in istis peccatis commorantes, id est, in superstitione & adulterio Nonnarum, & fractura monasteriorum, iusto iudicio Dei damnati, de culmine regali huius vitæ abjecti, & immatura & terribili morte præuenti, à luce perpetua extranei, in profundum inferni, & tartarum abyssi demersi sunt. Nam Ceolredum præcessorem venerandæ Celsitudinis tuæ, vt testati sunt, qui præsentes fuerant; apud Comites suos splendide epulantem malignus spiritus, qui cum ad fiduciam damnandæ legis Dei suadendo pellexit, peccãtem subito in insaniam mentis conuertit, vt sine pœnitentia, & confessione furibundus, & amens, & cum diabolo sermocinans, & Dei sacerdotes abominans, de hac luce sine dubio ad tormenta inferni migrauit. Osredum quoque Spiritus luxuriæ fornicantem, &, per monasteria Nonnarum, sacratas virgines stuprantem, & furentem agitauit, vsque quo ipse gloriosum regnum & iuuenilem vitam, & ipsam luxuriosam vitam contemptibili & despecta morte perdidit.

Quapropter, fili charissime, caue tibi à fouea in quam vidisti coram te alios incidisse. Caue tibi à jaculis antiqui hostis, per quæ propinquos proprios coram te vulneratos cadere vidisti. Attende tibi à laqueo insidiatoris, in quo notos & commilitones tuos videbas strangulatos, & præsentem vitam & futuram perdere. Noli talium ad perditionem exempla sequi. Tales enim, iuxta Prophetiam sactæ Scripturæ, sunt, *qui angustiauerunt* iustos, & *qui abstulerunt labores eorum*, in die iudicij dicturi sunt: *Errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis.* Et *sol non est ortus in nobis, & viam Domini ignorauimus: & quid nobis profuit superbia? aut quid diuitiarum iactatio contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius præcurrens: & tanquam nauis quæ pertransit, cuius non est vestigium inuenire: aut tanquam auis transuolans in aëre.* Et post pauca: *Sic & nos nati continuò desiuimus esse, in malignitate namque consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi qui peccauerunt, quoniam spes impij tanquam lanugo est quæ à vento tollitur: & tanquam spuma gracilis, quæ à vento diffusa est, & tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis.* Et alias. *Numerus dierum vitæ hominis, si multum; centum anni, quasi paruula gutta, de magno mari deputatus est.* Hæc enim omnia, secundum auctoritates sacræ Scripturæ, rerum collatione simillima sunt. Sic & Iacobus frater Domini & Apostolus de impio diuite disputans dixit: *Sicut flos fœni transibit, Exortus est enim sol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperijt, ita & diues in itineribus suis marcescet.* Et ipsa Veritas in Euangelio proponens, dixit; *Quid enim proderit homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?*

EPISTOLA XX.

BONIFACIVS BVGGAN Abbatissæ.

Dominæ dilectissimæ & in amore Christi omnibus cæteris fœminei sexus præferendæ sorori Buggan, Abbatissæ, Bonifacius exiguus indignus Episcopus in Christo salutem.

NOtum sit tibi, soror charissima, de illo consilio, quo me dignum per litteras interrogasti, quod ego tibi iter peregrinum nec interdicere per me, nec audenter suadere præsumo. Sed quod visum est dicam. Si enim solicitudinem, quam erga seruos Dei & ancillas, & monasterialem vitam habuisti, propter acquirendam quietem & contemplationem Dei dimisisti, quomodo debes nunc secularium hominum verbis & voluntatibus seruire cum labore & tediosa solicitudine? Melius esse mihi videtur, si propter sæculares in propria libertatem quietæ mentis habere nullatenus possis, vt per peregrinationem, libertatem contemplationis, si volueris & possis, acquiras; quemadmodum soror nostra VVietberga faciebat, quæ mihi per suas litteras intimauit, quod talem vitam quietam inuenisset iuxta limina sancti Petri, qualem longum tempus desiderando quæsiuit. De isto autem tuo desiderio illa mihi mandauit (quia de te ad illam scripsi) vt expectes, donec rebelliones & tentationes, & minæ Saracenorũ, quæ apud Romanos nuper emerserunt, conquieuerint, & quoadusque illa, Deo volente, suas litteras inuitatorias ad te dirigat. Et hoc mihi optimum videtur esse: & præpares tibi necessa-

ria itineris, & sustineas verbum eius, & postea, quod pietas Domini iusserit, facias. De conscriptione autem sententiarum, de qua rogasti, peccatis meis indulgere debes: quia propter instantes labores, & itinera continua, adhuc perfecte conscriptum quod rogasti, non habeo: sed cum impleuero, ad præsentiam dilectionis tuæ transmittere curabo. De munetibus (l. habeam.) namque, id est, vestimentis, quæ misisti, gratias agentes, Deum omnipotentem rogamus, vt tibi præmium remunerationis æternæ cum Angelis & Archangelis in alto cœlorum culmine reponat. Obsecro igitur per Deum sororem charissimam, imo Matrem ac Dominam dulcissimam, vt assidue pro me orare dignetur; quia pro peccatis meis, multis tribulationibus fatigor, & multo maiore mentis tribulatione & sollicitudine, quam corporis labore conturbor. Fidem inter nos antiquam nunquam deficere scias. Vale in Christo.

EPISTOLA XXI.

BONIFACII AD EADBURGAM Abbatissam notabilis epistola.

Beatissimæ virgini, imo dilectissimæ dominæ Eadburgæ, monasticæ normulæ conuersationis emeritæ, Vuinfredus exiguus in Christo Iesu intimæ charitatis salutem.

(L. Cadeburgæ.) ROgabas me, soror charissima, vt admirandas visiones de illo rediuiuo, qui nuper in monasterio Milburgæ Abbatissæ mortuus est, & reuixit, quæ ei ostensæ sunt, scribendo intimare & transmittere curarem, quemadmodum istas veneranda Abbatissa (L. Hildelida.) Hebelida referente didici. Modo siquidem gratias omnipotenti Deo refero, quia in hoc dilectionis tuæ voluntatem eo plenius liquidiusque, Deo patrocinium præstante, implere valeo, quia ipse cum supra dicto fratre rediuiuo, dum nuper de transmarinis partibus ad istas peruenit regiones, locutus sum, & ille mihi stupendas visiones, quas extra corpus suum raptus in Spiritu vidit, proprio exposuit sermone.

(C. l. violentia.) Dicebat quippe, se per violentæ ægritudinis dolorem corporis grauedine subito exutum fuisse; & simillimum esse collatione, veluti si videntis & vigilantis hominis oculi densissimo tegmine velentur, & subito auferatur velamen, & tunc perspicua sint omnia quæ ante non visa & velata, & ignota fuerunt: sic sibi, abjecto terrenæ velamine carnis, ante conspectum vniuersum collectum fuisse mundum, vt cunctas terrarum partes, & populos, & maria sub vno conspectu contueretur, & tam magnæ claritatis & splendoris Angelos, cum egressum de corpore suscepisse, vt nullatenus præ nimio splendore in eos aspicere potuisset, qui jocundis & consonis vocibus canebant: *Domine* (Psalm. 37.) *ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me,* (L. subleuabant me.) & subleuabant me in aera (dixit) sursum, & in circuitu (I. subter leuabant.) totius mundi ignem ardentem videbam, & flammam immensæ magnitudinis anhelantem, & terribiliter ad superiora ascendentem, non taliter pene, quã (C. L. complecteretur.) vt sub vno globo totius mundi machinam complectetetur, nisi eam sanctus Angelus, impresso signo sanctæ crucis Christi, compesceret: Quando enim in obuiam minaeis flammæ signum crucis Christi expresserat, tunc magna flamma ex parte decrescens residit, & istius flammæ terribili ardore intolerabiliter torquebar, oculis maxime ardentibus, & splendore fulgentium spirituum reuerberatis, donec splendidæ visionis Angelus manus suæ impositione caput meum quasi protegens tangebat, & me à læsione flammarum tutum reddidit. Præterea referebat, illo in temporis spatio, quo extra corpus fuit, tam magnam animarum migrantium de corpore multitudinem illuc, vbi ipse fuit, conuenisse, quam totius humani generis in terris non fuisse antea existimaret: innumerabilem quoque malignorum spirituum turbam, nec non & clarissimum chorum supernorum Angelorum affuisse narrauit: & maximam inter se miserrimos spiritus & sanctos Angelos de animabus egredientibus de corpore disputationem habuisse, Dæmones accusando & peccatorum pondus grauando: Angelos vero releuando, & accusando: Et seipsum omnia audisse flagitiorum propria peccamina quæ fecit à juuentute sua, & ad confitendum aut neglexit, aut obliuioni tradidit, vel ad peccatum pertinere omnino nesciebat, (l. dicendo quodam. l. dicens quodam. l. Alius.) ipsius propria voce contra illum clamasse, & eum dirissime accusasse, & specialiter vnumquodque vitium, quasi ex sua persona in medium se obtulisse, dicendo, quodam: Ego sum cupiditas tua, qua illicita frequentissime & contraria præceptis Dei concupisti:

B Quodam vero: Ego sum vana gloria, qua te apud homines jactanter exaltasti. Alio: Ego sum ociosum verbum, quod inaniter locutus fuisti. Alio: Ego visus, quo videndo illicita peccasti. Alio: Ego contumacia & inobedientia, qua senioribus spiritalibus inobediens fuisti. Alio: Ego torpor & desidia in sanctorum studiorum neglectu. Alio: Ego vaga cogitatio, & inutilis cura, qua te supra modum siue in Ecclesia, siue extra Ecclesiam occupabas. Alio: Ego somnolentia, qua oppressus tarde ad confitendum Deo surrexisti. Alio: Ego iter ociosum. Ego sum negligentia & incuria qua detentus erga studium diuinæ lectionis incuriosus fuisti, & cætera his similia omnia, quæ in diebus vitæ suæ in carne conuersatus peregit, & confiteri neglexit.

Multa quoque, quæ ad peccatum pertinere omnino ignorabat, contra eum cuncta terribiliter vocife- (C. l. vociferabant.)

C rabantur. Similiter & maligni Spiritus, in omnibus, vitiis consonantes, accusando, & duriter testificando, & loca & tempora nefandorum actuum memorantes, eadem, quæ peccata dixerunt, conclamantes probabant. Vidit quoque ibi hominem quendam, cui jam in sæculari habitu degens vulnus inflixit, quem adhuc in hac vita superesse referebat, ad testimonium malorum suorum adductum, cuius eruentatum & patens vulnus, & sanguis ipse propria voce clamans improperabat & imputabat ei crudele effusi sanguinis crimen, & sic cumulatis & computatis sceleribus, & antiquum hostem affirmabat eum reum peccatorem, juris eorum & conditionis indubitanter fuisse. E contra autem (dixit) excusantes me clamitabant paruæ virtutes animæ, quas ego miser indigne & imperfecte peregi. Quædam dixit: Ego sum obedientia, quam senioribus spiritalibus exhibuit; quædam: Ego sum ieiunium, quo corpus suum contra desiderium carnis pugnans castigauit. Alia: Ego pura oratio, quam effundebat in conspectu Domini. Alia: Ego sum obse-

D quium infirmorum, quod clementer ægrotantibus exhibuit. Quædam, Ego sum psalmus, quem pro ocioso sermone satisfaciens Deo cecinit. Et sic vnaquæque virtus contra æmulum suum peccatum, excusando me, clamitabat: & has illi immensæ charitatis Angelici Spiritus magnificando, defendentes me, (l. actæ. l. multo.) affirmabant. Et istæ virtutes vniuersæ valde auctæ, & multo maiores & excellentiores mihi esse videbantur, quam vnquam viribus meis digne perpetratu fuissent.

Interea referebat se quasi in inferioribus, in hoc [illegible] mundo vidisse igneos puteos horrendam eructantes flammam plurimos, & erumpente terra terribilis flãmæ ignes volitasse, & miserorum hominum spiritus in similitudine nigrarum auium, per flammam plorantes & vlulantes, & verbis & voce humana frendentes, & lugentes propria merita, & præsens supplicium,

consedisse paululum, hærentes in marginibus puteorum: & iterum eiulantes cecidisse in puteos. Et vnus ex Angelis dixit: Paruissima hæc requies indicat, quia omnipotens Deus in die futuri iudicij his animabus refrigerium supplicij, & requiem perpetuam præstiturus est. Sub illis autem puteis adhuc in inferioribus, & in imo profundo, quasi in inferno inferiori, audiui horrendum & tremendum, & dictu difficilem gemitum, & fletum lugentium animarum. Et dixit ei Angelus: Murmur & fletus, quem in inferioribus audis illarum est animarum, ad quas nunquam pia miseratio Domini perueniet: sed æterna illas flamma sine fine cruciabit.

Vidit quoque miræ amœnitatis locum, in quo pulcherrimorum hominum gloriosa multitudo miro lætabatur gaudio, qui eum inuitabant, vt ad eorum gaudia, si ei licitum fuisset, cum ijs gauisurus veniret; & inde miræ dulcedinis fragrantia veniebat, quæ beatorum halitus fuit ibi congaudentium spirituũ, quem locum sancti Angeli affirmabant, famosum esse Dei paradisum. Nec non & igneum piceumque flumen bulliens & ardens miræ formidinis & teterrimæ visionis cernebant, super quod lignum pontis vice positum erat, ad quod sanctæ gloriosæque animæ ab illo secedentes conuentu, properabant, desiderio alterius ripæ, transire cupientes, & quædam non titubantes constantet transibant: quædam vero labefactæ de ligno cadebant in tartareum flumen: & aliæ tingebantur quasi toto corpore mersæ: aliæ autem ex parte quadam veluti ad genua, quædam vsque ad genua medium: quædam vero vsque ad ascellas: Et tamen vnaquæque cadentium multo clarior, speciosiorque de flumine in alteram ascendebat ripam, quam prius in piceum bulliens cecidisset flumen. Et vnus ex beatis Angelis, de illis cadentibus animabus dixit. Hæ animæ sunt, quæ post exitum mortalis vitæ, quibusdam leuibus vitijs non ad purum abolitis, aliqua pia miserentis Dei castigatione indigebant, vt Deo dignæ offerantur. Et citra illud flumen speculatus muros fulgentes clarissimi splẽdoris, stupendæ longitudinis, & altitudinis immensæ, & sanctos Angelos dixisse: Hæc est enim illa sancta & inclyta ciuitas cœlestis Hierusalem, in qua istæ perpetualiter sanctæ gaudebunt animæ. Illas itaque animas, & istius gloriosæ ciuitatis muros, ad quam post transitum fluminis festinabant, tam magna immensi luminis claritate & fulgore splendẽtes esse dixit, vt reuerberatis oculorum pupillis, pręnimio splendore in eos nullatenus aspicere potuisset.

C. I. alitus. L. anit'. — L. genua media. F. genu mediũ vel & mediũ. — L. axillas. — C. I. hæc

Narrauit quoque ad illum conuentum, inter alias venisse cuiusdam hominis animam, qui in Abbatis officio defunctus est, quæ speciosa nimis & formosa esse visa est, quam maligni spiritus rapientes, contendebant fortis eorum & conditionis fuisse. Respondit ergo vnus ex choro Angelorum dicens: ostendam vobis cito, miserrimi spiritus, quia vestræ potestatis anima illa probatur non esse. Et his dictis, repente interuenit magna cohors candidarum animarum, quæ dicebant; senior doctor noster fuit, iste, & nos omnes suo magisterio lucratus est Deo: & hoc pretio redemptus est, & vestri iuris non esse dinoscitur, & quasi cum Angelis contra dæmones pugnam inirent. & adminiculo Angelorum eripientes illam animam de potestate malignorum spirituum liberauerunt. Et tum increpans Angelus Dæmones, dixit; Scitote modo, & intelligite, quod animam istam sine iure rapuistis: & discedite miserrimi spiritus in ignem æternum. Cum vero hæc dixisset Angelus, ilico maligni spiritus leuauerunt fletum magnum in momento, & quasi in ictu oculi, pernici volatu jactabant se in supra dictos puteos ignis ardentis, & post modicum interuallum emersi, certantes in illo conuentu iterum de animarum meritis disputabant. Et diuersorum hominum in hac vita merita commorantium, dicebat se in illo tempore speculari potuisse: & illos qui sceleribus obnoxij non fuerunt, & qui sanctis virtutibus fieri proprium omnipotentem Deum habuisse noscebantur, ab Angelis semper tutos ac defensos, & ijs charitate & propinquitate conjunctos fuisse. Illis vero, qui nefandis criminibus, & maculatæ vitæ sordibus polluti fuerunt, aduersarium spiritum assidue sociatum, & semper ad scelera suadentem fuisse. Et quandocunque verbo vel facto peccauerunt, hoc jugiter, quasi ad lætitiam & gaudium, alijs nequissimis spiritibus in medium proferens manifestauit, & quando homo peccauit, nequaquam malignus spiritus sustinuit moram faciens expectando donec iterum peccaret: sed sigillatim vnumquodque vitium ad notitiam aliorum spirituum offerebat, & subito apud hominem peccata suasit, illico apud dæmones perpetrata demonstrauit.

C. I. cũ.

Interea narrauit se vidisse puellam quandam in hac terrena vita molentem in mola, quæ vidit iuxta se alterius nouam colum sculptura variatam, & pulchra ei visa fuit, & furata est illam. Tunc quasi ingenti gaudio repleti quinque teterrimi spiritus hoc furtum alijs in illo referebant conuentu, testificantes illam furti ream, & peccatricem fuisse. Intulit quoque: fratris cuiusdam, qui paulo ante defunctus est, animam tristem ibi videbam, cui antea ipse in infirmitate exitus sui ministraui, & exequias præbui, qui mihi moriens præcepit, vt fratri illius germano, verbis illius testificans, demandarem, vt ancillam quandam, quam in potestate communiter possederunt, pro anima eius manumitteret. Sed germanus eius, auaritia impediente, petitionem eius non impleuit: & de hoc supra dicta anima per alta suspiria accusauit fratrem infidelem, & increpans grauiter querebatur. Et similiter testatus de Ceolredo Rege Mercionum, quem illo tamen tempore, quo hæc visa sunt, in corpore fuisse non dubium est, quem, vt dixi, videbat angelico quodam vmbraculo contra impetum dæmoniorum, quasi libri alicuius magni extensione, & superpositione defensum. Ipsi Dæmones anhelando rogabant Angelos, vt ablata defensione illa, ipsi permitterentur crudelitatis eorum voluntatem in eo exercere. Et imputabant ei horribilem ac nefandam multitudinem flagitiorum, & minantes dicebant, illum sub dirissimis inferorum claustris claudendum, & ibi, peccatis promerentibus, ęternis doloribus cruciandum esse. Tunc Angeli solito tristiores facti dicebant: Proh dolor! quod homo peccator iste semetipsum plus defendere non permittitur, & ob ipsius propria merita nullum ei adjutorium possumus præbere. Et auferebant superpositi tutaminis defensionem. Tunc dæmones gaudentes & exultantes, de vniuersis mundi partibus congregati, majori multitudine, quam omnium animantium in sæculo fieri existimaret, diuersis vero tormentis inæstimabiliter fatigantes lacerabant. Tum demum beati Angeli præcipiebant ei, qui hæc omnia extra corpus suum raptus, spiritali contemplatione vidit, vt sine mora rediret ad proprium corpus, & vniuersa, quæ illi ostensa fuerunt, credentibus & intentione diuina interrogantibus manifestare non dubitaret: insultantibus autem, narrare denegaret: & vt cuidam mulieri, quæ inibi in longinqua regione habitabat, eius perpetrata peccata per ordinem exponeret, & ei intimaret; quod omnipotentem Deum potuisset per satisfactionem repropitiare sibi, si voluisset. Et vt cuidam Presbytero Buggam istas spiritales visiones cunctas exponeret: Et prius ea quemadmodum ab illo instructus fieret hominibus pronuntiaret. Propria quoque peccata, quæ illi à spiritibus immundis imputata fuerunt; confessa, supra dicti Presbyteri iudicio emendaret: & ad indicium Angelici præcepti, Presbytero testificari, quia jam per plurimos annos zonam ferream circa

L. ex eo quia. C. I. exequia, f. obsequia. — At hoc loco in C. sordidatæ ac fugientes erãt litteræ affixa erat chartula, sic: Hæc epistola non est descripta, quia nõ potest legi. — L. animarum C. æstimaret. — I. mihi. — L. speciales f. nec pri' eas quá ab. — L. & postea. — I. L. qui iam.

lumbos, nullo hominum conſcio, amore Domini cogente, habuerat. Proprium vero corpus dicebat, ſe dum extra fuerat, tam valide perhorruiſſe, vt in omnibus viſionibus nihil tam odibile, nihil tam deſpectum, nihil tam dirum fœtorem euaporans, exceptis dæmonibus & igne flagranti, videret, quam proprium corpus: & fratres eius conſetuos, quos iutuitus eſt exequias corpori ſui clementer exhibere, ideo perhorruit, quia inuiſi corporis curam egerunt.

L. obſequia.

Iuſſus tamen ab Angelis primo diluculo redire ad corpus, qui primo gallicinio exierat de corpore. Rediuiuo autem in corpore, plena ſeptimana nil omnino corporalibus oculis videre potuit: ſed oculi veſicis pleni frequenter ſanguine ſtillauerunt. Et poſtea illa de Presbytero religioſo, & peccatrice muliere ſicut et ab Angelis manifeſtatum eſt, ita illis proſitentibus verum eſſe probauit. Subſequens autem & citra ſceleratì Regis exitus quæ de illo viſa vera fuerunt, eſſe procul dubio probauit. Multa alia & his ſimilia referebat ſibi oſtenſa fuiſſe, quæ de memoria labefacta per ordinem recordari nullatenus potuiſſet. Et dicebat ſe poſt iſtas viſiones mirabiles tam tenacis memoriæ non fuiſſe vt ante fuerat. Hæc autem quæ te diligenter flagitante ſcripſi, quod tribus mecum religioſis & valde venerabilibus fratribus in communione audientibus expoſuit, qui mihi in hoc ſcripto aſtipulatores fideles teſtes eſſe dinoſcuntur. Vale veræ virgo vitæ, vt & viuas angelice Rectori te & rumore regues ſemper in æthere Chriſtum.

I. gallicinio ſ conticinio.
L. ſuſei pleno.
Bar p. 24. Locus deprauat' forte ſic vere virgo. vita vt & viuas Angelica, recto ritu & timore roges ſempee in æthere Chriſtum.

EPISTOLA XXII.

BONIFACIVS DVDDO Abbati.

Dilecto filio Duddo Abbati Bonifacius, qui & vt Vuinfredus ſeruorum Dei ſeruus optabilem in Chriſto charitatis ſalutem.

E: 9 14 V ne derelinquas.

MEmorem te eſſe, fili chariſſime, deſidero ſapientis cuiuſdam ſententiæ, qua dixit. *serua antiquum amicum*, vt antiquæ amicitiæ quam in pueritia iam olim cœpimus & ſeruauimus, in ſenectute non obliuiſcaris: ſed recorderis patris tui iam nunc decrepiti & membris omnibus ad viam vniuerſę terræ vergentis. Et licet parum doctus pręceptor fuiſſem, tamen tibi omnium deuotiſſimus, vt ipſe teſtis es, eſſe ſtudui. Illius deuotionis memor iam, ſenis, Germanici tempeſtatibus maris vndique quaſſantibus fatigati miſerere. Hoc eſt, vt orationibus ad Deum fuſis, me ſubleuare ſtudeas: & in ſanctis ſcripturis adjuuare, maxime, in ſanctorum Patrum ſpiritalibus tractatibus, quia ſpiritalis tractatus, magiſter legentium ſactū eloquium eſſe dinoſcitur. Rogo vt mihi, in adjutorium diuinæ ſcientiæ, partem tractatus ſuper Apoſtolum Paulum, qui mihi deeſt, mittere digneris. Habeo enim ſuper duas Epiſtolas tractatus, id eſt, ad Romanos & ad Corinthios primam: ſimiliter quidquid in ſacro ſcrutinio inueneris, & mihi vtile eſſe arbitreris, & me latere, vel ſcriptum non habere æſtimes, inſinuare, ſicut fidelis filius, licet ruſtico Patri, & reſcripta beatitudinis tuæ dirigere dignare: & ſi tibi placuerit, vt ſemper ambo inter nos, ita faciamus. Et quidquid tibi filius meus Eoba Presbyter gerulus litterarum meatum verbo indicauerit de matrimonio commatrum, quarum in baptiſmo filios ſuſcepimus, in ſcripturis quære, vnde iudicetur capitale peccatum eſſe apud Romanos. Et ſi alicubi in ſcripturis Eccleſiaſticis de hoc peccato diſputatum aliquid repereris, mihi manifeſtare non dubites, valere dilectionem beatitudinis tuæ, & proſperis ſucceſſibus proficere in Chriſto optamus.

I. ſcrinio.
Sap. 11. 13.

EPISTOLA XXIII.

Reuerendiſſimo fratri, & ſpiritalis germanitatis propinquitate connexo, Bonifacius, exiguus ſeruus ſeruorum Dei, perennem in Chriſto charitatis ſalutem.

CLementiam fraternitatis veſtræ intimis flagitamus precibus, vt noſtræ mediocritatis memores intercedere dignemini, quia peccatis noſtris exigētibus periculoſi maris tempeſtatibus vndique quatimur: rogantes, vt ille, qui *in altis habitat, & humilia reſpicit*, indulgens flagitia, præſtet nobis verbum *in apertione oris noſtri, vt currat & clarificetur* inter gentes Euangelium gloriæ Chriſti.

Pſ. 112 6
Epheſ 6 9
2 Theſ. 31.

EPISTOLA XXIV.

Venerando fratri Aldherio Abbati Bonifacius, exiguus ſeruus ſeruorum Dei in Chriſto ſalutem.

CHaritatis veſtræ clementiam medullatis, & intimis præcordiorum obſecramus precibus, vt in veſtris ſacroſanctis orationibus, intercedendo noſtri memores eſſe dignemini, & almitatis veſtræ precibus imploretis, vt pius Dominus, qui cauſa eſt peregrinationis noſtræ, nauem fragilitatis noſtræ, ne fluctibus Germanicarum tempeſtatum ſubmergatur, dextera ſua protegente & gubernante, illæſam cuſtodiendo ad cœleſtis Hieruſalem littus tranquillum perducat. Salutate omnes fratres ſanctæ congregationis veſtræ, noſtros in Deo chariſſimos, in oſculo dilectionis ac deuotionis noſtræ. Commendamus ſcilicet & nos veſtris orationibus, vt ſiue viuentes, ſiue morientes, veſtræ communioni charitatis ſociemur, & vt hoc ita firmetur deuotione fraternæ charitatis à vobis iuxta voluntatem clementiæ veſtræ promereri volumus, in quantum poteſtas profectum attribuerit. Petimus quoque, vt pro Gemanicis gentibus idolorum culturæ deditis intercedere curetis: rogantes Dominum, qui pro totius mundi ſalute proprium ſanguinem fudit, & *vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*, vt eas ad agnitionem Creatoris, & ad gremium matris Eccleſiæ conuertat. Similiter, vt pro dormientium fratrum animabus, qui nobiſcum laborabant in Domino orationum adjuuamina, & Miſſarum ſolemnia celebrare faciatis precamur, quorum nomina gerulus harum literarum demonſtrauit. Valere beatitudinem veſtram & ſanctis ſucceſſibus proficere in Chriſto diligenter optamus.

C gētis dolorū.
1 Tim. 2. 4.
Oratio pro defunctis. Miſſa.

EPISTOLA XXV.

BONIFACIVS QVIBVSDAM monialibus.

Venerandis & amandis chariſſimis ſororibus Leobgutha & Tecla, nec non & Cynehilda, & omnibus in Chriſto diligendis ſororibus vobis cohabitantibus æterna charitatis ſalutem.

L. Leogbatæ. Bedde. I Dedæ

OBſecro, & præcipio quaſi filiabus chariſſimis, quemadmodum vos viam inceſſanter facere, & feciſſe, & facturas eſſe confidimus, vt veſtris orationibus crebris Dominum deprecemini, vt *liberemur*, juxta dictum Apoſtoli *ab importunis & malis hominibus. Non enim omnium eſt fides.* Et ſcitote, quia Deum laudamus, & tribulationes cordis noſtri dilatatæ ſunt, vt Dominus Deus, qui eſt refugium pauperum, & ſpes

2. Theſ. 3. 2.
Pſ. 9. 10

humiliũ, de necessitatibus nostris & de tentationibus 1.Cor 15 50 huius sæculi nequam eripiat nos, vt sermo Domini A currat, & clarificetur gloriosum Euangelium Christi, vt *gratia Domini in me vacua* non fiat. Et quia vltimus & pessimus sum omnium Legatorum, quos Catholica & Apostolica Romana Ecclesia ad prædicandum Euangelium destinauit, vt omnino sine fructu Euangelij sterilis non moriar, & vacuus filiorum & filiarum Mat.25. 25. numero non reuertar, ne de abscondito talento, Domino veniente, reus esse iudicer, nec peccatis exigentibus, vice laboris pro mercede, vltionem infructuosi laboris accipiam ab eo, qui misit me. Multi enim (quod peius est) quos, oues in futuro iudicio ad dexteram Christi ponendos fore censebam, versa vice, putidæ & petulcæ, & ad sinistram statuendæ capellæ esse dinoscuntur. Et pietatem Domini precamini, vt Ps. 50. Spiritu principali confirmet cor meum Deus, qui me Ioan.10. indignum pastorem in populo vocari voluit, lupo veniente, more mercenarij non fugiam: sed exemplo boni pastoris, agnos pariter cum matribus, Ecclesiam B scilicet Catholicam cum filijs & filiabus suis, contra hæreticos, & schismaticos, vel hypocritas fideliter ac fiducialiter defensare studeam. Præterea, *quia dies mali sunt, nolite esse imprudentes, sed intelligentes quæ sit* Ephes.5 16. *voluntas Dei. Quamobrem vigilate, & state in fide, &* V. serti. *viriliter agite, & confortamini. Omnia vestra cum charitate* 1.Cor.16 13. *fiant*: & iuxta Euangelium, *In patientia vestra possidebitis animas vestras*. Et recordamini sanctor Apo- C. I. L. confortamini, & st. stolorum & Prophetarum, quia multum laborauerunt in Domino; ideo adepti sunt præmia sempiterna. Et iuxta Psalmistam. *Multæ tribulationes iustorum,* Luc.21. 19. *& de his omnibus liberabit eos Dominus*: & iuxta Euangelium, *qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Psa.33. 20. Mat 10. 2. & c. 24.13.

EPISTOLA XXVI.

Bonifacius seruus seruorum Dei Griponi filio Carlo optabilem in Christo salutem. C

OBsecro & adjuro pietatem vestram per Deum Patrem omnipotentem, & per Iesum Christum filium eius, & per Spiritum sanctum, per sanctam Trinitatem, & vnitatem Dei vt si tibi Deus potestatem donauerit, vt adjuuare studeas seruos Dei Sacerdotes Presbyteros qui sunt in Thyringia, Monachos & ancillas Christi defendere contra Paganorum malitiam, & adjuuare Christianum populum, vt eos Pagani non perdant vt ante tribunal Christi mercedem habeas perpetuam. Et cognoscite, quod memoria vestra nobiscum est coram Deo, sicut & pater vester viuus & mater iam olim mihi commendarunt. Deprecamur Deum Saluatorem mundi, vt dirigat viam vestram, & vitam ad salutem animæ vestræ, vt in gratia Dei semper hic & in futuro seculo permaneatis. Interea mementote, filij charissimi, quia iux- D Ps.102. 15. ta vocem Psalmigraphi: *Omnis homo sicut fœnum dies* sup. ep. 1.Io.5.19 *eius, & sicut flos agri ita florebit*. Et Apostolus ait: *totus mundus in maligno positus est*: & item in Euangelio veritas dixit: *Quid enim proderit homini, si lucretur vniuer-* Mat.16. *sum mundum; anima vero sua detrimentum patiatur*. Et ib.c.13. 43. iterum in Euangelio de gloria iustorum. *Ecce fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum*. Et Paulus Apo- 1.Cor.2. 9. stolus de beatitudine vitæ æternæ: *Quod oculus, non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quod præparauit Deus diligentibus se*. Facite ergo, filij vt mercedis vestræ præmia in alto cœlorum culmine clarescant, & crescant. Valere vos in longitudine dierum in Christo optamus.

EPISTOLA XXVII.

BONIFACIVS AD NONnullos Dilectos.

Dilectissimis Filiis Geppan, & Eoban, Tatunido, & Vuygberto, & omnibus fratribus ac sororibus nostris, Bonifacius seruus seruorum Dei, in Christo puræ charitatis salutem. L. Tacuino Vuizio I. Vuig.

NOtum sit charitati vestræ, & gratias agite Deo, quia cum prosperitate venientes ad limina beati Petri Principis Apostolorum, gratanter nos cum gaudio Apostolicus Pontifex suscepit, & de legatione nostra læta responsa reddidit, & consilium & præceptum dedit, vt iterum ad vos reuertamur, & in cœpto labore persistamus. Nunc autem hic expectantes sacerdotum consilium, vel synodi consultum, adhuc ignoramus, quando hoc fieri faciat Apostolicus Pontifex: Sed eo finito, Deo volente, & vita comite, ad vestram præsentiam festinabimus. Hoc autem scientes, nos cum fraterna charitate, & fidei vnitate expectate, alter alterius onera portantes, & sic adimplebitis legem Christi & gaudium nostrum renouabitis. Valete in Christo, & orate pro nobis. L. concilium C. Synodus consultum vt senatus consultum. L. hic s. Galat.6

EPISTOLA XXVIII.

BONIFACIVS EAD. Abbatissæ.

Reuerendissimæ ac dilectissimæ sorori Eadburgæ Abbatissæ, Bonifacius exiguus seruus seruorum Dei optabilem in Christo charitatis salutem.

DOminum omnipotentem, retributorem & remuneratorem omnium bonorum operum deprecor, vt tibi in cœlestibus mansionibus, & in æternis tabernaculis omnium beneficiorum tuorum, quæ mihi præstitisti æternalem mercedem & in superna curia beatorum Angelorum restituat. Quia sæpe siue solamine librorum, siue vestimentorum adjuuamine, pietas tua tristitiam meam consolata est. Sic & adhuc deprecor, vt augeas quod cœpisti, id est, vt mihi cum auro conscribas epistolas Domini mei sancti Petri Apostoli, ad honorem & reuerentiam sanctarum scripturarum ante oculos carnalium, in prædicando: & quia dicta eius, qui me in hoc iter direxit, maxime semper in præsentia cupiam habere, & ad scribendum hoc quod rogo, Eoban Presbyterum destino. Fac ergo soror charissima, de hac petitione nostra, sicut benignitas tua de cunctis precibus meis semper solebat, vt & hic opera tua, ad gloriam cœlestis patris, aureis litteris fulgeant. Valere in Christo, & sanctis virtutibus ad meliora conscendenda proficere opto. s. Eadbun.

EPISTOLA XXIX.

BONIFACIVS REGENberto.

Charissimo Filio Regenberto Præfecto, Bonifacius seruus seruorum Dei, in Domino æternam salutem.

DIgnitatis tuæ clementiam obsecramus precibus, vt hunc missum litterarum mearum Romam pergentem propter responsa Ecclesiastica, & orationum causa, per vestros fines conseruatum transire permittatis & eum adjuuare in propriis necessitatibus dignemini, L. fecisse xes.

dignemini, ſicut prioribus miſſis noſtris feciſtis, vt mihi reuertentes referebant. Agite ergo de hac petitione, vt merces veſtra coram Deo creſcat, & multiplicetur. Valete in Chriſto.

EPISTOLA XXX.

IDEM DENEARDO Preſbytero.

Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei Deneardo Presbytero in Chriſto ſalutem.

MAndo tibi, chariſſime, de præſente puero Athalere, ſi illi neceſſitas, in ſua cauſa contingat, vt eum adjuuare ſtudeas, ſicut ingenuum hominem: & ſic pro illo promittas amicis eius, non quaſi pro ſeruo & ego ſic comprobaui, quia deſponderi ſibi diſponet conjugem, vt non timeat, quod ſeruus ſit. Vale in Chriſto.

EPISTOLA XXXI.

BONIFACIVS LEOBGYTHÆ.

Venerandæ Chriſti famulæ & charitate ſinceriſſima perenniter continendæ Leobgythæ, Bonifacius ſeruus ſeruorum Dei, optabilem in Chriſto ſalutem.

NOtum tuæ ſit ſanctitatis dilectioni, quia frater & compreſbyter noſter nomine Torthat nobis referebat, quod à te precibus ſuis impetraret, vt puellæ cuidam doctæ laborem, ſi noſter conſenſus licentiam tribuiſſet, tempore imperes aliquanto. Quapropter ſecundum quod dilectio tua pro ſuæ mercedis augmento de hac re conſultum putauerit, noſtram conſentire & fauere voluntatem indubitanter agnoſce. Vale in Chriſto. [f. imponere.]

EPISTOLA XXXII.

EPISTOLA CARLI.

Dominis ſanctis & Apoſtolicis in Chriſto patribus Epiſcopis, Ducibus, Comitibus, Vicarijs, Domeſticis ſeu omnibus agentibus, iunioribus noſtris, ſeu miſſis decurrentibus, & amicis noſtris illuſtris vir Carolus maior domus bene cupiens veſter.

COgnoſcatis qualiter Apoſtolicus vir in Chriſto Pater Bonifacius Epiſcopus ad nos venit, & nobis ſuggeſſit, quod ſub noſtro mundeburdio vel defenſione eum recipere deberemus. Quod ita nos gratanti animo hoc feciſſe cognoſcite. Proinde nos taliter viſi, fecimus ei manum noſtram roratam dare vt vbicunque, vbi & vbi ambulare videtur, cum noſtro amore vel ſub noſtro mundeburgio & defenſione quietus vel conſeruatus eſſe debeat, in ea ratione, vt iuſtitiam reddat, & ſimiliter iuſtitiam recipiat. Et ſi aliqua cauſatio vel neceſſitas ei aduenerit, quæ per legem definiri non potuerit, vſque ad nos quietus vel conſeruatus eſſe debeat, tam ipſe, quam qui per ipſum ſperare videntur, vt ei nullus vllam contrarietatem vel damnationem aduerſus eum facere non debeat, niſi vt omni tempore ſub noſtro mundeburdio vel defenſione quietus, vel conſeruatus reſidere debeat. Et vt certius credatur, manu propria ſubterfirmaui & de annulo noſtro ſubterſigillauimus. [C. I. quo ipſe.] [I ſigillaui.]

EPISTOLA XXXIII.

DANIEL EPISCOPVS. omnibus Chriſtianis.

Piiſſimis ac clementiſſimis Regibus, Ducibus vniuerſis reuerendiſſimis & dilectiſſimis Epiſcopis, religioſis necnon Abbatibus, Presbyteris & ſpiritalibus filiis Chriſti nomine conſignatis, Daniel Dei famulorum famulus.

DVm vniuerſis fidelibus deuotione ſinceriſſima Dei mandata ſunt obſeruanda, quantum ſit hoſpitalitatis munus quamque acceptabile Deo humanitatis officium viantibus exhibere, ſanctis ſcripturis atteſtantibus demonſtratur, dum & beatus Abraham propter hoſpitalitatis miſericordiam ſanctorũ Angelorum præſentiam ſuſcipere meruit, & venerando eorum colloquio perpotiri. Loth quoque per huiuſmodi myſterium pietatis, de Sodomorum flammis ereptus eſt. Saluauit eum hoſpitalitatis gratia de flãmarum interitu, mandatis cœleſtibus obſequentem, ita & veſtræ dilectioni proueniet ad ſalutem, dum horum portitorem religioſum Preſbyterum, Deiq; omnipotentis famulum ſuſcipientes Vvynfrithum charitatem ei quam Deus & diligit & præcipit, exhibetis. Recipientes Dei ergo famulos, eũ recipitis, cuius majeſtati deſeruiunt *omnia* ita pollicenti. *Qui vos recipit, me recipit.* Hæc itaque cum cordis deuotione facientes, Dei mandata peragitis, & de diuinæ promiſſionis oraculo confidentes, mercedem apud eum habebitis ſempiternam. Incolumem eminentiam veſtrã ſuperna gratia cuſtodiat. [Hebr. 13] [Gen. 18.] [Gen. 19.] [C. ſuſcipientem. I. Dei omnia non in C. I.] [Mat. 10] [Marc. 9.]

EPISTOLA XXXIV.

Intimæ dilectionis amore quamuis indignus N. in Domino triquadri orbis quadrifaria regna magno moderamine diſponente N. ſoſpitatis ſalutem.

PVto enim cognoſcere, amantiſſima ſoror, quod in diuinis ſæpe cautum legitur oraculis appropinquante jam mundi fine, & ſtatua ex quaternis metallorum generibus quondam fabrefacta ruitura, hydram quoque ſemper nouis minantem ſibilis, & ſcyllam cum hęreditariis catulis non ceſſantem latrare. Miluus quoque ad ima, columbaque ad feneſtras ſuas volitat. Quamobrem, chariſſima, licet longiuſcule à te meritorum æqualitate diſtem, vicinus tamen circa tuam frequens memoriam quotidie conor adeſſe, obſecro vt ſis memor verborũ noſtrorum, quæ pariter pepigimus, quando profectus fueram. Vale viuens æuo longiore, & vita feliciore interpellans pro me. Hæc pauca ad te ſcripſi non arroganter mea commendans, ſed humiliter tua depoſcens & ceu propriæ germanæ nuper nactæ. Vale. [Daniel. 2.] [C. inantem. f hiãtem] [C. alta]

In cœlo flagrant iam iuſtis vita perennis,
Qua ſancti ſemper fulgebunt lumine pulchro
In regno patris, ceu clarus Titan in orbe
Atque per auguſtam Hieruſalem voce tonantem
Sit Dominum ſemper laudant ſine fine canentes, [C. dicentes.]
Et ſanctus pariter concinnant ore per auras
Hic iugiter celebrant excelſo carmina Chriſto [C. orabit Vitioſus verſus.]
Quem chorus martyrum ſit ſimul omnis adeſt
Multum de Domino gaudens de pectore multas
Effundens laudes gratans hominique Deoque [C. auctore.]
Lætior ora modis attollens placida miris
Crede mihi quia te ſummo complector amore. [C. gratulis.]

Vale Christo virguncula.
C. cara. *Mihi cara magnopere,*
C. contexero. *Tibi laudes contexo*
Teque rogo cum tremore
C. minaciter. *Vota redde cum feruore*
Qua pepigimus pariter.

Christi nempe tyruncula
Atque gnara in opere
Atque grates ingemino
Agna Christi pro amore
Altissimo in æthere
Memorare tenaciter.

EPISTOLA XXXV.

EPISTOLA BVGGÆ AD Bonifacium.

Venerando Dei famulo & plurimis spiritalium charismatum ornamentis prædito Bonifacio siue Vuinfredo dignissimo Dei Presbytero Bugga vilis vernacula perpetua charitatis salutem. C. perpetuæ.

NOtum sit almitatis tuæ auctoritati, quod gratias omnipotenti Deo referre non desino, eo quod tibi, vt scriptione beatitudinis tuæ agnoui, multipliciter misericordiam suam tribuit, & te transeuntem per ignotos pagos pussime conduxit. Primum, Pontificem gloriosæ sedis ad desiderium mentis tuæ blandiendum inclinauit, postea inimicum Catholicæ Ecclesiæ Rathbodum coram te consternauit: deinum per somnium semetipso reuelauit, quod debuisti manifeste messem Dei metere, & congregare sanctarum animarum manipulos in horreum Regis cœlestis. Idcirco eo magis confiteor, quod nulla varietas temporalium vicissitudinum statum mentis meæ inclinare queat à proposita charitatis tuæ custodia, sed ardentius vis amoris in me calescit, dum pro certo cognosco, per orationum tuarum suffragia ad portum alicuius quietis peruenisse. Ideo iterum humiliter moneo, vt intercessionum tuarum studia pro mea paruitate Domino offerre digneris, quatenus sua gratia me faciat incolumem cum tuis protectionibus. Sciatque similiter charitas tua, quod passiones Martyrum, quas petisti tibi transmitti, adhuc minime potui impetrare: sed dum valeam, faciam. Et tu, charissime, dirige meæ paruitati ad consolationem, quod per dulcissimas literas tuas promisisti, id est, congregationes aliquas sanctarum scripturarum. Similiter deposco, vt sanctarum missarum oblationes offerre digneris pro anima mei propinqui, qui mihi præ cæteris charus erat, cui nomen erat N. Et per eundem portitorem tibi nunc transmitto quinquaginta solidos, & pallium altaris, quia maiora munuscula minime potui adipisci. Sed mihi hæc sunt cum maxima charitate directa, licet sint parua in specie. Vale in hoc sæculo sancte, & in charitate non ficta.

[Margin: C. Ihorream. — In missarum scr. — 1. Tim. 1. 5.]

EPISTOLA XXXVI.

LEOBGITHA BONIFACIO.

Domino reuerendissimo, & summa dignitatis insula prædito Bonifacio atque in Christo charissimo & mihi affinitatis propinquitate connexo Leobgytha vltima leue iugum Christi portantium famula, perennem sospitatis salutem. c. 36. Leobgida.

ROgo tuam clementiam, vt memorare digneris prioris amicitiæ, quam iam dudum cum patre meo copulasti, cuius vocabulum est *Tinne* in occiduis regionibus qui nunc ante octo annorum curriculum ab hac luce subtractus est, vt pro anima illius preces offerre Deo non renuas: nec non & matris meæ memoriam commendo tibi, quæ est cognominata *Ebbe*, quæ tibi, vt melius nosti, consanguinitatis nexibus copulatur, & adhuc laboriose viuit, & diu valide ab infirmitate oppressa est. Ego vnica filia sum ambobus parentibus meis. Et vtinam, licet sim indigna; vt merear te in fratris locum accipere, quia in nullo hominum generis mei tanta fiducia spei posita est mihi, quanta in te. Hoc paruum munusculum mittere curaui, non vt dignum esset tuæ almitatis aspectui, sed vt memoriam paruitatis meæ retineas, nec longa locorum intercapedine obliuioni tradas: quinimo veræ dilectionis ligaturæ reliquium nodetur in æuum. Hoc frater amande, enixius efflagito, vt tuarum orationum pelta muniar contra hostis occulti venenata iacula. Illud etiam peto, vt rusticitatem huius epistolæ digneris emendare, & mihi aliqua verba tuæ affabilitatis, exempli gratia, mittere non recuses, quæ inhianter audire satago. Istos autem subter scriptos versiculos componere nitebar secundum poëticæ traditionis disciplinam, non audacia confidens, sed gracilis ingenioli rudimenta excitare cupiens, & tuo auxilio indigens. Istam artem ab *Eadburga* magisterio didici, quæ indesinenter legem diuinam rimari non cessas. Vale viuens æuo longiore, vita feliciore, interpellans pro me. sup. ep. 21.

Arbiter omnipotens, solus qui cuncta creauit f. flagras.
In regno patris, semper qui lumine fulget
Qua iugiter flagrans, sic regnet gloria Christi
Illæsum seruet semper te iure perenni.

EPISTOLA XXXVII.

CENÆ AD BONIFACIVM epistola.

Venerando Pontifici Bonifacio Christi amatori Cene indigna salutem.

IAm fateor tibi, charissime, quia licet te corporalibus oculis raro intuear, quod te tamen spiritalibus luminibus cordis iugiter aspicere non cesso. Et hæc parua munuscula magis indicia charitatis sunt, quam vt tuæ sanctitati digna sint. Et hoc tibi notum facio, quod vsque ad finem vitæ meæ, te semper in meis orationibus recordor. Et te rogo per creditam amicitiam, vt meæ paruitati fidelis sis, sicut in te credo: & vt me in tuis orationibus adjuues, vt Deus omnipotens vitam meam secundum suam voluntatem disponat. Et rogo, vt si vnquam aliquis tuorum ad hanc prouinciam veniat, vt meam paupertatem interpellet, & si in aliqua re vel carnalis commodi, vel spiritalis adminiculi vel tibi, vel alicui tuorum possim adjuuare, vt mihi indicet: & ego ad magnam salutem animæ meæ credo, vt secundum vires meas imperium tuum atque jussionem adimpleam. Vale semper in Domino.

[Margin: C. mihi in t. o. adiuuas sic paulo post cum daciuo.]

EPISTOLA XXXVIII.

EPISTOLA EANGYTH Abbatissæ ad Bonifacium.

C. Epistola Eangythi.

Benedicto in Domino in fide ac dilectione venerabili Vuinfritho, cognomento Bonifacio, Presbyteratus priuilegio prædito, & virginalis castimoniæ floribus velut liliorum sertis coronato, nec non doctrinæ scientia erudito, Eangyth indigna ancilla ancillarum Dei, & nomine Abbatissa, sine merito, functa, & vnica filia eius Heaburg, cognomento Bugge, in sancta Trinitate æternam salutem.

C. I. liliarum.

L. Cadburg.

AD referendas gratias amplitudinis & dilectionis, quam transmarinis litteris, per gerulum sceB darum pietatis tuæ, transmisisti, nullus oris nostri sufficit sermo. Gratulandum est, si vera laus est, qua laudatæ sumus: timendum est valde, ne magis vituperatio sit non merita laus, quam laudatio. Amantissime frater, spiritalis magis quam carnalis, & spiritalium grariarum munificentia magnificate, tibi soli indicari voluimus, & Deus solus testis est nobis, quas cernis interlitas lachrymis, quod multis miseriarum molibus, velut grauissima sarcina, aut pressurâ premente, depressæ sumus: & secularium rerum tumultibus tanquam spumosi maris vortices verrunt, &, velut vndarum cumulos, collisas saxis, quando ventorum violentia & procellarum tempestates sæuissime in orbem euripum impellunt, & cymbarum carinæ sursum immutatæ, & malus nauis deorsum deiicitur. Haud secus animarum nostrarum nauiculæ magnis miseriarum machinis, & multifaria calamitatum quantitate quatiuntur, & velut veritatis voce de Euangelica doC mo dicitur: Descendit pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in domum illam, & reliqua. Igitur primum omnium ponitur, & super omnia alia illa, quæ exterius accedunt; memorata innumerabilium concatenatio criminum, & nullius boni plena & perfecta fiducia. & non tantum recordatio animarum nostrarum, sed (quod difficilius est & multo grauius) vniuersarum commissarum animarum promiscui sexus, & ætatis; & quod multorum mentibus & diuersis moribus deseruituræ, & postea ante sublime tribunal Christi rationem reddituræ non solum pro manifestis peccatis gestorum, siue dictorum, sed simul pro occultis cogitationibus, quæ homines latent, Deo tantum teste, & cum simplici acie aduersus duplicem, & cum decem millibus aduersus viginti millia duellum ducturæ: & accliuis animabus nostris additur interea domesticæ rei difficultas & disputatio diuersarum discordiarum, quas seminat D omnium bonorum inuisor, qui rancida corda virorum inficit malitia, & inter omnes homines spargit, maxime per monasticos, & monachorum contubernia. Et scit quia potentes potenter tormenta patiuntur. Angit præterea paupertas & penuria rerum temporalium, & angustia cespitis ruris nostri, & infestatio, quia accusamur apud eum ab his, qui nobis inuident, vt quidam sapiens ait: *fascinatio & inuidia obscurat multa bona.* Similiter seruitium Regis, & Reginæ, Episcopi, & Præfecti, & potestatum & Comitum, quæ omnia enumerare longum est, & facilius possunt mente tractari quam sermone. Additur his omnibus amissio amicorum, & contribulium caterua propinquorum & consanguineorum turba. Non habemus filium, neque fratrem, Patrem, aut patruum, nisi tantum vnicam filiam penitus destitutam omnibus charis in hoc sæculo, præter vnam tantum sororem eius, & matrem valde vetulam, & filium fratris A earum, & illum valde infelicem propter nos; absque ipsius meritis, & quia Rex noster eius gentem multũ exosam habet: & nullus est alius, qui noster sit necessarius: sed diuersis casibus transtulit illos Deus. Alij eorum obierunt in patrio solo, & corpora eorum in terræ puluere squalente requiescunt iterum resurrectura in die necessitatis, quando herilis tuba concrepabit, & humanum genus atris tumbis emerget, rationem redditurum: & spiritus eorum angelicis vlnis euecti regnaturi cum Christo, vbi omnis dolor deficiet & inuidia satiscet, & fugiet dolor, & gemitus à facie sanctorum. Ast alij patriam reliquerunt, & æquoreis cãpis se crediderunt, & sanctorum petiuere Apostolorũ limina Petri & Pauli, & multorum Martyrũ, virginũ, atque Confessorum, quorũ numerũ & nomina Deus scit. Pro his omnibus, & huiuscemodi causis, quæ vix vno die annumerari possunt, quãuis, vt dicitur, Quintilis aut Sextilis tempora protelent æstatis, tædet nos B vitæ nostræ, & pene nobis pertæsum est viuere. Omnis homo in sua causa deficiens, & in suis consilijs diffidens quærit sibi amicum fidelem, in cuius consilijs confidat, qui in suis diffidat, & talem fiduciam habeat in illo, vt omne secretum sui pectoris pandat & aperiat: &, vt dicitur, quid dulcius, quam habeas illũ cum quo omnia possis loqui, vt tecum? & ideo duntaxat pro his omnibus miseriarum necessitatibus, quos laciniosa sermone enumerauimus, nobis necessariũ fuit, vt quæreremus amicum fidelem, & talem, in quem cõfidamus melius quam in nosmetipsos, & qui dolores nostros, & miserias, & paupertates, suas deputaret, & compatiens nobis fuisset, & consolaretur nos, & sustẽtaret, eloquiis suis, & saluberrimis sermonibus subleuaret. Diu quæsiuimus, & confidimus, quia in te inuenimus illum amicum, quem cupimus & optauimus & sperauimus. Et si nobis Deus dedisset, vt per Angelũ suum (sicut Abacuc prophetam, cum prandijs in lacũ C leonum ad *Danielem* vatem misit: & *Philippum* vnum de septem diaconibus ad Eunuchum) in illas terras, & in illam peregrinationem possemus peruenire, vbi habitas: & si licuisset nobis viua verba ex ore tuo audire, quam dulcia faucib. meis eloquia tua Domine! super mel & fauũ ori meo! Sed quia hoc nostris meritis non meruimus, sed longo interuallo terræ marisq;, & multarum prouinciarum terminis diuidimur, tamen pro hac fiducia supra memoratâ, notum tibi facere volumus, frater *Bonifaci*, quia multum temporis fluxit, ex quo desideriũ habuimus, sicut plurimi ex necessariis nostris & cognatis, siue alienis, quo quondam vrbis dominam Romam peteremus, & ibi peccatorum nostrorum veniam impetremus, sicut alij multi fecerunt, & adhuc faciunt; & ego maxime, quæ ætate prouectior sum, & multo plura in vita mea commisi & perpetraui. Et huius meæ voluntatis atque propositi conscia fuit Vvale Abbatissa quondam mea, & mater spiD ritalis, & vnica filia. Adhuc in annis iuuenilibus fuit, & huius rei desideriũ quærere nesciui. Sed quia scimus, quod multi sunt, qui hanc voluntatem vituperant, & hũc amorẽ derogant, & eorũ sententiam his astipulationibus affirmãt, quod canones synodales præcipiãt quod vnusquisq; in eo loco, vbi cõstitutus fuerit, & vbi votum suũ vouerit, ibi maneat, & ibi Deo reddat vota sua: Sed quia vniuersi diuersa volũtate viuimus, & nobis incerta res & occulta Dei iudicia sunt, sicut ait Propheta: *iustitia tua sicut montes Dei: iudicia tua abyssus multa*, & eius secreta voluntas & dispẽsatio in hac re nobis valde occulta est: Pro his ergo incertis atque occultis ambæ te supplices atque prostratis vultibus flagitamus, vt sis nobis Aaron, id est, mons fortitudinis, orationum tuarum nos suffragio fulcias, & dirigas thuribulum deprecationum tuarum, sicut incensum in conspectu diuinitatis, & eleuatio manuum tuarum comparetur sacrificio vespertino.

IC. magnificatus. L. inter literas lacrymas L. vorant C. I. inormem C. I. duratur. I. sursũ & m. n. d. immutantur C. haud. Mat. 7. C. I. alia qua. L. omnium pluuia pon. & sequuntur omnia alia quæ illa exteri accendunt. C. I. L. grauius quod. Et multorum Luc. 14. C. I. L. adderis. Sap. 6. 7. Sap. 4. Infra ponitur

eiꝰ nomen. C. I. propter ipsius mentis & L. propter ipsius mentis amentiã. C. I. concrepat emerget. O. tædebit. Dan. 14. C. Ambac. 1. Dan. & iat. 43. Act. 8. Ps. 118. C. Bonifactꝰ. C. I. dominam quæ. C. I fuit nesciuit. C. astipulantibus. Ps. 35. 7. Num. 16.

Vere enim confidimus in Deum, & eius clementiam exoramus, vt per supplicationem oris tui, & orationes medullaras, ostendat nobis per te, quod nobis profuturum & vtile iudicauerit, siue in patrio solo viuere, vel in peregrinatione exulare. Similirer postulamus pietatem tuam, vt tua rescripta trans pontum dirigere digneris, & respondeas his, quæ in his chartis exarauimus rustico stylo & impolito sermone, quia nullam fiduciam habemus ad eos, qui in facie gloriantur & non in corde. De tua fide & charitate in Deum & dilectione in proximum, & illum fratrem supra memoratum sine nomine, necessarium amicum nostrum Dene Vvaldum, si Deus disponat, vel decreuerit, vt dirigat viam eius in illas partes terræ, & peregrinationem illam, in qua habitas, tu illum charitate & dilectione suscipias: & si voluntes eius vel desiderium flagitat cum tua benedictione & gratia & eulogia dirigere dignetis ad venerabilem fratrem, nomine Bertheri, Presbyteratus gratia decoratum & confessionis titulo notatum, qui diu incoluit illam peregrinationem. Vale, frater spiritalis fidelissime atque amantissime, & sincera & pura dilectione dilectus & prosperis successibus polle in Domino dilecto. Amicus diu quæritur, vix inuenitur, difficile seruatur. Ora pro nobis, vt non noceant nobis noxarum crimina amara.

C.I. quibus in his fartis caraxauimus.
C. I. apud 2. Cor 5.12
C.I. decorato notato.

A

B

EPISTOLA XXXIX.

Claro atque charissimo Dei ministro Iullæ, Ingalice indignus Presbyter tuus, tamen per omnia deuotus famulus in Domino optabilem salutem.

LItteræ namque prudentiæ tuæ, & munera largitatis tuę ad me vsque directa peruenerunt, quibus diligenter lectis & consideratis, post præmissam pacificam salutationem, si bene intellexi, insinuasti nobis erga vos diuersas molestias & tribulationes, quæ sæpe solent in hoc mundo occupare seruos Christi secundum Apostoli sententiam: *Omnes qui pie volunt viuere in Christo persecutionem patiuntur*: contraque omnia tentamenta, orationum nostrarum, qualiacunque sunt adminicula humiliter postulasti, quod & omnis congregatio nostra pro vestra sospitate sedulo ad Dominum preces fundere studuit, & nunc amantissime Diacone, quia vicem rescribendo eruditionis tuæ scriptis, propter paruitatem ingenioli mei, digne debitum persoluere non potui; tamen scio quia vera *charitas omnia sustinet.* Hæc pauca verba rusticitatis meę cum minimis munusculis, id est, quatuor cultellos nostra consuetudine factos, & calamistrum argenteum, & mappam vnam, per fidelem portitorem fratrem vestrum, imo nostrum *Aldredum* amabili præsentiæ tuæ tantum pro memoria charitatis transmittere curaui. Quæso fraternitatem tuam, vt eo animo à te hæc suscipiantur, quo à me destinata noscuntur. Sed & intercessorem nostrum apud Deum, venerabilem *Bonifacium* Præsulem omnis caterua fratrum nostrorum cum Abbaterio in Dei dilectione salutare desiderat.

2. Tim. 3 12.

C

D

EPISTOLA XL.

ETHILBERTHI REGIS Anglorum ad Bonifacium epistola.

Domino beatissimo, & Pontificali infula merito decorato Archiepiscopo Vuinfretho, cognomento Bonifacio, Ethilberthus Rex Cantiæ in domino dominorum salutem.

L. Hedilbertus.

ANte paucos namque annos venerabilis Abbatissa Bugge, postquam Romanæ vrbis loca sacratissima orationis videlicet obtentu adierat, & exinde huc rursus remeando ad propriam peruenir patriam, & ad monasterium sanctimonialium fœminarum, quod antea sub iure Ecclesiastico bene regebat, statim cum venissem rogatus ad eius colloquium, inter alia desiderabilia, hæc vel maxime auditui nostro inculcare curauit, quod dedisses ei licentiam familiariter loqui de rebus scilicet sibi necessariis apud tuam affabilem amabilemque sanctitatem, dum ambo videlicet Romæ essetis, & limina beatorum Apostolorum frequenter visitando terere non supersedissetis. Denium continuo intulit, quod diligenter Paternitatem tuam similiter pro me supplex precibus obnixis compellare curaret (vtpote consanguinitate propinquitatis nostræ admonita) quatenus, sicut illa meruit per tuis salutaribus imbui præceptis & orationum tuarum benedictione confirmari: ita & ego quoque quamuis absens & ignotus corporali præsentia tamen vt spiritu præsens, hoc eodem munere mihi necessario à tua solita beneficentia ditarer. Cumque te hoc facturum promisisse indubitata fide diceret, vere fateor, quod non facile verbis explicare valeo, quantum gaudij, quantumque consolationis ex hoc habuerim: eoque multo magis, vt assoler, exhilaratus sum, quod ex inopinata spe subito tot ac tam preciosa dona protulit. Quocirca vtile mihi omnino ac conueniens esse videtur, vt per fulgidam longe lateque beatitudinem tuam amicalium litterarum lectione, seu fidelium legatorum allegatione alloquar. Quod quidē alio quolibet in tempore melius efficaciusque adimplere me posse non arbitror quam modo nunc, cum sunt excellentiæ vestræ viri religiosi, qui à vobis huc in Britanniam vtpote prudentes & fideles legatarij transmissi sunt, & nunc videlicet ad jussionis vestræ placidam præsentiam Deo adjuuante, quantocyus optant peruenire. Vnde igitur mihi optime placuit, hunc præsentem portitorem literarum istarum, nomine Ethelium, religionis scilicet habitu Monachum, cum prædictis vestris hominibus, quasi cautiore & tutiore cursu, ad vos dirigere, ac per eum hæc salutaria charitati vestræ seu precatoria scripta porrigere. Per quæ nos primo declaramus omnes in commune omnipotenti Deo vberiores gratias rependere, qui tantam in nos misericordię suæ gratiam contulit, vt innumerosam multitudinem Gentilium, idololatriæ vetustissimo errore miserabiliter deceptam, ad Christianiauæ fidei normam, prædicationis vestræ verbo, & labore conuertit. Vnde plurima adhuc, auxiliante Deo, speramus & optamus, certi, quia qui per vos cœpit operari, maiora perficere de die in diem non desinet. Per quoque baiulum horum apicum, reuerentiæ vestræ direxit deuotio mea, magna cum charitate, nonnulla munuscula, id est, caucum argenteum intus deauratum, pensantem libras tres & semis, & duo repta. Et hæc xenia vobis nō ea intentione neq; occasione direximus, vt terrestre lucrum aliquod, aut retributionem quampiam temporalem pro ijs recipere desideremus: sed multo magis geniculando, quod multo magis necessarium est, totis visceribus mentis efflagito, vt quoniam dies mali sunt, & multiplicantur quotidie variæ & improuisæ perturbationes in hoc sæculo scandalis pleno, multis nos ac crebris orationum tuarum suffragijs adjuuare digneris: & ad hoc ipsum agendum alios quoscunque, vel iubendo vel suggerendo, possis prouocare auctoritatis tuæ veneranda dilectio, quæ semper sit viuaci memoria plena, tam diu adhuc esse me in hac mortali carne audias, quam etiam post obitum meum, si te tamen promerear habere superstitem. His itaque breuiter summatimque prælibatis, vnam rem prætérea à vobis desidero mihi exhiberi, quam vobis acquirere valde difficile esse, juxta quod mihi indicatum est nullatenus reor; id est, duos falcones,

f. rogatus.
I. tot. tam.
f. subito iam.
L. Helmum.
f. salutaria.
L. peccatoria.
f. numerosum.
C.L. recepte.
L. benedici.
C ipsud. f. istud.
Non in C I quæ
C. I. tā dum ad uixisse me.
C.L. tecum.

quorum ars & artis audacia ſit, grues velle libenter capiendo arripere, & arripiendo conſternere ſolo. Ob hanc etenim cauſam de harum acquiſitione & tranſmiſſione ad nos auium vos rogamus: quia videlicet & perpauci huius generis accipitres in noſtris regionibus, hoc eſt, in Cantia, reperiuntur qui tam bonos producant fœtus, & ad ſupradictam artem animo agiles ac bellicoſi educentur, edomentur, ac doceantur. Poſtremo autem in fine epiſtolæ precor, vt ad ſcribentem reſcribas, & litteris tuis mihi manifeſtare digneris, an ea, quæ tibi direxi, bene ſint reddita. Orantem pro nobis beatitudinem tuam longæuam diuina pietas faciat.

EPISTOLÆ XLI.

Domino ſancto, ſapientiſsimo, Chriſto quidem chariſsimo Aldhelmo Scottus ignoti nominis in Deo æterno ſalutem.

DVm te præſtantem ingenio, facundiaque Romana, ac vario flore litterarum, etiam Græcorum more, non neſciam, ex ore tuo, fonte videlicet ſcientiæ puriſſimo diſcere malo, quam ex alio quolibet potare, turbulento Magiſtro præſertim. Hoc ſcito prænoſcens, quod idcirco te fiducialiter ita obſecro, vt me ſuſcipias, doceaſque quoniam fulgor, ceu dictum eſt, ſapientiæ præ multis in te fulget lectoribus ac peregrinorum mentes cupientium ſapientiam diſcere cognoſcis, quia tu Romæ aduena fuiſti, inſuper quod à quodam ſancto viro de noſtro genere nutritus es. Hæc compendij cauſa ſufficiant, quia ſi humiliter per charitatem volueris attendere, non minus per pauca verba, quam per plurimas ſermocinationes perſpicies. Hæc tibi quoque ſinceriter diſſero. Libellum quendam habes, qui non eſt maior acceptorio duarum ſeptimanarum, quem ego legere cupio. Hoc autem breue tempus prædico, non eo quod mihi plus non opus ſit, ſed ne hæc petitio faſtidium in tua mente creet. Miniſtrum quoque equoſque, vt opinor, adipiſcar. In hoc autem tempore meſſis; lætum à te reſponſum ſperabo. Orantem pro nobis beatitudinem tuam diuina gratia cuſtodire dignetur.

[In C & I tranſpoſitio verborum & habeo pro habet.]

[Claudianus.]

Chriſte potens rerum, redeuntis conditor aui:
Vox ſummi ſenſuſque Dei, quem fudit ab alta
Mente pater tantique dedit conſortia regni.
Impia tu noſtra domuiſti crimina vita,
Paſſus corporea mundum veſtire figura,
Affarique palam populos, hominemque fateri.
Quemque vtero incluſum Maria, mox numine viſo
Virgineos tumuere ſinus, innuptaque mater
Arcano ſtupuit compleri viſcera partu,
Auctorem paritura ſuum: mortalia corda
Artificem texere poli, mundique repertor
Pars fuit humani generis, latuitque ſub vno
Pectore, qui totum late complectitur orbem.
Et qui non ſpaciis terra, non aquoris vndis,
Nec capitur cœlo, paruos conflauit in artus,
Quin & ſupplicii nomen, nexuſque ſubiſti,
Vt nos ſubriperes letho, mortemque fugares
Morte tua, mox æthereas euectus in auras
Purgata repetens lætum te luce parentem.
Auguſtum foueas feſtis vt ſæpe diebus
Annua ſynceri celebret ieiunia ſacri.

[C corpore hominemque. In C. deeſt hic verſus.]

EPISTOLÆ XLII.

Dilectiſsimo in Chriſto charitatis vinculo necdato Patri Andhuno viſceralem ſalutem.

QVare non tranſmiſiſti veſtimenta, quæ debuiſti mittere de Freſarum prouincia? Nunc per Deum omnipotentem, extemplo fac vt veniant. Indica nobis aliquid de Epiſcopo noſtro, an ad Synodum Ducis Occidentalium prouinciarum perrexiſſet, an ad filium Carlomanni: & per epiſtolam nobis reſcribe, & hunc pergentem nuntium iterum cito reuerte nomine *Hartleib*. Quæſo te Domine, vt facias eum illic manentem ſine labore & huc pergentem. Valete ô flores Eccleſiæ, & orate pro nobis, & nos pro vobis vt pax Chriſti maneat in nobis. Amen.

[f. friſonum ſeu frcſiorũ.]

EPISTOLÆ XLIII.

TORTHELMVS EPISCOPUS Bonifacio Epiſcopo.

Domino meo dulciſsimo, ac ſinceriſsimo charitatis cultu, & præcipue Dei gratia copioſo, ſemperque in Chriſto paſtoralis curæ regimina gubernanti Bonifacio, qui Vuinfrithus, Archiepiſcopo, Torthelmus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, in Domino ſalutem.

DEſiderabiles litteras excellentiæ veſtræ ſuſcepimus, quas relegentes cognouimus tuam piiſſimam deuotionem, feruentiſſimumque amorem, quem habes propter beatam vitam, &c. dextera Domini protegente, meditaris die ac nocte ad fidem Catholicam atque Apoſtolicam, pro tuæ animæ redemptione, corda paganorum Saxonum conuerti. Quis enim audiens hæc ſuauia non lætetur? Quis non exultet & gaudeat in his operibus, quod gens noſtra Chriſto omnipotenti Deo credat? Per gerulum vero apicum tuorum, modicum tibi munuſculum, ſed magni affectus pignus tranſmitto, ſimul & indicans, quod omnia quæ à paruitate noſtra petere dignatus es, libentiſſime ſuſcepimus, hoc eſt, quod in ſacris miſſarum celebritatibus, & in quotidianis precibus; tuæ ſanctitatis memoria celebretur: optantes, & obnixe deprecantes noſtræ fragilitatis conſcij hoc idem à veſtra parte, quanto meritis excellentior eſt, tanto circa nos perfectius obſeruari. Feſtinet igitur veſtra Celſitudo, vt modum nouum Chriſto populũ coaceruare & dedicare. Profecto enim habetis protectorem humani generis Redemptorem Dominum noſtrum Ieſum. Fraterno itaque affectu ſalutantes veſtram excellentiam, diuinam deprecamur jugiter clementiam, quæ vos veſtroſque in omnibus operibus auxiliare dignetur, vt cum Chriſto in futuro regnet ſæculo.

[Id eſt, quò ad modum feſtinare ſolet ad gentes conuertendas. C. I. & diuina. E. adiuuare.]

EPISTOLÆ XLIV.

Domino glorioſiſsimo occidentalis regni ſceptra gubernanti, quem ego, vt mihi ſcrutator cordis & rerum, teſtis eſt, fraterna charitate amplector, Geruntio Regi, ſimulque cunctis Dei ſacerdotibus per Domnonia conuerſantibus, Althelmus, ſine meritorum prærogatiua Abbatis officio functus, optableim in Domino ſalutem.

[Beda l. 5. hiſt. c. 19.]

[ſ. Domnoniam]

NVper cum eſſem in Concilio Epiſcoporum, ex tota pene Britannia, innumerabilis Dei Sacerdotũ cateruа cõfluxit, ad hoc præſertim congregata, vt

[C. vbi ex.]

pro Ecclesiarum solicitudine & animarum salute ab omnibus decreta Canonum & Patrum statuta tractarentur, & in commune Christo patrocinium præstante, conseruarentur. His igitur rite peractis, omne sacerdotale Concilium, meam paruitatem pari præcepto & simili sententia compulerunt, vt ad vestræ pietatis præsentiam epistolares litterarum apices dirigerem, & eorum paternam petitionem, salubremque suggestionem, per scriptæ stilum, intimarem, hoc est, de Ecclesiæ Catholicæ vnitate & Christianæ religionis concordia, sine quibus otiosa torpescit, & merces futura satiscit. Quid enim prosunt bonorum operum emolumenta, si extra Catholicam gerantur Ecclesiam, etiamsi aliquis actualem rigidæ conuersationis regulam sub disciplina cœnobij solerter exerceat, aut certe cunctorum mortalium contubernia declinans in squalida solitudine remotus contemplatiuam anachoreseos peragat vitam. Igitur vt certius vestra sagacitas animaduertere queat, pro quibus causis mea mediocritas scripta direxerit, compendiose & breuiter enucleabo. Auditum namque & diuersis rumorum relatiuis compertum nobis est, quod Sacerdotes vestri in Catholicæ fidei regula, secundum scripturæ præcepta, minime concordent, & per eorum simultates & pugnas verborum, in Ecclesia Christi graue schisma & crudele scandalum nascatur, quod Psalmigraphi sententia testatur dicens: *Pax multa diligentibus nomen tuum, & non est in illis scandalum.* Pacem quippe religionis pia concordia copulat, sicut charitatem dira contentio contaminat. Nam ad vnitatem fraternitatis rectæ fidei sectatores Psalmista hortatur inquiens: *Deus qui habitare facit vnanimes in domo.* Domus vero hæc, secundum allegoriam, Ecclesia per totos mundi cardines diffusa intelligitur. Hæretici namque & schismatici ab Ecclesiæ societate extranei, per contentionum argumenta, in mundo pullulantes, & veluti horrenda zizaniorum semina in medio fœcundæ segetis sata, dominicam messem maculant. Sed huiuscemodi altercationis opprobrium Apostolica compescit buccina. *Qui vult*, inquit, *contentiosus esse: Nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia Dei, quæ non habet maculam aut rugam.* Pacem namque, Catholicorum matrem, & filiorum Dei genitricem esse, Euangelica promulgant oracula: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Vnde Domino & Saluatore nostro à summo cœlorum fastigio descendente, vt chirographum protoplasti deleret, & mundum pace sequestra reconciliaret, Angelica cecinit melodia, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et Psalmist, *Fiat*, inquit, *pax in virtute tua, & abundantia in turribus tuis.* Denique rumor Ecclesiæ fidei contrarius longe lateque percrebuit, quod sint in prouincia vestra quidam sacerdotes & Clerici tonsuram sancti Petri Apostolorum Principis pertinaciter refutantes, seque tali excusationis apologia pertinaciter defendentes viuunt, quod auctorum & præcessorum suorum tonsuram imitentur, quos diuina illustraros gratia fuisse grandiloquis assertionibus contestanrur, qui si à nobis solicite sciscitentur, quis primus auctor rasuræ huius & tonsuræ extiterit, omnino aut veritatem ignorando, aut falsitatem dissimulando obmutescunt. Nos autem secundum plurimorum opinionem, *Simonem* magicæ artis inuentorem huius tonsuræ principem fuisse comperimus, quia qualem quantumque necromantiæ fallaciam contra beatum *Petrum* fraudulenter machinaretur, certamen Apostolorum & X. libri *Clementis* testes sunt, Nos inquam, secundum sacrosanctam Scripturæ auctoritatem, de tonsura nostra veritatis testimonium perhibentes, diuersas ob causas *Petrum* Apostolum hunc ritum sumpsisse asserimus primitus vt formam & similitudinem Christi in capite gestaret, dum pro redemptione nostra crucis patibulum subiturus, à nefanda Iudæorum gente acutis spinarum aculeis crudeliter coronaretur. Deinde vt Sacerdotes veteris & noui Testamenti in tonsura & habitu discernerentur. Postremo, vt idem Apostolus, eiusque successores & sequipedæ ridiculosum gannaturæ ludibrium in populo Romano portarent, quia & eorum Barones & hostes exercitu superatos sub corona vendere solebant. Cæterum in veteri Testamento tonsuræ signum à Nazareis, id est, sanctis, ni fallor, sumpsit exordium. Est enim regale & sacerdotale stemmatis indicium. Nam tiara apud veteres in capite sacerdotum constituebatur. Hæc bysso retorto rotunda erat quasi sphæra media, & hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem, latitudo aurea est circuli, quæ Regum capita cingit. Vtrumque itaque signum exprimitur in capite clericorum, Petro dicente: *Vos estis genus electum regale sacerdotium.* Hoc ritu tondendi & radendi, vt vitia resecentur, signatur, & crinibus carnis nostræ quasi criminibus exuamur.

[Marg.: C. epistulares f. per epistola vel hæc subintelligitur. Extra Catholicã Ecclesiã nulla prosunt ad æternã salutem bona opera.]

[Marg.: Ps. 118. 165.]

[Marg.: Ps. 67. 7.]

[Marg.: Hæretici & schismatici ab ecclesia extranei.]

[Marg.: C. maculabãt]

[Marg.: 1. Cor. 11. Eph. 5. 27.]

[Marg.: Matt. 5.]

[Marg.: Luc. 2.]

[Marg.: Ps. 121. 7.]

[Marg.: f. Ecclesiastico.]

[Marg.: f. suorũ]

[Marg.: f. coronaturæ.]

[Marg.: Exod. 28 & 39. f. retorta.]

[Marg.: 1. Pet. 2. 9.]

A

B

Est autem altera crudelior animarum pernicies, quod in sacrosancta Paschali solennitate CCCXVIII. Patrum regulam non sectatur, qui in Niceno Conc. decem nouennalem laterculi circulum per ogdoadam & hendecadam vsque ad finem mundi recto tramite decursum sagaci solertia sanxerunt. Et à XIV. luna vsque ad XXI. supputationis seriem, & paschalis calculi terminum tradiderunt, quem anticipare & transgredi, contra ius & fas illicitum fore censuerunt. Potro isti secundum decennem nouennemque *Anatolii* computatum, aut potius iuxta *Sulpetii Seuerini* regulam, qui LXXXIV. annorum cursum descripsit, XIV. luna cum Iudæis paschale sacramentum celebrant, cum neutrum Ecclesiæ Romanæ Pontifices ad perfectam calculi rationem sequantur. Sed nec Victorij Paschalis laterculi curriculum, qui DXXXII. annorum circulis continetur, posteris sectandum decreuerunt. Erat namque genus quoddam hæreticorũ apud Orientales, quod *Tessarescæ decatita* vocatur, id est, *Quarta decimani*, eo quod quarta decima luna cum Iudæis Christum blasphemantibus, & margaritas Euangelij ritu porcorum calcantib. Paschæ solemnitatem peragunt, & ob hoc alieni beata Orthodoxorum sodalitate inter schismaticorum conciliabula infeliciter reputantur, quos B. Augustinum in libro de nonaginta hæresibus scripto commemorasse memini. Illud vero quam valde à fide Catholica discrepat, & ab Euangelica traditione discordat, quod vltra Sabrinæ fluminis fretum demetarum sacerdotes de priuata propria conuersationis mundicia gloriantes nostram cõmunionem magnopere abominantur, in tantum, vt nec in Ecclesia nobiscum orationum officia celebrare, nec ad mensam ciborum fercula, pro charitatis gratia, pariter percipere dignentur: quin imo fragmenta ferculorum, & reliquias epularum lurconum canum rictibus & immundis deuorandas porcis proijciunt. Vascula quoque & phialas, aut arenosis sablonũ glareis; aut fuluis fauillarum cinerib. expianda purgandaque præcipiunt. Non salutatio pacifica præbetur, non osculum piæ fraternitatis offertur dicente Apostolo, *Salutate vos inuicem in osculo sancto*, nec manib. lomentum, aut latex cum manutergio exhibetur, neque pedibus ad lauacrum peluis apponitur cum Saluator syndone præcinctus discipulorum pedes abluens, normam nobis tradiderit imitandi dicens: *Sicut ego feci vobis, ita & vos facite aliis.* Ast vero si quilibet de nostris, id est, Catholicis ad eos habitandi gratia, pertexerint, non prius ad consortium sodalitatis suæ adsciscere dignantur, quam quadraginta dierum spatia in pœnitendo peragere compellantur. Et in hoc hæreticos infeliciter imitantur, qui se *Catharos*, id est, mundos nuncupari voluerunt. Heu heu pro tantis erroribus. potius quã euax, lacrymosis vocibus & querulosis singultibus lugu-

[Marg.: f. computum. f. Seuerii.]

[Marg.: Rõ. 16. 1. Cor. 16. 2. Cor. 13. 1. Thess. 5. 1. Pet. 5. Io. 13. 15.]

C

D

briter ingeminandum reor, & totū hoc contra Euangelij præcepta secundum Pharisæorum inanes traditiones agere noscuntur, Christo veraciter adstipulāte: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui mundatis quod foris est calicis & paropsidis.* Nam Dominus cum publicanis & peccatorib. conuiuia celebrasse describitur, vt verus medicus putulentis animarum vulneribus diuinæ pietatis medicamina & cœlestis clementiæ cataplasma componeret. Idcirco peccatorum consortia, Pharisæorum more, minime despexit, sed potius illam peccatricem pollutæ vitæ piacula lugubriter deflentem & dominicos pedes fusis lacrymarum imbrib. humectantem, ac solutis & laxis cincinnorum crinib. tergentem solita clementia misericorditer refocillauit dicens: *Remittuntur illi peccata multa, quia dilexit multum.*

C. refocillatur.
Luc. 7. 47.

Quæ cum ita se habeant, propter communem cælestis patriæ sortem & Angelicæ sodalitatis collegium, subnixis precibus & flexis poplitibus vestram fraternitatem adiurantes suppliciter efflagitamus, vt vlterius doctrinam & decreta beati Petri contumaci cordis supercilio & proteruo pectore non abominemini, & traditionem Ecclesiæ Romanæ propter prisca priorum statuta vestrorum nequaquam tyrannica freti pertinacia arroganter aspernemini. Petrus namque Dei filium beata voce confessus audire meruit: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælo.* Si ergo Petro claues cælestis regni à Christo collatæ sunt, de quo Poeta ait.

Matth. 16.

Clauiger æthereus portam qui pandit in æthra.

quis Ecclesiæ eius statuta principalia spernens, & doctrinæ mandata cōtemnens cælestis paradysi portam gratulabundus ingreditur? & si ipse potestatem ligandi atque monarchiam soluendi in cælo & in terra, felici sorte & peculiari priuilegio accipere promeruit, quis Paschalis festi regulam, & tonsuræ Romanæ ritum refutans non potius se strictis nexib. inextricabiliter obligandum, quam absoluendum clementer vllatenus arbitretur? Sed fortasse quilibet strophosus librorum lector, ac sagax scripturarum disceptator tali se excusationis clypeo defendat, & talis apologiæ parma protegat: Ego inquiens, vtriusque instrumenti præcepta sincera fide veneror, ac Sanctæ Trinitatis vnam essentiam vnamque substantiam & trinam personarum substantiam corde credulo confiteor Dominicæ incarnationis sacramentum & passionis patibulum, ac resurrectionis trophæum voce libera per populum prædicabo. Supremum viuorum & mortuorum examen, quando singulis quibusque pro meritorum diuersitate dispar retributio æquissimis iudicij lancibus trutinabitur, diligenter denuntiabo, & huius fidei priuilegio in Catholicorum cœtu glomeratus sine aliquo infelicitatis, obstaculo connumerabor. Sed huius excusationis propugnaculum, sub quo se delitescere confidunt, Apostolicæ castigationis balista solo tenus dirutum conquassare & confringere nitar. Ait namque Iacobus materteræ Domini filius: *Tu credis quia vnus est Deus*, & quia per ironiam XII. tribus in dispersione gentium constitutis loquebatur, statim subiunxit, *benefacis; & dæmones credunt & contremiscunt, quia fides sine operibus mortua est.* Fides nempe *Catholica* & fraternæ caritatis cōcordia inseparabiliter pari tramite tendunt, sicut prædicator egregius & vas electionis eleganter attestatur: *Si nouerim omnem prophetiam, & omnia mysteria, si habeam fidem, ita vt montes transferam, & si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habeā nihil mihi prodest.* Et vt breuis sententiæ clustello cuncta concludantur, frustra de fide *Catholica* inaniter gloriatur, qui dogma & regulam Sancti Petri non sectatur. Fundamentum quippe Ecclesiæ & firmamentum fidei principaliter in Christo & sequenter in Petro collocatum nequaquam ingruentibus tempestatum turbinib. nutabundum vacillabat, ita Apostolo promulgante, *fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Iesus Christus.* Petro autem veritas ita priuilegium sanxit Ecclesiæ: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Iacob. 2. C. per Hieroniam. f per epistolam.
1. Cor.
f. clau- stello vel, clausula C. sequenter.
1. Cor. 3. 11.
Matth. 16.

EPISTOLA XLV.

Clara Christi Ecclesiæ lampadi lucifera, meoque in doctrina diuinæ legis deuotissimo adiutori, Gregorio duplici Presbyteratus, Abbatisque honore, cum præcedente propriorū meritorum suffragio, decorato, Lullus extremus orthodoxæ matris, videlicet Ecclesiæ alumnus, immarcescibilis charitatis, in angulari lapide vtriusque Testamenti, salutiferam salutem.

Fido gestante gerulo munera largitatis tuæ ad me vsque delata peruenerunt: sed & suauissimæ beneuolæ charitatis tuæ salutationes omne munus vincentes more solito pariter comitabantur, quibus auditis & perceptis, vberes Deo piissimo primitus egi gratias, vt decuit, & deinde fraternitati tuæ debitas reddidi grates, quia te in minore potestate fidelem sciebam, in maiore citius fideliorem comprobaui. Comperto igitur prosperitatis tuæ successu æger animus vtrumque egit: gaudebat de ascensione cari sodalis, sed contristabatur de diuisione, quia hoc intolerabile apud homines videtur, dum is qui præ cæteris plus diligitur, repente subtrahitur, quamuis pro certo sciam quod nulla terrarum spatia illos diuidere possunt, quos verus Christi amor indisrupto germanitatis vinculo nectit, teste Deo, ne videar adulando fallere, quia te, Pater, quantum mentis possibilitas attribuit, interni affectus amore diligo. Hoc autem subnixa prece humiliter obsecro, vt nunquam semel in Christo cœptā charitātem, desidia corporis in nostro pectore frigescere sinamus, velut paruam scintillam tenuis ignis fulua cinerum fauilla suffocatam, ne in derisum veniamus à prætereuntibus cœptum ædificium considerantibus turris. Dicit scriptura: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit*, nec quilibet artifex de cœpto opere laudatur, sed de perfecto. Hoc autē meam mediocritatem quamlibet ætate iuniorem, merito graduque minorem, scientia inferiorem, absque vllo dubitationis scrupulo & seruasse, & seruaturam esse scito. De tua vero vitæ grauitate, mentisque stabilitate nihil dubito. Muniamus nos spiritali armatura iuxta Apostoli præceptum, *orantes pro inuicem*, vt saluemur, quia *multum deprecatio iusti assidua*, Iacob attestante, apud Deū *valet*; & eo diligentius huic insistamus, quo vehementius nos variis tentationū telis impugnari non ignoramur. Dextera scilicet fortior læuam infirmiorem adiuuare non cessat; & læua dexteræ sicut ancilla dominæ deseruire non desinet, id est, meam instabilitatem bonę vitæ tuæ exemplis castigando, corrigendo, admonendo, quamuis absentem corpore, spiritu tamen præsentem sicut tibi moris esse ad melioris vitæ perfectionem, deducere non desinas, & ego tibi humili deuotione, quantum vires suppeditant, fidelem famulatum in omnibus præbebo. Exhortatoria mediocritatis meæ verba, quamuis fatua & superflua videantur, obsecro, vt non moleste à tuæ charitatis collegio recipiantur, quæ sola charitas exigebat scribere sine dictandi materia, quæ omnia vincit, sicut scriptum est: *Amor omnia vincit, & nos cedamus amori*, ablata omni tumoris superbia. Hæc sunt suasoria verba, quę sine meo periculo dicere non possum, vt in hac temporali potestate & terrestri ditione, qua auctore Deo, iam nunc vteris, dominicæ sententiæ semper memoriis sonantis, *Regnum meum*

C. suauissimas.
C. comprobaui Cōperto.
C. cat.
Luc. 14. 29.
Matth. 10. 22. 24. 13.
Iacob 5.
Virgi. eclogā 10 Omnia vincit amor, nos &c. Confirmari potest ex Cāt. 8. 7.

[1 Cor. 13] *non est de hoc mundo.* Et illud Apostoli; *Nolite diligere* [8. Matt.] *mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* Quibus verbis [A] [26. 1.] quid aliud innuitur, nisi aperte dixisse illum intelligamus. [Ioan. 2. 15. C. illos] In illum nolite oculum mẽtis vestræ figere, quem quotidie ipsa ruina sua cernitis cadere: sed in illum tota mentis intentione aspicite, illumque totis viribus diligite, qui ante omnia secula est, & per omnia secula immutabilis manet, qui futuro & præterito tempore caret, sed esse sibi semper essentialiter est. Quid est. n. huius mundi fugitiua fœlicitas, & caduca prosperitas, nisi vapor & fumus? Inter temporalem prosperitatem [Iac. 4. 14.] & æternam fœlicitatem multum distare quis peritorum ignorat. Discamus igitur hac temporali potestate frui præter æternam fœlicitatem, & in cuius comparatione [f. propter.] nobis omnia vilescant, Vestimenta preciosa, caballos farre pastos, accipitres, falconesque cum curuis vnguibus, latrantes canes, scurrarum bacchationes, cibi potusque exquisitæ dulcedinis sapores, argenti aurique rutilantis pondera spernamus, ne sit mollis culcitræ pausatio, molliaque ceruicalia à viris potius exhibeantur, [B] quam à flammeis puellis. [C. spargantur, vt sint.] Ante omnia, incauta familiaritas extranearum fœminarum abscindatur, quia sæpe seducimur incauta securitate peius quam aperta tentatione. Tumultuosam ministrorum multitudinem clandestina diuinarum scripturarum eloquia expellant, quia illa fouea omni custodia cauenda est, per quam plurimos miserabili ruina conspicimus corruisse. Nam sæpe robustus miles infestissima telorum iaculatione eo fortius impugnatur quo inuictus videtur. Quamuis hoc iniisse te negotium liquido nouerim occasione lucrandarum animarum, & pro studio multiplicius seruiendi Deo: tamen memento, quia mollem manum durus capulus exasperat. Quapropter, care collega iam dudum, & nunc pie præceptor, *in omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* [Eccl. 40.] Festinatio autem ad te veniendi, propter multiplicem tribulationem, quam iugiter, Deo gratias, sustinemus, mihi vndique denegata est. [C] Huius muneris magnitudinem noli intendere, sed deuotam mentem dirigentis intuere antiquæ familiaritatis fiducia fretus libet mihi hac epistiuncula quandam sententiam frequenter apud nos habitam, quando limpida dicta Dei communiter rimabamur, breuiter tangere; nequaquam tamen ad tuæ puræ religionis personam pertinentem, cuius bene recordaris dum legitur, sed ad quendam schismaticum nefandissimum pertinebat, qui semper iurare solebat, nihil se terreni accepturum. [Videtur hic deesse illa sententia.] Cum subito ex improuiso, velut nouum phantasma, Episcopus apparuit, hoc iam maxima ex parte futurum esse formidabo. Longioris sermonis prolixitas legenti fastidium negignat (Nam Sapiens paucis vtitur verbis, stultus autem multis fatigatur, sicut & ego) obsecro istius epistolæ rubiginem emendando absterge, meique erroris indulgentia detur. Deus tibi, quod ad salutem tuam pertineat, clementer inspirare dignetur; & cum grege tibi commisso incolumem Pastor pastorum te custodiat. [D] Propria manu scripsi hæc. Obserua quæ præcipiuntur & saluus eris.

EPISTOLA XLVI.

Sorori in Christo carissimæ Leobgytha *Lullus exiguus seruus, auctoritate Domini Bonifacij discipulorum, in Domino salutem.*

[Matt. 5.] NOn immemorem tuæ sagacitatis industriam æstimo Euangelicæ sententiæ, qua dicitur: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum,* [Luc. 21.] Illa Paupertas patienter ferenda est, eodem Euangelista testante, qui ait: *In patientia vestra possidebitis animas vestras:* [Psal. 93. 19.] Illud Dauidicũ cum corde retinens, *quia secundum multitudinem dolorum tuorum consolationes Dei lætificarunt animam tuam.* Nec enim contemptui vel obliuioni tuam sinceram in Domino germanitatem dedi- [A] tam arbitreris, quamuis per interducias temporum, [Inducias.] corporali præsentia secernamur; neque in tuis necessitatibus fessum me esse vllo modo autumes, sed tantum diabolicæ fraudis astutia præoccupatum atque ministrorum eius subdola insectatione fatigatum scias; [C. v. Iob. 19. 21. & 10. 1.] & iuxta Prophetæ dictum, *tædet me vita mea* propter filios nequitiæ. Quicquid autem necessitatibus tuis desit, per Gunduuinum Diaconum reuersurum indicato. suggere illi, vt in laboribus meis non lassescat, quia valde rarus est, qui tribulationes meas mecum participare velit. Vale in Domino, intercedens pro me tanto enixius, quanto grauiore angustia deprimor.

EPISTOLA XLVII.

Lullus exiguus atque humilis Antistes, Suithan, eiusque subiectis. [f. Osuuitha.]

[B] APostolicum præceptum est, Osuuitha vt gregem Domini sollicite seruando pascamus, ne absque ouili repertus, luporum morsibus pereat. Hoc quidem te egisse, & acturum esse cõfidens quæ à sanctissimo viro *Bonifacio* martyre Christo, eiusque discipulis regularis vitæ disciplinam suscepisti, putabam iuxta modulum intelligentiæ tuæ: sed (quod tristis ac mœrens dicere cogor) longe aliter fecisse comprobatis, quæ neglectis animabus, pro quibus Christus mortuus est, de quarum vita reddituræ es rationem in die iudicii ante tribunal Christi, dum sacro palliatas fœminas N. & N. contra statuta canonum, & sanctæ regulæ [C. palleatas vel pellectas.] disciplinam, sine licentia, & consilio meo, ad iniuriam Dei, eiusque matris Beatæ Mariæ semper Virginis, cuius famulatum exhibere debuerunt; in laqueum Diaboli propter arrogantiam ac voluptatem laicorum explendam, ad perditionem animarum suarum, liberas [C] ire permiseris in longinquam regionem, non recolens illud Euangelicum: *Si cæcus cæco ducatum præbet, ambo in foueam cadunt.* [Matt. 15. 14.] Et illud. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* [Ezech. 18. 4.] Sed ne forte hanc meam obiurgationem parui pendens contemnas, Apostolico te sermone percutiam, quo ait: *Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.* [1. Timoth. 5. 20.] Pro huiusmodi stultitia excommunicatam te esse scias cum omnibus tuis, qui hunc negligentiæ reatum consentiendo perpetrauerunt, vsque dum digna satisfactione hanc emendetis culpam. Illas autem vagas, & inobedientes supradictas fœminas, intra cellam vestram non recipiatis, sed foras monasterium, excommunicatæ ab Ecclesia Christi, sedeant, pœnitentiam agentes, dum venerint, in pane & aqua, & vos similiter abstinendo ab omni carne, & omni potu, qui melle indulcoratur: scientes, quod si spernitis istam increpationem, quod spernatis eum, qui à Deo missus est peccatores saluos facere, id est, Christum, qui dixit in Euangelio, *Qui vos spernit, me* [Luc. 10. 16.] [D] *spernit, qui autem me spernit, spernit eum qui me misit,* id est, Deum Patrem omnipotentem. Optamus in Christo ad meliora vos conuerti.

EPISTOLA XLVIII.

Reuerendissimo fratri, Christique emerito militi Regi In æthereo Domino glorioso diuinæ sospitatis salutem. [Vel militi N. in æthereo Deo gloriosam d. s. s.]

QVorundam venerabilium seruorum Dei relatione didici, quod acerba morborum valetudine grauiter affectus, diu cruciatus laboriose fatigatus sis, non tamen lugubriter defectus. Vt autem hoc mihi compertum est, grates spiritali Patri agens cœlesti gratia te visitatum, diuino munere ditatum, spiritali specimine ornatum esse intellexi. Ista inquam visitatio

flagellantis Domini te inuitat, vt ei, inhiante desiderio & inmarcescibili caritate, iungaris. Ideo nunquam de memoria obliterandum quod dictum est: *Concupiuit Rex speciem tuam*: & solerti meditatione non ignores, re, licet ad tempus manu flagellantis & amantis Domini infirmatum, tamen æternaliter ad animæ salutem præparatum; quia *flagellat Deus omnem filium quem recipit*. Et gratulabundus lætus quedicas cum Paulo Apostolo; *Quando infirmor, tunc potens sum, & virtus in infirmitate perficitur*, vt imbecillitas corporalis, fortitudo sit spiritalis, vt merearis esse filius altissimi, qui te ad thalamum Regis æterni inuitat. Valere te iugiter prosperis successibus in Christo opto, &c.

Psal. 44. — Hebr. 12. 2. Cor. 12.

A

EPISTOLA XLIX.

C.

SIGEBALDI REGIS

Reuerendissimo Præsuli & piæ paternitatis prærogatiua diuulgando Archiepiscopo Bonifacio Sigebaldus licet indignus & vltimus famulorum Dei famulus optabilem in Domino salutem.

B

PRimitus subnixis precibus ac si progeniculans flexis poplitibus, vt indulgeas obsecro petitionem meam, quam rogaui te per tuum Presbyterum nomine *Eobo*, id est, vt tibi indicaret meam petitionē & desiderium, id est, vt tu meus esses Episcopus cum meo Episcopo *Danielo*. Pro tua clementia hoc mihi concedebas, si ita fecisses, sicut eum rogaui. Putabam à te Domine mi, aliquem consolationis sermonem venire ad me. Notum sit tibi, quod ex eo tempore nomen tuum adscriptum habuissem, cum *Missarum solemnia* celebrarem simul cum nominibus Episcoporum nostrorum, & modo non cesso quam diu subsistam; & si superuixero tibi, cum nomine Patris nostri *Erenuualdi* Episcopi tuum adscribo nomen. Et hoc tibi intimare curabo, quod hoc scribo, non quia de meritô mei peccatoris confidens sim, sed de misericordia Dei, & spe tua quam habes in Deum. Ideo deprecor te, vt tecum memoria mea secundum paruitatem meam, & in præsente & in futuro persistat. Vale in Christo.

F. conuocibus vt conuoco.

C

EPISTOLA L.

IN Dei nomine acceptis litteris, frater charissime N. de tua præsentia nobis allatis, cum gaudio suscepimus gratias Deo agentes, quia audiuimus, quod longe te agente in peregrinatione, Dominus benignitatem suam tecum exhibuit: Salutantes te in Christo, omnis cognatio tuorum consanguineorum, & obsecrantes, vt diligenter in Deo bonis operibus proficere studeas, nostris adiunctis precibus, vt ille qui est omnis consolationis dator, qui nos in huius miserabilis vitæ itinere corporaliter separauit, in suo regno semper mansuro sine fine coniungat. Vale semper salutatus supplicibus tuorum amicorum cum vocibus. Protegatur à Domino vita tua amodo & vsque in sempiternum.

D

EPISTOLA LI.

Dominæ sanctæ atque à Deo honorabili Adolanæ Abbatissæ, Elfflede Ecclesiastica familia famula sempiterna sospitatis salutem in Domino.

EX quo nos formam vestræ sanctitatis ab aduentantibus ex illis partibus rumore celebri referente cognouimus, in primis nos vestrum visceraliter, iuxta præceptum Dominicum ex intimo pectore amorem cepisse, Domino dicente: *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem*. Quapropter precibus subnixis suppliciter poscimus, vt sacrosanctis flammigerisque oraculis vestris nos apud almipotentem Dominum defendere dignemini, siquidem vobis vicem reddere nostra humilitas minime pigebit, Apostolo Iacobo hoc ipsum præcipiente ac dicente: *Orate pro inuicem vt saluemini*. Insuper & summæ sanctitati vestræ ac solitæ pietati. N. deuotam ancillam Dei ac religiosam Abbatissam, charissimam fidelissimamque filiam nostram ab annis adolescentiæ, pro Christi charitate, & pro honore sanctorum Apostolorum *Petri* videlicet & *Pauli* ad ipsorum sancta limina ire cupientem, sed à nobis pro necessitate atque vtilitate animarum sibi commissarum hactenus detentam, obnixe omni cum diligentia commendamus: & precamur quatenus cum affectu veræ caritatis in sinum clementiæ piæ à vobis suscipiatur cum his qui secum comitantur, vt diu desideratum ac sæpe cœptum iter, Deo auxiliante, adnitente etiam vestra pietate, tandem aliquando perficere possit. Quamobrem iterum iterumque repetendo petimus, vt cum vestris indiculis missisque ad almissimam vrbem Romam, prospero cursu, suffragante sancto ac signifero Apostolorum principe Petro, dirigatur; & si quando præsens, Deo volente, adfuerit, quicquid viua voce, qualibet occasione stimulante, pro sui itineris necessitate suggesserit, paratum apud vos inuenerit. Orantem pro nobis sanctitatem vestram diuina gratia tueri dignetur.

Ioan. 15. 12. C quærapp. — Iacob. 5. — F. pie.

EPISTOLA LII.

Fratribus in Christo charissimis Cœngilso, & Ingeldo Abbatibus, & singulariter cognato nostro Wiehtberto Presbytero, omnis congregatio trium monasteriorum, id est, Aldhuni Patris reuerendissimi, & Cnenburgæ Christi famulæ, nec non & Cœnburgæ Abbatissarum perennem atque insolubilem in Domini salutem.

C Abb. solubilem.

LIbenter namque atque gratanter vestræ salutationis munuscula suscepimus, Deoque adiuuante, iisdem digna recompensare desideramus: & eam quam circa nos scripsistis habere in orationibus communionem, bono animo & pura fide erga vos indesinenter habere, horis quibus intimastis, consentimus. Nomina quoque nostrarum defunctarum sororum ego *Cnenburg* memorialiter te habere, ô *Wietberte* Presbyter fidelis, deprecor, & omnibus circumquaque amicis transmittere, quarum prima fuit *Quoengyth* soror mea germana, & *Ellu* quæ erat cum adhuc viueret mater *Etan Aldhuni* quondam tui Abbatis propinqua, quarum vtique ambarum fuit vno die depositio id est, Idibus Septembris. Orantem pro nobis beatitudinem vestram Dominus omnipotens custodire dignetur incolumem dilectissimi fratris, & Domini per æuum. Emmanuel. Salutate omnes circumquaque Christi seruos nostris veracissimis verbis dilectissimi fratres. C. salu. 12.

EPISTOLA LIII.

Dominis sanctis & in Christo desiderandis Patribus ac fratribus in monasterio Glestingaburg constitutis Vuiehtbert Presbyter, vester vtique seruus, ac seruorum Dei supplex in Domino salutem.

BEnedictus Deus, *qui vult omnes homines saluos fieri & ad agnitionem venire veritatis*, qui etiam nostrum iter sua voluntate in has prouincias, id est, in confinio Paganorum, Hæssonum, ac Saxonum prosperum, vltra mare, & per huius mundi pericula, sine merito nostro, licentia vestra & orationibus, ac mise- 1. Tim.

ricordia sua direxit. Scitis, fratres, quia non nos terrarum spatia diuidunt, quos Christi charitas nectit. Semper ergo fraternitas vestra, ac reuerentia, simul & orationes pro vobis ad Deum, in me manent. (C. Kar.) Vos autem volo scire charissimi, quod Archiepiscopus noster Bonifacius cum aduentum nostrum audisset, per semetipsum dignatus est longa via in obuiam nobis venire, ac suscipere valde benigne. Nunc, dilectissimi, credite, quod labor noster nobis non sit inanis in Domino sed vestræ sit mercedis. Deus enim omnipotens per misericordiam suam, ac merita vestra, sufficientiam operis nostri bonam perficit, licet valde sit periculosum ac laboriosum pene in omni re, in fame & siti, in algore, & incursione Paganorum inter se degere. Idcirco rogo diligenter orate, vt sit nobis sermo in apertione oris, & permanentia in opere, & fructus. (Inter eos. C. pro nobis. Ephes. 6.19.) Valete in Domino. Salutate fratres in gyro primo *Ingeldum* Abbatem & cõgregationem nostram, ac mandate matri meæ *Tettam*, atque congregationi eius prosperum iter nostrum. Communiter omnes obnixis precibus flagito vicem instantiæ orationis nostræ impendere, orantemque pro nobis beatitudinem vestram diuina tueatur clementia, opto.

EPISTOLA LIV.

Dilectissimo fratri & compresbytero N. Vuitthbert exiguus in Christo æterna charitatis salutem.

INtimæ charitatis obnixis precibus flagito, vt mei in tuis sacrosanctis orationibus memor esse digneris, quia mundanæ tentationis malleo, vanis rebus turbantibus percutior.

EPISTOLA LV.

Venerando ac diligendo fratri in Christo optabilem sempiternæ sospitatis salutem.

FAteor charitati tuæ quod nunquam falsis verborum fabulis (C. fribulis f. friuolis.) fidem accommodare volui, nec de tuæ deuotæ charitatis fidelitate aliquas diræ derogationis aristas accrescere credebam: sed magis tuæ dilectionis beneuolentiam meminisse reor sententiæ Salomonis, qua dicit: *Ne moliaris amico tuo malum, cum ipse fiduciam habuerit in te.* (Prou. 3. 29.) Et nunc credula cordis præcordia gesto de tuæ deuotionis perseuerantia. Gratias tibi refero pro adminiculo diuinæ scripturæ, quod mihi benigne transmittere curasti: idque obsecro, vt quando potueris me adiuuare in membranis scribendis, transmittas: (C. scribendi.) & quodcunque mihi mandaueris, tibi necessarium in corporali solatio, libenter ac fideliter faciam; & licet locorum spatio longe separemur, tamen spiritali charitate adunati simus. Vale semper in Domino, meæque paruitatis memor in tuis sacris orationibus esse digneris.

EPISTOLA LVI.

Fratri vnico atque amantissimo N. H. (f. Hidda.) *vltima ancillarum Dei in Christo salutem.*

QVid est, frater mi quod tam longum temporis intermisisti? quod venire tardasti? Quare non vis cogitare, quod ego sola in hac terra, & nullus alius frater visitet me, neque propinquorum aliquis ad me veniat & si ideo facis, quia adhuc nihil potui, secundum quod mens tua diligenter voluisset, aliquid beneficii impendere, tamen charitatis atque affinitatis iura, nullo alio suadente, aut mentem tuam mutando, (C. mẽs tua obliuiscere.) debes obliuisci. O frater, ô frater mi, cur potens mentem paruitatis meæ assiduo mœrore fletu atque tristitia die noctuque, charitatis tuæ absentia affligere? Nonne pro certo scies quia viuentium omnium nullum alium præpono tuæ charitati? Ecce non possum omnia per litteras tibi indicare. Iam ego certum teneo, quod tibi cura non est de mea paruitate.

EPISTOLA LVII.

Dilectissima atque amantissima sorori, & mihi sincere charitatis affectu veneranda, Aldhelmus supplex indigno Abbatis vocabulo functus, in Domino salutem.

COgnoscat vestra almitas de baptismo sororis, me (C. illi.) interrogasse Pontificem, qui licentiam dedit baptizari illam sanctimonialẽ, sed tantum clam & latenter. Saluto te diligenter, *Osigegythe* ex intimo cordis cubiculo, subnixis precibus obsecrans, vt assidua scripturarum meditatione mentem tuam occupare non desistas, quatenus Psalmigraphi sententiam compleas dicentis: *In lege eius meditabitur die ac nocte.* (Psal. 1.) Et idem Psalmista hoc item testatur dicens: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua*, (Psal. 118.) & reliqua. Orationum vero mearum vt memores sint omnes sorores per Christum suppliciter obsecra qui dicit Apostolo, *multum valet deprecatio iusti assidua.* (Iacob. 5.) Vale decies dilectissima, imo centies & millies. Te Deus valere faciat.

EPISTOLA LVIII.

Reuerendissimo atque sanctissimo Coepiscopo Forthereo, Berhtuualdus, famulorum Dei famulus, salutem in Domino.

QVomodo petitio mea, qua precatus sum coram te, venerabilem Abbatem Beoruualdum de concedenda vnius captiuæ puellæ, quæ propinquos apud nos habere monstratur, redemptione, in irritum contra quod credidi, cessit, & denuo eorundem precibus inquietos vtilissimum duxi, (C. vtilimum.) ad te per eiusdem puellæ germanum, vocabulo *Eppa*, has litteras destinare, per quas obsecro, vt ipse omnino obtineas à prædicto Abbate, quatenus pro eadem puella trecentos accipiat solidos de manu præsentium geruli, & ei tradat illam hucusque perducendam, quo possit reliquum vitæ suæ spatium cum consanguineis suis, non in seruitutis tristitia, sed in libertatis transigere lætitia. Quam rem dum ad effectum tua perduxerit beneuolentia, & à Deo mercedem, & à me gratiarum actiones habebis, Frater quoque noster Beoruualdus nihil vt æstimet de eo quod in ea iuste possedit, amittit. Quod ante debui facere, obsecro, vt cum tui memoriam in crebris orationibus feceris, mei nihilominus (C. tui mei.) meminisse digneris. Incolumem Reuerentiam tuam æuo prolixiore Iesus Christus Dominus noster custodiat.

EPISTOLA LIX.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi, ego huic fratri, nomine N. (C. non N.) libentissime concedo, vt ad monasterium venerandi Abbatis, in quo primitus prædictus frater Deo debitam seruitutem deuouit, cum pace congregationis nostræ, reuertatur, ibique Christo fideliter seruire nitatur.

EPISTOLA LX.

Reuerendissimo fratri atque charissimo in Christo N. sine fine salutem.

DEprecor te ergo, vt mihi minimo digneris solatium præbere, atque necessitatibus meis piissima (C. habet.)

mente subuenire libellis, de quibus mentio facta fuerat. Id est quod necesse habeo.

A

EPISTOLÆ LXI.

f. Lato.

Reuerendißimo atque sanctißime N. ego minimus, nomine Latito, sine fine salutem in Domino.

AVdio de te, quod iter vis incipere, hortor vt non defeceris. Eia, fac quod incepisti. Memento Saxonicum verbum: *Oft daed lata dom a forildit sigi sithagahuem suuilt thiana.* Sed tamen tale quid in te haud scio. Non est hic operandum: sed tende vbi messis est, Deo adiuuante, sicut Saluator dicit: *Messis quidem multa, operarij autem pauci*, & cætera. De me quid dicam minimo? qui sub regula alterius viuo nihil habens lucri, sicut omnium moris est hic habitantium nihil habentium nisi quotidiana stipendia, sed tamen non doleo propter nimiam paupertatem, quomodo Dominus consolauit nos dicens: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum regnum cælorum.*

Matt. 9. 37. C fixerq. C. habentes.

Matt. 5.

B

EPISTOLÆ LXII.

Charissimis filiis Denehardo, Eanbertho, Vinberto, Sigeberto, Sigeuualdo, Lullus Antistes in Domino salutem.

ADmonemus vos vt rogetis omnes vbique Deo seruientes tam seruos Dei, quam ancillas Christi in prouincia Thyringorum, vniuersamque plebem, vt in communi misericordiam Domini deprecentur, quatenus ab imminenti pluuiarum flagello liberemur, id est, vt vnam hebdomadam abstineant se ab omni potu, in quo mel sit: secunda feria, IV. feria, & VI. feria ieiunetis vsque ad vesperum: & vnusquisque seruorum Dei & sanctimonialium quinquaginta Psalmos cantet omni die in illa septimana, & illas missas, quę pro tempestatibus fieri soleant, celebrare vos, Presbyteri, recordamini. Misimus vobis nomina Domini Romani Episcopi, pro quo vnusquisque vestrũ. XXX. Missas cantet & illos Psalmos, & ieiunium iuxta constitutionem nostram. Similiter pro duobus laicis nomine *Megenfrith*, & *Hraban*. X. Missas vnusquisque vestrum cantet. Valete in Domino semper.

C

EPISTOLÆ LXIII.

Dilectißimo fratri in Domino, & in carne charißimo Balthardo, Berthgytoh in Christi nomine salutem.

Psal. 26.

TAeder animam meam vitæ meæ propter amorem fraternitatis nostræ. Ego enim sola derelicta, & destituta auxilio propinquorum. *Pater enim meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me.* Multæ sunt aquarum congregationes inter me & te tamen charitate iungamur, quia vera charitas nunquam locorum limite frangitur. Sed tamen dico, quod vnquam non recessit tristitia ab anima mea, neque per somnium mente quiesco, quia *fortis est vt mors dilectio.* Nunc ergo rogo te, dilectissime frater mi, vt venias ad me, aut me facias venire, vt te conspiciam, antequam moriar, quia nunquam discedit dilectio tua ab anima mea. Salutat te in Christo, frater, soror tua vnica. Oro pro te, sicut pro me, diebus ac noctibus, horis atque momentis, vt sanitatem semper habeas cum Christo. Vale viuens fœliciter, vt sis sanctus simpliciter tibi salus per sæcula, tribuatur per culmina. Viuamus soli Domino vitam semper in sæculo. Profecto ipsum precibus peto, profusis fletibus solo tenus, sæpissime subrogare auxilia, vt simus digni gloria, vbi resonant carmina Angelorum lætissima, ætheralis lætitia clara Christi clementia celsæ laudis in sæcula. Valeamus, angelicis victrices iunge millibus, paradisi perpetuis perdurantes in gaudiis, Elonque el. & Michaël, Acaddai, Adonai, Alleuaia, Alleluia.

D

Cant. 8. 6.

C. sæpissima.

A

C th. f Emanu. vt sup. 25 Vel Eleonagi el. id est, altissimus & Deus & Saddai.

EPISTOLÆ LXIV.

In nomine Domini nostri Iesu Christi & in sancta Trinitate dilectißimo fratri vnico Balthardo, perennem in Christo salutem.

NOtum sit tibi quod venerunt ad me verba legationis tuæ per fidelẽ nuncium nomine *Aldraed*, similiter & munera, quæ cum intima charitate amplexi. Et nunc fateor tibi, quod implere desidero, auxiliante Domino omnia, quæ præcepisti mihi, si dignetur voluntas tua venire ad me, quia nullo modo fontem lachrymarum acquiescere non possum, quando video & audio alios ituros ad amicos suos. Tunc recolo, quod à parentibus in iuuentute derelicta sui, & sola hic permansi: & tamen à Domino derelicta non fui, sed gratias ago Deo de immensa eius pietate, quam sæpe non merentibus, per misericordiæ suæ viscera, donare consueuit, & sic nos incolumes seruauit. Et nunc, frater mi, adiuro te atque deprecor, vt auferas tristitiam ab anima mea, quia valde nocet mihi. Dico enim quamuis vnius diei spatium sit, & iterum pertexeris, iubente Domino, in voluntate tua, tamen recedit tristitia ab anima mea, & dolor de corde meo. Sin autem displicet tibi implere petitionem meam; tunc Deum testem inuoco, quod in me nunquam sit derelicta dilectio nostra. Et nunc vere dico tibi, quod meliora nescio, si venire vis illuc, quam hic maneam. Sin autem aliud aliter tibi melius placet, tunc indicare possum, quod mens mea desiderat, vt eueniam illuc vbi requiescunt corpora parentum nostrorum, & temporalem vitam ibi finire, & peruenire vbi perfecta mansio esse cernitur, & regio viuorum, & gaudia Angelorum sine fine lætantium. Vale in Christo. Munuscula quamuis parua, tamen cum maxima charitate onerata, quæ tibi direximus per fidelem nuncium nomine *Aldraed*, id est vittam vnam *accipies.*

cõpescere.

B

C à me.

C

G. honorata. In G. deest hoc aut simile verbũ.

1 *Pro me quaro oramina*
2 *Precum: pandent pracipua.*
3 *Tua formosa famina,*
4 *Tua, sophæ ....entia.*
4 *Vti noua ac vetera*
5 *Vti dira discrimina*
6 *Christus aboleat crimina:*
7 *Cum immensa clementia*
8 *Vt sim armata Angelicis*
9 *Vallata legionibus*
10 *Dextro ac læuo latere,*
11 *Dialique Maiestate*
12 *Hanc care cruciola*
13 *Salutate à sorore*
14 *Fine tenus faliciter*
15 *Famam serua simpliciter.*

f. eloquẽtia.

C. deest sim. C. soluta ta ierue.

D

EPISTOLÆ LXV.

Sacro sancto Abbati Aldhelmo mihi inextricabilis ignita charitatis nodis, vt merita poscunt, adstricto, Ædiluualdus, tuæ piæ paternitatis supplex alumnus, perpetuam in Domino sospitatis salutem.

ÆStiui igitur temporis cursu, quo immensis feralium passim congressionum expeditionibus hæc misertima patria lugubriter, inuidia vastatrice, defanatur, tecum legendi studio, conuersatus demorabar. Tum mihi æat indigno, tuæ beatitudinis sacrosancta

Mendosa fere tota.

f. desatigatur.

sagacitas omnibus, vt reor, propemodum panegyricis tam sæcularium litterariæ verbositatis facũdia editorum, quam etiam spiritalium Ecclesiastici dogmatis stylo elucubratorum plenissime voluminum scriptis imbuta, arcana liberalium litterarum studia, opacis duntaxat mysteriorum secretis, ignaris quibusque mentibus obstrusa, abrepto propere spissæ stoliditatis velamine, patefaciens liquidissime propalarat. Quibus ad integrum exuberantis ingenij epulis, ambronibus siticulosæ intelligentiæ faucibus, auide absumptis, meam adhuc pallentem hebetudinis maciem largissimæ blandæ sponsionis epimenia affluenter refocillabat, pollicitans omni me desideratæ lectionis instrumento, quo potissimum meæ mediocritatis industriam satis inhiantem agnouerat, libenter edocendo imbuere. Quapropter, mi amantissime puræ institutionis præceptor, quatenus affectu consequente fidem verborum haud difficulter adhibeas, operæ pretium censemus: talibus sacræ Scripturæ oraculis instimulatus: *Fili mi si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, inlaqueatus es verbis oris tui.* Et iam dico, si nullius te capacibus prolatæ promissionis retinaculis perplexum inuolutumque reminisceris, tamen cum memet ab ipsis tenerrimæ cunabulis infantiæ fouendo, amando pedetentimque delicatioribus solertiæ cibis recreando, ad vegetam vsque pubertatem prouexisti, dignum ab omnibus sanæ intelligentiæ esse indicatur quatenus, confoto iam pabulo tenerioris ingenii des cibos solidiores quoque profundiores sophiæ. Tamen si humillima subiectæ deuotionis instantia importune insistens expetit affatim alendo epulas, impendere non deneges; meque, licet nullius momenti ducas, vestræ sublimitatis adoptiuam prolem ex omni paternæ prudẽtiæ diuiti censu aliquatenus ad tempus ditare non recuses, ne quando inuisi audacium æmulorum cunei crispanti optatæ improbationis cachinno tripudiantes congratulentur si sobolem opulenti paternæ philosophiæ censu exhæredem penuriæque ferulis insipientiæ experientem comperiunt. Et non incongrue mihi ille Roboam, generosa de stirpe famosissimi tam laudabilis sapientiæ excellenti enormitate, quam etiam opimis rerum facultatibus Regis *Salomonis*, infelici fusus ortu, omnis pene paternæ fœlicitatis expers, lugubriter coæquari queat. Denique iam nunc impleturus vota persolue, & incæptum largæ institutionis beneficium concitus comple, sciens te haud dubiæ maiorem inde perpetuæ remunerationis gloriam adepturum, Domino adstipulante, quia *qui perseuerarit vsque in finem, hic saluus erit*. Huic autem nostræ paruitatis epistolæ trina cantati modulaminis carmina binis generibus digesta subdidimus, quorum primum dactylico heroïci poëmatis hexametro ac pedestri, vt autumo, regula enuclear & trutinatum & in LXX. coæquantium versuum formulas, casu ita obtingente, &, vt verius dicam; supernæ dispensationis nutu moderante, diuisum. Tertium quoque non pedum mensura elucubratum, sed octonis syllabis in vno quolibet versu compositis vna eademque littera comparibus linearum tramitibus aptata cursim calamo perarante caraxatum tibi, sagacissime sator, transmittens dicaui. Medium vero meo tuoque clienti *Vainfritho* de transmarini scilicet itineris peregrinatione, simillimis iisdem versuum & syllabarum lineis confectum repræsentans porrexi. Hæc idcirco vestræ beatitudinis venerandis obtutuum luminibus repræsentanda fore necessarium duxi, quod nostræ paruitatis indicio dignum esse visum est, omnem tibi, vt pote patri, mearum litterarum editiunculam primum pandens propalarem, quatenus vestræ sublimitatis probabili rationis iudicio comprobata, & ad æquitatis normulam deriuata omnibus deinceps lectorum numerositatibus acceptabilis exstat. Vale in Christo.

C. secretas. C. abrepta præpore An expectatio vel ἐπιμενία. C. agnouerit imbueret f. verbis. Prouerb. 61. C. aluino solu. sopha. Magia ægro Matth. 10. χαράδω vel exaratũ inf. 69. & Carm. 2. & 71.

A

EPISTOLA LXVI.

Patri Dei famula, & digno nobis consacerdoti Ferthere Daniel sancta plebis famulus.

RECitatis supplicatorijs nobis allatis litteris de Diaconatu electi fratris mei *Meruualth*, & quamuis posterius ordinaliter constituto tempore eis venisset, qui Presbyterii & Diaconi ordinem fuerant adepti, non distulimus eum. Quanquam incognita & importuna petitio visa, præualuit tamen pia fratrum postulatio, eo quod nihil defuisse in eo meriti vna vobiscum conspeximus ad ordinem diaconi promoueri. Postposita nobis distentione, & sua deposita pertinacia, etsi sero; tandem consentaneus effectus est, ad officiumque honoris susceptus est. Ideo cum aduertitis vobis satis in eo factum, & voti compotes assecuti honorifice iam eum in Leuitarum numero constitutum habetote, eique in magisterio perfecta deuotione B concurrite, vt fiduciam in Christo Iesu acquirere valeatis. Longe vos in fide *Catholica* & felicibus successibus florere faciat Omnipotentis Dei gloria.

Ordinatio sacra certis temporib. C. deest ad vel in f. effecti.

EPISTOLA LXVII.

DANIEL EPISCOPVS Bonifacio.

Venerando & amando Antistiti Bonifacio Daniel plebis Dei famulus.

QVamuis, mi frater, consacerdosque charissime, te primam virtutum promereri gaudeam palmam, quia saxea steriliaque hactenus Gentilium corda, fidei magnitudine fretus, fiducialiter digrediendo, vomer Euangelicæ prædicationis infatigabiliter C subigens, in glebas fertiles quotidiano labore conuertere niteris, vt vere tibi aptari Prophericum Euangelicumque dictum possit: *Vox clamantis in deserto,* &c. tamen secundæ portio palmæ non incongrue etiam ipsis præstabitur, qui tam pio, tam salubri operi congratulando, quibus valent subsidiis fauent: eorumque indigentiam competentibus adminiculis supplent. quo alacrius cœptum prædicationis opus, & spirituales Christo generare filios studeant. Vnde &, deuota beneuolentia, pauca tuæ suggerere prudentiæ curaui, quo magis aduertas secundum meum sensum, qua potissimum ratione obstinationẽ agrestium conuincere promptus queas. Neque enim contraria iis de ipsorum quamuis falsorum Deorum genealogia astruere debes. Secundum eorum opinionem, quoslibet ab aliis generatos, per complexum mariti ac fœminæ, concede eos asserere, vt saltem modo hominum natos Deos ac Deas, potius homines non Deos D fuisse, & cœpisse qui ante non erant, probes. Cum vero initium habere Deos, vt pote alios ab aliis generatos coacti didicerint, item interrogandi, vtrum initium habere hunc mundum, an sine initio semper extitisse arbitrentur? Si initium habuit, quis hunc creauit, cum, proculdubio, ante constitutionem sæculi, nullatenus genitis diis inueniant subsistendi vel habitandi locum. Mundum enim non hunc visibilem tantum, cœlum & terram, sed cuncta etiam extenta locorum spatia, quæ ipsi quoque Pagani suis imaginare cogitationibus possunt, dico, Quare si sine initio semper extitisse mundum contenderint, hoc multis refutare ac conuincere documentis argumentisque stude: iterum altercantes interroga, quis ante natos Deos mundo imperaret, quis regeret, quomodo item suo subdere dominatui vel sui iuris facere mundum ante se semper subsistentem potuerunt, vnde autẽ, vel à quo

Matt. 3. 3. 1. sequentes. C. saltim. C. & I. paginis I. quod multis. I. tamẽ alt.

vel quando ſubſtitutus, aut genitus primus Deus, vel Dea fuerit? vtrum autem adhuc generare Deos, Deaſque alios aliaſque ſuſpicantur? vel ſi iam non generant, quando, vel cur ceſſauerunt à concubitu & partu? Si autem adhuc generant, infinitus iam Deorum effectus numerus eſt. Et quis tamen inter tot, tantoſque potentior ſit, incertum mortalibus eſt, & valde cauendum, ne in potiorem quis offendat. Vtrum autem pro temporali ac præſenti, an potius pro æterna ac futura beatitudine colendi ſint, arbitrantur? Si pro temporali, in quo iam feliciores Pagani Chriſtianis ſunt, dicant. Quid autem ſe ſuis conferre ſacrificiis lucri Diis ſuſpicantur Pagani cuncta ſub poteſtate habentib. vel cur in poteſtate ſibi ſubiectorum fieri permittunt ipſi Dij, quod ipſis tribuant? Si talibus indigent, cur non ipſi magis potiora eligunt? Si autem non indigent, ſuperflue in talibus hoſtiarum collationibus placare ſe Deos poſſe putent. Hæc & his ſimilia multa alia, quæ nunc enumerare longum eſt, non quaſi inſultando vel irritando eos, ſed placide, ac magna obiicere moderatione debes: & per interualla, noſtris, id eſt Chriſtianis, huiuſmodi comparandæ ſunt dogmatibus ſuperſtitiones, & quaſi è latere tangendæ. quatenus magis confuſi quam exaſperati Pagani erubeſcant, pro tam abſurdis opinionibus, & ne nos latere eorum neſarios ritus ac fabulas æſtiment. Hoc quoque inferendum, ſi omnipotentes ſunt Dii, & benefici, & iuſti, non ſolum ſuos remunerant cultores, verum etiam puniunt contemptores. & ſi hæc vtraque temporaliter faciunt, cur ergo parcunt Chriſtianis totum pene orbem ab eorum cultura auertentibus: idolaq; euertētibus? Et cum ipſi, id eſt Chriſtiani, fertiles terras, viniq; & olei feraces, cæteriſq; opibus abūdantes poſſident prouincias, ipſis autem, id eſt paganis, frigore ſemper rigentes terras cum eorum Dijs reliquerunt, in quibus iā tantū toto orbe pulſi falſo regnare putantur. Inferenda quoque ſæpius ijs eſt orbis authoritas Chriſtiani, in quorum comparatione ipſi pauciſſimi in vanitate antiqua adhuc perſeuerant: & ne quaſi de legitimo ſemper à principe ſuper ipſas gentes Deorum iactitent imperio, intimandum iis cunctum prius mundum idolorum deditum culturæ, donec Chriſti gratia veri omnipotentis conditoris, rectoris, vniuſque Dei notitia illuminatus, viuificatus, reconciliatuſque Deo eſt. Nam quot apud Chriſtianos fidelium quotidie baptizantur filij, quid aliud faciunt, niſi à ſorde & reatu gentilitatis, qua totus olim contaminatus mundus eſt, per ſingulos eos purgant. Hæc charitatis intuitu, Frater mi, breuiter tuæ commemorare libuit dilectioni, & qui corporali prægrauatus languore laboro ita, vt congrue illud Pſalmiſtæ dicere poſſim: *Cognoui Domine, quia iuſtum iudicium tuum, et vere afflixiſti.* Vnde obnixius tuam peto reuerentiam, quatenus cum his qui tecum Chriſto, in ſpiritu viuunt, pro me ſupplicationum fundere preces digneris, vt dominus, qui me vino compunctionis potauit, cito ſua etiam anticipet miſericordia, vt qui iuſte corripuit, clementer ignoſcat, propheticumque illud ſua faciat pietate me quoque gratulabundum poſſe cantare: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ Domine lætificauerunt animam meam.* Opto vt in Chriſto bene valeas, & mei memineris, Conſacerdos chariſſime.

EPISTOLA LXVIII.

Domino reuerendiſſimo, omnique virtutum conamine venerando, & poſt Deum peculiari patrono ſupplex almitatis veſtræ vernaculus in Domino ſalutem.

Fateor, ô beatiſſime Antiſtes, me dudum decreuiſſe, ſi rerum ratio ac temporis volitans viciſſitudo pateretur, vicinam Natalis Domini ſolennitatem ibidem in conſortio fratrum tripudians celebrare, & poſtmodum, vita comite, veſtræ caritatis affabili præſentia frui. Sed quia diuerſis impedimentorum obſtaculis refrænati, quemadmodum lator præſentium viua voce plenius promulgabit, illud perficere nequiuimus. Idcirco difficultatis veniam precor impendite. Neque enim parua temporū interualla in hoc ſtudio protelanda ſunt ei duntaxat, qui ſolerti ſagacitate legendi ſucceſſus, legum Romanarum iura medullitus rimabitur, & cuncta Iuriſconſultorum decreta ex intimis præcordiis ſcrutabitur, & (quod his multo arctius & perplexius eſt) centena ſcilicet metrorum genera pedeſtri regula diſcernere & admiſta cantilenæ modulamina recto ſyllabarum tramite luſtrare, cuius rei ſtudioſis lectoribus tanto inextricabilior obſcuritas prætenditur, quanto rarior doctorum numeroſitas reperitur. Sed de his diutius ratiocinari ſtricta epiſtolaris anguſtia minime ſinit, quomodo videlicet ipſius metricæ artis clandeſtina inſtrumenta litteris, logis, pedib. poëticis, figuris, verſibus, tonis, temporib. conglomerentur, pathetica quoque ſeptenæ diuiſionis diſciplina; acephalos, lagaros, procilos cum cæteris varietur, qui verſus monoſemi, pentaſemi, quidecaſemi videantur, & qualiter catalectici vel brachycatalectici ſeu hypercatalectici verſus cognoſcantur. Hæc, vt reor, & his ſimilia breui temporis intercapedine momentaneoque ictu apprehendi nequaquam valebunt. De ratione vero calculationis quid commemorandum? cum tanta ſupputationis imminens diſputatio colla mentis compreſſerit, vt omnem præteritum lectionis laborem paruipenderem, cuius me pridem ſecreta cubicula noſſe crediderам, & vt ſententiam beati *Hieronymi* depromam, *qui mihi videbar ſciolus, rurſus cœpi eſſe diſcipulus.* Porro de Zodiaco xii. ſignorum circulo quæ vertigine cœli voluuntur, ideo tacendum arbitror, ne res opaca & profunda, ſi vili explanationis textu promulgata fuerit, infametur & vileſcat, præſertim cum Aſtrologiæ artis peritia, & difficillima horoſcopi computatio elucubrata doctoris indagatione egeat. Hæc idcirco cariſſime Pater, curſim pedetentim perſtrinximus non garrulo verboſitatis ſtrepitu illecti, ſed vt ſcias, tanta rerum arcana examuſſim non poſſe intelligi, niſi frequens & prolixa meditatio fuerit adhibita. Salutate in Chriſto omnem ſodalium meorum cateruam à minimo vſque ad maximum, quos, obſecro & adiuro per clementiam Chriſti vt pro me peccatorum pondere & criminum ſarcina oppreſſo preces Domino fundant.

f. altus. *Legi poſſet, ad Muſica.* *Hieró.*

EPISTOLA LXIX.

Splendida virginitatis caſtimonia florentis prædita, lymphaque ſuperni laticis melliflua cælitus irrigata, nobili non ſolum carnali generoſitatis proſapia virgini, verum etiam (quod præſtantius eſt) ſpiritali dignitatis honore inſigniter compta Chriſti ancillarum leue iugum Dei geſtantium gubernatrici, & monaſticæ conuerſationis normam regulariter, authenticis priſcorum Patrum formulis, commiſſo ſibi gregi indefeſſe præbenti: nec non inclita pubertatis indolis, candido integritatis veſtimento interrupta adaque decorata, cæleſtique gurgitis vnda late manantis vini & ſemper abundantis potata, non ſolum exteriore litterarum ſtudio, verum etiam interiore diuinæ ſcientiæ luce illuſtrata. N. abſque præcedente meritorum adminiculo. N. ſpiritalis officij munificentia fungens, in angulari lapide, Chriſto videlicet, optabilem ſalutem.

C Chriſti cōpiæ cellarum. Vel, à Deo-que decet.

Fateor caritati veſtræ, poſtquam Britanicæ telluris inclyta ſceptra, diuinæ pietatis admonitione, vt reor, ſalubri tactus, fugiens deſerui, relictaq; fœcundiſſima natalis patriæ Inſula, quam glauca ſpumantis maris cerula influentia ſcopuloſis marginibus vndique vallant, fragilitatis meæ conſcius, & ſcelerum

meorum aliquatenus tunc reminiscens, vna cum, totius propinquitatis meæ propemodum caterna Christo fauente, feruentis ingruentibus pelagi molibus transuectus, ad huius regionis marginem applicuisse gratulans, votorum compos tripudiabam; liminibusque beatorum Apostolorum, orationis causa, demendi innumera piaculorum meorum pondera, pergendo me satagebam præsentare; ibique cunctis affinitatis meæ propinquis propemodum longo quietis somno sopitis, solus in huius exilij calamitate orbatus, (& metui) haud secus dicendum mihi est, quam tristis mœrensque remansi: tamen incolumitate corporis pristina, robustisque membrorum artubus huius pestis valetudinem euasi: sed (gratia & laus pio flagellatori) omnibus membrorum compaginibus quassatis & contritis, anhelans fatigatus resto. quod mihi per visum & nouum & vetus est. nullam reperisse me istic habitantium fœminini sexus personam fideliorem, in omnibus non adulationis causa, sed veritatis firmitate contestans, dum me admodum ante quinquies quina mensium volumina toto vexatum corpore febris anhelæ frigus & calor decoquerent, benigna caritatis humanitate memini susceptum, quod vtique iuxta præceptum Domini. Tunc vos infirmo ægrotoque, non ignoro egisse, ob æternæ retributionis mercedem; eandem quoque hactenus parum pigræ fraternitatis affectus dilectionem diuini amoris obtentu complentes obseruate dinoscimini.

C. meâ modú. *Matth.* 25.

Qua de re scribendi vobis materiam nequaquam incongruam nactus, qua amabilem vestræ germanitatis spiritalem necessitudinem caraxando alloquerer, cum me Christus bonorum cunctorum largitor, præeunte clementia sua, discentium cœlesti gratiæ sua rore aliquantulum per suum participem efficeret. Ideo vobis dirigere versiculos metrica ratione compositos diu fixum mente tenui & corde simul dulce habui. quia nullos legentium noui, quibus libentius mitterem, vbi pro certo scio nullam diræ fraudis suspicionem mentem destinantis mordere, nec dictantem hostili vituperatione lacerare, licet vitiosa pagina scabraque scedula repetiatur. Hanc itaque nuper metricæ artis peritiam, Domini nostri omnium generalis, meique specialis, Præsulis venerandi Bonifacij sub magisterio didiceram, quo mihi, post illuminatorem cœlestem, cui secreta cordis patent, & quem occulta & abdita non latent, mentis obtutus aperitur, & arida pectora mea imbre superni nectaris quotidie cœlesti irrigantur. Hos namque versus, iocistæ more, caraxatos, reperietis, si diligenter non dedignemini litterarum perscrutari capita, hoc est quaternis versibus cæteros in medio positos velut ambitu quodam cingentes illos. Hi quos tuo nomine proprie prætitulaui, ceu spiritalis matris, à principio incipiunt regulariter ad finem vsque decurrentes. Discipulæ vero meæ à calce tuorum inchoant, non inoportune, quia discipula magistram, sicut ancilla Dominam suam sequi debeat.

C. Characteres ignoti.

Esto....... memor Domini regnantis in æde ita de fide inchoant.......cœlorum in arce. Si quid autem huic operi minime congruum, tersumque, & contra regulam Grammaticæ artis insertum inuenietis, hoc polite runcinando, sumpta linea ex officina Grammaticorum, reminiscemini. Illud etiam subnixa prece flagito, vt per illam immarcescibilem spiritalis amicitiæ necessitudinem, vt nemini hoc opus ostendatis sine meo consensu, & huius operis personam prodatis absque licentia mea, ne inde dira seges inuidiæ crescat, vnde veræ pacis concordia pullulare debuit, sed potius pacti fœderis, germanitatisque copulatæ vicissim apud nos firmissima sponsione dextratum memores perenniter estote, meique laboris sudori purissimis orationum vestrarum precatibus fauere, suppliciter posco, dignemini.

Absc. bete. can. done. chu. feli. gip. ha. gal. is. Ket. lagu. man. not. os. pert. quirun. rat. suigil. tac. vr. ilc. ian. zat.

In optimum V. Bedæ fronte prima edit Basil. an. 1565.

R. R. R. Rex Romanorum ruit.
P. P. P. Pater patriæ profectus est.
F. F. F. Ferro frigore fame.
M. M. M. Monitum monumentū mortuus est.
V. V. V. Victor vitalis veniet.
A. A. A. Aurum à nobis aufert.

f. cascet In 2. carmi. let.

Lector casses Catholicæ
Atque obses athletice;
Tuis pulsatus precibus
Obnixe flagitantibus
Hymnista carmen cecini
Atque responsa reddidi
Sicut pridem pepigeram
Quando profectus fueram
Vsque diram Domnoniam
Per carentem Cornubiam
Florulentis cespitibus
Et fœcundis graminibus
Elementa inormia
Atque facta informia
Quassantur sub æthereа
Connexa cœli camera
Dum tremit mundi machina
Sub ventorum monarchia.
Ecce nocturno tempore,
Orto brumali turbine
Quatiens terram tempestas
Turbabat atque vastitas
Cum fracti venti fœdere
Baccharentur in æthere,
Et rupto retinaculo
De sæuirent in sæculo:
Tum libertate posita,
Et seruitute sopita
Spissa statim spiramina
Duelli ducunt agmina,
Quibus bissena nomina
Indiderunt volumina.
Horum archon atrociter
Famam verrens ferociter
Furibundus cum flamine,
Veniebat à cardine,
Vnde Titanis torrida
Labuntur luminaria.
Cumque flatus victoriæ
Non furerent ingloriæ,
Tremebat tellus turbida,
Atque eruta robora
Cadebant cum verticibus,
Simul ruptis radicibus:
Neque guttæ graciliter,
Manabant sed minaciter
Mundi rotam rorantibus;
Humectabant cum imbribus.
Cum præpollenti pluuia
Essent referta flumina,
Turbo terram teretibus
Grassabatur turbinibus
Quæ caternatim cœlitus
Crebrantur nigris nubibus
Neque cœlorum culmina
Carent nocturna nebula,
Quorum pulchra planities
Perlucebat vt glacies,
Donec nimbo ac nubibus
Torue reguntur trucibus.
Nam tenebrescunt turbine, C *cacib.*
Disrupto rerum ordine

Germana Phœbi numina,
A Atque præclara lumina
Neque flagrabat flammiger
Ductor dictum Lucifer
Sicut solet sæpissime
Auratum sydus surgere
Sed cæcatur caligine
Velut furua fuligine.
Plaustri plane pulcherrima
Non comparent curricula
Aquilonis à Circio
Cursum seruantis sedulò
Ac totidem torrentibus
Septem latet lampadibus
Pleiadis pulchra copula
Ab Athlantis prosapia.
Hæc conscendunt per æthera
Ab ortu solis sydera:
Tunc pari lance limpida
B Libræ torpebat trutina
Zodiacus cum cætera
Cyclus fuscatur caterua,
Quem Mazaroth reperimus
Nuncupari antiquitus,
Bissenis cum syderibus
Per olympum lucentibus.
Nec radiabat rutulus
Sicut solebat Sirius,
Quia nubis nigerrima
Abscondunt polos pallia
Attamen flagrant fulmina
Late per cœli culmina.
Quando pallentem pendula
Flammam vomunt fastigia
Quarum natura nubibus
Procedit collidentibus:
Nec non marina cerula
Glomerantur in glarea
C Qua ruit irruptio
Ventorum ac correptio
Per pelagi itinera
Salsa spumabant æquora
Cum bullis & brumalibus
Vndosus vortex fluctibus
Oceanus cum molibus
Atque diris dodrantibus
Pulsabat promontoria,
Suffragante victoria.
Sic turgescebat trucibus
Pontus ventorum flatibus
Infligendo fluminibus
Scopulosis marginibus
Quid dicam de ingentibus
Altithroni operibus
Quæ nullus nequit numero,
Computare in calculo?
D En multa in miraculo
Nunc apparent propatulo
Clara Christi clementia
Per hæc facta regentia,
Cum grata gallicinia
Quasi quarta vigilia
Suscitarent sonantibus
Somniculosos cantibus:
Tum binis stantes classibus
Celebramus concentibus
Matutinam melodiam
Ac synaxis psalmodiam.
En statim fulcra, flamine,
Nutabant à fundamine
Tigna tota cum trabibus
Tremebunda ingentibus
Vacillabant ab omnibus
Aulæ pulsatis partibus,
In tantis tempestatibus
Ac auroræ turbinibus
Nostra pauent præcordia
Tot monstrorum prodigia
Quando cernebant lumina
Tecta & laquearia
Horrisonis fragoribus
Concuti & creporibus
Tum tandem cursu caterua
Confracta linquens limina
Portum petit Basilicæ, f. portam.
Populante pernicie,
Sic pelluntur pericula
Per matris adminicula f. maris.
Quidam discrimen duobus
Deuitantes cum saltibus
Per deuexa ac lubrica
Cliuosi ruris latera f. ruere.
Metuebant magnopere
Casam contritam crepere.
Porro cum terræ tenebræ
Præterissent & latebræ
Fatiscentes velamine.
Orto iubaris lumine,
Scissa cæca caligine
Quasi mortis imagine.
Tunc videns ab Ecclesia
Tigilli fusa fragmina,
En inquam noctis horrida
Nunc apparent spectacula:
Ecce casæ cacumina
Cadebant ad fundamina.
Quæ solebant lautissimæ
Sumi dulces deliciæ f. Velluntur. flatorū. Nam venti, flatores.
En genistarum aprica
Frondosarum velamina
Pelluntur parietibus
Fabrorum arietibus.
Heu tectorum tutamina
Prosternuntur in platea:
Ecce crates à culmine
Ruunt sine munimine
Flatus sæui spiramina
Hæc fecerunt ludibria.
Et nisi natalitia
Pauli sancti solemnia
Tuerentur trementia
Timidorum præcordia,
Forsan quassati culmine
Quateremur & fulmine:
Quemadmodum crudeliter
Nouies binos circiter,
Propalant Euangelica
Trini Tonantis famina, Luc. 13 v. 4.
Turris fregisse fragmina
Cum immensa maceria,
Ergo Christo in commune
Adempti à discrimine,
Grates dicamus dulciter
Manenti immortaliter.
Doxa Deo ingenito,
Atque gnato progenito,
Simul cum sancto superna
Flatu regente secula.

Finit carmen Aldelmi.

Incipit Carmen aliud.

NVper de illabentibus
Binis brumæ temporibus C. brumæ.
Absque mora mea tuum
Mox completa vergenrium,
Quemadmodum mellificis
Heroicorum versibus
Illustris quondam Poëta.
Romæ vrbis indigena
Styli calamo stridulo
Caraxante persedulo
Sacris inserit scedulis
Doctiloquus *Sedulius*
Euolutam labilibus
Mundi molem rotatibus.
Protelata præ patulis
Interualla obstaculis
Pepulisse perniciter
Parum sistens stabiliter.
Trini fuere famine
Viri absque cunctamine
Diuulgati per æthera
Summi olympi suprema,
Virtutum quos redimita Æternamque.
Cristatos cingit corona
Pactanamque per fabricam
Æthralis heri vegetam
Fidei nec non trilicibus
Girant thoracis humeros
Sic truduntur tyrannidis
Telabiosa tyronis
Quibus horrende irruit
Imber veluti ingruit
Bellicosus in agone f. furue exerectus.
Christi aduerso agmine
Consternatus quid veritat
Furuex erectus indicat
Christi crucis per culmina
Ferimus frontis vexilla C. quas.
Quæ fugax orcas horridis
Timet telorum imbribus;
Arvos famosi viribus
Viri sudantes strenuis,
Trucem vicistis trophæo C. audistis cassu.
Hostem belli æthereo,
Qui propinquos & patrias
Aspernantes, peregrinos
Ignoti ruris cespites
Adistis casu præcipites:
Neque furentes vortices
Vndisonis fragoribus
Turgentis Ditis tellurem
Debellantes per terrorem
Neque latrones libidis
Glomerantes genuinis
Læuiferæ libidinis
Lucidæque cupidinis.
Abstrahuntque exuuias
Legentibus per auias.
Neque beluæ vibrantibus Liuidis, aut libicigenuminis.
Rabidi rostri rictibus
Aberrantes per deuia
Dumosi ruris limina
Celsorum Christi militum
Refrænatunt propositum
Tum Agapæ pro numinis Pij nũ.
Iter suum conaminis
Gradientes sublimia
Petri petunt suffragia,
Illum visendi gratia
Frequentant vt anestia anestia.
A Nacta foret à numine
Petri iuuanti famine
Omnes hi in Domino
Bini sane pro sæculo
Essent iuncti bitumine
Germanitatis vscidæ;
Tandem decurre concite
Perlongi callis limire
Ædem almam adiere
Patriam quam periuere
Vbi *Petri* corpusculum
Larer tellure conditum; conterminũ.
Tum altare felicibus
Conterinis frarribus
Prosilit de ergastulo
Carnis euulsus clanculo
Clauigero & regiæ
Cœli adhæsit munitæ,
B Quo euectus florentibus
Paradisi cespitibus
Sociatus sublimibus
Angelorum cum millibus,
Regnat istic per sæcula
Carpens æterna gaudia.
Bini bini beantibus
Meritorum meatibus
Virentes ac si floscula
Paradisi per florea
Olim spretas agilibus
Patrias petunt cursibus
Non quid luxu labilia
Cosmi quærunt quisquilia C. quisquilia.
Sed quid fertur non minima, C. fertis
Charismarum donamina,
Quibus ditatur arida C. didatur.
Animarum per florida.
C En vehebant volumina
Numerosa per agmina
Multimodis & mysticis
Elucubrata normulis.
Quorum auctor.....
Adesse constat alitus, cœlitus.
Quæ Prophetæ Apostoli
Doctiloqui oraculi
Indiderunt pergamenæ
Almo inflanti flamine
Nunc vestium velamina
Vlla produnt oramina
Mirificoque munere,
Perferebant propere
Quæque ita enonia
Eliciunt exordia
Pulchro prorsus propagine
Deprompta in origine
D Gnati quædam genimina
Vermis fuerunt minima
Foliis quique vescitur
Brumæ meatum oritur. medio-rum.
Cumque proles progreditur
Ouorum aluo oritur
Neque illos qui genuit
Vermis idem recaluit
Fœtum fluant ex semine
Imo naturæ germine
Sed quid magis mirabile
Mundo & desperabile
Oua viri & fœminæ
Calificati calore
Parturire progenitum
Fœtum vellere vegetum
Lana ostri elabitur
Vermiculo cum vertitur

Spiſſam ſeu aranea,
Telam texit muſcanea
Tumque lanæ latrantibus
Fuſæ valde volantibus
Fila in quæ reuoluitur
Veluti ſetis torquetur
Inde ſumuntur ſerica
Quæ portabant promiſcua
Quorum per ſplendet ſpecies
Pulchra ſeu planicies
Paradiſi puniceis
Purpurata cum roſeis
Quibus inter eburnea
Lilia locant linea
Sic ſic ſane ſanguinea
Sericorum inſignia
Pulchre picta perniueo
Colore atque croceo,
Viridi fuluo floreo
Fucata atque lanea
Vt peplorum per pallia
Pulchra pandunt ornamina
Tam Sanctorum reliquias
Nonnullorum eximias
Aduehebant inormiter
Dicatus nutu nauiter
Quæ concedunt oramina
Orantium fidelia
Nec non adhuc munuſculum
Quidam addunt pulcherrimum.
Toracydos tuentibus
Retorquentes, luminibus
Imagines auriferis
Chriſti matris capitibus
Cumque multa magnamina
Perducebant donamina
Chriſti ſponſæ Eccleſiæ
Cuncta ferebant opimæ
Et ipſorum & omnium
Matri Chriſto credentium
Valetote felicibus
Vitam clauſuri calcibus.

Finit Carmen.

Incipit Carmen aliud.

SVmmum ſatorem ſolia
Sedet qui per æthralia,
Alti olympi arcibus
Obuallatus minacibus,
Cuncta cernens cacumine
Cælorum ſummo lumine
Alta poli & infima
Telluris latæ limina
Cuius immenſa munera
Nequeo prorſus fu nera
Antequam rictu rabido
Raptent & rodant auido,
Ore halitum corpore
Sortis rigenti torpore
Carminare concentibus
Celſæ laudis ſtridentibus
Ipſum profecto precibus
Peto profuſis fletibus,
Allidens libentiſſime
Solo tenus ſæpiſſime,
Curuatam colli ceruicem
Capitis atque verticem,
Titubanti tutamina
Tribuat per ſolamina
Sacro ſancta ſublimiter
Suffragans manu fortiter,

Alma per adminicula
A Hoſtium demat ſpicula
Quibus infeſti fortibus
Ferant thoracas humeris
Chriſti tyronum caſſibus
Cæſis fœdis fragoribus
Afflant necantes imbribus
Telorum & micantibus.
Illos illos Omnipotens
Trudat æternis tenebris
Vbi Typho teterrimus
Totis globorum gremiis
Girat torquens gurgitibus
Atri ignis vltricibus.
En pilarum acerrima
Parma pellat acumina
Hoſtium à ferocibus
Protegens arundinibus
B Concertantes agonibus
Chriſto ſemper fidelibus,
Æthereus qui omnia
Mundi herus molimina
Verbi tantum cum Numine
Formaſti in origine.
Mihi noua qui nutibus
Aggrederet nutantibus
Litterarum cum luſibus
Odis co aptem vſibus,
Facunda funde famina
... .
Queam cæpto in carmine
Celſo proferre famine
Virum virtutum rumore
Fulgeſcentem in æthere
Caſſem priſcum cum nomine
Comptum veluti lumine
C Aſtra Olympi ignito
Ardui orbi vegeto
Larem librant luciſluam
Luſtrant axis igniſluam f. fumũ furuũ.
Molem mundo minacibus
Eminentem cum arcibus
Fumam furuam frigoribus
Foci complent caloribus
Cæli iubar è culmine
Croceo fundunt fulmine.
Titan tremet torrentibus
Tædis late lucentibus
Paſſim orbis per marginem
Aduſque cœli cardinem
Phœbe quoque flagrantibus
Fratrem iuuat ardoribus
Noctem nigram nubeculis
Lucem luſtrat corniculis
Ambo ſpargunt ſpiramina
Ignis æthralis lumina
D Neque nocent nitoribus
Nemoroſis ceſpitibus
Ruris rigati riuulo
Roſcidi roris ſedulo
Sed lutoſam liquoribus
Tellurem humectantibus
Arebant aſtra ignito
Torrentis globi iaculo
Gleſcunt vt glebæ germina
Dura atque tenerrima
Situ roſcido robora,
Quæque vireſcunt tenera
Succorum ſumunt ſaporem.
Seuerum nam per vaporem.
Ita caſſis per culmina
Priſci pandunt præfulgida
Glorioſa per agmina

Gemmifera oramina
Butulanti redimita
Obrizo velut limpida.
Astra conuexi Olympi
Orbi clarescunt viridi
Althmum nam altissimum
Cano atque clarissimum
Alto nostratum nomine
Nuncupatum & numine
Pollente per cœlestia
Potentem ac terrestria
Sic sic sane sublimibus
Satis ornatum cultibus
Cœli ceu per culmina
Candent per orta fulmina.
Illis illis in omnibus
Æqualem dico actibus
Quæque fari sublimiter
Odis huius inormiter
Surgens nempe prolixitas
Refragat atque vastitas
Tibi salus per sæcula
Sospes ab vsque macula
Maneat immortaliter
Fine tenus feliciter

Finit Carmen.

Incipit carmen aliud.

VAle vale fidissime
Phili Christi charissime
Quem in cordis cubiculo
Cingo amoris vinculo
Haueh oua altissime (c. Cinaste.)
Olim sodes sanctissime,
Salutaris supplicibus
Æthilualdi cum vocibus
Te te herus in omnibus, (f. aichoua. f. sodalis.)
Clarum creauit actibus,
Forma & visu virilem,
Facto & dicto senilem,
Tuam primum propaginem
Per profundam indaginem
Curiose coniicere
Mentis atque inspicere
Nullus valet volucribus,
Summi cœli sub nubibus.
Tamen aggressi, gaudiis,
Loquemur parum, trepidis
Summo satore sobolis
Satus fuisti nobilis
Generosa progenitus
Genetrice expeditus,
Statura spectabilis,
Statu & forma agilis
Caput candescens crinibus
Cingunt capilli nitidis:
Lucent sub fronte lumina
Lati ceu per culmina
Cœli candescunt calida
Clari fulgoris sydera
Genæ gemellæ collibus
Glomerantur cum ollibus, (f. monilib.)
Pedetentim purpureo
Pictæ fuco & niueo:
Rosa veluti rutilis
Radiat valde flosculis
Aures auscultant omnia
Verba ex ore prodita
Almi oris innumera
Nequeunt fari munera
Adest verbosa fulgidum

A Sophia & omne lucidum.
Manus manus mirabiles
Multum pedes placabiles
Tibiæ cursu teretes,
Tantum fortes vt sonipes:
Sæpe sequuntur cursibus
Salientes præpetibus.
Nam si centenis clamitet
Quisque linguis & vocitet
Ferrea voce fremitans,
Valde & ore crepitans
Nequit sane in sæculo
Vllus fari oraculo
Quantum mundo mirabilem
....
Neque altum ingenium
Explicare mortalium
Vllus valet sonantibus.
Licet clamet concentibus
B Quod ideirco non offero
Laude quauis nec refero
Qui mundi per omnia
Cunctis claret confinia
Sospitem rete sordibus
Seruet herus ab omnibus,
Tegat totum tutamine
Truso hostis acumine
Rite reddens refugium
Robustum per suffragium
Inque licet ætheteum
Cælestis sceptri gremium
Vbi semper consortium
Perfruaris angelicum
Fine carens, cœlestibus
Vitam deges cespitibus.

Finit Carmen.

C EPISTOLA LXX.

GVTHBERTII AD LVLLVM.

Reuerendissimo fratri & in amore Christi carissimo Lullo coëpiscopo, simulque cooperatoribus suis Episcopis & sacerdotibus Dei, quorum nomina in libro vitæ scripta teneantur Guthbertus seruus seruorum Dei, cum aliis consacerdotibus Christi & Presbyteris seu Abbatibus, æternæ prosperitatis ac pacis in Domino salutem.

PRofitemur igitur, charissimi, sincerissima intentione coram Deo & electis Angelis eius, quia quandocunque vestram dilectionem pacis ac prosperitatis prouentum & sanctæ religionis in Christo profectum, sacræque exhortationis fructum de aliorum conuersatione abundantius habere rumigerulis referentibus audimus, quod inde satis gaudentes & pro vo-D bis obnixius orantes læti gratias agimus largitori bonorum omnium Deo. Quando igitur aliqua religioni vestræ iniuria facta, aut aliquod irrogatum narratur damnum, mœror & tristitia nos cruciat, quia nimirum sicut gaudio vestro in Christo congaudemus, ita & aduersitate pro Christo contristati compatimur. Non enim aliquando in memoria nostra obliterari possunt diuersi atque indefessi tribulationum angores, quos, vt viscera nostra, vos ipsi cum Deo dilecto Patre nostro beatæ memoriæ Bonifacio martyre, inter persecutores Paganos, & hæreticos, atque schismaticos seductores in tam periculosa ac ferocitate plena peregrinatione, pro amore æternæ patriæ, longo tempore sustinebatis; & quia illo scilicet per agonem martyrij, cum suis plurimis domesticis, ad æternam cœlestis patriæ quietem gloriose feliciterq; migrante, vos, qui superstites taliū estis, forsitan eo periculosius

litus inter diuersa tentamenta conuersamini,
co patre, & doctore ad præsens vos orbatos A
tat. Et quamuis hinc quædam mœstitiæ ama-
ostra discruciat valide præcordia : tamen hu-
loris gemitum quædam sæpius ad memoriam
nimiæ ac nouæ exultationis hilaritas jucundat
gat, dum frequentius recolentes, admirabili
us ineffabili Dei pietati tripudiantes gratias
quod tam præclarum speculatorem cœlestis
necæ, tamque egregium Christi militem cum
bene educatis, & optime instructis discipulis
nglorum aduena, Britania meruit, palam om-
d spiritales agones, & ad multarum, per Dei
otentis gratiam salutem animarum de sese pro-
labiliter emittere, vt longe lateque ferocissi-
tiones per deuia diutius errantes, de lata ac
a voragine perditionis perpetuæ ad splēdissimas
supernæ patriæ, per sacræ exhortationis inci-
a, & per exempla pietatis ac bonitatis, ipse du-
signifer antecedendo, & aduersa quæque, opi- B
Deo; fortiter expugnando, feliciter perduce-
od ita actutum veraciter fieri, etiam rerum ef-
gloriosius quam dicta demonstrant; & in illis
e locis quos ante eum nullus aliquando, Euan-
di causa, doctor adire tentabat. Vnde igitur
comparabile toto orbe Apostolicæ electionis
ceri mysterium, aliorumque tunc temporis en-
antium discipulorum Christi ministerium, hūc
gregios & optimos orthodoxæ fidei doctores,
biliter habemus & laudabiliter veneramur.
in generali Synodo nostra, vbi & de cæteris
us quæ vestræ modo sanctitati paucis depromi-
lenius inter nos conferebamus, eius diem na-
illiusque cohortis cum eo martyrizantis insi-
es statuimus annua frequentatione solenniter
are, vtpote quem specialiter nobis cum beato
io & *Augustino* & patronum quærimus & ha-
ndubitanter credimus coram *Christo Domino*, C
in vita sua semper amauit, & in morte, vt ipsius
x gratia, magnifice clarificauit. Præterea quip-
prędiximus, vestræ solicitę speculationis curam,
si tædio absentati Patrisfamilias, vt ita dicam;
anmodo confectam, nec non & generalitatem
torum vobis seruorum Dei, paternis affatibus
nisque solatijs releuare & consolari, vbicunque
quocunque negotio præualemus, fatemur nos
r esse paratos. Vnde inprimis ad confirmatio-
dilectionis, quam erga vos habent penetralia
s nostri, sermone affectuque Apostoli vtamur,
n Apostolo simul dicamus. *Gratia vobis & pax,*
s agimus Deo semper pro omnibus vobis, memoriam
tes in orationibus nostris sine intermissione, memores
fidei vestræ, & laboris, & charitatis, & sustinentiæ
omini nostri Iesu Christi, ante Deum & Patrem no-
; Quod enim jam olim viuente venerandæ me-
æ Bonifacio, per scripta nonnulla, & per fideles D
nuntios, æque conditum esse constat, idipsum
er reuocare ad inuicem satis necessarium duci-
; hoc est, vt mutuæ pro nobis, nostrisque & hic
ntibus & hinc obientibus interpellationes, ora-
s, Missarumque remedia ad viuentem Deum &
em omnium suppliciter agantur, juxta Aposto-
nonita: *Orate*, inquit, *pro inuicem, vt saluemini, &*
a. Hoc enim modo nobis diuinam clementiam
placare dinoscimur, offerentes ei orationum pu-
amina. Sic nobis eandem prosperantem inue-
nus in aduersis. Etenim vbi Domini, juxta ipsius
nissa, præsto est adiutorium, cuncta fugatur ma-
orum aduersitas. Ipse enim dixit; *Si duo ex vobis*
nserint super terram de omni re quamcunque petie-
fiet illis à Patre meo qui in cælis est. Hoc enim sa-
solertia studiosius ideo agendum esse iudicamus,
, iuxta Apostolica præsagia, instant nunc *tempora*

periculosa & reliqua quæ ipse in eadem prosequitur epistola. Et quia non est opus scribere vobis de exterioribus calamitatum incursibus, quas frequenter, vt reor, passi estis, id est, persecutionibus, rapinis, odijs, & scandalis, & his similibus. Cæterum ecce quamplurimis in locis Christianæ religionis valide status vacillat, dum pene vndique exterius interiusve rerum Ecclesiasticarum perturbatur ordo, nouellarumque conuersationum prauæ vbique pene succrescunt sectæ; Nec mirum, dum, post videlicet positis antiquorum Patrum decretis, ac legibus Ecclesiasticis relictis, multi iuxta proprias adinuentiones, praua & plurimorum nociua saluti sentiunt, affirmant, atque agunt, vt scilicet transacto anno à quodā magnæ auctoritatis viro dictum & gestum esse constat. Adhæc autem nos, vt timeo pusillanimes, & minus zelo iustitiæ accensi, quid aliud in primis agere debemus, quam vt indesinenter suffragia sanctorum postulemus Apostolorum, Martyrumque Christi, ac venerabilium antistitum Ecclesiarum Dei, vt in hoc, quod vocati & cōstituti sumus, continuis excubiis, Christi gratia nos faciat perseuerare, & vt non simus reprobi, sed magis accepti, non desides, sed solertes, non dispergentes, sed congregantes, quoscunque valeamus ad vnanimitatem Christianæ religionis, & vnitatem Ecclesiasticæ conuersationis, quatenus ministerium nostræ dispensationis & laboris solertia ad laudem & gloriam Dei omnipotentis proficiat, vt cum bene seruientibus ac placentibus Deo quandoque mereamur audire: *Beatus seruus, quem, cum venerit Dominus, inuenerit vigilantem, Amen dico vobis, quod super omnia bona sua constituet eum*; Et adhæc, frequentius ad memoriam exempli causa reuocemus, recordādæ memoriæ egregius Magister & Martyr beatus Bonifacius, quomodo vel quanta solertia laborarit in doctrina Christi, quanta pericula atque difficultates pro amore Christi, & animarum lucro, etiam vsque ad ipsam mortem, libenter tolerarit. Et quia omnipotentis modo familiaris factus est, prudentia vestra solerter attendat, si eius vos oporteat sacris admonitionibus consentire, & pietatis illius exempla pro viribus sequi. Ille enim quantū illius domesticus factus est, quem amauit ante omnia, tantum majora apud eum poterit obtinere: vnde quippe si aliqui subjectorum illius, quibus eum quondam diuina dispensatio magisterij loco præfecit; ab eius documentis spiritalibus dissentiunt, vel praua conuersatione recedunt, qui defensor illorum in æterno iudicio esse potuit, fit potius accusator, & rationes ab eis cum ipso iudice districtius requirit. At vero è diuerso, quicunque illius sacræ institutionis ac doctrinæ normulam rite consequuntur, pro certo se sciant, & ipsius *Romanæ atque Apostolicæ Ecclesiæ* à qua Legatus eis, & doctor directus est, ac deinde, pariter cum ea, omnium nostrum habere & viuentes & morientes in oratione, & Missarum celebratione, vt supra diximus; perpetuam communionem: Si tamen vsque ad finem firmam vobis dehinc Doctoribus & Rectoribus suæ salutis, humiliter atque amabiliter, pro Deo & ęterna mercede, non dedignantur obedire, non deficientes aliquando, vt indeuoti vel subdoli, sed semper vt bonæ indolis discipuli proficientes, & fideliter adhærentes suæ militiæ in Christo Magistris, ad palmam supernæ vocationis Dei & gloriam regni cœlestis. Hæc salutatoria vestræ sanctitati scripsimus verba, non quasi ignaris aut indigentibus nostræ rusticitatis normula, sed charitatis atque communionis mutuæ gratia, contestantes & obsecrantes per omnipotentem Deum, & Filium eius Iesum Christum, & aduentum ipsius, & regnum eius, vt vos, ô charissimi, cuncti generaliter cum subiectis vobis in Christo per omnia sitis semper ad inuicem fideles adjutores, & vnanimes cooperatores, contra omnes orthodoxæ fidei inimicos atque hæreticos & schismaticos, ac ne-

Marginal notes: C. egestum. — Luc. 12. v. 37. 43 44. — Orat. beat... — 2. Tim. 4.

quissimæ conuersationis homines. Per hoc enim eritis bonis hominibus amabiles seu laudabiles, & Deo omnipotenti acceptabiles atque cari: & ita, cum ipso præfato beato Patre, & prædecessore vestro, felicem in futuro vocem à Iudice cunctorum Christo singuli mereatis audire: *Euge*, inquiet, *serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Intra in gaudium Domini tui.* Amen.

C. prædecesso re.
Mat. 25. 21.
Luc. 19. 27.

† Omnipotens Deus vos omnes diu incolumes in suo sancto amore & timore custodire dignetur.

Dilectiss. ff. ac filij. †

† Cuthberchtus Archiepiscop.

† Lullo coepisc.

EPISTOLA LXXI.

NOTATIO.

Hic è Cæsareo Codice folium erat defectum. Ideoque an vna vel plures desint epistolæ, non liquet: certe huius, quæ sequitur deest principium.

Similis epistola fuit 21. supra.

ALiæ vsque ad ascellas, & vsque ad collum, & aliis supra caput ebulliens tormentum ascendebat ignis, & atramenti. Ibi Abbatum, Abbatissarum, Comitum, & omnis sexus multitudo visa est varie torqueri: & multis adhuc viuentibus vniuersæ dignitatis & ignobilitatis loca, pro meritis peccatorum, parata, & omnes animas in puteis quandoque solubiles esse, vel in die iudicij aut ante: & narrabat vnam fœminam redemptam de aliquo puteo, Missarum solemnitatibus, & hoc maximum bonum animabus egredientibus de corpore dixit, & omne genus humanum & totum mundum fuisse collectum ante conspectum suum, vt discerneret quid quisque vel boni vel mali egisset, nominatim in corpore viuens ea hora, & pene omnium viuorum merita narrare potuisset. Et postea terram viuentium & gaudentium, plenam odoriferis floribus, & multas animas notorum & ignotorum nobis hominum, sicut & in omnibus locis se vidisse attestabatur. Deinde ab ipsa terra tramitem vsque ad cœlum primum in specie arcus cœli, inde aliũ ad secundum, à secundo ad tertium & albatorum conuenticula viuorum & mortuorum, & superius cœlum semper pulchrius inferiori aspexisse ferebat: & in ipso monasterio vniuersis manentibus Ingedrage demandatum est ei à Iudice pandere delicta atq; omnia, cæteris hominibus, nec præceptum, nec interdictum est, & cætera. Plura sunt, quæ nominatim singillatimque nobis indicauit, & longum est mihi explicare; & maxime dum reminisci ordinaliter nullatenus valeo, nisi hoc adhuc recordor, dæmones quidem in tres turmas vltra modum magnas diuisos, vnã in aëre; aliam in terra, & in mari: tertiam ad pœnalia loca parare tormenta vidit. Primam namque turmam ad decipiendum homines in hac communi vita contendere: Secundam egredientes de corporali ergastulo animas in aëre continuo inhianterque persequi & ad tormenta tradere aspexit. Et in ipsis pœnalibus puteis *Cuthburgan* simulque *Vvialan* quondam regali potestate fruentes, demersas, alteram vsque ad ascellas, id est, *Cuthburg*, capite tenus humeroque præclaram, cæteris membris maculis conspersam: alteriusque, id est, *Vvialan*, supra caput flammam extendere totamque animam simul cremari intuebatur. Ipsos autem pœnarum ministros in facies illarum, proprias carnales voluntates, quasi lutum feruentem inijcere, & horribilem vlulatum, quem quasi per totum mundum resonasse miserabiliter vocibus earum audiebat. Hic quoque ipsum exulem aliquando Comitem, qui dicitur *Ceola Snoding*, incuruato dorso, capite, pedibusque, vncis adinfixum: Abbatem quoq; tum in ipso loco supra dicto duplici fumo, *Æthilbealdumque* quondam regalem Tyrannum, simulque infantium numerosam multitudinem sub *Danielo* Episcopo maxime sine baptismo morientium tristem & mœrentem aspexit formulam; vnius cuiusque secundum specialem effigiem animæ pristinis comparem membris, speciebus vero diuersis: alias claritate Solis, alias Lunæ, alias Stellarum radiis proprie communiterque fulsisse cognouit. De ipsis autem viuis qui supersunt, adhuc contemptoribus tam profuturæ reuelationis, *Danielo* milite *Breguulfo* collegisque eorum stupris communibus, emeritisque pœnis qualia se vidisse testabatur, nobis silendum reor. In fine autem huius visionis, inenarrabilem sonitum per trina illa cœlestium luminum spatia, & omnes animarum multitudines in his manentium resultantem, superius tanquam vocem tubarum multarum in inferiora descendentem, mirabiliterque vincentem audiuit, statimque posthæc recedente acroamate, Angelicis ducibus, & germana simul monentibus, atque memoriter amorem creatoris mente fideli retinuisset, corpori reddita est. Tamen inter carnales angustias, aliquandiu innumerabilem multitudinem spirituum immundorum lugubriter gementem vidit, quia detectas suas nequitias hominibus, quas exercuerunt, diuino munere esse cognouerant.

Missæ defunctis val de prosunt C. animas profuisse, f. simul.

C. feruens

Cõmune in scripturis quãdoque dicitur pollute. C. qui. C. oromate f. horomate. i. visione.

Ad confirmationem autem huius ostensionis, ægritudinis suæ salutem, quæ prius pene toto corpore simul colligato, per biennium extensa est, (quod factum nunc cum misericordia Dei late cognoscimus) prædixit: nec hoc solum, sed & confamiliaribus singillatim specialia, cæterisque incognita, & non ipsis tantum, sed Regi, Reginæque, Episcopisque & multis, quorum nomina longum est scripto continere, manifeste innotuit. Iejunium quoque, pro communibus totius familiæ prædictæ reatibus, XL. dierum spatium continens, ex ipsius Iudicis imperio, indixit, venturamque vindictam hominibus in propriis communiter corporibus pro negligentia extranearum forinsecus per creaturam monitionem Dei, cæteraque his similia multa prædixit, & antea hanc miseram vitam, dum ex superiore contemplatione reuersa fuerat, vitiis superbiæ, inuidię, cupiditatis, detractionis, cæterisque quasi nigerrimo peplo contectam, & sine lumine remansisse æternæ claritatis, conspexisse se lugens protestabatur. Vale in Christo, & mei sine intermissione in orationibus fraterno amore.

EPISTOLA LXXII.

Domino sancto meritisque beato fratri Masini Episcopo Isidorus Episcopus.

C. quæ. le.

VEniente ad nos famulo vestro viro religioso *Nicitio*, litteras honorificentiæ vestræ nobis detulit, in quibus agnitio salutis vestræ paruit, maximeque per eundem portitorem, cuius lingua epistola viuens erat, Vnde pro salute vestra gratiarum actionibus Domino nostro repensis, in quantum valuit mediocritas nostra, vicem inquisitionis studuimus reddere, poscentes meritorum vestrorum suffragiis diuinis nos commendari conspectibus. Verum quod sequenter in epistola venerabilis fraternitas tua innotuit, nulla est in huiusmodi sententiis decretorũ diuersitas intelligenda, quod alibi legitur, in lapsu corporali restaurandum honoris gradum post pœnitentiam, alibi post huiusmodi delictum nequaquam reparandum antiqui ordinis meritum. Hæc enim diuersitas hoc modo distinguitur. Illos enim ad pristinos officij gradus redire canon præcipit, quorum pœnitentiam præcesserit satisfactio, vel digna peccatorum confessio. At

C. stetit, f. datur.

Quomodo post lapsum & pœnitentiã gradũ redeatur, aut non.

hi, qui neque à vitio corruptionis emendan-
que hoc ipsum carnale delictum quod commit-
tiam vindicare quadam superstitiosa temeri-
untur, nec gradum vtique honoris, nec gra-
ommunionis recipiunt. Ergo ita est vtraque
nda sententia, vt necesse sit illos restaurare in
onoris, qui, per pœnitentiam, reconciliationem
runt diuinæ pietatis. Hi enim non immerito
uuntur adeptæ dignitatis statū, qui per emen-
em pœnitentiæ, recepisse noscuntur remedium
Hoc vero ne forte ambiguum sit, diuinæ magis
iratis sententia confirmatur. Ezechiel enim
era sub typo præuaricatricis Hierusalem, osten-
t pœnitentiæ satisfactionem, pristinum posse
ari honorem. *Confundere*, inquit, Iuda, *& por-*
miniam tuam. Et post paululum; *& tu*, inquit,
e tuæ reuertemini ad antiquitatem vestram. Quod
nfundere, ostendit post confusionis, id est, pec-
ous, debere quemquam erubescere, & pro ad-
sceleribus verecundiam, fronte homo prostra-
nergere pro eo, quod dignum confusionis per-
erit opus. Deinde præcepit, vt post ignomi-
id est, dehonorationem nominis siue dignitatis
atur ad antiquitatem suam.
o dum quisque post opera confusionis suæ con-
tur, atque ignominiam depositionis suæ lugens
umilitate portauerit; reuocari, secundum pro-
m, ad priorem statum poterit. Item Ioannes
gelista Ephesi Ecclesiæ, inter cætera, simile quid-
ripsit dicens: *Memor esto vnde cecidisti, & age*
ntiam & priora opera tua fac. Alioquin veniam
mouebo candelabrum tuum de loco suo. Angelo
iæ, præpositum vtique, id est, sacerdotem osten-
xta Malachiam, qui ait: *Labia sacerdotis custo-*
scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia An-
Domini exercituum est. Præpositus ergo lapsus in
per Euangelistam monetur, vt memor sit, vn-
iderit, & pœnitentiam agat, & prima faciat ope-
non moueatur candelabrum eius, cum *candela*
Angeli, doctrina sacerdotalis, vel honor mate-
, quam gestat, intelligitur iuxta quod scribitur
Samuëlem in damnatione Eli: *Oculi eius cali-*
ant, non poterat videre lucernam Dei antequam ex-
eretur. Lucerna quippe Dei fuerat, quando di-
te sacerdotali pollens iustitiæ claritate fulserat,
extinctam Propheta asserit, dum, ob scelus fi-
n, sacerdotis potestatem meritorumque lumen
t. Candelabrum itaque siue lucerna sacerdoris,
intelligunt charismata honoris) tunc penitus
Iohannem, extinguitur, vel mouetur, quando
casum delicti, pœnitentia admissa scelera non de-
ur. Non enim dixit: pro eo quod cecidisti, com-
ebo candelabrum, sed, *nisi pœnitentiam egeris mo-*
andelabrum tuum. Ergo quemquam peccantem
ositum si pœnituerit, pœnitentiam delicti vtique
tur reparatio meriti. Et in Prouerbiis: *Qui abs-*
scelera sua, non dirigetur. qui confessus fuerit, &
uerit ea, misericordiam consequetur. Nam & ipsum,
canonum censura, post septem annos, remeare
itentem in statum pristinum præcipit, non hoc
ione proprii arbitrii Patres, sed potius ex sen-
a diuini iudicii sanxerunt. Nam legi, quod Ma-
ror Moysi, prophetissa, dum obtrectationis ad-
s Moysen incurrisset delictum, illico stigmate
persusa est. Cumque peteret Moyses, vt emun-
tur, præcipit eam Deus extra castra egredi VII.
us, & post emundationem, rursus eam in castris
itti. Maria ergo soror Aron, intelligitur caro sa-
iotis, quæ cum superbiæ dedita sordidissimis cor-
ionum contagiis maculatur, extra castra VII. die-
, id est, extra collegium sanctæ Ecclesiæ VII. annis
icitur, quibus in emundatione vitiorum comple-
oci siue pristinæ dignitatis recipit meritum. Ecce,

in quantum valuimus, Conciliorum antiquam planæ & tam plenæ auctoritatis sententiam sacris testimoniis explanaui, eum ostendens posse restaurare proprium honorem, qui per pœnitentiæ satisfactionem, nouit propria delicta: non posse restaurare, qui nec luget quæ gessit, & lugenda sine vllo pudore religionis diuini iudicii committit. In fine autem huius epistolæ hoc adiiciendum putaui, vt quotiescunque in regestis Conciliorum discors sententia inuenitur, illius Concilii magis teneatur sententia, cuius aut antiquior, aut fortior restat auctoritas, Amen.

Fragmentum quod sequitur, vel ad superiorem, vel ad aliam, cuius desit initium, epistolam pertinet. Numerorum tamen causa, numeretur.

EPISTOLA LXXIII.

Interdum enim, & iuxta meritum plebium eliguntur personæ electorum, vnde nouerunt populi meriti sui regimen præuersi suscepisse Pontifices. Quod autem is, qui post baptismum aliquo mortali peccato correptus ad sacerdotium non promoueatur, lex ipsa testatur. Moyses enim in lege præcepit sacerdotibus, ne aliquod pecus vitiatum offerant ad aram Dei, quod ipsum postea spernentibus sacerdotibus Israel per Malachiam improperat Deus dicens: *Vos estis sacerdotes, qui polluistis nomen meum. & dixistis, in quo polluimus eum? offerentes super altare meum panem pollutum,* & offerebatis cæcum & languidum. Vnde & in Numeris vitula rufa, cuius cinis expiatio populi est, non aliter iubetur offerri ad altare Domini, nisi quæ terrena opera non fecerit, iugumque delicti non traxerit, nec vinculis peccatorum fuerit alligata. Sed quid plura subiiciamus? Si enim is, qui tam in Episcopatu, vel in Presbyterio positus mortale peccatum aliquod admiserit, non debet offerre panes Domino, quanto magis ante vnusquisque sciens, quod *potentes potenter tormenta patientur* retrahat se ab hoc non tam honore quam onere, & aliorum locum, qui digni sunt, non ambiat occupare, Qui enim in erudiendis atque instituendis ad virtutem populis præest, necesse est, vt in omnibus sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim aliquem de peccato arguit, ipse à peccato debet esse alienus.

Malach. 7. & 2. Num. 19

S p. 67.

C. pec.

Oratio pro semetipso.

Domine Iesu Christe, propitius esto mihi peccatori, quia tu es immortalis & sine peccato solus: Domine Deus noster tu es benedictus, qui benedicis omnia: tu es sanctus qui sanctificas: Domine Deus noster indulge mihi famulo tuo, quia peccator sum & indignus, quia præsumpserim ad sanctum altare tuum inuocare, quia peccaui coram te & coram Angelis tuis: sed tribue nobis indulgentiam delictorum, & confirma sanctam Ecclesiam tuam in fide recta, & doce nos facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ nostræ. Per Dominum.

C. altarem

C orto. f. orthodoxa.

SECRETA.

Suscipe, clementissime pater hostiam placationis & laudis benignus quas tibi offero indignus famulus tuus pro famulis & famulabus tuis, quia tu scis figmentum meum, tu scis omnia quæ egi in conspectu tuo, & in conspectu sanctorum tuorum; qui non vis mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat, & respice in me, & miserere mei, quia tu es clemens & misericors Deus, qui viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

1 Tim. 2.

DOmine concede mihi pacem, & sanitatem, fidem & castitatem, victum & vestitum, & tu Domine de limo terræ fecisti me ossa & neruos; firmasti me Spiritu sancto: tradidisti me. Tuus sum Domine custodi me. Domine Iesu Christe, fili Dei viui, qui me creasti, ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex tota fortitudine mea, te adorare præsumo. Post baptismum sanctum quæcunque feci contra voluntatem tuam verbo, & cogitatione, & operatione, indulge peccata mea: & qui in me peccarunt, ante conspectum Dei, & omnes virtutes Angelorum his demitto, Domine Deus omnipotens, confiteor tibi peccata mea quæ feci & gessi, præsta mihi veram pœnitentiam. Domine excelse, peccaui Domine, in somno & pigritia. Peccaui Domine miser, & Sacramenta heu miser mea voluntate pollui. Heu miser tanta sunt in me peccata, Deus miserere, qui nullum vis perire: præsta mihi veram pœnitentiam, & dignare me exaudire.

f. redemisti. C. filius

C. accepi & feci.

C. somnium

EPISTOLA LXXIV.

Domino dignissimo, venerando, & merito insigni ac præstantissimo, longe lateque pro Christianæ religionis prædicanda doctrina diffamato, & pro conuersatione vitæ probatissimæ celeberrimo, nobis quoque non immerito, ob cognationis nostræ semper memorandæ necessitudinem, charissimo Lullo Episcopo, Cinehearaus indignus, vt vereor, Episcopus Vuentanæ Ciuitatis, ex intima visceralium medullarum affectione æternaliter in Christo salutem.

PErlectis litterarum à tua sanctitate directarum dulcissimis, ac nimium placabilibus periodis, in quibus amicabiliter nostram paruitatem comperimus salutatam, admonitamque, vt eandem vnitatis obseruantiam custodiret, quam antecessores nostri fideliter sine tenus obseruarunt Dominus Bonifacius Archiepiscopus, Christique confessor beatificandus, & *Daniel* doctissimus Dei plebis famulus, simul & successor eius *Hunfrithus* Episcoporum mitissimus, &c. Quæ te melius recoluisse credimus, in caraxatis commendata, mentis diligentissima indagine didicisse curauimus, & gratiarum actiones condignas, in quantum sufficimus, persoluendo gerimus, quod nostri memoriam interpositis tantum spatiis terrarum, marisque magni interluente latitudine facere dignemini Et hoc profitemur, quod omnia quæ, tua sanctitate suggerente, mandata sunt, studiosissime, Domino fauente, complere satagimus, non tantum in spiritali orationum solatio exhibendo, & Missarum solemnitate celebranda pro vobis, & pro illis, qui in vestris regionibus in Christi confessione obeunt, sed etiam si qua sæcularis substantiæ solatia vestris vsibus profutura in his regionibus adipisci poterimus, vestræ participationi parata erunt. Et hoc petimus, si qua apud vos solamina nobis necessaria, vel ignota, spiritalis quidem scientiæ siue in libris antiquis, qui à nobis non habentur, siue in aliis Ecclesiasticis administrationibus, vt nobis libenter participare non negetis. Nec non & si quos sæcularis scientiæ libros nobis ignotos adepturi sitis, vt sunt de medicinalibus, quorum copia est aliqua apud nos, sed tamen segmenta vltra marina, quæ in eis scripta comperimus, ignota nobis sunt & difficilia ad adipiscendum: vel si qua in aliis quibuslibet negotiis, vel speciebus nobis necessariis prouidetis, communicate dignemini vt fecistis villosan mittendo. Nomina quoque Presbyterorum vestrorum, Diaconorumque, ac Monachorum, vel Monacharum siue cæterorum quę misistis, per monasteria & per Ecclesias nostræ Diocæsis direximus ad celebranda pro eis missarum solemnia, & orationum suffragia. Idipsum facere vestram sanctitatem suppliciter exoramus pro eis, quorum nomina vobis habemus dirigenda, & nominatim cum personis suis scribenda, eorum scilicet, qui mihi proprie atque huic Ecclesiæ, cui seruio, amicissimi, vel subditi fiebant, vel prælati. De nostro quoque vili vestitu parua hæc xeniola direximus tuo cultui, quanquam indigna tamen petimus, accommoda, hoc est, tunica lanea, aliaque linea, sicut mos est apud nos habendi, caligas & peripsemata, orarium, & coculam, & gunnam breuem nostro more consutam, ad indicium plenissimæ dilectionis nostræ. Quæ te suscipere pro tua humilitate obnixe precamur, habereque ad memoriam mei nominis, saltem aliquod spatium temporis. Cæterum si qua sunt tuæ sanctitati insinuanda, portitor huius epistiunculæ viua voce valet enarrare.

Missæ ac preces pro defunctis.

f. gurdam. C. saltim.

† Opto te ô charissime frater, orantem pro me, orantem pro te, in Domino bene valere; felicemque æuo longiore victurum, ad coronam cœlestis gloriæ postea peruenturum, Domine insignis, & Pater præstantissime. Amen.

EPISTOLA LXXV.

LEO EPISCOPVS SERVVS seruorum Dei, Reuerendissimo & Sanctissimo Riculfo Episcopo.

CVm ad limina beatorum Principum Apostolorum *Bernharius* venerabilis Episcopus vna cum *Adalhardo* religioso Abbate, missi filij nostri Domini *Caroli* serenissimi Imperatoris conjunxissent, & omnia prospera ac salubria de prædicto filio nostro, seu de eius sublimissima prole, vel omnibus fidelibus suis nobis nuntiassent, immensas Omnipotenti Deo gratiarum actiones retulimus. Interea obrulit nobis Prælatus *Bernharius* Episcopus sanctitatis vestræ pulcherrimum munus & literas, quas vero literas relegentes, gratias Reuerendæ Almitati vestræ retulimus, quia nostri esse memores in vestris Deo acceptis orationibus non prætermittis. De tantis autem muneribus, quibus nos assidue, pro amore beati *Petri* Apostoli ditatis, credimus in omnipotentem Deum, quia dignam retributionem hîc & in futurũ ab ipso clauigero regni cœlestis percipietis. De *reliquiis* vero sancti *Cæsarii*, sicut petiistis, per eundem *Bernharium* venerabilem Episcopum sanctitati vestræ direximus.

Id est, peruenissent.

C. offeruit.

Leo Episcopus seruus seruorum Dei, Reuerendissimo & sanctissimo Riculfo Episcopo.

EPISTOLA LXXVI.

ÆBVVALDI REGIS.

Domino gloriosissimo & cum omni honoris affectu venerantissimo Bonifacio Archiepiscopo Ælbuualdus est Anglorum Deo donante regia potestate fretus, simul & tota Abbatia cum omni congregatione seruorum Dei in nostra prouincia altithronum pro Ecclesiarum incolumitate die noctuque precibus pulsante, in Deo remuneratore omnium salutem.

INprimis itaque scire te volumus, ô dilectissime, quod gratanter accipimus nostram paruitatem vestris sanctis orationibus commendatam, vt sicut vestra benignitas de *Missarum* solemnitatibus, & orationum

L. venerandiss. q. Obsanglorum, id est, orientalium aut Vestanglorum. C. L. persistentem.

iitatibus, Deo inſtigante, dictauit, ita quoque a medioctitas deuota mente implere conetur, oriaque nominis veſtri in ſeptenis monaſterio-noſtrorum ſynaxibus perpetua lege cenſeri debet, l in ſeptenario numero perfectio ſæpe deſigna-His itaque bene compoſitis, & Deo adiuuante, nimarum regulis tite compoſitis, & de interioris unis habitu apte condictis, exteriora terrænæque ſtantiæ adminicula, quæ ſub noſtra poteſtate Deo ,iente redacta ſunt, ſub veſtræ voluntatis arbitrio tineri volumus: ita tamen, vt orationum veſtra-n adjutoria per beneuolentiam almitatis veſtræ in leſiis Dei frequentate faciatis, & ſicut te paſto-n in populo ſuo prædeſtinatio Dei fieri voluit, ita nos patronum te ſemper ſatagemus. Nomina quo-e defunctorum, & viam vniuerſalem ingredien-im prout opportunitas anni exegerit, ex vtraque rte adducentur, quatenus vt Deus Deorum, & Do-inus dominantium, qui vos in Epiſcopatus regimen onere voluit, ſuam plebem ad indiuiduæ Trinitatis gnitionem, & vnitatis ſubſtantiam per vos adducere ignetur. Viuite felicibus finem clauſuri calcibus.

S---us.

Præterea, ô piiſſime pater, tibi intimandum curamus, vt gerulum præſentium litterarum deuota mente à nobis tranſmiſſum ſcias, & ſicut fidelem tibi eſſe comperimus, ita & eum tu veridicum in omnibus nobis inuenies.

EPISTOLA LXXVII.

Reuerendiſſimo, nobiſque omnium Epiſcoporum chariſſimo Lullo Coepiſcopo Æardulfus Hroſenſis Eccleſiæ Antiſtes, cum ſancta Eccleſiæ filio Æardulfo Rege Cantiæ, ſinceram in Chriſti nomine ſalutem.

C

VEtacium igitur ſociorum inter alia amicalis memorialiſque mos eſſe dinoſcitur, cum ſeſe, ob interjacentium terrarum ſpatia, ſeu prouinciarum exterarum regiones, præſentialiter nequeunt inuiſere ac ſalutare, certe per ſuos fideles nuntios, ſiue etiam per litteras ad inuicem ſalutationis dirigere verba, & de rebus dignis atque vtilibus tractare, ne mens ſe. ſolicita, quid de ſtatu amici, diuina diſpenſatione & iudicio, agatur, vel tædio diutius aſſiciatur, vel anxia rerum incertitudine quotidie gemat. Quocirca in primis diligentius ſalutantes per hunc gerulum viſitantes eminentiam veſtram, deſiderium quippe habentes audire, & noſſe eandem glorioſiſſimum, proſperumque per omnia profectum habere, hoc modis omnibus optantes, vt noſipſos, noſtroſque chariſſimos veſtræ beatitudini ſubnixis commendemus precibus, vt in veſtris ſacris ac Deo placitis orationibus, & ſuffragio veſtræ paternæ pietatis vndique, auxiliante Deo muniti, atque muro protectionis veſtræ circũdati contra omnes infeſtationes inimici in hac vita, quæ tota tentatio eſt, defenſi. & ad illam, quæ morte vacans & fine carens, veſtris almis interceſſionibus peruenire mereamur. Miſimus vobis parua xenia, id eſt, ſeptem ſuptilem vnam, deprecantes obnixe, vt amorem mittentis magis, quam cenſum perpendatis, ob ſpem meliorum quod celetius fit, orantibus vobis ſi Dominus vitam & vires conceſſerit. Memores enim

A ſumus verborum omnium, quæ ex abundantia cordis veſtri prolata, noſtris auribus ſonuerunt adimplenda quæ quantum ames amantes te, ex omni parte declarabant. Quid enim aliud nobis agendum eſt, niſi vt charitatem quo ad Deo diſponente & omne cunctorum conſiderante, omnes aduxerimus, fideliter ad inuicem cuſtodiamus. Præterea nihilominus & deinceps dum aliquis è nobis alterius vitæ vias, vt opto felices prior ingrediatur, en ſuperuiuens ſine mora Miſſis in eleemoſynis itiner illius hinc & inde, quantum valeat tueri ac proſperum facere ſæpius reminiſcat ac ſtudeat obſecrantes obnixe, vt per hunc fratrem noſtrum fideliſſimum Presbyterum, nomine *Lxaroreaum*, ſcripta pietatis tuæ ad nos dirigere digneris, quatenus per hæc earum, quæ tibi placita ſunt rerum cognitio clareſcat, quia habetis ſine dubio in eodem præfato Presbytero veridicum fidelemque inter nos legatarium: & ideo per illum valebis quæcunque, viuæ vocis atteſtatione nobis pariſacere.

C. prolate a. liud. f. pro inuicem. Miſſa& eleemoſynæ pro. mortuis. f. reminiſcatur.

B Præcedentium quoque nomina propinquorum noſtrorum, id eſt, *Irmigi*, *Nothlry*, atque *Dulichæ*, omnes Deo dicatæ virgines, tibi direximus, poſtulantes vt in oblationibus Miſſarum & orationum ſuffragiis habeatis quia ſimilia nobis ad vicem beneficij rependere parati ſumus.

f Decedentes voco præcedentes. D 21 f. Duli qua ocs

Deus te incolumem cuſtodiat, & in eius miniſterio pollentem longa per temporum ſpatia cuſtodire dignetur.

Æardulfus, Epiſcop. Lullo Coepiſc.

EPISTOLA LXXVIII.

Domino amantiſſimo & in Chriſto chariſſimo Lullo Epiſcopo, Milret ſeruus Dei ſeruientium.

POſtquam à tua præſentia & à conſpectu corporali ſanctiſſimi Præſulis & beatiſſimi Patris Bonifacij, nolens volens, triſtis abſcedebam, & per varios caſus, & multa diſcrimina rerum, veſtris almis orationibus ad terram noſtræ peruenimus natiuitatis. Ibi nec dum integro expleto anni circulo, curriculo nuntium ad nos perlatum eſt triſte, beatiſſimum Patrem de ergaſtulo carnis ad ſuperna migraſſe, ſi tamen id triſte dicere fas eſt, cum talem ad cœli patronum meruimus præmittere regna, cuius nos ſacris interceſſionibus, Deo auxiliante, vbique eſſe ſuffultos certa credelitate confidimus. Et quamuis præſentis vitæ amiſſum ſolatium multis & amaris luximus lacrymis, ta

Sanctorũ preces & patrocinium.

D men ille qui ſuo ſanguine fuſo, Chriſto conſecratus eſt Martyr, decus & columen omnium quos præſens protulit patria, ſuo beatiſſimo agone, optimo labore conſummato, glorioſiſſimo fine peracto, noſtra valde mœſta majore lætitia mitigat & demulcet pectora. Nos noſtram dolemus vicem in valle lacrymarum, & in hac vita, quæ tota tentationum plena eſt, manemus: ille peregrino labore, magno cum ſudore expleto, ad glorioſiſſimam Chriſti Martyr peruenit mortem, & pro noſtris, vt credo, exceſſibus, ſi Domini ſinit pietas fidelis interceſſor in cœleſti Hieruſalem, cum Chriſto, beatiſſima ſorte ſanctis conjunctus ciuibus ſuperna lætus conſiſtit in arce. Hæc de amantiſſimo patre, cuius venerabilem vitam, & glorioſum finem, vt mihi in notitiam venire facias, totis viribus exopto. Aliud, ex ſodali

collegio dicere mente occurrit, tuamque dulcissimam charitatem intimis obsecro præcordijs, & tanquam tuis pedibus præsentialiter prostratus humiliter imploro, vt fraternam dilectionem, quam inter nos communis Pater beatæ recordationis & sanctæ memoriæ Bonifacius, Christi annuente charitate, sacris conciliauit verbis, almis vniuit oraculis, non transitoria, sed fixa recordatione tuo reconcondas in corde, quia mihi & tibi valde profuturum, omni ambiguitate postposita, scio, si tam egregij Doctoris præcepta implere conamur, meque omnium fratrum tuorum minimum in meritis, fraterna charitate instruere, sacris munire præceptis, almis orationibus fulcire, ô amantissime Præsul, non pigeat; vnde fateor & fida promissione spondeo, vestris sincerissimis jussionibus iuxta qualitatem virium, in omnibus libenter me esse secuturum, & firma dilectione fidam amicitiam, quamdiu spiritus hos regit artus, vitalisque flatus his moribundis inhabitat membris, tecum seruare intima charitate, Deo teste, profiteor, & totis viribus medullitus admodum exopto, vt fiat, Christo tribuente quod scriptum est, *erant illis omnia communia*. Sed hæc omnia, quæ breuiter à nobis dicta sunt, si Deus omnipotens prosperum concedit iter, per gerulos istarum litterarum plenius & verbaliter tibi indicare curaui. Misimus præterea parua munuscula, quæ optamus, vt ea dilectione accipiatis, qua à nobis, Deo teste, destinata sunt.

[Margin: f. obsecuturo. — Act. 4 — f. verbaliter]

Vestram dilectionem pro nostris excessibus intercedentem Christus tueri dignetur.

Librum Pyrpyri metri ideo non misi, quia Guberthus Episcop. adhuc reddere distulit, Immanuel. Epistola Mireldi Episc. offerenda Lullo Episc.

[Margin: f. Porphyrii.]

Conciliorum duorum fragmenta.

[Margin: Mogunt. lib. 3. 42 p. 364.]

IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Ego *Carolomanus* Dux & Princeps Francorum, Anno ab Incarnatione Christi septingentesimo 42. 11. Kalend. Maias cum consilio seruorum Dei & optimatum meorum, Episcopos qui in regno meo sunt cum Presbyteris ad concilium & synodum pro timore Christi congregati: id est, *Bonifacium* Archiepiscopum & *Burchardum* & *Regenfredum* & *Vuintanum* & *Vuillibaldum* & *Deddanum* & *Eddannum* cum Presbyteriis eorum, vt mihi consilium dedissent, quomodo lex Dei & Ecclesiastica religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum dissipata corruit, & qualiter populus Christianus ad salutem animæ peruenire possit, & per falsos Sacerdotes deceptus non pereat, & per consilium Sacerdotum & optimatum meorum ordinauimus per ciuitates Episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum *Bonifacium*, qui est missus sancti *Petri*. Statuimus, per annos singulos synodum congregare vt nobis præsentibus canonum decreta, & Ecclesiæ iura restaurentur, & religio Christiana emendetur: & fraudaras pecunias Ecclesiarum ecclesijs restituimus, & reddidimus; falsos Presbyteros & adulteros vel fornicatores Diaconos & Clericos de pecunijs Ecclesiarum abstulimus, & degradauimus, & ad pœnitentiam coegimus. Seruos Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, vel in exercitum & in hostem pergere omnino prohibuimus, nisi illi tantummodo qui propter diuinum ministerium, missarum scilicet solennia adimplenda, & sanctorum patrocinia portanda ad hoc electi sunt; id est vnum vel duos Episcopos cum Capellanis Presbyteris Princeps secum habeat. Et vnusquisque præfectus vnum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus iudicare, & indicare pœnitentiam possint. Nec non & illas venationes, & syluaticas vagationes cum canibus, omnibus seruis Dei interdiximus. Similiter vt accipitres & falcones non habeant. Decreuimus quoque secundum Sanctorum canones; vt vnusquisque Presbyter in parochia habitans Episcopo subiectus sit illi, in cuius parochia habitat, & semper in 40. rationem, & ordinem ministerij sui, siue de baptismo, siue de fide Catholica, siue de precibus & ordine missarum Episcopo reddat, & ostendat. Et quandocunque, jure canonico, Episcopus circumeat parochiam ad populos confirmandos, Presbyter semper paratus sit ad suscipiendum Episcopum collectione & adjutorio populi, qui ibi confirmari debet: & in cœna Domini semper nouum chrisma ab Episc. quærat, vt Episcopus testis assistat castitatis & vitæ, & fidei, & doctrinæ illis statuimus, vt secundum canonicam cautelam, omnes vndecunque superuenientes ignotos Episcop. vel Presbyteros ante probationem synodalem in ecclesiasticum ministerium non admitteremus. Decreuimus, vt secundum canonem, vnusquisque Episcop. in sua parochia solicitudinem adhibeat adjuuante grauione, qui defensor Ecclesiæ est, vt populus Dei paganias non faciat: sed vt omnes spurcitias gentilitatis abiiciat & respuat, siue sacrificia mortuorum, siue sortilegos vel diuinos, siue phylacteria, auguria, siue incantationes, siue hostias immolatitias, quas stulti homines, juxta ecclesias, ritu pagano faciunt sub nomine sanctorum Martyrum, vel Confessorum, Deum & suos sanctos ad iracundiam prouocantes: siue illos sacrilegos ignes, quos *Niedfeor* vocant, siue omnes, quæcunque sunt Paganorum obseruationes diligenter prohibeant. Statuimus similiter, vt post hanc synodum, quæ fuit 11. Kalend. Maij, vt quisquis seruorum Dei, vel ancillarum Christi in crimen fornicationis lapsus fuerit, quod in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua; & si ordinatus Presbyter fuisset, duos annos in carcere permaneat, & antea flagellatus & scorticatus videatur, & post Episcopos adaugeat. Si autem Clericus vel Monachus in hoc peccatum ceciderit post tertiam verberationem in carcerem missus, vertentem annum ibi pœnitentiam agat. Similiter & Nonnæ velatæ eadem pœnitentia contineantur, & radantur, omnes capilli capitis eius. Decreuimus quoque vt Presbyteri vel Diaconi non sagis, Laïcorum more, sed casulis vtantur ritu seruorum Dei, & nullus in domo sua mulierem habitare permittat. Et vt monachi & ancillæ Dei monasteriales, juxta regulam sancti *Benedicti* ordinare & viuere vitam propriam gubernare studeant.

[Margin: C. Burchardum. — Arma clericis non ferenda. — nec ad bella eundum, nisi vt: 1. Missas faciant. 2. Sacras reliquias portent. 3. Confessiones audiant. Iisdem non venandum. — Confirmatio. — Grauio. — Niedfeor. — Marginal letters A, B, C, D]

De alio Synodali conuentu.

MOdo autem in hoc Synodali conuentu, qui congregatus est ad Calendas Martias, in loco qui di[citu]r *Lifstinas.* Omnes venerabiles sacerdotes Dei & [co]mites & Præfecti prioris synodi decreta, consen[ti]entes, firmauerunt se implere velle & obseruare pro[mi]serunt, & omnis Ecclesiastici ordinis Clerus, Epis[co]pi, & Presbyteri, & Diaconi cum clericis suscipien[te]s antiquorum Patrum canones, promiserunt se velle [E]cclesiastica iura moribus & doctrinis & ministerio [re]cuperare. Abbates & Monachi receperunt sancti [P]atris *Benedicti* ad restaurandam normam regularis vi[tæ]. Fornicatores & adulteros Clericos, qui sancta lo[ca] vel monasteria ante tenentes coinquinauerunt, [p]ræcipimus inde tollere, & ad pœnitentiam redigere, [e]t si post hanc definitionem in crimen fornicationis [v]el adulterij ceciderint, prioris synodi iudicium susti[n]eant, similiter Monachi & Nonnæ. Statuimus quoque cum consilio seruorum Dei & populi Christiani propter imminentia bella & persecutiones exterarum gentium, quæ in circuitu nostro sunt, vt sub precario, & censu aliquam partem Ecclesialis pecuniæ in adiutorium exercitus nostri, cum indulgentia Dei, aliquāto tempore retineamus; ea cōditione, vt annis singulis de vnaquaque *casata* solidus, id est, duodecim denarij ad Ecclesiam vel Monasterium reddatur, eo modo, vt si moriatur ille, cui pecunia commodata fuit, Ecclesia eū propria pecunia reuertita sit, & iterum si necessitas cogat, vt Princeps iubeat, precarium renouetur & rescribatur nouū, & omnino obseruetur, vt Ecclesiæ vel Monasteria penuriam & paupertatem non patiantur, quorū pecunia in precario præstita sit; Sed si paupertas cogat, Ecclesiæ & domui Dei reddatur integra possessio. Similiter præcipimus, vt iuxta decreta canonum adulteria & incerta matrimonia, quæ nō sint legitima, prohibeantur, & emendētur Episcoporum iudicio, & vt mancipia Christiana Paganis non tradantur. Decreuimus quoque, quod & pater meus ante præcipiebat, vt qui Paganus obseruationes in aliqua re fecerit, mulctetur & damnetur quindecim solidis.

EPISTOLA LXXIX.

Domino in Domino venerabiliter diligendo, & delectabiliter honorando Lullo, Episcopatus infula fungenti, Tecca supplex Vernaculus in Christo perennem salutem.

TEmpore nuper transacto, vestræ Almitatis litteraturam vsque ad nostræ mediocritatis præsentiam fido gestante gerulo delatam, exultantibus pectorum præcordiis, & lætis oculorum orbibus contemplantes satis libenter suscipimus, & maxime in vestra sancta promissione, quam ordo apicum vestrorum innotuit, vt vestris assiduis ac sacris orationibus nostram fragilitatem defendere velles; ita & nostra imperfecta mediocritas vndique pene in omnibus bonis vestram beatitudinem orationibus intimis Deo vbique auxiliante, deprecando poscere Deum prompta est, nec non & dilectionem fraternitatis ergo vestram clementiam obseruare, secundum vires, velle demonstramus,
Ioan 15. Domino nostro IESV CHRISTO docente ac dicente,
cap. *Hoc est præceptum meum vt diligatis inuicem.* Et item, *In*
1 Pet. 4. *hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem*, &c. Item de eadem Beatus *Petrus* primus & princeps Apostolorum sententiam promulgauit dicens: *Estote itaque prudentes, & vigilate in orationibus, ante omnia mutuam in vobismetipsis caritatem continuam habentes, quia caritas operit multitudinem peccatorum*, &c. Nostra ergo, ni fallor, paruitas non vtcumque vestris est roborata oppido patrociniis. Id-

A circo audaciter rogare præsumimus vestram beatam ac vere benedictam Almitatem, vt nostram, viuentes in hac lachrymarum valle, tum etiam in gloriosissima præscientia Dei in Christo pausantes, assiduis ac sacris orationibus vestrarum studiis Domino Deo commendare dignemini. Ego quoque minimus Ecclesiæ seruus supplici per Dominum deprecatione rogito, vt me cum mea familia, Domino Deo cuncta dispensante ac rite regente, inter cæteros fideles vestros amicos in commune benigne suscipiatis, qui proprio dicor nomine *Aldberchr*, diaconatus officio fungens, licet indignus, vt sancti gradus ministerium olim acceptum vestris saluberrimis intercessionibus meliorando, de die in diem proficiam. Almitatem vestram pro nobis orantem summus arbiter orbis ab alta cælorum arce tueri dignetur. Valete in Domino.

EPISTOLA LXXX.

B *Domino in Christo summopere venerando Lullo Episcopo Magingaoz optabilem supplex in Domino sempiterna beatitudinis salutem.*

SCit plane sublimitatis vestræ prudentia, quia contra discrimina maxima consiliorum adiutoriis & integris, & ex omni parte solidatis modis omnibus opus est. Notum vero fieri venerandæ charitatis vestræ dignationi desideramus, quia exitum sororis nostræ extremum spiritum agentis mœroribus ac timoribus vndique depressi præstolamur, mortem videlicet carnis illius, instinctu naturalis conditionis, velut propria dolentes, & pro animæ illius euētu incerto, & soli iudici piissimo noto & insuper familiæ loci illius tenertimæ, & propemodum, sine vlla consilij firmitate, discessionem, vel (quod grauissimum est) animarum interitum pertimescentes. Quapropter magnitudinis vestræ pietati humili intentione supplicantes obsecramus per Christum Saluatorem, resurrectionemque
C mortuorum, vti nobis supradictis cruciatibus afflictis, quid post obitum illius, sit pro stabilitate salutari monasterioli faciendum, prout Domino iuuante, colligere valeatis, litteris indicare per hunc nuncium non dedignemini. Sunt enim sicut scitis, illic filiæ fratris nostri velatæ, in quas fortasse intentio ignorantium conuersa est. Sed nulla ex his adhuc vel ætate, vel sensus aliqua firmitate; ad suscipiendum tale pondus congrua poterit iudicari. Et formidamus dispersionem inconsultam familiæ, nisi celeriter ordo ac stabilitas per Abbatissam collocetur. Nec tamen vel intra cellulam, vel intrinsecus nos posse reperire credimus per quam vel verbo ac specie tenus valeat cohærere, præter puellulas, quas diximus, quibus maximum periculum suscipientibus, & nobis fortasse persuadentibus formidamus. Quapropter iterata supplicatione per Christum Saluatorem obsecramus, vt nobis, quod saluberrimum inter huiusmodi necessitates fieri credatis, nobis reue-
D lare celeritate qua diximus nec dedignemini nec grauemini.

Valere beatitudinem vestram, & in Christo magis ac magis pro nobis intercedentes proficere integris certisque nisibus cordis optamus, officio Lulloni Episcopo.

EPISTOLA LXXXI.

Domino gloriosissimo atque præcellentissimo Carolo Regi Francorum Eanuulf humilis Abbas optabilem sospitatem.

PRopter hoc omnipotens Deus bonos quosque ad populorum regimina perducit, vt per eos omnibus quibus prælati fuerint, dono suæ pietatis impen-

dat. Quod in Francorum gente factũ cognouimus, cui vestra gloria idcirco est præposita; vt per bona quæ vobis concessa sunt, etiam subiectæ vobis genti superna beneficia præstarentur. Et ideo, gloriose Rex, eam quam accepisti diuinitus gratiam, solicita mente custodi: Christianam fidem in populis tibi subditis extendere festina; zelum rectitudinis tuæ in eorum conuersione multiplica: idolorum cultus insequere: fanorum ædificia euerte: subditorum mores & magna vitæ munditia exhortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, & boni operis exemplo monstrando ædifica, vt illum retributorem inuenias in cœlo, cuius nomen atque cognitionem dilatauetis in terra. Ipse enim vestræ quoque gloriæ nomen etiam posteris gloriosius reddet, cuius vos honorem quæritis & seruatis in gentibus. Præterea scire vestram gloriam volumus, quia nos obnixe & indesinenter deprecaturi supernam pietatem pro incolumitate tua, & gentis tuæ, propterea sublimitatem tuam humiliter deprecantes, vt nostri memor esse, nosque loco amicorum suscipere digneris, vt qui te in orationibus crebris Domino commendare satagimus, ipsi te protectorem habere valeamus & patronum. Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam suam, quam cœpit, perficiat, atque vitam vestram & hic per multorum annorum curricula extendat, & post longa tempora in cœlestis vos patriæ congregatione recipiat.

f. deprecamur.

Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat, Domine dilectissime. scripta in dict. XI. VIII. Calend. Iunias........ per epistola....... ad Regem.

Hic signa erant ignota.

EPISTOLA LXXII.

Veneranda dignitatis Lullo Episc. Botuuini Abb. optabilem in Christo salutem.

LItteræ auctoritatis tuæ, quas cum diuinæ pietatis studio vsque ad nos direxisti, lætificauerunt me valde, quia tu imbre cœlestis roris illectus vltimum me seruunculum seruorum Dei cum tam magna fide diuini amoris, sæcularisque dignitatis munere visitare dignatus fuisti. Gratias ago Deo petens cum intimæ charitatis desiderio, vt fidus fautor mihi per Celsitudinem sanctitatis tuæ coram Christo Iesu existas, in istoque seculo serena mente amicus si rector rerum omnium istius vitæ in itinere me longius super te fudare diiudicat, ploro indesinenter precans cum omni caterua, quæ Christo Domino sub mea conditione deseruit, diuinæ misericordiæ solatia animæ tuæ largiri, vt tu simili modo Ecclesiarum tuarum subsidia mihi præstare digneris. Hæc quoque modica munuscula, id est, III. lacernas almitati tuæ mitto optans vt accepta sint.

Omnipotens Deus incolumem beatitudinem tuam custodiat.

EPISTOLA LXXXIII.

† Sanctissimo, & à Deo semper conseruato Domino Lullo Episcopo Vvicbertus seruus seruorum Dei quanquam indignus Abbas vester in omnibus (Deus scit) bene cupiens & fidelis in vinculo charitatis colligatus.

singula psalteria.

SVscepta vestra alimonia sancta cuncta congregatio Monachorum nostrorum pro vobis singulos psalterios Domino decantauerunt, & sacerdotes quinas Missas fecerunt per singulos, vt vobis Dominus pristinam sanitatem tribueret, & dixi ad illos vestra voluntate, quomodo nobis mandastis, vt hic pro tempore deuenire iubebatis. Sed omnes consona vna concordia responderunt, quod nostra voluntas in omnibus est, ipsius infirmitati compatescere, & sicut proprium fratrem, ita circa illum omni charitate impendere. Sed vos modo si vultis sic venire potestis, quomodo in vestra propria casa, & nos in omnibus, in quantum possumus, charitate pristina exigentes vestræ volumus compatescere infirmitati. In orationibus tuis commendamus nos sanctissime pater.

f. subuenire. f. compati.

Sanctissimo Domino Lullo Episcopo, Vuicbertus indignus Abbas.

EPISTOLA LXXXIV.

Domino Sancto Sanctorum, quia meritis coæquando, & à nobis cum summa veneratione diligendo in Christo patre Lullono Episcopo.

Deto seruus seruorum Dei, etiam & omnes Monachi sancti Petri Apostolorum Principis degentes sub norma sancta regula æternam in Domino nostro Iesu Christo ad sanctitatem vestram destinare curauimus salutem.

C. degentium.

IDeo omnipotenti Domino gratias referimus, vt omnia, quæ circa vos sunt, prospera non solum habeamus, sed & hoc indesinenter sedulis precibus Domini misericordiam implotamus, vt vitam vestram longæuis faciat hic gaudere temporibus, & illic in æterna beatitudine cum sanctis suis faciat pariter exultare triumphis. De cætero quamuis, amantissime pater, terrarum longitudine separati videmur, tamen & terrarum longinquitas non diuidit mente, quos charitas diuina coniunxit in corde. Idcirco comperiat sanctitas vestra, quia nos omnes per obedientiam almi patris nostri Dodoni Abbatis, & pro amore vestro & omni solicitudine pro vobis, & deuotissima sancta congregatione vestra à Deo vobis commissa, in nostris assiduis precibus Domini misericordiam exorare non desinemus. Igitur cum salutationis officiis, humili prece deposcimus, vt istam familiam Christi & sancti *Petri* in vestra commemoratione semper habeatis: & ipsi pro omnibus amicis vestris tam Episcopis & eorum clero, quam Abbatibus & eorum Monachis, seu & Abbatissis vel Deo dicatis in ista congregatione sancti *Petri*, oratores vestros tam viuos quam defunctos in vestra mercede commemorare faciatis, vt in sacris orationibus illorum eam assidue memorare debeant, quatenus per illorum suffragia olim optatam adire mereamur patriam paradisi. Similiter vos deprecamur, vt omnium amicorum vestrorum nomina tam viuorum quam defunctorum per præsentem fratrem nostrum *Saganaldum*, per breue ad nos dirigere faciatis, vt ipsos, sicut de aliis fratribus nostris facimus, ita in nostris assiduis orationibus ipsos memorare debeamus. Gratia Regis cœlestis custodiat vos semper. Amen.

C. lexare.

Indicu-

liculus directus ad Lullonum Episcopum. Emmanuel nobiscum sit.

EPISTOLA LXXXV.

aritatis lacertis amplectendo amico, imo spiritali germanitate copulando fratri. summi Pontificatus infula prædito Eckberto, Archiepiscopo Bonifacius exiguus Episcopus, Legatus Germanicus Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, florentem in Christo immarcessibilis charitatis salutem.

DOna ac libellos dulcissimæ beatitudinis vestræ à vobis directa gratanti animo gaudentes suscepimus, suspensis ad æthera palmis supernum Regem obsecrauimus; vt nobis in superna Angelorum curia florentia mercedis præmia restituat. Modo autem sanctitatis vestræ clementiam intimis postulamus precibus, vt pro nobis laborantibus, & periclitantibus pietas vestra exorare dignetur, quia grandis nobis necessitas imminet, iustorū adiumamina expetere quia scriptum est, *Multum valet deprecatio iusti assidua.* Enarrare autem omnia mala, quæ nos extrinsecus & intrinsecus patimur, epistolaris breuitas prohibet. Modo enim inhianter desiderantes flagitamus, vt nobis ad gaudium nostri mœroris eo modo, quo antea iam fecistis, aliquàm particulam vel scintillam de candela Ecclesiæ, quam illuxit Spiritus sanctus in regionibus vestris, destinare curetis, id est de tractatibus, quos spiritalis Presbyter & inuestigator sanctarum Scripturarū Beda reserando composuit, partem qualemcumque transmittere dignemini. Maxime autem, si fore possit, quod nobis prædicantibus habile, & manuale, & vtilissimum esse videtur super lectionarium anniuersarium, & Prouerbia Salomonis, quia commentarios super illa condidisse eum audiuimus. Interea maxima nos cogit necessitas vestri consilij iudicium inquirere. Nam dum inuenero Presbyterum iam ante multa tempora lapsum in fornicationem, & post pœnitentiam in officium gradus sui à Francis iterum restitutus est, & nunc habitans in latissimo pago fidelium, sed errantium populorum, sine aliis sacerdotibus solus ministrat baptismum, & solemnia Missarum celebrans. Modo autem, si talem secundum iustissimos canones abstulero, morientur sine sacro regenerationis fonte infantes, propter raritatem Sacerdotum, si meliorem, ad restaurandum prioris lapsum non habuero. Iudicate ergo inter me, & inter populum erroneum, vtrum melius sit, vel saltem minus malum, vt talis, ministerium sancti altaris impleat, an vt pagana moriatur multitudo populi, quia castiorem ministrum acquirere nequiuerit: vel si inter multitudinem Sacerdotum inuenero in eodem peccamine lapsum, & iterum post pœnitentiam priori gradui restitutum, de quo omnis multitudo sacerdotum & populorum bonæ opinionis confidentiam habuerunt, & si ille modo degradatus fuerit, secretum peccatum reuelatum fuerit, & scandalizaui multitudo plebium, & per scandalum plurimæ peribunt animæ, & detestatio erit maxima Sacerdotum, & diffidentia ministrorum Ecclesiæ vt omnes perfidos, nulli credentes, despectos habeant. Quam ob rem audacter præsumpsimus, patientes & cōsentientes illum in ministerio diuino persistere, existimantes leuius esse dubium vnius hominis periculum & audaciam, quam ruinam & perditionem animarum pene totius populi. De istis autem vniuersis quid mihi sustinendum sit, necessitate cogente scandala vitandi, quidue refutandum: secundum consilium vestrum per scripta videre, & audire omnino desideramus. Præterea celsitudini vestræ, vice osculi, duas vini cupellas per hūc portitorem litterarum transmisimus, petentes, vt charitatis inter nos precibus nostris inde lętum diem cum fratribus vestris faciatis. Obsecramus igitur, vt de istis petitionibus nostris faciatis, vt mercedis vestræ præmia in cœlorum culmine clarescant.

EPISTOLA LXXXVI.

† Domino magnopere diligendo, & nobis omnium peregrinantium pro Christi amore clarissimo LVLLO Antistiti, Cincardus indignus, vt vereor Episcopus in Christo salutem.

LIbenter ergo suscipimus fratrem à te ad nos vsque directum cum dulcedine donorum vestrorum, & gratias agentes Deo & vobis, quod nostri memoriam ex tam remotis terrarum finibus facere dignemini. Et ideo sicut vos velle comperimus memores sumus vestri, in quantum, Domino adiuuante, permittitur semper in orationibus nostris obsecrantes, vt quod fideli, ac firmissimo cœpistis animo, vsque ad finem firmum retineatis: quanquam multis tribulationibus tundimini, quas propemodum omnes sancti soliti sunt à seculo perpeti, nec tamen Christo cooperante, & confirmante illorum constantiam, deficiebant. Modici munusculi quantulamcumque paruitatem charitatis [f. prædecessores.] tantummodo intuitu direximus, hoc est, de nostro vestitu indumentum, sicut solent prædecessores nostri prædecessoribus tuis destinare, quod te pro humilitate & mansuetudine tua suscipere dignanter, & vti, suppliciter precamur.

Valere te in Christo, & vt vere felicem semper optamus.

EPISTOLA LXXXVII.

Sacerdoti Christi magnifico, reuerentia pariter & amore non mediocriter amplectendo Lullo Episcopo Magingoz, seruus seruorum Dei, perennem in Domino salutem.

APerto scripturarum diuinarum testimonio declaratur, veritatem esse Dominum Saluatorem, [Ps. 104. 4.] ac de ipso dictum esse per Prophetam: *Quærite faciem eius semper.* Quamobrem solutionem quæstionis alicuius quæ videlicet infirmitatis nostræ cognitioni facilis non est, à dignationis vestræ largitate idipsum flagitantes multum desideramus accipere. [De diuortio & repudio.] Itaque constitutio Matrimonij Christianorum in iungendo, vel separando, à Patribus tāta diuersitate nobis videtur disponi, vt vix vna & compar sententia ipsorū, nostræ pateat paruitati. Videntur namque concorditer *Isidorus* ac *Hieronymus* affirmare, non debere adulteram teneri à viro, cui sociata, alteri se more meretricis adiungat, vtpote quæ vnam carnem nefarie diuidens, indignam se & alienam ab honore connubij diuinitus instituti reddiderit, & hoc esse præceptum & permissum à Saluatore, cum vxorem non dimittendam absque fornicationis causa præciperet. *Augustinus* vero cum sen- [Matth. 19.] tentiam eandem Saluatoris diuturna tractatione ventilasset, nihil planæ elucidationis, certe nostræ omnino teneritudini captabile profert: [f. certa.] sed hoc in extremo dicebat, quia quomodo præceptum hoc Saluatoris accipi debuisset, late operosissimam adhuc superesse quæstionem, cōmemorans vero mulierem ab accusatione Iudæorum à Domino liberatam dicit non male illi vir mulieri licet in adulteriū lapsæ cōciliaretur. Beatus vero *Leo* Papa fœminā, [Ioan. 8.] capto ab hostibus marito, cogente solitudine, inculpabiliter alteri posse copulari cum desperaretur captus, & reuerso forte priore, separatā à posteriore, principali restitui dicit; vbi notādum videtur, quod statim destitutæ coniugi nubēdi licentiā tribuit. Apud Isidorū vero vel Hieronymum proditio fœderis coniugalis matrimonium separat. Quid ergo supersit

C. accedent. coniugi quem vel quam solitudo perurget, si & *Isidori* vel *Hieronymi* ac *Leonis* decretum iuste creditur esse tenendum, nisi vt se matrimonio coniugat alterius, me fateor ignorare. Bonitatis igitur vestræ dignationem, per charitatem, qua Christus Dominus semper vbique membra sua sibi copulare probatur, obsecramus, vt ignorantiam nostram ac dubitationem, sic Domino possibilitatem largiente, illuminare dignemini, vt audire à remuneratore perpetuo mereamini, *Euge serue bone, &c.* Matt. 25. 21.

Valere beatitudinem vestram pro nobis intercedentem & in Christo magis ac magis proficere; integris desideriis optamus. Offerenda Lullo Episcopo.

EPISTOLA LXXXVIII.

† *Sanctissimo atque venerabili Episcopo* Lullo, *seruus seruorum Dei visceralem in Domino salutem.*

ROgo, te, ô dilectissime frater, sicut optime in te credo, vt non immemor sis, sed semper sagacissima mente ad memoriam reducas antiquam amicitiam nostram, quã inter nos habuimus in *Maldubia* ciuitate quando *Eaba* Abbas in amabili charitate nutriuit, & hoc signum recordor, quod pro nomine vocauit te *Irtel*, idcirco salutat te *Hereca* Abbas in salutatione sancta, & omnis congregatio quæ in sua cœnobiali vita manet, quia dignos nos in memoriam habuisti tecum. Qui autem perseuerauerit in pace, vsque in finem, hic saluus erit. Vale amabilis feliciter in æuum; meus dilectus, Deo electus, quia charitas pretium non habet. C. regimen. qui in suo.

Hoc signum Hereca Abbatem fecit.

EPISTOLA LXXXIX.

Desiderantissimo, & suauissimo in Christi dilectione amico Lullo *Episcopo & omnium Antistitum charissimo, Gutberct discipulus Bedæ presbyteri salutem.* Pro Beda.

GRatanter quidem munuscula tuæ charitatis suscepi, & eo gratantius, quo te hæc intimo deuotionis affectu mittere cognoui, id est holosericam ad reliquias beatæ memoriæ *Bedæ* magistri nostri, ob recordationem & illius venerationem, destinasti. Et rectum quidem mihi videtur, vt tota gens Anglorum in omnibus prouinciis, vbicunque reperti sunt, gratias Deo referant, quia tam mirabilem virum, præditum diuersis donis, tamque ad exercenda dona studiosum, similiterque in bonis moribus viuentem, Deus illis in sua natione donauit, quia per experimentum, ad pedes eius nutritus, hoc quod narro didici. Similiterque mihimetipsi coopertorium variatum ad tegendum scilicet, propter frigus, meum corpus misisti, quod videlicet omnipotenti Deo & B. *Paulo* Apostolo ad induendum altare, quod in eius Ecclesia, Deo consecratum est, cum magno gaudio dedi: quia & ego sub eius protectione in hoc monasterio XL. & III. annos vixi. Nunc vero, quia rogasti aliquid de opusculis beati Patris, cum meis pueris, iuxta vires, quod potui tuæ dilectioni præparauit libellos de viro Dei *Cudbercto*, metro & prosa compositos, tuæ voluntati direxi: & si plus potuissem, libenter voluissem, quia præsentia præteritæ hyemis multum horribiliter insulam nostræ gentis in frigore, & gelu, & ventorum, & imbrium procellis, diu lateque depressit, ideoque scriptoris manus, ne in plurimorum librorum numerum perueniret, retardata est: sed & ante sex annos per *Hunuini* meum Presbyterum illuc ad vestra loca aduenientem, & *Romam* videre desiderantem, aliqua parua exenia cultellos videlicet. XX. & gunnam de pellibus lutratum factam tuæ fraternitati misi. Ille quoque Presbyter *Hunuini* ad vrbem quæ vocatur *Beneuentum* perueniens, ibi de hac luce migrauit. Quapropter neque per tuorum aliquem, vtrum ista ad te peruenerint, vlla responsio vnquam mihi reddita est. Duo vero pallia subtilissimi operis, vnum albi, alterum tincti coloris cum libellis, & clocam, qualem ad manum habui, tuæ paternitati mittere curauimus, precorque vt meam petitionem & necessitatem non spernas. Si aliquis homo in tua sit parochia, qui vitrea vasa bene possit facere cum tempus arrideat, mihi mittere digneris, aut si fortasse vltra fines est in potestate cuiusdam alterius, sine tua parochia, rogo vt fraternitas tua illi suadeat, vt ad nos vsque perueniat, quia eiusdem artis ignari & inopes sumus, & si hoc fortasse contingit, vt aliquis de vitrifactoribus cum tua diligentia, Deo volente, ad nos vsque venire permittatur, cum benigna mansuetudine, vita comite, illum suscipio. Delectat me quoque cytharistam habere, qui possit cytharisare in cithara, quam nos appellamus *rotta*, quia citharam habeo. Si graue non sit, & istum quoque meæ dispositioni mitte. Obsecro vt hanc meam rogationem ne despicias, & risioni non deputes. De opusculis vero beatæ recordationis *Bedæ*, quæ adhuc descripta non habes, promitto me, si vixerimus, tuæ voluntati adiuuaturum. C. in diu. S. Pauli ecclesia. Altaris consecratio. f. cuiusdam. f. obtemperaturũ vt me. 21.

Abbas Gutberctus te re bis terque salutat.

Te Deus omnipotens saluum conseruet in æuum.

Iul. Gl.

EPISTOLA XC.

ALHREDI REGIS.

Alhredus Rex & Osgeofu Regina Lullo venerabili Episcopo nobis perpetuali amicitia copulato in Christo salutem.

SCripta beatitudinis tuæ simul cum muneribus literis assignatis debita gratulationis reuerentia suscepimus, maximasque omnipotenti Deo egimus gratias, quod te in tam longa peregrinatione desudantem, & in Christi agonibus decertantem optatæ conseruauit sospitati: & ideo reuertentibus venerabilibus viris, gaudium nostrum, sacrorum apicum attestatione signamus, ac petimus, vti quotidianis orationibus Episcopatus tuus studium ac votum suum circa salutem nostram dignetur impendere. Nos quoque simul cum nominibus nostrorum amicorum, & propinquorum, quæ hic subscripta sunt, litterarum custodia facias contineri, orationibusque, & Missarum celebrationibus, perpetuis Dei patrociniis commendemur. Eodemque modo de vobis, & de nominibus ad nos delatis, secundum vestram petitionem, facere curabimus, vt in cunctis monasteriis nostris ditionibus subiunctis perpetuis literarum monumentis commẽdentur, & orationum subsidiis Deo quotidie præsententur. Illudque pietati nostræ satis placuisse cognosce, quod sanctimonia tua de Ecclesiarum, aut populi perturbatione solicita est, quæ etiam vt fierent, Dei aliquo dispensationis consilio credimus esse prouisa. Nostris quoque, dilectissime frater, legationibus ad Dominum vestrum gloriosissimum Regem *Carl*, obsecramus consulendo subuenias, vt pax & amicitia quæ omnibus conueniunt, facias stabiliter inter nos confirmari.

Diuina Maiestas indefesso certamine pro Christi Ecclesia desudantem te conseruare dignetur.

Parua munuscula tuæ dignitati admisimus, id est ·odecim sagos, cum annulo aureo maioti dono ad ·tem.

EPISTOLÆ XCI.

·omino excellentissimo & præ ceteris Pontificibus præferendo, & Apostolatus priuilegio prædito Stephano Papæ, Bonifacius exiguus Episcopus, discipulus Romanæ Ecclesiæ, optabilem in Christo charitatis salutem.

SAnctitatis vestræ clementiam intimis ac visceratis obnixè flagito precibus vt familiaritatem & vnuatem sanctæ sedis Apostolicæ ab almitatis clementia impetrare & habere merear, & in discipulatu pietatis vestræ, sedi Apostolicæ seruiendo, seruus vester fidelis ac deuotus permanere possim, eodem modo quo ante sub tribus præcessoribus vestris, Apostolicæ sedi seruiebam, venerabilis memoriæ duobus *Gregoriis*, & Zachariæ, qui me semper hortatione & auctoritate litterarū suarum muniebant & adiuuabant, quod & pietatem vestram agere deprecor, vt præceptum Paternitatis vestræ eo melius perficere & implere possim. Nam si quid, in ista legatione, *Romana* per XXX. & VI. annos fungebar, vtilitatis *Ecclesiæ* præfatæ peregi, adhuc implere & augere desidero. Si autem minus perite aut iniuste à me factum aliquid vel dictum reperitur, iudicio Romanæ prompta voluntate & humilitate emendare me velle spondeo. Interea deprecor, vt pietas Domini mei nō indignetur, quia tam tarde missum meum & litteras ad præsentiam vestram direxi. Sed hoc idcirco contigit, quia præoccupatus fui in restauratione Ecclesiarum, quas *Pagani* incenderunt, qui per titulos & cellas nostras, plus quam XXX. Ecclesias vastauerunt & incenderunt. Et hæc fuit occasio tarditatis litterarum & appellationis Paternitatis vestræ, & non aliqua negligentiæ incutia.

EPISTOLÆ XCII.

Bonifacius seruus seruorum Dei, gratia Christi Episcopus, charissimo consacerdoti Fulredo Presbytero perennem in Christo charitatis salutem.

FRaternæ dilectionis tuæ spiritalem amicitiam, quā sæpe in necessitatibus meis pro Dei intuitu fecisti, dignas gratias, quantas meruisti, persoluere non possum: sed Deum omnipotentem deprecor, tibi in alto cœlorum culmine mercedis præmia in gaudio Angelorum æternaliter retribuat. Nunc autem in Christi nomine deprecor, vt quod bono initio cœpisti, cum bono fine perficias, id est, vt meo verbo gloriosum & amabilem Regem nostrum *Pippinum* salutaueris, & illi magnas gratias referas de omnibus pietatis operibus quæ mecum fecit, & vt illi referas, quod mihi & amicis meis similiter videtur, vt vitam istam temporalem, & cursum dierum meorum per istas infirmitates cito debeam finire. Propterea deprecor celsitudinem Regis nostri pro nomine Christi filij Dei, vt mihi nunc viuenti indicare & mandare dignetur circa discipulos meos, qualem mercedem postea de illis facere voluerit. Sunt enim pene omnes peregrini: quidam Presbyteri per multa loca ad ministerium Ecclesiæ & populorum constituti. Quidam sunt monachi per cellulas nostras, & infantes ad legendas litteras ordinati sunt. Et aliqui seniores, qui longo tempore mecū viuētes laborauerunt, & me adiuuabant. De his omnibus solicitus sum, vt post obitum meum non dispergantur: sed

F. salu-res. C. fimi-liter. I. adle-genda.

A vt habeant mercedis vestræ consilium & patrocinium celsitudinis vestræ: & non sint dispersi sicut oues non habentes pastorē, & populi prope marcā Paganorum non perdāt legē Christi. Propterea almitatis vestræ clementiam diligenter in Dei nomine, deprecor, vt filiolum meum Lullum, & coëpiscopum, si Deus voluerit, & sic clementiæ vestræ placeat, in hoc ministerium populorum & Ecclesiarum componere & constituere faciatis prædicatorem & doctorem Presbyterorum & populorum. Et spero, si Deus voluerit, quod in illo habeant Presbyteri Magistrum, & Monachi regularē Doctorem, & populi Christiani fidelem prædicatorē & pastorem. Propterea hoc maxime fieri peto, quia Presbyteri mei prope marcam Paganorum pauperculam vitam habent. Panem ad manducandum acquirere possunt: sed vestimenta ibi inuenire non possunt, nisi aliunde consilium & adiutorem habeant, vt sustinere & indurare in illis locis ad ministerium populi possint, eodem modo sicut ego illos adiuui. Et si pietas
B Christi hoc vobis inspirauerit, & hoc, quod peto, consentire & facere volueritis, per hos missos meos præsentes, aut per litteras pietatis vestræ, hoc mihi mandare & indicare dignemini, vt eo lætior in mercede vestra viuam vel moriar.

Bar. & L. adiuuare possit. C. adiuuaui.

† .... † ...., † ....

EPISTOLÆ CXIII.

Domino desiderabili, iure venerabili Episcopo Lullo, Eanuulf seruus Christi Iesu vnà cum conseruis, qui mecum hic in locis suauissimum Euangelij iugum, pro inuenienda in cœlis requie, trahere gaudent, perpetē in Domino salutem.

MVlto quidem gaudio delectatum est cor nostrū, magna exultatione lingua insonuit, dum tantæ vir eruditionis ac sanctitatis ad nos litteras transmiserat.
C Quapropter paternam tuæ charitatis reuerentiam obsecramus, vt semper nostri memor, supplices nobis Domino preces offerre non refrageris. Nos tui quoque scias semper existere memores, si quid tam vilium apud Dominum valet deprecatio seruorum. Quātum enim de omni vestro profectu gauisi sumus, quantamque super his, quæ in peregrinis locis vobis prospera cesserunt, lætitiā haberemus: .... teque nosse volumus quod hoc perpetualiter studium caritatis, tuis meritis impetrantib. obseruemus, tuamq; per omnia desideremus amicitiam mereri, volētes ipsi per omnia tuæ iustæ voluntatis obtēperare decretis, etiam Domino procurante, quando ingrediente te viam vniuersæ terræ, atque ad præmia vitæ æternæ perducto, tunc tuum venerabile nomen disponimus scribere cū nominibus Episcoporum nostrorum, & cum nominibus omnium præcedērium fratrum huius monasterij.

C. narrādum.

D † Orantem pro nobis almam paternitatis vestrę coronam cœlestis gratia custodiat dilectissime in Christo antistes.... Scripta indict. XI. IX. Cal. Iunias....... ad Iul. epist. episc.

† .... † .... †
† .... † .... †

EPISTOLÆ XCIV.

† Venerando Sacerdoti Christi, amore prorsus ac reuerentia pariter à nobis studio peculiari continendo Lullo Episcopo, Magingoz seruus seruorum Dei perennem in Christo salutem.

C. fructus. C. continendo.

IN colloquio nuper venerandæ fraternitatis tuæ comperti sumus, quia consiliū proximi nostri cuiusdam, minus caute, sæculi impedimento postposito,

Procōperimus.

viam religionis ingredi cupientis prudentia vestra præuenire vtiliore consulto voluisset, qui, vt arbitror, his verbis velut nomine proprio designatur. Et reuera visum mihi est, non posse aliter compleri circa illum officium debitæ felicitatis & caritatis, nisi cum pluribus de eadem re necessario solicitus contendatur, ne hunc fortasse in ipso itinere, quo desiderium ducit, incauta præsumptio supplantet; sed necessarium existimo, vt diligentius prouideatur, quo pacto, vel quib. instrumentis peregrinationis illius, quam sicut scitis optimam........stabilitas & possibilis, & si fieri potuerit, inexcusabilis, iis, cum quibus præsens causa agenda est, omni rationis firmitate comprobetur. Quapropter nostræ paruitati indicare per litteras non grauemini, verum vobis videatur, an communi sermone vnius epistolæ exhortatio mittatur, an vterque nostrum à se epistolam mittat; Quod si profuturum iudicetis, vt commune, & vnum à nobis iudiculum dirigatur, à vestra caritatis industria rogo vt conficiatur. Si non fieri posse putaueritis, vt siue aliqua præsenti siue nostra siue cæterorum seruorum Dei collatione consulto decenti & integra soliditatis valeat perpetrari. Quid itaque vobis profuturum videatur, vt à nobis hac de re agatur per litteras, huius epistiunculæ portitori traditas, nobis indicare dignamini.

Deest aliquid.

Valere bonitatem vestram, & in Christo proficere pro nobis intercedentem integris desideriis optamus. Off. Lullo Episc.

EPISTOLA XCV.

Domino in Domino dilectiss. & fideliss. amico Lullo Episc. Gudberct Abbas salutem.

MVltum gratanter accepi litteras siue etiam munera, hoc est, villosam, & sindonem, quæ tua fraternitas ad me mittere dignata est, & eo gratantius, quod ex intima charitate ea destinata esse non ambigo. Vnde recompensationem beneficij istius reddens & ipse tui, quotidianis in precibus, curam habere non cesso; Simul etiam nomina fratrum quæ ad nos misisti, cum nominibus huius monasterij fratrum dormientium in Christo scripta continentur, ita vt pro illis nonaginta & eo amplius Missas facere præceperim. Insuper etiam librum, quem clarissimus Ecclesiæ Dei magister *Beda* de ædificio templi composuit, ad consolationem tuæ peregrinationis, mittere curaui, tuam fraternitatem humiliter obsecrans, vt olim condictæ inter nos amicitiæ fœdera vsque ad finem firmum custodire digneris in hoc videlicet maxime, quod cum tuis omnibus quos tibi diuina dispensatio voluit esse subiectos, pro infirmitatibus meis apud supernum iudicem sedulus intercessor existas. *Lullo* Episc.

Missæ pro defunctis.

C. præcepi.

Dominus omnipotens fraternitatem tuam in suo semper amore conseruet.

EPISTOLA XCVI.

Pippinus gratia Dei Rex Francorum vir illuster Domino sancto Patri Lullo Episcopo.

COgnitum scimus sanctitati vestræ, qualem pietatem & misericordiam Deus fecit præsenti anno in terra ista. Dedit tribulationem pro delictis nostris; post tribulationem autem, magnam atque mirabilem consolationem, siue abundantiam fructus terræ, quem modo habemus. Et ob hoc, atque pro aliis causis nostris opus est nobis illi gratias agere, quia dignatus est seruos suos consolari per eius misericordiam. Sic nobis videtur, vt, absque ieiunio indicto, vnusquisque Episcopus in sua parochia Litanias faciat, non cum ieiunio, nisi tantum in laude Dei, qui talem nobis abundantiam dedit, & faciat vnusquisque homo suas eleemosynas & pauperes pascat. Et sic prævidete faciatis, & ordinare de verbo nostro, vt vnusquisque homo, aut vellet aut nollet, suam decimam donet. Valete in Christo.

C. quæ.

Litaniæ.

C. sua eleemosyna. f. homo diues eleemosyna.

EPISTOLA XCVII.

Venerando ac diligendo Domino Apostolatus priuilegio prædito Stephano Papæ Bonifacius vel exiguus Legatus vel missus Germanicus Catholicæ & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, optabilem in Christo charitatis salutem.

NAm tempore *Sergij* Apostolicæ sedis Pontificis, venit ad limina sanctorum Apostolorum Presbyter quidam miræ abstinentiæ & sanctitatis, generis Saxonum, nomine, *VVillibrord* & alio nomine, *Clemens* vocatus, quem præfatus Papa Episcopum ordinauit, & ad prædicandam Paganam gentem Fresonum, transmisit, in littoribus Oceani occidui. Qui per L. annos prædicans, præfatam gentem Fresonum maxima ex parte conuertit ad fidem Christi, fana & delubra destruxit, & Ecclesias construxit, & sedem Episcopalem & Ecclesiam in honore sancti Saluatoris constituens in loco & castello quod dicitur *Traiectum*; & in illa sede & Ecclesia sancti Saluatoris, quam construxit, prædicans vsque ad debilem senectutem permansit: & sibi Coëpiscopum ad ministerium implendum substituit, & finitis longæuæ vitæ diebus, in pace migrauit ad Dominum. Princeps autem Francorum *Carolomannus* commendauit in sedem illam ad constituendum & ordinandum Episcopum, quod & feci. Nunc autem *Coloniensis* Episcopus illam sedem præfati Episcopi *Clementis* à *Sergio* Papa ordinati sibi vsurpat, & ad se pertinere dicit, propter fundamenta cuiusdam destructæ à Paganis Ecclesiolæ: quam *VVilibrordus* dirutam vsque ad solum in castello *Traiecto* reppetit, & eam proprio labore à fundamento construxit, & in honore *S. Martini* consecrauit. Et refert, quia ab antiquo Rege Francorum *Dagobertho* castellum *Traiectum* cum destructa Ecclesia ad Coloniensem parochiam donatum in ea conditione fuisset, vt Episcopus Coloniensis gentem *Fresorum* ad fidem Christi conuerteret, & eorum prædicator esset; quod & ipse non fecit. Non prædicauit, non conuertit *Fresones* ad fidem Christi, sed pagana mansit gens *Fresorum* vsque quo venerandus Pontifex Rom. sedis Sergius supradictum seruum Dei *VVillibrordum* Episcopum ad prædicandum supradictæ genti transmisit, qui illam gentem, vt præfatus sum, ad fidem Christi conuertit. Et modo vult Coloniensis Episcopus sedem supradicti *VVillibrordi* prædicatoris sibi contrahere, vt non sit Episcopalis sedes subiecta Rom. Pontifici, prædicans gentes Fresorum. Cui respondebam, vt credidi, quod maius & potius fieri debeat præceptum Apostolicæ Sedis, & ordinatio Sergij Papæ, & legatio venerandi prædicatoris VVillibrordi, vt & fiat sedes Episcopalis subiecta Rom. Pontifici, prædicans gentem Fresorum, quia magna pars illorum adhuc pagana est, quam destructæ Ecclesiolæ fundamenta diruta; & à paganis conculcata, & per negligentiam Episcoporum derelicta. Sed ipse non consentit. Sed modo paternitatis vestræ iudicio mihi intimare dignemini: & si hoc iustum sit responsum, & vobis placeat, quod illi Coloniensi Episcopo reddidi, vestra auctoritate roborare, vt præceptum *Sergij* Papæ, & sedes illa stabilis permaneat. Sic enim potestis nos, si vobis placet, adiuuare, si de scrinio Ecclesiæ vestræ exemplare iubetis, & mihi transmittere quidquid præfato Episcopo *VVillibrordo* ordinato sanctus *Sergius* præciperet & conscri-

Romani Pontificis cura conuersi ad Christum Frisii. C. illis.

beret, vt ex auctoritate sanctitatis vestræ contradicentes conuincere & superare valeam. Si autem aliter illius sanctitati vestræ videatur, consilium paternitatis vestræ mihi insinuare dignemini, vt sequar.

EPISTOLA XCVIII.

Domino meo desideratissimo, & in litterarum studio deuotissimo Eruditori Bonifacio, summi pontificatus infula prædito, N. ex multis quiddam pietatis vestræ emolumentum, amabilem deuotæ charitatis in Christo salutem.

Sacra scriptura admonet, ne sine consilio inconsulte aliquid agamus, sicut scriptum est: *Omnia cum consilio fac, &c.* Ideo foretatum æstimans rusticitatis meæ litteras sagacitatis vestræ Celsitudini dirigere, hisque occasionem petitionis meæ desiderium intimare quantumuis vtique prospectis prouidus præceptor meus decernat, quod sibi optimum videatur, famuloque suo summæ voluntatis nutum placidus indicet, cui subnixus libenter obtemperem. Fateor itaque tibi, Magistrorum charissime, postquam, sanctitatis vestræ licentia, lectionis scrutandique caussa, si quid tamen ingenioli mea parua scintilla intelligere vel inuestigare valet, bonitatis vestræ mercedi primitus post Deum imputo, Thiringiam pertexi, diligentiam lectioni adhibere tam studiose non posse quam indiguisse sciebam. Duabus quippe causis resistentibus, oculorum scilicet caligine, & capitis dolore, tertioque in visceribus vitio præcipue, id est, corpore mentis, idcirco paulo diutius manere mihi paternitas vestra hic concedat, vt qui, iuxta Apostolum, siticulosum filium vestrum lacte poteris, nec adhuc solido panis esu assuetum, opportuno tempore seruitutis vestræ ad officium, larga Christi clementia præeunte, & vestris orationibus intercedentibus, robustiorem recipiatis. Sin vero aliud, discretioni vestræ placuerit, si ille vires dederit, cum nihil infinita sæcula addere, vel adimere valeant, ipso quo iubebitis tempore, promptus redibo. Interea, per misericordiam Dei obsecro cuius totus orbis terrarum plenus est, velut flexis genibus ac curuato poplite supplex sublimitatis vestræ vestigia amplectens, vt pro meis innumeris facinorum criminibus apud misericordem & iustum iudicem intercedere dignemini: nec tamen ex hoc serenitatis vestræ gratiam per turbem, cum Iesus noster gloria cœli, fususque mundi, cui cuncta patent, & quem occulta non latent, imperet dicens: *Petite, & dabitur vobis, & reliqua.* Quia nec tam ex hoc ventosæ temeritatis typhum mihi surrepere posse, quam remedium salutis arbitror inueniri, dum & ipse me ægrotum agnosco, & Medicum quæro, hos tibi versiculos, Pater amande, subter scriptos caussa correctionis direxi, cupiens industriæ vestræ scripta promereri, quatenus erroris mei anfractus ex ipsis certe cognoscam.

Sancta & indiuidua Trinitatis diuinitas Excellentiæ vestræ dignitatem iugiter longe lateque Catholicis Ecclesiarum plebibus præsidentem, vsque ad supremum vitæ cursum, contra omnia proficientem aduersa, custodiat.

Crescere te Deus Omnipotens in opus pietatis
Perpetuo faciat lucro multarum animarum:
Diues opum cœli, auscultare Dei mercaris
Vt tandem vocem latam, Bone, serueque fide,
Summa tui Dominique Dei nunc gaudia sciande.
Pauca super fidus fueras, quia multa super te
Constituam: requies tibi sit hac, certa salusque
Spesque fauente Deo pariter qui cuncta creauit;
Ac regnans viuit secla prior omnibus idem.
Calce carens & principio, clementia cuius
Me miserum, te; larga monebat adire Magistrum.
Mole grauis noxa pressus, sine lumine cordis,
Otia dum vagabundus amabam, dulcia credens,
Quæ constant cunctis animabus noxia semper.
Pectoris obtusi tenebras sed gratia dempsit.
Saluantis Christi, gratu pia sensibus augens
Dona meis solidis. Cui laus & honor sine fine:
Atque tui, tibi crescat in arce, laboris olympi
Directi callis ductor, mercesque corona
Ingenitque tui quod sum pars vltima magni.

Marginalia: Eccles. 34. 24. Sine consilio nihil f. — Prou. 13. 10. & 16. — f. gaudio — I. Thoringiam. — f. vtque. — 1. Cor. 3. Hebr. 5. — f. potatis — C. esuis votum. — I. cuj. — C. I. valebant. — C. curbato. — C. apud — Ioan. 16. 24. — I. sidei q. — larga clemgentia. — C obtunsi. — f. directio ô callis ductor, id est, ô bone doctor & præceptor. Vel, qui sum.

EPISTOLA XCIX.

Domino beatissimo omnique honore nominando Lullæ Episcopo Cœna seruus seruorum Dei perpetuæ gratiæ salutem.

Acceptis tuæ beatitudinis, Pater excellentissime, litteris, multa sum lætitia delibutus, ita vt totis præcordiorum intestinis gaudens lachrymauerim: beatum mihi ac profuturum æstimans tanti patris perfrui amicitia, ideoque omni cordis auiditate tuam desiderabilem amplector pietatem, tua inhianter condelector charitate, ea potissimum causa, quia salutaria dilectionis præcepta diuinitatis, indita nobis rememorans, nec non & aliquandiu fautorem siue consiliarium adoptans laboribus nostræ paruitatis, quem misericors omnium bonorum largitor nobis, in te sua benigna prouidentia, vt credimus, præordinauit. Quapropter, dulcissime frater, in quascumque sanctæ pacis ditiones vocabis, lubens, festinus, gaudensque totus, plenus corde aduenio. Insuper plurimis obsecrationum lachrymis deprecor, vt nostri quantulamcumque in tuis sanctis orationibus habere memoriam digneris, semperque bene cœptæ pietatis promissa custodias quia perseueranti gloriosa retributionis impenditur corona, mercesque futuræ felicitatis in fine cuiusque operis spectatur. Illud vero quod de libris inquisisti marinis æstibus terram aduectantibus, omnino incognitum est. Cæterum libri Cosmographicorum nec dum nobis ad manum venerunt: nec alia apud nos exemplaria, nisi picturis & litteris permolesta. Iam sæpius mihimet perscribere destinaui, sed nondum potui scriptores acquirere. Forte tuis adiutus supplicationibus............

Sanctitatem vestram ad protectionem electæ Dominæ Rex Saluator conseruet in æuum. Scio Pater, quod illa, quæ, charitatis gratia missi, à te visa non sunt.

Viuendo felix Christi laurate triumphis.
Vita tua, secli specimen, charissime calo,
Iustitia cultor, verus pietatis amator,
Defendens vigili sanctas tutamine mandras,
Pascua florigeris pandens praedulcia campis,
Iudice centenos portans veniente maniplos.

Offerenda	}	Lullo Episcopo	viro	}	clarissimo.	

Marginalia: f. dulcitatis inclyta. — f. de libros in quo mare in terra aduectantibus vel delibris aduenientibus. In C. ponitur bis I. supra omnino incognitum, Z. in ipso textu, nisi quia falsum est. — Deest breui acquiram, vel simile quid. — C missi. — C. sanctos mandros.

EPISTOLA C.

B. LVLLI EPISTOLA, AD Pontificem Maximum.

Sancta, & regularia instituta Canonica auctoritate confirmata tam Episcoporum nostrorum venerabilium, quam etiam Domini nostri Regis *Pippini*,

consiliatorumque eius manifesta ratione scimus conseruanda. Quapropter charitati vestræ reticere non audemus, quod in parochiam nostram, contra ius Canonicum, à *VVillefritho* Presbytero, quidam adductus est Presbyter in alia ordinatus parochia, non consentiente antecessore meo sancto Bonifacio Archiepiscopo, neque me successore eius, qui & institutionis vestræ decreta contemnens, & in parochia nostra constitutus nostrum spreuit magisterium. Cognita enim canonum auctoritate, decreuistis, vt omnes Presbyteri qui in parochia sunt, sub potestate Episcopi esse debeant, & vt nullus eorum præsumat in eius parochia aut baptizare, aut Missas celebrare sine iussione Episcopi, & vt omnes Presbyteri ad Consilium Episcopi conueniant, quæ omnia facere contempsit prædictus ille Presbyter nomine *Enred*, & ideo secundum quod definistis, increpationis à me sententiam sortitus est. Sed cum nec ita emendatus pœnitere de præteritis voluit, nouissime secundum Canonicam institutionem vestram, excommunicatus est à me, & exinde à supradicto *VVillefritho* susceptus est, ac defensus. Vestra autem nunc de his charitas, quod rectum sit ac iustum iudicet, & non solum de iis, sed de omnibus quæ peruerse, male viuendo peregit, & hic manifestata reperiuntur. Abstulit enim mancipia & seruos de Ecclesiis sibi cōmissis *Vagenolphum* seruum nostrum, & duos filios eius *Regenolphum* & *Amanolphum*, & vxorem eius *Leobthrute*, & filiam eius *Amalthruthe* tradidit eos in Saxoniam contra equum vnum, homini nomine *Huelp*. quod ipse eos duxisset in Saxoniam. *VVillefrith* vero supradicti *Ragenolph.* filium transmisit vltra mare cum *Enredo*, & ipse eum dedit matri suæ in seruitutem. Seruū vero, & ancillam quos *Aobtrich* dedit ad Ecclesias nostras pro anima filij sui, supradictus *VVillefrith* abstulit atque rapuit furtim. Nomen serui *Theedo*, & nomen vxoris eius *Aetlind* : *Lindo* vero seruum nostrum *Enred* Presbyter tradidit puero *Aldberehtes* de *Effernace* nomen *Vybit* contra equum vnum : & *Erpunine* seruum nostrum aliis nescientibus furtim nocte abstulit cum nonaginta & IV. porcis, quem *Hredun* dedit ad Ecclesiam nostram : & altera vice abstulit duos seruos nostros *Zeitolf* & *Zeizhelm*, & primo IV. boues nostros, secundo III. & nouissime VIII. vaccas cum VII. bobus. Iumenta vero VII. optima ætate. IV. annorum quæ dedit *VVenilo* ad Ecclesias supradictus *VVillefrith* abstulit, & multos alios equos inde nutritos, quos minauit ad *Hamulanburg*. De auro vero & de argento, quod dedit *Regenthryth* filia *Athulphi* ad Ecclesias nostras, duas armillas aureas & V. siglas aureas valentes pretio trecentorum solidorum, & aliorum fidelium virorum ac mulierum pretia *Enred* abstulit ab Ecclesiis supradictis, non solum in auro & argento, sed etiam in vestimento, & armis, & equis. Sed quia longum est vt per ordinem replicemus omnia, quæ rapta sunt Ecclesiis supradictis ac spoliatis, & quæ facta contra Canonica instituta sunt, vestro sanctissimo iudicio adscribimus emendanda.

permutando cum equo. Regenolphi. C. nostras supradictas. C. bouibus. f. ouibus. C. Iumentas optimas. C. nec quæ.

EPISTOLA CI.

Abbati sancto, vereque amico, iure ac merito honorando, diuina sanctimonia & religionis gratia repleto, Vuinfredo Egburg vltima discipulorum seu discipularum tuarum æternam in Domino sospitatis salutem.

CHaritatis tuæ copulam fateor dum per interiorem hominem gustaui, quasi quiddam mellitæ dulcedinis, meis visceribus hic sapor insidet. Et licet statim vt nacta sum, & ab aspectu corporali visualiter defraudata sim, sororis tamen amplexibus collū tuum constrinxero. Quamobrem, mi amande iam olim frater, nunc autem ambo pariter in Domino dominorum, Abba, atque frater, appellaris, quia postquam me separauit amara mors & crudelis illum, quem supra omnes alios amare consueueram, germanum meum Offerem, te pene omnibus cæteris masculini sexus, charitatis amore præferebam. Et ne diutius varie verba protelarem, non voluitur dies, neque nox elabitur vlla sine memoria magisterij tui. Idcirco crede mihi, Deo teste, quia te summo complector amore, & de te confido, & quod nunquam immemor sis illius amicitiæ quam cum fratre meo certum fuit habere. Ego autem, licet scientia tardior, & meritis vilior illo sim, tamen erga tuæ charitatis obsequium dispar non sum. Et quamuis temporum series ocyus currendo discreuerit, mœroris tamen nunquam me nebula atra deseruit: sed maiori spatio temporum maiora mihi addiderunt lucra iniuriarum, vt scriptum est. Amor hominis adducit dolorem: Amor autem Christi illuminat cor. Et postquam mihi simul charissima soror VVecchburg quasi inflicto vulnere, iteratoque dolore, subito ab oculis euanuit (cum qua adoleui, cum qua mihi idem nutricum sinus, vna mater ambabus in Domino) & dereliquit, Iesum testor, vbique dolor, vbique pauor, vbique mortis imago. Malui mori, si sic Domino auspici, cui arcana non latent, placuisset: vel tarda mors non tricauerit. Sed quid dicam nunc? Ante improuida, tandem nos amara mors, sed amarior diuisio separauit ab inuicem, illam, vt reor, felicem, me vero infelicem, quasi quoddam depositum huic sæculo seruire permisit. Sciens enim quantum amaui, quam nunc, vt audio, Romanus carcer includit, sed amor Christi, qui in eius pectore, viruit, floruitque, omnibus vinculis fortior, & validior est: & *perfecta charitas foras mittit timorem*: En ille inquam ille superi Rector Olympi ineffabili gratulatur tripudio, qui taliter te doctrina exornat diuina, & in lege eius die noctuque meditaris, & scriptum est. *Quam speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona!* Illa arduam viam & arctum graditur callem: Ego autem adhuc in infimis, lege carnali, ceu quadam compede, præpedita iaceo. Illa gratulabunda in iudicio futuro pariter cum Domino decantans, dicit: *In carcere fui, & visitasti me.* Tu autem in regeneratione, cum sederint duodecim Apostoli in sedibus duodecim, sedebis, & ibi quantos labore proprio acquisieris, de tantis ante tribunal æterni Regis, Dux futurus deauratus gaudebis. Ego autem adhuc in valle lachrymarum, vt meritum est, lugeo propria peccata, eo quod talibus me indignam fecisset Deus adhærere comitibus. Quapropter crede mihi, non sic tempestate iactatus portum nauta desiderat, non sic sitientia imbres arua desiderant, non sic curuo littore anxia mater filium expectat, quam vt ego visibus vestris frui cupio. Sed quia peccatis meis exigentibus & innumeris delictis aggrauata, vt hoc euenire queat, vt ab imminentibus periculis absoluta sim, in desperationem deducta sum. Idcirco ego peccatrix vestigiis Celsitudinis tuæ prouoluta, ex intimis præcordiorum penetralibus implorans à finibus terræ ad te clamaui, ô beatissime Domine, dum anxie requiret cor meum, vt in petra orationum tuarum exaltes me, quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie visibilis & inuisibilis inimici. Et ad consolationem immensi doloris, ad sedandam mœroris vndam, obsecro vt tuo suffragio mea fragilitas, quasi quibusdam sustentaculis, vt non prorsus corruat, fulciatur. Similiter supplex rogito, vt mihi aliquod solatium vel in reliquiis sanctis, vel paucula saltem per scripta beatitudinis tuæ verba destinare digneris, vt in illis tuam præsentiam semper habeam. Vale igitur prosperis successibus viuens Deo, terque quaterque interpellans pro me.

Ego autem similiter Ealdbeorcth pauperculus Christi, in Domino cum omni affectu saluto teque precor te, vt illius amicitiæ, quam olim spopondisti, in tuis

L. dulcedine. C. L. I. ast dū. C. L. I. interim nacta. L. pariter Dominus Abba atque. L. Postquam. L. Offerem. C. voluitur. L. memoria. apud veterum aliquem ex Can. &c. C. I. deducit. L. Vuecthurga. C. I. adoraui. L. me adoleuit. f. tardasset. C. Romana carcer. L. Romanæ vrbs carcere. sup. leg. 36. 1. Ioan. 4. 18. Isai. 52. Rom. 10. C. L. arduam & arctā. Matth. 19. L. decoratus. L. abest vt. C. fruere. L. & hoc eu. posset. L. pater. L. quam anxie. C. I. exaltabis. L. Caldbeorct.

dificatis orationibus recorderis; & licet corpore ſeparemur, tamen recordatione jungamur.

EPISTOLA CII.

Domino vere beato, atque omni officio charitatis venerando, Lullo gratia Dei Epiſcopo, Vigberth Presbyter veſter fidelis ſeruus, optabilem in Chriſto ſalutem.

VEſtris orationibus, meritiſque ſuffragantibus, vt credimus, & pro certo ſcimus; proſpera nobis terræ mariſque itinera, poſtquam à vobis iteramus, Dei clementia conceſſit, amicoſque & propinquos ſanos & incolumes inuenimus, benigne ſuſcipientes omnia neceſſaria tam in poſſeſſionibus agrorum quam in jumentis & pecoribus, aliiſque ſupellectilibus ſponte nobis tribuentes. Quod vſque hodie abſque vlla contradictione habentes, tuam ſanctam fraternitatem, quæ nos ſemper & adjuuare & conſolari conſueuerat, rogamus & obſecramus, vt videas & conſideres quid nobis vtilius agendum ſit. Omnia enim tibi nota ſunt: & hoc illud, quicquid tibi bonum videtur, hoc me fateor læto animo feciſſe, & tuum ſalubre conſilium in nullo ſpreuiſſe. Si tibi videtur, vt ad vos pergamus, vtiles, vt credimus, viri, & vt aiunt, boni in noſtro deſiderant eſſe comitatu.

(C. agnorum.) (C. ſint.)

Sin autem aliud magis placet, tamen, cum noſtro ſermone & conſilio ſi vobis ſic videtur, viſitare vos deſiderant. De qua re quid tibi videtur fac ſciamus. Sed quid magis moror, cum litteræ tuę vſque ad nos veniunt, quas, vt iſti præſenti portitori litterarum mearum tribuas, obſecramus. Quicquid in illis juſſeris, aut ſuaſeris, Deo permittente, & vita comite libenter faciemus. Multum jam vitæ noſtræ fluctuando & negligendo, quaſi extra nos fuſi, peregimus, tandem aliquando vt ad noſmetipſos redeamus, neceſſe eſt, ſcientes ſcriptum, quod *qui ſeminat in lachrymis, in gaudio metet*: & ideo vitæ noſtræ quod reſtat, cum veſtro conſilio tranſcurrere curamus.

(C. faciamus.) (C. deo ſuaſeris Deo.) (Pſ. 125. 5)

De cætero autem ſi in regione gentis noſtræ, id eſt, Saxonum aliqua janua diuinæ miſericordiæ aperta ſit, remandare nobis idipſum curate quam multi, cũ Dei adjutorio, in eorum auxilium feſtinare cupiunt. Omnia iſta quæ longo ſermone perſtrinximus tu mente peruigili, quid melius agendo ſit, pertracta, & litteris intimare tua ſancta almitas non pigeat. Vale.

(C. Saxanorũ f. quia multi.)

Ego *Hretun* dudum aliquid vobiſcum; nunc autem his poſitus ſcribens, legens, docenſque quod legi, multum vos ſaluto, obſecrans; vt eo animo erga me ſitis, quo & ego circa vos ſum poſitus. Saluta omnes qui amant Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

(C. aliquod, autem quod, vel pro his.)

EPISTOLA CIII.

Reuerendiſſimo & in Chriſto chariſſimo fratri Lullo Epiſcopo, Bregoeinus ſeruus ſeruorum Dei, perpetuam in Chriſti nomine ſalutem.

DIes multi elapſi ſunt, ex quo ſolicitus præoptabam, vt, Deo fauente, tandem aliquando proſperumiter legatarij noſtri perueniendi ad beatitudinem veſtram inuenire potuiſſent; quia per hos, ſcilicet proxime decurrentes priores annos, plurimæ ac diuerſæ inquietudines apud nos in Britanniæ, vel in Galliæ partibus audiebantur exiſtere; & hoc videlicet, noſtrum deſiderabile propoſitum ſæpius impediuit, & perterrendo valde prohibuit de noſtris aliquos ad vos

A dirigere per tam incertas tamque. .... crebris infeſtationibus improborum hominum in prouincijs Anglorum, ſeu Galliæ regiones. Nunc vero pace ac tuitione nobis à Principibus indubitanter vndique promiſſa, miſimus ad veſtram venerabilem fraternitatem hunc præſentem fratrem iſtarum præſentium litterarum bajulum, *Hildeberehtum* nomine, reminiſcens videlicet qualiter inter nos in ciuitate Romana, de amicitiæ cõuentione colloquium habuimus, quod etiam nos ſeruare omnimodis confitemur. Quapropter & ego nunc in tuæ beatitudinis amicitia confiſus, vt ſecundum quod anteceſſores noſtri inter ſe facere non ceſſarunt, ita etiam & nos facere ſimiliter adoptamus, mittentes verba ſuauiſſima ſalutationis & pacis, vt Euangelicus ſermo impleatur in nobis, quod eius eſſe diſcipuli mereamur, ſi dilectionem habuerimus ad inuicem.

(C. incertam infeſtationib. regiones.) (Ioan. 13. 35.)

Ideirco tibi indicare curauimus, nos miſiſſe veſtræ beatitudini parua quædam munuſcula, non parua ſiquidem charitate, id eſt capſam vnam ad officium B quidem ſacerdotale ex oſſibus fabricatam, ſalutationis tantummodo ac benedictionis cauſa, per *Ishardum* religioſum Presbyterum, vt ea quæ noſtra ſunt, benigne ſuſcipiatis, ſimiliterque & nos à vobis bona recipere optamus. Inſuper etiam, omnium fratrum chariſſime, pro certo hoc noſſe tuam amabilem deuotionem, Deo teſte, deſidero, quod tuæ ſanctitatis dilectionem in eundem charitatis locum, & fraternæ ſocietatis conſolatium libenter ſuſcipio, atque tenacius contineo, in quo videlicet beati Patris & prædeceſſoris tui Bonifacij ſemper inconcuſſa manſit, & permanet jugiter repoſita dilectio: vt inter nos quoque & noſtros deinceps familiaris ac ſpiritalis amicitia tam ad animarum noſtrarum remedia in orationibus & Miſſarum celebrationibus quam ad huius vitæ quæque competentia fraternaque ſuffragia, fideliter perſiſtat. Et adhæc quoque quæ præmiſi, magnopere tua perfici dilectione deſidero, vt omnes quippe ſacer- C dotes Dei & familias Benedicti ac Beati Bonifacij martyris Chriſti, diligenter atque amabiliter ex meo ſalutes nomine, horteriſque pro nobis, quod & pro ipſis facere non deſiſtimus, omnipotentis Dei clementiam obnixis exorare precibus. De redditione vero præfatæ rei ſiue per verba fratris noſtri, ſiue etiam per litteras tuæ fraternæ pietatis, nos certiorare jubeto.

(f. non parua tamen.)

Omnipotentis Dei pietas ſua nos protectione muniat, & ad vtilitatem plurimorum ſanctitatis veſtræ ſinceriſſimam charitatem iugiter in perpetuum conſeruare & cuſtodire dignetur.

Diem vero depoſitionis religioſæ Chriſti famulæ *Buggan* celebramus, quæ fuit honorabilis Abbatiſſa: D cuius etiam dies depoſitionis fuit VI. Cal. Ian. Rogauit me obnixe dum adiuiueret, vt hoc veſtræ beatitudini tranſmitterem. Et ſicut ſperauit & credidit, ita facere curate, quoniam illius pater atque patronus fuit in Chriſto *Bonifacius* Epiſcopus.

EPISTOLA CIV.

Domino excellentißimo Pippino Regi Francorum, Bonifacius Episcopus in Domino salutem.

CElsitudinis vestræ clementiæ magnas gratias agimus, & Dominum Iesum Christum precantes vt vobis in regno cœlorum æternam mercedem retribuat, eo quod petitiones nostras clementer exaudire dignati estis, & senectutem meam atque infirmitatem consolari. Nunc autem gloriose fili, cognoscas, quia per misericordiam Dei credo, quod possim in seruitio vestro iterum esse. Propterea petimus vos, vt nobis indicetis, si ad placitum vestrum debeamus venire, vt vestram voluntatem perficiamus. Quidam seruus Ecclesiæ nostræ, & ipse mendacissimus, qui nos arte fugiebat, Ansfrid nomine, veniens ad nos cum indiculo vestro, rogans vt ei iustitiam faceremus, misimus illum ad vos cum ipsis litteris cum misso nostro, vt cognoscatis quia mentitus vobis est, petentes vt nos pro mercede vestra defendatis contra tales falsarios, & eorem mendaciis non credatis. Valete in Deo semper.

1. placitum istum.

EPISTOLA CV.

Spiritalis affinitatis necessitudine copulando fratri Archiepiscopatus infula sublimato Coepiscopo Cuberthe, Bonifacius Legatus Germanicus Catholicæ, Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, optabilem in Christo charitatis salutem.

SCriptum est in libro Salomonis *Beatus homo, qui inuenit amicum,* cum quo possit loqui, quasi cum semetipso. Cum muneribus munificentiæ vestræ dulcissimas litteras fraterna charitate interlitas, magnas Deo & vobis gratias agentes, filio vestro Diacono Cneberttho offerente, suscepimus. Viuæ vocis quoque melliflua colloquia vestra de fraternis consiliis per illum nobis charitas vestra mandauit, quæ consiliorum spiritalia colloquia optamus, vt Deo volente, quamdiu in hac mortali vita viuamus, inter nos iugiter insinuentur, illo præstante, à quo solo sancta desideria, recta consilia, & iusta sunt opera: Vos melius & plenius quibus Deus donauit multis & prudentius nosse & melius & plenius posse: nos quasi in paucis fideles vestri & deuoti, studeamus instrui aureo cœlestis amoris vinculo, quod rumpi non potest, inuicem catenati. Nã labor nostri ministerij, vnius & eiusdẽ causæ esse dinoscitur: & æqualis speculatio in curis ecclesiarum siue populorum nobis credita est, siue in docendo, siue in arctando & monendo, siue in defendendo canonicos gradus vel plebeios. Idcirco humillime vt illa insinuauerit, similia faciamus. Maior enim nobis solicitudo Ecclesiarum & cura populorum propter pallia credita & recepta, quam cæteris Episcopis, qui proprias tantum procurant parochias incumbit. Propterea, charissime, non quia vestræ prudentiæ opus sit rusticitatis nostræ statuta audire vel legere, sed propter bonam & humilem & sanctam voluntatem vestram, putamus vos libentius scire velle, quam nescire, quæ hic sacerdotes nobiscum seruanda decreuerunt; vobis emendanda & corrigenda destinamus. Decreuimus autem in nostro synodali conuentu, & confessi sumus fidem Catholicam, & vnitatem, & subiectionem Romanæ Ecclesiæ, fine tenus vitæ nostræ, vel seruare: sancto Petro, & Vicario eius velle subiici: Synodum per omnes annos congregare: Metropolitanos pallia ab illa sede quærere: &, per omnia, præcepta Petri canonice sequi desiderare; vt inter oues sibi commendatas numeremur. Et isti confessioni vniuersi consensimus, & subscripsimus, & ad corpus sancti Petri Principis Apostolorum direximus, quod gratulando Clerus &

Eccl. 25. 12.
I. Cynebertho.
I. Cyndebertho.
Id est. Vos quibus donauit Deus melius nosse multis seu quod norint multi.
C. Auro.
f. hortando.
C.I. humillimam ab ille.
C. Destinamus.
I. sanctæ Ro.
NB.

A Pontifex Romanus suscepit. Statuimus, vt per annos singulos canonum decreta & Ecclesiæ iura, & norma regularis vitæ in synodo legantur, & recuperentur. Decreuimus, vt Metropolitanus, qui sit pallio sublimatus, hortetur cæteros, & admoneat, & inuestiget, quis sit inter eos curiosus de salute populi, quisve negligens seruus Dei. Venationes & syluaticas vagationes cum canibus, & ne accipitres & falcones habeant, prohibuimus. Statuimus, vt per annos singulos vnusquisque Presbyter Episcopo suo, in quadragesima, rationem ministerij sui reddat, siue de fide Catholica, siue de baptismo, siue de omni ordine ministerij sui. Statuimus, vt singulis annis vnusquisque Episcopus parochiam suam circumeat, populum confirmare, & plebem docere, & inuestigare, & prohibere paganas obseruationes, vel omnes spurcitias Gentilium. Interdiximus seruis Dei ne pompato habitu, vel sagis, vel armis vtantur. Statuimus, quod proprium sit Metropolitano, iuxta canonum statuta, subiectorum sibi
B Episcoporum inuestigare mores, & solicitudinem circa populos, quales sint. Et moneat, vt Episcopi à synodo venientes, in propria parochia, cum Presbyteris & Abbatibus conuentum habentes præcepta synodi seruare insinuando præcipiant: Et vnusquisque Episcopus, si quid in sua diœcesi corrigere vel emendare nequiuerit, itidem in synodo coram Archiepiscopo, & palam omnibus ad corrigendum insinuet, eodem modo, quo Romana Ecclesia nos ordinatos cum sacramento constrinxit, vt si Sacerdotes, vel plebes à lege Dei deuiasse viderim, & corrigere non potuerim, fideliter semper sedi Apostolicæ & Vicario sancti Petri ad emendandum indicauerim. Sic enim, ni fallor, omnes Episcopi debent Metropolitano, & ipse Romano Pontifici, si quid de corrigendis populis apud eos impossibile est, notum facere; & sic alieni fient à sanguine animarum perditarum.

C.recuperentur. f.recitentur. I.L. seruus Dei Venationes. C Donationes. f. seruis Dei venationes vel. Diuinationes. C vt pompato habitu. I L qualis sit.

C De cætero, frater charissime, quia nobis æqualis labor, & maius periculum imminet, quam cæteris sacerdotibus, quia canones antiqui præcipiunt, vt omnes Metropolitani sciant solicitudinem totius prouinciæ gerere: & (vt verbi gratia dicam, sicut timeo) nauem gubernandam inter fluctus feri maris semel suscepimus, quam nec caute regere, nec sine peccato dimittere valemus, quia, vt quidam sapientium dicit: Si periculosum est nauem, inter fluctus caute non regere, quanto periculosius est eam vndis, tumescentibus fluctuantem in tempestate relinquere? Et idcirco, Ecclesia, quæ velut nauis magna per mare mundi huius enauigat, quæ diuersis tentationum fluctibus in hac vita tunditur non est tamen relinquenda, sed regenda. Cuius rei in exemplo priores Patres habemus Clementem, & Cornelium, & cæteros complures in vrbe Roma, Cyprianum in Carthagine, Athanasium in Alexandria, qui sub Paganis Imperatoribus nauem Christi, imo charissimam sponsam eius, Ecclesiam scilicet, docendo, defendendo, laborando,
D & patiendo vsque ad sanguinis effusionem, gubernabant; Possum enim de memetipso pro certo iuxta vocem Cantici Canticorum dicere, *Filij matris meæ pugnauerunt contra me: posuerunt custodem in vineis, vineam meam non custodiui. Vinea* enim, secũdũ Prophetã, *domus Domini Sabaoth, domus Israël est:* nunc videlicet Ecclesia Catholica esse comprobatur. Cuius synodum congregãdam & hortandam iussu Pontificis Romani; & rogatu Principum Francorum & Gallorum, sub spe restaurandæ legis Christi, suscepi, circumfodi, cophinum stercoris apportaui: sed non custodiui. Cum autem expectarem vt faceret vuas, fecit labruscas. Et iuxta alium Prophetam: *Mentietur opus oliuæ, & campi non facient escas.* Sed proh dolor! officium laboris mei rerum collationem simillimum esse videtur cani latranti, & videnti fures & latrones frangere, & subfodere, & vastare domũ Domini sui, & quia defensionis auxiliatores

C. Metropolitanum.
Cant. 1.
Isa. 5. v. 7.
I. secundum Naum.
L. Isa.
v. 4.
Abac. 3. 7.

tores

reſtonhabeat, ſubmurmurans ingemiſcat & lugear. Nunc autem, quod mihi in tali periculo poſito iuſtum & cautum eſſe videtur, ſalubre conſilium veſtrum quærens, & ſcire deſiderans, inſinuo libertatem prædicandi: dico, vt in Actibus Apoſtolorum Paulus Apoſtolus ſacerdotibus intimauit dicens: *Conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum ab omnium ſanguine. Non enim ſubterfugi quo minus annunciarem vobis omne conſilium Dei. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſibi ſanguine ſuo.* Regnum, inquit, Dei inter vos ambulans prædicaui, vt me alienum ab omnium perditione ſeruarem. Nam Apoſtolus *Epiſcopum*, Propheta *Speculatorem*, Saluator mundi *Paſtorem Eccleſiæ* ſacerdotem appellat: & omnes tacentem peccata populi doctorem, ſanguinis animarum perditarum ſub ſilentio eſſe comprobant. Propter hoc horribilis, & maxima neceſſitas cogit, vt, iuxta dictum Apoſtoli, nos formam debeamus exhibere fidelibus, hoc eſt, niſi me fallat opinio, ità iuſte viuendum doctori, ne dicta ſua repugnantibus factis euacuet, & ne cum ſibi de proprio caute viuat, tacens alieno damnetur peccato, quia ad hoc eſt Eccleſiæ Dei præpoſitus, vt non ſolum bene viuendo alios exemplo inſtituat, ſed etiam fiducialiter prædicando ſingulis ante oculos peccata ſua conſtituat: & quæ pœna habeat duros, & quæ gloria obedientes oſtendat, quia, iuxta verbum Domini ad Ezechielem, cui diſpenſatio verbi commiſſa eſt, etiam ſi ſancte viuat, & tamen perdite viuentes arguere aut erubeſcat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierint, perit. Et quid ei proderit non puniri ſuo, qui puniendus eſt alieno peccato? Taciturnitatem quidem ſacerdotis Dominus ad Ezechielem loquẽs terribiliter prohibet, & ſpeculatorem ſacerdotem appellat, vt ſicut ſpeculatoris eſt de loco altiori plus omnibus contemplari: ita Sacerdos debet eſſe meritorum ſublimitate celſior, & maioris ſcientiæ habere gratiam, qua poſſit cæteros inſtituere.

Audiens, inquit diuinus ſermo, *ſermonem annunciabis iis ex me.* Indicat, vt hoc dicat Sacerdos, quod ex diuina lectione didicerit, quod illi Deus inſpirauerit, non quod humani ſenſus inuenerint. *Annunciabis iis*, inquit, *ex me*, non ex te: mea verba loqueris, non eſt quod ex his, tanquam de tuis infleris, *Ex me*, inquit, *eis annuntiabis. Si me dicente impio*, Impie *morte morieris, non fueris locutus, vt ſe cuſtodiat impius in via ſua, ipſe impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem vero eius de manu tua requiram.* Ac ſi aperte dicat: Si peccata ſua non annuntiaueris, & ſi eum non argueris, vt conuertatur & viuat, & te, qui eum non increpaſti, & eum, qui te tacente peccauit, flammis perennibus tradam. Non ſimus iam ſaxei, vel tam ferrei pectoris, vt nos iſta verba Domini non terreant. Non ſimus tam alienati à fide, vt iſtis verbis Domini non credamus: ſed excitemus, & exhortemur fratres noſtros venerandis verbis ſancti Petri Apoſtoli: *Sobrij eſtote, & vigilate, & excitamini, quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem deuoret: cui reſiſtite fortes in fide, ſcientes eandem paſſionem, quæ in mundo eſt veſtræ fraternitati fieri.* Et Epiſcopos ſynodi noſtræ ſubiectionis, adiuratione ſancti Pauli Apoſtoli admoneamus Timotheo dicentis: *Teſtificor coram domino Ieſu Chriſto, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos, per aduentum ipſius, & regnum eius. Prædica verbum, inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina.*

Erit enim iam prædictum ab Apoſtolis tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinent: Sed ad ſua deſideria coaceruant ſibi magiſtros, &c. Clamemus in fortitudine, iuxta dictum Prophetę, quia annuntiamus pacem in terris hominibus bonæ voluntatis. Ille namque in fortitudine clamat, quem nec metus, nec verecundia prædicare verbum vitæ impedit. Contendamus, auxiliante Domino, vt non ſimus inter illos falſos paſtores ouium, quos Propheta accuſat dicens: Hæc dicit Dominus Deus: *Væ Paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos. Nonne greges paſcuntur à paſtoribus? Lac comedebatis, & lanis operiebamini: quod craſſum erat, occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis: quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, quod ægrotum, non ſanaſtis: quod fractum eſt, non alligaſtis: & quod abiectum, non reduxiſtis: quod perierat non quæſiſtis: Sed cum auſteritate imperabatis, & cum potentia: & diſperſæ ſunt oues meæ, eo quod non eſſet paſtor: & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri.* Væ, quod Propheta dicit, pro maledicto poſuit. Per paſtores, Epiſcopos ſignificat: greges Domini, id eſt, fideles populos ad paſcendum. Sed ſemetipſos paſcunt, qui non populi ſalutem, ſed ſuas voluntates attendunt. Lac & lanas ouium Chriſti, oblationibus quotidianis ac decimis fidelium, ſuſcipiunt, & curam gregis Domini deponunt. Non ſanant ſpiritali conſilio infirmum peccatis: non ſolidant ſacerdotali ope diuerſis tribulationibus fractum: non reuocant erroneum ad viam ſalutis: non requirunt ſolicitudine paſtorali veniæ iam deſperatione perditum: nec afflictos contra violentiam potentum, qui in eos, ferarum more, deſæuiunt, defendunt: nec diuites peccantes vel potentes non ſolum non arguunt, ſed etiam venerantur. Et ideo minaciter ſuperbiam talium ſermo diuinus contundit dicens: *Væ paſtoribus Iſraël.* Et iterum. *Propterea paſtores audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus: Ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare eos faciam, vt vltra non paſcant gregem, nec paſcant amplius ſemetipſos.* Quod quid eſt aliud, quam paſtores, qui ſemetipſos non greges paſcunt, de ſublimitate honoris inter reprobos & inter maledictos proiiciam? Sed hæc omnia, quis non tremiſcat, niſi qui futura non credit: Omnia, quæ Deus voluit obſeruari, tam aperte poſuit, & ſui nominis auctoritate firmauit, vt ea facilius (quod dictu quoque nefas eſt) contemnamus, quam nos non intelligere tam aperta & diuina, mentiendo, fingamus. Quomodo audiuimus, *Hæc dicit Deus?* quis futurum eſſe non credat quod dicit Deus, niſi qui in Deo non credit? Horum & his ſimilium conſideratione perterritus ſum: & timor & tremor venerunt ſuper me: & pene contexerunt me peccatorum meorum tenebræ, & ſemel ſuſceptum gubernaculum Eccleſiæ libuiſſet & placuiſſet mihi omnino dimittere, ſi valerem, vel exempla Patrum, vel Scripturas ſacras conſentaneas inuenire.

Idcirco Frater chariſſime, quia hæc omnia ita ſe habent, & veritas fatigari poteſt, vinci autem & falli non poteſt, fatigata mens noſtra confugiat ad illum, qui per Salomonem dicit: *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo & ne innitaris prudentiæ tuæ in omnibus viis tuis. Cogita illum & ipſe diriget greſſus tuos.* Et alibi: *Turris fortiſſima nomen Domini.* Ad ipſam confugit iuſtus, & ſaluabitur.

Stemus in iuſtitia, & præparemus animas noſtras ad tentationem, vt ſuſtineamus ſuſtentationem Dei, & dicamus ei: *Domine refugium factus es nobis à generatione & progenie.* Confidamus in eum, qui nobis onus impoſuit. Quod per nos portare non poſſumus, portemus per illum, qui eſt omnipotens, qui dicit, *Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Stemus in prælio in die Domini, quoniam dies anguſtiæ & tribulationis venerunt ſuper nos.

Moriamur, ſi Deus voluerit, pro ſanctis legibus Patrũ noſtrorũ, vt hæreditatem cum illis æternam conſequi mereamur. Nõ ſimus canes muti, nõ ſimus taciti ſpeculatores, nõ ſimus mercenarij lupũ fugiẽtes, ſed paſtores ſoliciti, vigilãtes ſuper gregẽ Chriſti, prædicãtes maiori ac minori, diuiti ac pauperi omne cõſiliũ Dei, omnibus gradibus vel ætatibus, in quãtũ Deus donauerit poſſe,

oportune, importune, eo modo, quo sanctus Gregorius in libro Pastorali conscripsit. Praeterea non taceo charitati vestrae, quia omnibus seruis Dei qui hic vel in Scriptura, vel in timore Dei probatissimi esse videntur, displicet, quod bonum, & honestas & pudicitia vestrae Ecclesiae illuditur, & aliquod leuamentum turpitudinis esset, si prohiberet Synodus, & Principes vestri mulieribus & velatis foeminis illud iter, & frequentiam, quam ad Romanam ciuitatem veniendo, & redeundo faciunt, quia magna ex parte pereunt, paucis remanentibus integris. Perpaucae enim sunt ciuitates in Longobardia, vel in Francia, aut in Gallia, in qua non sit adultera vel meretrix generis Anglorum: quod scandalum est, & turpitudo totius Ecclesiae. Ille autem qui laicus homo vel Imperator vel Rex, vel aliquis Praefectorum vel Comitum saeculari potestate fultus sibi per violentiam rapiat monasterium de potestate Episcopi, vel Abbatis, vel Abbatissae, & incipiat ipse vice Abbatis regere & habere sub se Monachos, & pecuniam possidere, quae fuit Christi sanguine comparata, talem hominem nominant antiqui Patres raptorem, & sacrilegum, & homicidam pauperum, & lupum diabolum intrantem in ouile Christi, & maximo anathematis vinculo damnandum ante tribunal Christi. De talibus memorare sancti Pauli Apostoli ad Timotheum dicentis: *Diuitibus huius saeculi praecipe non superbe sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui praestat omnia.* Talibus, si Ecclesiae correptionem non recipiunt, Ethnici & publicani sunt, nec viuis nec mortuis communicet Ecclesia Dei. Talibus, quoniam & hic & ibi reperiuntur, cum tuba Dei clangamus, ne tacentes damnemur. Superuacuam, & Deo odibilem vestimentorum superstitionem omni intentione prohibere stude: quia illa ornamenta vestium, (vt illis videtur, quod ab aliis turpitudo dicitur) latissimis clauis, vermium imaginibus clauata aduentum Antichristi, ab illo transmissa, praecurrunt, illius calliditate, per ministros suos, introducere intra claustra monasteriorum fornicationem, & luxuriam.

C. I videntur quod, honestas & pudicitiae. f. honestas pudicitia. C. I abest illuditur. C. I velamentum. L. deest. & velatis foeminis. L. luporum diaboli. 1. Ti. 6. 17. Matth. 18. C. Antichristi luxuriam.

EPISTOLA CVI.

Reuerendissimo fratri, imo dilectissimo consacerdoti optato Abba, & vniuersae sanctae congregationi sub cura illius regularis vitae normam custodienti Bonifacius, sine praerogatiua meritorum nominatus Episcopus, optabilem in Christo charitatis salutem.

VEnerandam sanctitatis vestrae clementiam intimis obsecramus precibus, vt nos indignos nobiscum in vnitate fraternae dilectionis & societatis spiritalis suscipere & habere dignemini, vt vna sit inter nos & fides mentium, & pietas actionum: & sicut Princeps Apostolorum Petrus hortatur dicens: *Ante omnia mutuam in inuicem charitatem habete, & quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Et ipsa veritas dixit: *In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Et similiter Paulus Apostolus admonet dicendo: *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Et alibi. *Finis enim praecepti est charitas de puro corde, & conscientia bona, & fide non ficta:* & vt vestra fraternitas in spiritali regulariter vita viuens in pacifica tranquillitate fraternae concordiae pro nostra fragilitate exorare dignetur, vt *sermo Domini currat & clarificetur*, vt iuxta dictum Apostoli *liberemur ab importunis & malis hominibus*, & a tentationibus malignorum spirituum, & tribulationibus aduersariorum, vt lux Euangeliorum gloriae Christi & via vitae, quam populis & gentibus ostendere & ipsi pergere debemus, nobismetipsis non obtenebrescat nec abscondatur. Diligenter quoque deprecamur, vt familiaritas fraternae charitatis inter nos sit, & pro viuentibus oratio communis, & pro migrantibus de hoc saeculo orationes & Missarum solemnia celebrentur, cum alternatim nomina defunctorum inter nos mittentur. Interea si quid fraternitas vestra nobis mandare ad perficiendum vel ad dicendum dignata fuerit, voluntatis vestrae desiderium in omnibus adimplebimus. Agite ergo de hac petitione nostra vt in alto caelorum culmine mercedis vestrae praemia in superna curia Angelorum clarescant & crescant. Longaeuam, ac valentem, & almis viribus proficientem, & suauissimis operum & verborum floribus odorantem beatitudinem vestram perenniter Saluator mundi custodiat.

1. Pet. 4. Ioan. 13. Galat. 6. 2. Rom. 13. 1. Ti. 1. 5. 2. Thess. 3. 2. Tim. 11. 1. Pro mortuis preces, ac Missae. C. adoramentum.

EPISTOLA CVII.

RECLAMATORIA EPISTOLA.

In nomine Domini nostri Iesu Christi, Hludovvigus magnus Imperator.

DOminationi vestrae Domine mi quod loqui non audeo, sed pro magna necessitate mea peto sanctitatem vestram, ego *Attotam* indignus presbyter & de natiuitate mea seruus vester sum, modo peto sanctitatem vestram, vt dignetur consolationem vestram in me peccatore impendere, quia non habeo refugium vllum nisi ad vos, & vbi tota gens refugium habet. *Fortuninus* clericus habet Ecclesiam vnam in comitatu *Erkengarii*. Deinde hortauit me *Fortuninus* cantare in illa Ecclesia, & super omnia habere debuissem medietatem de illa decima. In eo modo sic seruiui ad illam Ecclesiam, annum & dimidium, quo nihil inde accepi. Vnde nos conuentionem habuimus. Postea rogaui illum partē meam de illa decima, & ille exarsit nimio furore in animo suo super me, & venit per noctē super me cum parentibus suis *Albrico* & *Kebahardo* & *Vuolframmo* sic flagellauerunt me vsque dum vix animam dimiserunt in corpore meo. Ego miser miserrimus petiui Dei misericordiam, & sanctum remedium, & reclamaui per nomen vestrum, & illi dixerunt. Nec sancti, nec homo vllus me liberare debuisset de manibus eorum. Postea traxerunt me ad altare sancti *Remedi* & fecerunt me iurare stabilitatem ad illam Ecclesiam, & aliud sacramentum fecerunt me iurare, vt non debuissem è diebus meis reclamare me ad vestram pietatē, nec ad missum vestrum vt mihi fecissent iustitiam. Tunc petiui iustitiam meam ad illos, sed minime inueni, modo timeo in cōsecratione meam: timeo quod illi non timuerunt. Propter hoc deprecor sanctitatem vestram vt ad iustitiam meam valeam peruenire, quod non possum inuenire nec iustitiam, nec misericordiam apud illos, nisi per misericordiam vestram, & pro redemptione animae patris vestri, cui seruus antea fui.

f. quidem. C. si me.

EPISTOLA CVIII.

PRECATORIVM MEMORANDI fratrum Doctorum.

Sanctis & venerabilibus fratribus ill. praeposito, omnibusque sibi in Christo subiectis fratribus ex monasterio ill. in Christo salutem.

DIreximus itaque fratrum nostrorum super defunctorum nomina, vt eorum in vestris sanctis orationibus solito more memoriam habeatis, & ad caetera deinceps monasteria eadem nomina scripta dirigatis, sicut & nos facimus, quoties de vobis, siue de caeteris monasteriis, defunctorum fratrum nomina veniunt, hoc est, & reliqua.

Memorandi fratris, id est, memoriam faciendi. ill. vel est videlicet, vel N. N. vnde: sanctis orationes.

EPI-

EPISTOLA CIX.

Fratri & consacerdoti & meritis Domino charissimo Coena, summi pontificatus infula praedito, Lullus exiguus seruus seruorum Dei, perennem in Christo salutem.

SAnctitatis tuae reuerentiam humiliter obsecro, vt amicitiae inter nos olim in Christo copulatae & semel coeptę perpes reminisci digneris, ne veterascat, & obliuioni tradatur, quam coram Deo fideli sponsione pepigimus. Pro nomine enim Christi in contumeliis & tribulationibus gloriari, & exaltatione Ecclesiae eius nos oportet, quae quotidie tunditur, premitur, atque fatigatur, quia moderni Principes nouos mores nouasque leges secundum sua desideria condunt. Idcirco excellentiam tuam iugem precatricem, pro animae nostrae salute, subnixa prece flagitamus. Assiduis enim corporis aegritudinibus cum mentis anxietate cogor ex hac aerumnosa & periculis plenissima vita exire; redditurus pio & districto iudici rationem. Parua vero munuscula dilectioni tuae direxi, hoc est, pallam holosericam optimi generis per gerulum harum litterarum. Obsecro vt quemlibet horum librorum acquiras, & nobis mittere digneris, quos beatae memoriae *Beda* Presbyter exposuit, ad consolationem peregrinationis nostrae: id est, in primam partem *Samuelis* vsque ad mortem *Saulis*, libros quatuor, siue in Esdram & Nehemiam libros tres, vel in Euangelium Marci libros quatuor. Grauia forte postulo: sed nihil graue verae charitati iniungo.

Proficere sanctam excellentiam tuam ad vtilitatem sanctae Ecclesiae semper optamus.

Nomina fratrum & amicorum nostrorum tuae sanctitati commendantes de hac luce migrantium, haec sunt......

EPISTOLA CX.

Domino sancto ac beatissimo, mihique omni affectu semper charissimo Lulla gratia Dei Episcopo, Vigbercht exiguus familiae Christi famulus, immarcescibilem sempiternae sospitatis salutem.

MAgno etenim repletus sum gaudio, valdeque hilarescit animus meus, cognita à nonnullis tua beata sospitate, quamque Dei gratia concedente, vt semper habeas optamus, memoremque nostri esse in tuis sanctis orationibus, Dei gratia concedente, & vestris meritis, vt credimus, suffragantibus, sani & incolumes mare transiuimus, nostramque patriam peruenimus, vestraque dona Episcopis, Abbatibus, amicisque vestris sicut mandastis, obtulimus, & iuxta modulum nostri ingenij sermones vestros, voluntatemque vestram intimare curauimus. Illi autem fecerunt sicut erant edocti, humiliter, gratanterque omnia suscipientes, magnas gratias Christo Domino referentes, quod vestra sublimitas eorum paruitatem per dona, simulque & litteras visitare dignata est, vestramque communionem, & familiae vestrae instantiam orationum semper se habituros esse promittentes: nomenque tuum, vt charissimorum suorum, in Ecclesiis suis scribentes, memoriamque tui tam viuentis quam defuncti iugiter se facturos esse dicentes, epistolasque suas missuros scriptas, vt eis placet, promittentesque omnia quae longis sermonibus protrahimus, iste portitor harum litterarum melius tibi verbis intimare potest, quem vobis Presbyterum transmittere curaui-

A mus, credentes & confidentes, quod vtile vas sit in domo Domini, quem vt benigne & honorifice, si dignus sit, vestra sanctitas accipere & habere, quod noster & amicus, & propinquus est, dignata sit, obsecramus. Nos igitur, quod celare non possumus, amici & propinqui nostri isto anno à se relinquere nolunt, & ideo nuntios meos ad vus direxi, obsecrans vos humili supplicatione, per Domini misericordiam, vt & vota & sermones, quibus me vobis constrinxi, vestra clementia dignata sit absoluere: & per epistolam tuam, per nuntios meos reuertentes, quid agere debeam, insinues. Fateor enim tibi per Deum quod contra voluntatem tuam nulla dignitas saecli, nulla saecularis amicitia me hic vllo modo retinere potest, maxime quod te super omnes homines diligo Deus testis est. Si autem tibi bonum videtur & tua voluntas sit, vt ad vos citius redeam, Ecclesiae & ministerio, cui ante deseruiui, me dimittas, de vno rogo & obsecro. Amici mei, & propinqui & terram & haereditatem suam mihi promittunt, & dare disponunt, si hic cum eis permanere dispono. Sin autem, alienis permittere debent. Et ideo, mi Domine, per prudentiam tuam B & cor intelligibile, pertracta & considera, quid tibi bonum videtur & rectum, & illud, vt dixi, per litteras intima. Vita etenim comite, & Deo concedente, quod iubes, facere dispono. C. Digaum.

Orantem omnis beatitudinem vestram diuina misericordia in perpetuum custodire dignetur. Amen.

Ego *Herthum* quondam cognatus tuus, saluto te, multum rogans vt quicquid reprehensibilitei scriptum reperies, indoctae imperitiae ignoscas. Vtinam, si fieri potest, & si Dei voluntas sit, vt facie ad faciem videamus nos. Vale & memento nostri.

Macarius polaris aulae pantocrator clemens diu vos incolumes custodire dignetur. ὁ μακάριος ὁ παντοκράτωρ.

C

EPISTOLA CXI.

† *Sancto ac venerabili in Christo fratri Guthberto Abbati, Lullus exiguus seruus seruorum Dei, perennem in Christo salutem.*

CHaritas, quae desinere nescit, nuquam veterescit, interni ardorem ignis vix in se sola continere valet. Idcirco placuit nostrae mediocritati de tua sospitate cognoscere, vt tecum in Domino gratularer, vt scires, quae circa fragilitatem meam iusto iudicio Dei geruntur. Cogor enim continua corporis aegritudine de hac luce fugitiua, & valle lacrymarum, pio & districto iudici rationem redditurus migrare. Idcirco suppliciter obsecro, vt pro animae meae salute enixius Dominum deD preceris. Misimus etiam tuae dilectioni parua munuscula, vnam pallam holosericam. Petimus etiam vt ad consolationem non solum peregrinationis, sed etiam infirmitatis nostrae, libros à beatae memoriae *Beda* expositos, mittere digneris, de aedificatione templi, vel in Cantica Canticorum siue Epigrammatum heroico metro siue elegiaco compositorum, si fieri potest, omnes: Sin autem de aedificatione templi libros tres. Fortassis difficilis petitio, sed nihil arbitror esse difficile verae charitati.

Vsque ad decrepitam valeas aetatem cum omnibus, qui tecum Domino Deo deseruiunt.

Nomina quoque fratrum & amicorum nostrorum de hac luce migrantium tuę charitati commendantes quę sunt......

EPISTOLA CXII.

Domino beatissimo & speciali amore venerando Lullo Episcopo, ego Cinenulf Rex occidentalium Saxonum vna cum Episcopis meis, necnon cum caterua satraparum, æternam sospitatis in Domino salutem.

Satrapum.

C. Tibique testificantes.

TIbi restificamur, quod iuxta modum nostræ possibilitatis, quicquid tua sanctitas desiderauerit siue iusserit, libenter agere parati sumus, vt cum reuerendissimo & sanctissimo viro dei prædecessore tuo Bonifacio pepigimus, siue in orationibus Deo deuotis, seu in aliis quibuslibet rebus, in quibus humana fragilitas, Deo disponente mutuis alterutrum solatiis egere comprobatur: te pariter obsecrantes, vt pro nostra paruitate, proque pace congregationis nostræ, Domino supplicare cum eis, qui tecum inuocant nomen Domini Iesu, memineris. Istarum vero litterarum portitorem à vobis ante destinatum vestræ almitati committimus, quia fideliter vobis obedire in omnibus curauit.

Omnobis curabit.

Omnipotens Deus, qui dispersa congregat, & custodit, ipse vos sua gratia protegat, & vestri laboris fructum in æterna patria nos videre concedat.

EPISTOLA CXIII.

Domino, & Patri Riculfo Archiepiscopo, quem gratia æterni Regis perpetualiter ad salutem multorum, & Ecclesia Catholica defensionem conseruare dignetur, Amalardus & Ado, omnisque congregatio sancti Petri ex monasterio Hobach, in Domino Deo Saluatore nostro salutem præsumpsimus mittere.

f. excellentia. f. ne ibidem esset, neu. diuinū of. celebrare: & nescimus. C. nostra stipendia. C. non sit. Sanctarum reliquiarū cultus.

DE cætero notum sit pietati vestræ, quia in qu... Deus nos exaudire dignatur, oratores vestri incessanter sumus, & attentius esse cupimus. Comperiat siquidem..... magnitudinis vestræ, quia misimus Presbyterum nostrum, *Macharium* nomine, ad nostras Ecclesias, quę in vestra parochia sitæ esse videntur, vt ibidem, solito more, officium perageret. Sed dictum nobis ab eodem Presbytero fuit, quod auctoritatis vestræ magnitudo iuberet non ibidem eum esse officium diuinum celebraturum, quia nescimus si aliqua suggestio auribus pietatis vestræ à *Bernario* Episcopo peruenisset, quia idem Dominus *Bernardus* Episcopus misit ei vnum caballum pascere de nostro stipendio, vnde nos viuere debemus, nescimus si pro hac causa factum hoc sit. Nūc deprecamur, vt accepta licentia idem Presbyter à vobis, liceat ei Domino Iesu Christo & sanctorum eidem in loco reliquiis officium solito more persoluere, ne & domus Dei, & reliquiæ illius honor sic remaneant sine sacerdote, lumine, & officio. Nec nos non habemus illis in partibus sacerdotem, qui illud officium ibidem peragere possit, nisi istum. Ideo deprecamur vos, vt tale præceptum & licentia ei à vobis tribuatur, ne tamdiu sicut deprecati sumus, domus Dei, & reliquiæ illius honor sic, sicut modo remaneant.

Gratia Domini nostri Iesu Christi vos in præsenti faciat pollere, & in æterna beatitudine feliciter secum regnare.

f. in aurib. vel obtineant, obtineant.

Obtineant, obtineant, quæso, preces nostræ auribus pietatis vestræ, electe Dei, quatenus & aliorum profecta merces vobis magna reddatur à Domino Iesu Christo.

EPISTOLA CXIV.

Sanctissimo & in Christi membris dilectissimo, Patrique piissimo Otkero Archiepiscopo, Iatto humilis Vernaculus vester, & fidelis orator, summæ beatitudinis inuiolabilem atque immarcescibilem in Domino Deo nostro salutem.

OMnium huius virorum ordinis amantissime, atque mihi dulcissime, ne despicias exiguam petitionem fidelissimi oratoris tui; sed secundum immensam beneuolentiam ac solitam caritatem tuam, esto mei indigni memor, vt dum me Christus vocare iusserit, & vestræ intimatum fuerit mellifluæ caritati, prout visum fuerit, per vestros, meæ paruitatis animulæ hinc abeuntis, vel in hoc corpusculo commorantis memores esse dignemini. Nam si me Deus, quod non opto, superstitem vobis reliquerit, quantumque per me, siue per familiares meos amicos laborare sufficio, in orationibus studiose explere pro vobis satagam; & donec vtrisque Deus vitam hanc caducam concesserit, vestram almitatem mei indigni & peccatoris esse memorem rogo, quoniam ego vestri indefesse assidua & quotidiana prece memor ero, optime atque mitissime Pater. Nam si hæc dedignatus non fueris Domine dulcissime, valde meam exiguitatem lætificabis. Salutat vestram sanctitatem Dominus Abba noster, vna cum omnibus fratribus nostris, fidelissimis oratoribus vestris multum in Domino, & vestris sanctis orationibus oppido se commendant. Mittite mihi de pergameno bono ad vnum lectionarium perscribendum, & ad vnum Missalem Gregorianum, quem si, per vestrum adiutorium, perfecero, dum vixero semper vestri memor ero. Litteræ vestræ dignationis mihi per horum perlatorem veniant, vt norim, si adhuc vestra Almitas antiqui contubernij memor esse dignetur; iubeoque fidenter more solito, vt supra dictæ membranæ per præsentem fratrem nostrum mihi veniant.

Incolumem sanctitatis vestræ coronam ad perfectum suæ sanctæ Ecclesiæ Christus Deus noster semper & vbique conseruare dignetur, sanctissime atque amantissime Pater, Amen.

C. membrana.

EPISTOLA CXV.

RECLAMATORIA.

PIissimis auribus vestris, clementissime ac gloriose Imperator, non præsumptionis audacia, sed pro magna necessitate mea, suggerere conabor, qualiter à me peccatore & mea sorore, paterna hæreditas nostra erat primo elōgata & adhuc etiā abstracta. Et idem piissime Imperator & omniū indigentium misericordissime suffragator, multū indigemus patrocinio vestro, quatenus per misericordiā, ac eleemosynā vestrā, ad ipsam hæreditatē peruenire valeā, eo quod vllo modo aliter nobis ea restitui non valet, nisi per vestrā deuotissimā, sēperq; beneuolā iuste faciendi clementiā. His ita, Domine mi, vtcunque prædictis audire dignetur excellentia vestra reclamationē miseriæ nostræ. Fuit namque nobis, serenissime Imperator, pater nomine *Richart*, & patruelis nomine *Richolf*, ambo Saxones, & hæreditas eorum in ipsa extiterat Saxonia. Dū autē in seruitio patris vestri, felicis memoriæ Domini *Caroli* Imperatoris extiterūt, propinqui eorū atq; Pagenses, causa Christianitatis, furore se super eos turbantes, omnia quæ in domib. propriæ elaborationis habuerūt, cuncta raptim diripuerūt eo quod in fide Christianitatis velle eos persistere senserunt, & eam negare vllo modo noluerunt. Postea vero contigit vt Dominus Imperator patruelem meum *Richolf* miserit in missaticū super *Elbam* cum his

Euanuerũt litteræ quarum vidētur vestigia hæc nostrũ baipasito.

inferius scriptis, id est, ... com gotessedo, com ... A com. & ...... qui omnes vna ibidem fuerunt occisi, propter Christianitatis stabilimentum. Quo audito perrexit pater meus *Richart* nuntiare Domino Imperatori *Carolo*, & dum in illa via fuit, apprehensa est ipsa mater mea ab eisdem viris, qui illos præfatos missos antea interfecerunt, & inter manus fideiussorum commendatam reliquerunt, cæteraque omnia, quæ ibidem in sumptibus vel aliis quibuslibet rebus reperta sunt, secum per rapinam diuiserunt. Quod cum compertum fuit patri meo, transiuit latenter, & eam quasi furtim arripuit, fugitque cum ea in pagum, qui vocatur *Marsthein* in maternam hæreditatem suam, & sic mansit ibi, donec, ex iussione Domini Imperatoris, Saxones facta transmigratione de Saxonia per partes educti sunt, & tunc etiam temporis cum eisdem pater meus & mater educti fuerunt. Quibus vero eductis & in ipsa transmigratione per quanta qualibet spatia commorantib. à propria abalienati terra, de hac luce pater meus interueniente extremo die substractus est, & remansit sola mater mea, & ego, sororque mea, & adhuc Deo miserante, nos tres superstites existimus; non tamen peruenimus ad paternam hæreditatem nostram. Ideoque piissime Imperator, qui omnibus pauperibus etiam cunctis indigentibus stabile refugium pro Dei amore misericorditer impendere non cessatis, nobis quoque paterna hæreditate despoliatis pro vestra eleemosyna auxiliari sub hac reclamatione nostra vtcunque faciatis, & per fideles vestros idipsum inuestigare dignemini, vtrum iuste ad nos pertinere debeat an non, si tamen apud vestram sanctissimam decretum fuerit excellentiam. Multi enim testes de ipsis pagis super hac ipsa re adhiberi possunt, qui hanc rem bene sciunt, & eam detegere veraciter valebunt, ô clementissime ac serenissime Imperator.

C. miserunt, forte a preisæ geben.

EPISTOLA CXVI.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei Reuerendissimo, & sanctissimo, Otgario, Archiepiscopo.

QVod nos tanto amore ac beneuolentia diligitis, plus hoc vestra sanctitas, quam nostra merita faciunt, quod tamen maxime muneribus directis agnouimus, pro quibus maximas vobis gratias agimus, quia totum erga sedis Apostolicæ Præsulem, vt condecet, curatis impendere, cuius nos vicissitudinem, Deo volente, sanctitati vestræ supplere studemus. De corpore vero sancto, quod nobis humiliter vestra quæsiuit prudentia, quod dirigere non habuimus, quoniam cuncta sanctorum corpora prædecessores nostri nobiscum communiter detulerunt, & vnumquodque eorum Ecclesiis nouiter dedicatis, summa veneratione condimus. Proinde beneuolentiam vestram precamus, vt nobis spatium inquirendi diligentius præbeatis, quatenus corpus sanctum inuenire valeamus ad vestram complendam petitionem. Et si inuentum fuerit, vestra nobis credere dignetur industria, statim quod petistis, perficiemus. Modo vero illud non misimus, quia inquirentes nequaquam inuenire valuimus.

c. dicess. situd.

EPISTOLA CXVII.

Epistola reclamatoria ob Episcopum impetrandum Otgerum.

DOmino in Domino Dominorum optimo, victorique maximo *Hludoico* Imperatori gloriosissimo vitæ vita victoria, salusque continua longæuis temporibus per omnipotentem Dominum hæc omnia vobis stabilia. Litteras quidem humillimas summæ magnitudini vestræ adpræsentare suppliciter conamur, & probatissimam clementiam vestram appellamus, totus Clerus, omnisque plebs sub charissima dominatione vestra degens in parochia *Moguntiensis Ecclesiæ*: non hæc faciens per audaciam, neque per præsumptionem, sed propter nimiam necessitatem, quæ quotidie in ipsa parochia grassatur, absente diu & procul versante suo pastore. O Domine piissime, nonne vestra clarissima potestas, sanctissimaque voluntas in hoc se studio semper exercuit, vt Christi nomen clarificetur, colatur, atque ametur, & eius diuina potestas per fortitudinis vestræ constantiam multis terrarum locis innotescat? Vnde & probatissima solicitudo vestra laborare non cessat, vt Ecclesia Christi Domini nostri custodiatur, adunetur, regatur, tueatur, & à perfidorum doctrinis intrinsecus purgetur, & ad hoc studium cum magna deuotione satis prompti existitis ob impetranda præmia patriæ cœlestis & æternæ beatitudinis. Idcirco Domine quoniam talia circa Dei Ecclesias agitis, nolite obliuisci Ecclesiarum, plebisque in parochia nostra consistentium, ne diutius somno torpescant pastore carentes. Quapropter, clementissime Domine, precamur singuli quasi corporaliter dulcissimis pedibus vestris prouoluti, vt pastorem quem iam pridem vestra largissima concedente gratia suscepimus, eundem iterum pro eleemosyna vestra suscepturi gaudeamus, vt in ipsa sede super qua eum prudentissima sapientia vestra consedere fecit, Domino Christo, & Sanctis eius, vobiscum valeat deseruire, quatenus vestra miserante misericordia Ecclesia sancti Martini, Sanctique Albani Martyris Christi ab eo viduata non fiat, in quorum honore atque amore sicut optime nouit cautissima sapientia vestra, prius eum ibi disposuistis officio fungi sacerdotis. Scimus enim eum vobis esse in omnibus fidelem, beneuolum, humiliter subiectum, riteque benignum, & in eo maxime, libenterque laboraturum, quo valeat bene piissima Excellentia vestra in hoc tempore illæsa & existere, & in æterna beatitudine cum sanctis omnibus triumphās in cœlo gaudere. Sed quid digne nostra ex parte possumus obtendere contra sagacissimam sapientiam C vestram, dum nullus tam doctus, tamque idoneus prudentia sit, quem vestra non præcellat industria? Felix populus, felixque omnis clerus, qui tali Principe regitur, talique defensore gubernatur, protegitur. Hoc faciat Deus, & hoc addat, quatenus non solum magnitudo potestatis vestræ Principem vos esse ostendat, sed etiam instantia gubernandi domos Dei in laudem sancti nominis eius, protectorem & gloriosum triumphatorem longe lateque perficiat. His ita, Domine, vtcunque suppliciter prædictis, recordari deuotissimam clementiam vestram optamus de pastore nostro exiguo vestro famulo Orgero, intercedentibus his sanctis superius nominatis, vt sicut cœpistis, ita perficiatis, quatenus in sua sede, vestra concedente gratia, Deo & sanctis eius seruiat, vestramque orationem cum nobis omnibus die noctuque exerceat. Amen.

C. dominus.

D

Hactenus Cæsareum exemplar, in quo licet multa iis, quæ iam subiungentur, tempora ac dignitate inferiora sint, illius tamen neque immutare ordinem, neque omittere aliquid volui: factamque iam idem in Academia Ingolstadiensis Codice, quòad ea, quæ in Cæsareo desiderantur, suppeditabit. Suppeditat autem partim ea, quæ in Othloniana S. Bonifacii vita sunt apud Surium Tomo III. Henr. Canisium Tomo V. Antiq. & in Moguntiacorum rerum, lib. 3. partim quæ in Pontificum epistolis, & interdum etiam, quæ nusquam adhuc, quod sciam; edita. Est, autem eius Codicis initium Fidei à S. Bonifacio edita Professio.

Est 8oin annis, & in aliis obseruadum ab editis exemplaiib. discrimen, etiā deincep.

IN NOMINE DOMINI DEI ET SALVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI, Imperante Domino Leone à Deo Coronato magno Imperatore, Anno sexto, post consulatum eius anno sexto, sed & Constantino magno Imperatore eius filio, anno quarto, indictione sexta.

l. 1. vit c. 29. Moguht. p. 342.

PRomitto *ego Bonifacius*, gratia Dei Episcopus, vobis beato *Petro Apostolorum Principi*, Vicarioque tuo beato Papæ *Gregorio*, successoribusque eius, per *Patrem & Filium*, & *Spiritum Sanctum*, *Trinitatem inseparabilem*, & hoc sacratissimum corpus tuum, me omnem fidem & puritatem sanctæ fidei *Catholicæ* exhibere: & in vnitate eiusdem fidei, Deo cooperante, persistere: in qua omnis Christianorum salus, sine dubio esse comprobatur: Nullo modo me contra vnitatem communis & vniuersalis Ecclesiæ, suadente quopiam, consentire: Sed, vt dixi, fidem & puritatem meam atque concursum tibi, & vtilitatibus tuæ Ecclesiæ, cui à Domino Deo *potestas ligandi soluendique data est*, & prædicto Vicario tuo, atque successoribus eius per omnia exhibere. Sed & si cognouero Antistites contra instituta antiqua sanctorum Patrum conuersari, cum eis nullam habere communionem aut coniunctionem. Sed magis, si valuero prohibere, prohibeam: Si minus vero; fideliter, statim Domino meo Apostolico renunciabo. Quod si, quod absit; contra huius promissionis meæ seriem aliquid facere quolibet modo, seu ingenio, vel occasione tentauero, reus inueniar in æterno iudicio; vltionem *Ananiæ & Saphiræ* incurram, qui vobis, etiam de rebus propriis, fraudem facere, vel falsum dicere præsumpserunt. Hoc autem indiculum sacramenti, ego *Bonifacius* exiguus Episcopus, manu propria scripsi: atque positum supra sacratissimum corpus tuum, vt superius leguntur, Deo teste & iudice, præstiti sacramentum, quod & conseruare promitto.

Matt. 16. Ioan. 21. — Act. 4. 5.

Est hæc primain Cod. Ingolst. quam & suo aliæ deinceps sequuntur ordine.

EPISTOLA CXVIII.

Gregorius seruus seruorum Dei Bonifacio religioso Presbytero.

Greg. hic est secūdus l. vit. c. 22. Mog p. 336.

EXigit manifestata nobis religiosi propositi tui pie in Christo flagrantis intentio & approbata sincerissimæ fidei tuæ perlata relatio, vt ad dispensationem verbi diuini, cuius, per gratiam Dei, curam gerimus: te comministro vtamur. Experientes proinde, *te ab infantia sacras litteras* didicisse, profectusque indolem ad augmentum crediti cœlitus talenti, prospectu diuini amoris, extendere, videlicet, gratiam cognitionis cœlestis oraculi in laborem salutiferæ prædicationis ad innotescendum gentibus incredulis mysterium fidei, instanti conatu, expendere, collætamur fidei tuæ, & adiutores effici cupimus gratiæ prærogatæ: Id circo quia præmissi conatus pium affectum vsque ad Apostolicæ sedis, modesta prouisione, perduxisti consultum, vt membrum ex membro, proprii corporis caput requirens, motum mentis probares, capitisque arbitrio humiliter te submittens, eius directione iusto tramite properans solidari, compaginis plenitudo existas. Ideo in nomine indiuisibilis Trinitatis per inconcussam auctoritatem B. Petri Apostolorum Principis, cuius doctrinæ magisterii dispensatione fungimur, & locum sacræ sedis administramus, modestiam tuæ religionis instituimus, atque præcipimus, vt in verbo gratiæ Dei (quo igne salutifero, quem *mittere Dominus venit in terram*, enitere videris) ad gentes quascunque infidelitatis errore detentas properare, Deo comitante, potueris,

2. Timot. 3. — al. preuisi. — al. directioni. — al. soliditati. — al. magisteriis — Luc. 12

ministerium regni Dei; per insinuationem *nominis* Christi Domini Dei nostri, veritatis suasione designes: & per spiritum virtutis, & dilectionis, ac sobrietatis prædicationem vtriusque testamenti mentibus indoctis consona ratione transfundas. Disciplinam denique sacramenti (quam ad initiandos, Deo præuio, credituros, tenere studeas) ex formula officiorum sanctæ vestræ Apostolicæ sedis, instructionis tuæ gratia prelibata volumus vt intendas. Quod vero actioni susceptæ tibi deesse perspexeris, nobis vt valueris intimare curabis. Bene vale. Data idib. Maii, imperante Domino piissimo augusto *Leone*, à Deo coronato, magno imperatore, anno tertio imperii eiusdem, indictione secunda.

f. prælibatam, aut illibatam. — f. actione suscepta. — Leo. 11. al. c. 2.

EPISTOLA CXIX.

Viris magnificis filiis Asulfo, Godolauo, Vuilareo, Gundaneldo, & omnibus Deo dilectis Thuringis fidelibus Christianis Gregorius Papa. Mog. p. 346. l. 2. vi. c. 24.

INsinuatam nobis magnificæ in Christo fidei vestræ constantiam agnoscentes, quod Paganis vos compellentibus vos ad idola colenda, fide plena responderitis, magis velle feliciter mori, quam fidem semel in Christo acceptam aliquatenus violare: nimia exultatione repleti grates debitas persoluimus Deo nostro, & Redemptori, bonorum omnium largitori: cuius gratia comitante, ad meliora & potiora optamus proficere: & ad confirmandum fidei vestræ propositum, sanctæ *sedis Apostolicæ* religiosis mentibus adhærere, & prout opus poposcerit sacræ religionis è memorata sancta *sede Apostolica*, spirituali matre omnium fidelium, solatium quærere, sicut decet filios coheredes regni à regali parente. Ministerio quoque præsentis fratris charissimi Bonifacii, quem ad vos Episcopum consecratum in sorte prædicationis destinauimus Apostolicis institutionibus informatum ad instruendam fidem vestram in omnibus volumus, & hortamur obedientes ei consentire ad complementum in Domino vestræ saluationis.

Veterū Thuringorū in Christiana fide laus.

EPISTOLA CXX.

Gregorius seruus seruorum Dei vniuerso populo Thuringorum. Ib. c. 25. p. 347.

DOminus Iesus Christus, filius Dei, Deus verus descendit, homo factus est, pro nobis pati & crucifigi dignatus est, & sepultus, tertia die resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlos, discipulis etiam suis sanctis Apostolis ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus sancti*. Ipse enim credentibus in se vitam æternam promisit: Cupientes vos ergo in perpetuum nobiscum gaudere, vbi finis nulla est, nec tribulatio, nec aliqua amaritudo, sed gloria sempiterna: Ideo fratrem nostrum sanctissimum Bonifacium Episcopum ad vos direximus, vt nos habeat baptizare, & fidem Christi docere & ab errore ad viam salutis deducere: vt salutem habeatis, & vitam sempiternam. Sed vos ei omnibus obedite & sicut patrem vestrum, illum honorate & ad eius doctrinam corda vestra inclinate. Quia illum non pro lucro aliquo temporali conquirendo direximus: sed pro lucro animarum vestrarum, ad vos eum misimus. Diligite ergo Deum & in nomine eius baptismum suscipite, quia Dominus Deus noster, quod *oculus hominis nunquam vidit, nec in cor hominis ascendit*, præparauit diligentibus se. Iam recedite à malis operibus, & agite bene. Non adoretis idola, nec immoletis carnes, quia Deus non recipit ista: sed in omnibus, secundum quod vos frater noster Bonifacius docuerit, obseruate & agite, & salui eritis & vos & filii vestri in sempiternum.

Pontifex Romanus Thuringis per S. Bonifacium fidem Christi annunciat. — Matth. 28. — Is. 64. 1. Cor. 2.

cite ergo & domum, vbi debeat ipſe pater veſter Epiſcopus habitare, & Eccleſias, vbi orare debeatis, vt eus indulgeat peccata veſtra, & donet vobis vitam ſempiternam.

EPISTOLA CXXI.

Gregorius Papa vniuerſo populo prouinciæ Altſaxonum.

SApientibus & inſipientibus debitor ſum, fratres chariſſimi, volens vos ſcire qualem ſollicitudinem habeam pro vobis & pro his qui verbum exhortationis fidei Ieſu Chriſti Domini noſtri ſuſceperunt, & qui adhuc ſuſcepturi ſunt, *vt conſolentur corda veſtra inſtructa in charitate, & in omnes diuitias plenitudinis intellectus, in agnitionem myſterii Dei patris* IESV CHRISTI, (vt ait egregius Apoſtolus) *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi*: Hoc autem dico, quoniam *prope eſt regnum Dei*, vt nemo vos amplius decipiat in ſublimitate ſermonum, vt in quocunque metallo ſalutem B veſtram quæratis adorantes Idola manufacta, aurea, argentea, ærea, lapidea, vel de quacunque materia facta. Quæ falſidica numina à Paganis antiquitus quaſi Dii vocati ſunt, In quibus dæmones habitare noſcuntur, quoniam *omnes Dii gentium dæmonia ſunt* (vt ait ſcriptura, *Dominus autem Deus noſter cælos fecit*. Quicunque autem in vobis ſuſceperunt CHRISTVM IESVM Dominum noſtrum, in ipſo ambulent *radicati, & ſuperædificati & confirmati fide, abundantes in gratiarum actionem. Videte ne quis vos amplius decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciã. Aſtutiores enim ſũt filii tenebrarum quam filii lucis*. Diſcedite filii ab idolorum cultura, & accedite, & adorate Dominum Deum, *qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt*: & vultus veſtri non erubeſcent. Vnus enim Dominus hominum, volucrum, quadrupedum, & piſcium, qui eſt benedictus in ſæcula ſeculorum. *Expoliate ergo vos veterem hominem & induite* CHRISTVM *nouum, deponentes omnem iram, indignationem, malitiam, blaſphemiam. Turpem ſermonem nolite de ore veſtro producere*, ab idolorum cultura recedite. Iam C enim aduesperaſcit dies, nolite eſſe ocioſi, ſed potius operamini opus bonum vt Chriſtus habitet in vobis. *Et quodcunque facitis in verbo, aut in opere, in nomine Domini noſtri* IESV CHRISTI, *gratias agentes Deo, & Patri per ipſum*: reſpuentes Gentilitatis ſectam, ſcientes vos Dominum habere in cœlis. Orationi inſtantes ad ipſum cor erigite, quoniam *magnus eſt Dominus Deus noſter & laudabilis nimis, & terribilis ſuper omnes Deos, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire*. Hoc autem commoneo fratres, vt quicunque voluerit ex vobis ad CHRISTVM conuerti, nullo modo eum prohibeatis, neque vim ei faciatis ſculptilia adorare: quia ipſe CHRISTVS Dominus viuit cum Deo patre omnipotente, in vnitate Spiritus ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum Amen. Chariſſimi, fidelis miniſter & conſeruus in Domino, quem miſi ad vos *Bonifacium* fratrem ac Coepiſcopum meum, ad hoc ipſum D vt cognoſcat quæ circa vos ſunt, & conſoletur corda veſtra cum exhortationis verbo in CHRISTO IESV Domino noſtro, vt à diabolica fraude liberati mereamini adoptionis filiis aggregari, & vt ab æterna damnatione liberati vitam habeatis æternam.

EPISTOLA CXXII.

Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo fratri Bonifacio Coepiſcopo ad illuminationẽ gentis Germaniæ, vel circumquaque in vmbra mortis morantibus gentibus, in errore conſtitutis ab hac Apoſtolica Dei Eccleſia directo Gregorius ſeruus ſeruorum Dei.

MAgna nos habuit gratulatio lectis ſanctiſſimæ fraternitatis tuæ litteris, cum in eis, relecta ſerie,

A fuiſſet repertum Domini noſtri IESV CHRISTI gratia plurimos te à Gentilitate & errore ad veræ fidei agnitionem conuertiſſe. Quod quia diuina inſtitutione docemur in parabolis, cui quinque talenta credita fuerant, alia quinque fuiſſe lucratum, in talis commercii lucro eum tota plaudimus Eccleſia. Hic iure tibi ſacri pallii direximus munus, quod, Beati *Petri* Apoſtoli ſuſcipiens auctoritate, induaris: atque inter Archiepiſcopos vnus, Deo auctore; præcipimus vt cenſearis. Qualiter enim eo vtaris, ex mandato Apoſtolico informatus cognoſces, ita vt dum Miſſarum ſolemnia geris, vel Epiſcopum te contigerit conſecrare, illo tantummodo tempore eo vtaris. Quia vero turbas, Domini gratia, in eiſdem partibus ad rectam fidem aſſeris eſſe conuerſas, nequire te occurrere omnibus, & quæ ſalutis ſunt impendere, aut intimare, cùm iam longe lateque gratia CHRISTI, eius fides in illis partibus propagetur, præcipimus, vt iuxta ſacrorum Canonum ſtatuta, vbi multitudo creuit fidelium, ex vigore Apoſtolicæ ſedis, debeas ordinare Epiſcopos, pia tamen contemplatione, B vt non vileſcat dignitas Epiſcopatus. Preſbyter namque, quem præterito aſſeruiſti anno ad nos adueniſſe, noſtroque iudicio fuiſſe à ſuis nefariis abſolutum actionibus, credas, neque nobis confeſſiones aliquas fecit, nec à nobis vt ſuos expleat libitus, abſolutus eſt. Sed ſi eum errori deditum repereris, hunc Apoſtolicæ ſedis vigore, vt, iuxta ſanctorum canonum cenſuram, corrigas, præcipimus & emendes, vel ſi quos forſitan tales inueneris. Ille enim veniens, Preſbyter ſum, ait. Commendatitias apud filium noſtrum *Carolum* litteras expetiit. Nullam illi aliam conceſſimus licentiam, quem vitari, ſi praue conuerſatur, cum reliquis volumus. Eoſdemque quos à paganis baptizatos eſſe aſſeruiſti, ſi ita habetur, vt denuo baptizes *in nomine* TRINITATIS mandamus. Interea, agreſtem caballum aliquantos adiunxiſti comedere: pleroſque & domeſticum. Hoc nequaquam fieri deinceps, ſãctiſſime ſinas frater, ſed quibus potueris modis Chriſto iuuante per omnia compeſce, & dignam eis indicito pœ- C nitentiam; immundum enim eſt, atque execrabile. Pro obeuntibus quoque conſuluiſſe dinoſceris, ſi liceat oblationes offerre: Sancta ſic tenet Eccleſia, vt quiſque pro ſuis mortuis vere Chriſtianis offerat oblationes, atque Preſbyter eorum faciat memoriam. Et quãuis omnes peccatis ſubiaceamus, congruit vt ſacerdos pro mortuis Catholicis memoriam faciat, & intercedat. Non tamen pro impiis, quamuis Chriſtiani fuerint, tale quid agere licebit. Nam & eos, qui ſe dubitant fuiſſe baptizatos, annon, vel quià Presbytero Ioui mactante & immolatitias carnes veſcente, vt baptizentur præcipimus. Progeniem vero ſuam quenque vſque ad ſeptimam obſeruare decernimus generationem. Et ſi valueris, deuitã, ne amplius, cui mulieres obierint, duabus debeat copulari. De his vero dicimus qui patrem, matrem, fratrem aut ſororem occiderint, vt toto vitæ ſuæ tempore corpus non ſuſcipiant Dominicum, niſi ſui tẽ- D poris exitu pro viatico. Abſtineat etiam ſe & à carnis comeſtione & potu vini, donec aduixerit, ieiunet ſecundam, & quartam, & ſextam ferias, vt ſic poſſit deflens diluere commiſſum ſcelus. Nam & hoc inter alia agi crimen in partibus illis dixiſti, quod quidam ex fidelibus, ad immolandum, Paganis ſua venundent mancipia. Hoc vt magnopere corrigere debeas, frater commendamus, nec ſinas fieri vltra, ſcelus enim eſt & impietas. Eis ergo, qui hoc perpetrauerũt ſimilem homicidæ indices pœnitentiam. At quoties Epiſcopum conſecraueris, duo vel tres conueniant tecum Epiſcopi, vt Deo ſit gratum quod geritur, vt eis cõuenientibus, ipſiſque præſentibus, conſecres. Hæc te, chariſſime frater, diligenter obſeruare volumus: & ſtudio pietatis cœptũ negotiũ ſalutis exequere, vt de lucro apportato valeas à Domino Deo noſtro mercedẽ percipere in æterna bea-

Margin notes: c. 32. Moguntinensis. p. 351. — Moguntin. 25. Luc. 19. — al. ea — al. volumus. — Pro defunctis preces & oblationes. — alias, perpetrati ſunt. — Reuerendiſſ Bonifacius anno 732. tribuit. ſeeg. Greg. I. 26.

titudine Priuilegium vero, iuxta quod petisti, facientes, his iunctum direximus, optantes te Domini Dei nostri præsidio de conuersione errantium CHRISTO Deo nostro plenissimum atque integrum apportare lucrum. Deus te incolumem custodiat reuerendissime frater.

EPISTOLA CXXIII.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, vniuersis reuerendissimis, & sanctissimis fratribus Coepiscopis, religiosis Presbyteris seu Diaconibus, gloriosis Ducibus, magnificis Castaldiis, Comitibus, etiam vel cunctis Christianis Deum timentibus.

l. 1. vit. ca. 22. Mog. p. 344. SOllicitudinem nimiam gerentes pro speculatione credita, quia in vmbra mortis aliquas gentes in Germaniæ partibus vel plaga orientali *Rheni* fluminis, antiquo hoste suadente, errare quasi sub religione Christiana idolorum culturæ eos seruire cognouimus, aliquos vero qui necdum cognitionem Dei habentes, nec baptismatis sacri vnda sunt loti: sed comparatione brutorum animalium, pagani factorem non cognoscunt; necessario pro vtrorumque illuminatione, ad prædicandum rectæ fidei verbum, harum portitorem Bonifacium reuerendissimum fratrem nostrum Episcopum ad easdem partes dirigere statuimus, vt & illis prædicando verbum salutis, vitam prouideat sempiternam, (al. deuiasse.) & si quos forte, vel vbicunque à rectæ fidei tramite destitisse cognouerit, aut astutia diabolica suasos, erroneos reperirit, corrigat: atque sua edocatione ad portum reportet salutis: eosque, ex Apostolicæ sedis huius doctrina, informet, & in eadem Catholica fide permanere instituat. (al. sui educatione.) Cui hortamur ob amorem Domini nostri Iesu Christi, & Apostolorum eius reuerentiam, vt in omnibus solatia præstare nisibus totis debeatis: eumque in nomine Iesu Christi recipiatis, vt scriptum est de suis discipulis. (al. solatiare.) *Qui vos recipit, me recipit.* (*Ioan. 13.*) Prouidentes insuper necessaria itineris eius, comites tribuentes; cibum etiam ac potum, vel si quid eguerit largientes, vt vno labore, & socia voluntate, opus sibi creditum pietatis, & negotium salutis, annuente Deo, perficiatur: atque præmia laboris percipere mereamini, deque conuersione errantium merces vobis ascribatur in cœlis. Si quis itaque huic Dei famulo ad illuminationem gentium ab hac Apostolica atque Catholica Dei Ecclesia destinato, assensum vel concursum præbuerit exorantibus Apostolorum Principibus, consortia mereatur sanctorum, & Martyrum Iesu Christi. (*Sanctorũ orationes.*) Si quis vero, quod non optamus, aduersando eius præpedite conatus fuerit laborem, aut contrarius extiterit ministerio sibi credito, successorumque eius eundem laborem intrantium, ex sententia diuina anathematis vinculo percellatur, & perpetuæ damnationi subiaceat. Bene valete. Data Kal. Decembris, imperante Domino piissimo augusto *Leone* à Deo coronato, magno Imperatore, anno Patriciatus eius septimo: sed & *Constãtino* magno Imperatore eius filio anno quarto, Indictione sexta. (al. pater eius.)

EPISTOLA CXXIV.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, clero ordini & plebi consistenti, dilectissimis filiis in Domino salutem.

(al. 1. vit. c. 23. p. 345.) PRobabilibus desideriis nihil attulimus tarditatis. Fratrem iam & Coepiscopum nostrum *Bonifacium* vobis ordinauimus sacerdotem, cui dedimus in mandatis, ne vnquam ordinationes præsumat illicitas, ne bigamum, aut qui virginem non est sortitus vxorem, neque illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut ex pœnitente, vel curiæ aut cuilibet conditioni obnoxium notatumque, ad sacros ordines

A permittat accedere. Sed si quos forte huiusmodi repererit, non audeat promouere. Afros passim ad Ecclesiasticos ordines prætendentes nulla ratione suscipiat: quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati sæpius sunt probati. Ministeria atque ornatum Ecclesiæ vel quidquid illud est in patrimonio eiusdem non minuere studeat sed augere. De reditu vero Ecclesiæ vel oblatione fidelium, quatuor faciat portiones: quarum vnam ipse sibi retineat alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat: tertiam pauperibus & peregrinis: quartam Ecclesiasticis fabricis nouerit reseruandam, de quibus diuino erit redditurus iudicio rationem. Ordinationes vero Presbyterorum seu diaconorum non nisi quarti, septimi, & decimi mensium ieiuniis: sed & ingresso quadragesimali, atque mediano vespere sabbathi nouerit celebrandas. Sacrosancti autem baptismi sacramentum non nisi in Paschali festiuitate, & Pentecoste nouerit esse præbendum, exceptis his, qui mortis vrgente periculo, ne in æternum B pereant, talibus oportet remediis subuenire. Huic ergo sedis nostræ præcepta seruanti deuotis animis vos obsequi oportet, vt irreprehensibile placidumque fiat corpus Ecclesiæ, per Christum Dominum nostrum, qui viuit & regnat cum Deo Patre omnipotente, & Spiritu sancto, per omnia sæcula sæculorum. Deus vos incolumes custodiat dilectissimi filij. Data Cal. Decembris, imperante Domino piissimo Augusto *Leone*, à Deo coronato magno Imperatore anno septimo: sed (al. pater eius.) Constantino magno Imperatore eius filio, anno quarto Indictione sexta.

EPISTOLA CXXV.

Reuerendissimo & sanctissimo fratri Bonifacio Coepiscopo, Gregorius seruus seruorum Dei.

C CReditæ speculationis solicitudine permoti, Euangelica quoque institutione, quæ ait: *Obsecra Dominum messis, vt eiciat operarios in messem suam.* (*Matth. 9. Luc. 10*) Tuam proinde reuerendam fraternitatem ad imitationem Apostolorum qui Domino iubente præcepti sunt: *Euntes prædicate Euangelium regni, gratis accepistis, gratis date*; (*Matth. 18. & cap. 10.*) in partibus Hesperiarum, ad illuminationem Germanicæ gentis in vmbra mortis sedenti dirigere præuidimus, lucrum inde vt apportare deberes, quasi seruus ille de negotio talenti, sicut scriptum est, fidus in futuro auctori asseris Deo fecisse. (*Matth. 25. Luc. 19.*) Quod quia, ex obedientiæ munere, ministerium verbi cernimus adolere, & prædicationis præconio populum infidelem (*f. asseritur.*) vt innotuisti, audiuimus conuerti, Domini potentiæ gratias referentes, vt ipse, à quo bonum procedit, & ad agnitionem vult omnes venire veritatis, (*1. Tim. 2.*) tibi optamus vt cooperetur, & à tenebris ad lucem populum illum, suæ potentiæ inspiratione, reducat. Hinc enim nobis merces copiosa credimus quod ab omnipotente Do- D mino adscribatur in cœlis. *Bonum enim certamen*, si perseueraueris, possis cum Apostolo dicere, *certaui: cursum consummaui, fidem seruaui*, (*2. Tim. 4.*) sed vt coronam percipias laboris, insiste. Pollicetur enim Deus perseuerantibus in finem salutem. (*Matth. 10. & 24.*) Ne minæ terreant: nec deiiciant terrores: sed fixam in Deo tenens fiduciam, veritatis verbum denuncia. Erit enim ex adiutorio diuino perfectio: tantum sit bonum in voluntate opus. (*f. & lati.*) Igitur quantos ab errore conuerteris, syllabarum tuarum recensito textu, cognouimus, læti, vberes Deo nostro gratias agentes de lucro animarum exultamus. Porro pro Episcopo illo, qui, nunc vsque, desidia quadam in eadem gente prædicationis verbum disseminare neglexerat: & nunc sibi partem quasi in parochiam defendit, *Carolo*, excellentissimo filio nostro, Patricio, vt eum compescat suadentes, paternis litteris scripsimus: & credimus quod hoc vitari præcipiat. Ipse vero *oppor-* (*2. Tim. 4.*)

tt, importune prædicare quæ sunt salutis ne desinas. ... Thuringis, & Germaniæ populo ea, quæ ad animæ ... vtilitatem & salutem, scribere non omisi- ... : inter alia, vt construant Episcopia & Ecclesias ... , iniungentes. Ipse enim qui non vult mortem ... catoris, sed vt conuertatur & viuat, erit in omnibus ... tuus incrementum. Deus te incolumem custodiat. ... nonas Decembris, imperante Domino piissi- ... augusto *Leone* à Deo coronato magno Imperatore, ... no octauo, patriciatus eius anno octauo. Sed & Con- ... tino magno Imperatore, eius filio, anno quinto, ... dictione octaua.

EPISTOLA CXXVI.

...erendissimo & sanctissimo fratri Bonifacio Coepiscopo Gregorius seruus seruorum Dei,

Desiderabilem mihi à te missus *Denual* religiosus Presbyter attulit nuncium, cum te sospitem nar- it, & ministerio, pro quo missus es, fauente Deo pro- re nunciauit. Detulit etiam à te missas litteras, vbi icasti quod ager Dominicus, qui incultus iacebat, ... inarum aculeis ex infidelitate rigueat, vomere doctrinæ exarante, semen verbi suscepit, & ferti- messem protulit fidelitatis. In eisdem litteris qui- lam subnexisti capitulis, sciscitando, qualiter teneat ... ocear hæc sancta Apostolica Romana Ecclesia. Be- ... nis, quia satis Apostolus Petrus & Apostolatus & ... copatus principium extitit; & consulenti tibi de ... Ecclesiæ non ex nobis, quasi ex nobis, sed eius gra- ... ui aperit os mutuorū & *Linguas infantium facit di-* ... , qualiter tenere debeas, Apostolici vigoris do- ... a dicimus. Igitur in primis legebatur, vt quarta ... enies propinquorum matrimonio copuletur. Di- ... s, quod oportuerat quidem quamdiu se agnoscunt ... itate propinquos, ad huius copulæ non accedere ... tatem. Sed quia temperantia magis, & præsertim ... n barbara gente placet plusquam districtio cen- ... , concedendum est, vt post quartam generationem ... antur. Nam quod posuisti, quod si mulier infirmi- ... correpta non valuerit viro debitum reddere, quid ... faciat iugalis? Bonum esset si sic permaneret, vt ... nentiæ vacaret: Sed quia hoc magnorum est, il- ... i se non poterit continere, nubat magis, non ta- ... subsidij opem subtrahat ab illa, cui infirmitas ... edit, & non detestabilis culpa excludit. De Pres- ... o vero vel quolibet sacerdote à populo accusato, ... ti non fuerint testes, qui crimini illato approbent ... atem, iureiurando erit in medio, & illum testem ... rat de innocentiæ suæ puritate, cui nuda & aper- ... t omnia, sicque maneat in proprio gradu. Nam ... omine, qui à Pontifice confirmatus fuerit, denuo ... lis reiteratio prohibenda est. In *Missarum* autem ... iniis illud obseruandum est, quod Dominus no- ... ESVS CHRISTVS sanctis suis tribuit discipulis. ... *pit namque calicem, & t. dedit eis dicens. Hic calix ... est amenti est in meo sanguine; hoc facite quotiescun- ... miris*. Vnde congruum non est, duos vel tres ca- ... n altario ponere cum Missarum solemnia cele- ... ur. De immolatitiis autem escis consuluisti, si à fi- ... s superductum fuerit viuificæ crucis signum, edi ... t an non? Illud sufficit respondere, quod beatus ... olus Paulus dicit: *Si quis dixerit, quia hoc immo- ... tum est, nolite edere propter eum qui indicauit, & ... r conscientiam.* Addidisti adhuc, quod si pater vel ... filium filiamque intra septa monasterij in in- ... annis sub regulari tradiderint disciplina, vtrum ... eis, postquam pubertatis impleuerint annos, ... i, & matrimonio copulari? Hoc omnino deui- ... t, quia nefas est, vt oblatis à parentibus Deo fi- ... oluptatis fræna laxentur. Enimuero quosdam ba- ... os absque interrogatione symboli ab adulteris ... ict.

A Presbyteris fassus es. In his tua dilectio teneat anti- quum morem Ecclesiæ, quia quisque *in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti* baptizatus est, rebaptizari li- ceat minime. Non enim in nomine baptizantis, sed in nomine Trinitatis, huius gratiæ donum percepit: & teneatur quod Apostolus dicit, *Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma.* *Ephes. 4.* Doctrinam vero spiritalem talibus studiosius vt impertias demādamus. Pro paruulis verò, qui à parentibus subtracti, & an bapti izati sint vel non ignorant, hos vt baptizare debeas secundum Patrum 9. traditionem, si non fuerit qui testificet, ratio poscit. Le- prosis autem, si fideles Christiani fuerint, Dominici corporis & sanguinis participatio tribuatur: cum sanis 10. autem conuiuia celebrare negentur. Adiecisti etiam, quod si pestifer morbus, aut mortalitas in ecclesia vel monasteriis irrepserit, quos necdum tetigit, à loco fu- giant euitantes periculum. Valde fatuum hoc iudica- tur. Non enim quisquam Dei effugere manus poterit. 11.

B In fine epistola continebat, quod sunt quidam Presby- 12. teri, seu Episcopi in multis vitiis irretiti: quorum vita in se ipsis sacerdotium maculat, & si tibi liceret cum eis edere aut loqui? Nisi qui hæretici fuerint, dicimus, vt hos ex Apostolica auctoritate redarguendo admoneas, *al. lucrasti* & ad munditiam Ecclesiasticæ disciplinæ perducas. Et *aut lucres feci-* si quidem obedierint, saluabunt animas suas, & ipse *sti.* mercedem parasti. Veruntamen collocutionem, & mensam communem cum eis agere non recuses. Ple- rumque contigit, vt quos correctio disciplinæ tardos facit ad percipiendam veritatis normam, conuiuiorum sedula & admonitio blanda ad viam perducat veritatis ac iustitiæ. Idipsum autem & in illis proceribus, qui tibi adiutorium præstant, obseruare debebis. Hæc frater charissime ex Apostolicæ sedis vigore scripsisse suffi- ciat: de reliquo implorantes misericordiam Dei, vt qui te illis in regionibus, vice nostra ex Apostolica auctori- tate pergere fecit, & in opacam syluam lumine verita-

C tis per os tuum micare prædestinauit, opitulationis suæ misericordissimum tribuat incrementum: quatenus de fructu operis & ipse valeas præmia percipere, & nos veniam peccatorum inuenire. Deus te incolumem cu- stodiat reuerendissime frater. Data decimo Kal. De- cemb. imperante piissimo Augusto *Leone* à Deo coro- nato magno Imperatore, anno decimo imperij eius. Sed & *Constantino* magno Imperatore regni eius anno septimo. Indictione decima.

Hucusque Gregorius à primo secundus. Hinc Gregorius à secundo tertius.

EPISTOLA CXXVII.

AD PRÆLATOS ET Presbyteros omnium Prouinciarum.

Greg. 3.

D

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, dilectissimis nobis omnibus Episcopis; venerabilibus Presbyteris, religiosis Abbatibus omnium prouinciarum. *l. 1 vit. 36. Mog. p. 357.*

Domino cooperante, & sermonem confirmante, ... præsentem sanctissimum virum *Bonifacium* fratrem ac Coëpiscopum nostrum verbum veritatis, si- cut a decessore nostro sanctæ recordationis *Gregorio* Præsule in illis partibus missus fuerat, prædicare ver- *al. dignetur* bum Dei. Post multum temporis, Domino cooperante, anhelanti desiderio orationis causa, liminibus sacris beatorum Principum Apostolorum *Petri* & *Pauli* præ- *Matth. 10.* sentandus, adueuit: qui perfecta oratione, ad acceptum laborem Angelo Domini præuiante, à nobis est abso- lutus. Cui dilectio vestra omnium seu reuerentia & re- ligiositas, propter Christi amorem iuuamina impen-

dere dignemini: dum & agnoscitis, quæ Dominus noster Iesus inquit dicens. *Qui susceperit prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetæ accipiet: & qui susceperit iustum in nomine iusti mercedem iusti accipiet.* Et si forsitan ex vestris ministris sese ipsi sanctissimo viro, in ministerio exhortationis S. Catholicæ fidei adiungere voluerit, nullo modo prohibeatis charissimi, magis autem concursum præbere, & ex vestro ouili adiutores ei tribuite: qui possint, per Dei gratiam, sufficienter Gentibus ministrare verbum prædicationis, vt omnipotenti Deo nostro animas lucrifaciant: & vt vestra communitas boni operis portionem sortiatur: atque illi mereantur Dominicam vocem audire. *Vos qui dereliquistis omnia & secuti estis me, centuplum accipietis & vitam æternam possidebitis.* Bene valete. [Matth. 19.]

EPISTOLA CXXVIII.

AD OPTIMATES ET populum Germaniæ.

Gregorius Papa vniuersis optimatibus & populo prouinciarum Germaniæ, Thuringis & Hessis, Bortharis, & Nistresis, Vuedreciis, & Lognais, Suduodis, & Graffeldis, vel omnibus in orientali plaga constitutis.

QVoniam decessor noster sanctæ recordationis *Gregorius* Præsul nutu diuino motus, ad faciendam Deo plebem perfectam præsentium portitorem litterarum *Bonifacium* reuerendissimum fratrem nostrum ac coepiscopum ordinans ad vos vsque destinauit, eumque regulam Apostolicæ & Catholicæ fidei Romanæ, cui Deo auctore, deseruimus Ecclesiæ, edocens direxit: & post temporum spatia orationis causa, ad limina beatorum Principum Apostolorum sese præsentauit: & quæ ad salutem animarum pertinent à nobis exposcit imbui, Nos Deo fauente, vt sacra docet Scriptura eum edocentes, ad vos, charissimi, remeandum absoluimus: hortantes vos in Domino vt digne suscipiatis ab eo verbum exhortationis: & Episcopos & Presbyteros, quos ipse ordinauerit per Apostolicam sibi datam auctoritatem in ecclesiæ ministerio recipiatis. Et quos forsitan deuiantes inuenerit à rectæ fidei tramite seu canonica doctrina, eosque prohibuerit, à vobis nullo modo impediatur: & quod eis impositum fuerit, obediendo propter Deum suscipiant. Nam qui temerator extiterit ad obediendum, sibi ipsi damnationem acquirit. Vos autem charissimi, qui in Christo baptizati estis, Christum induistis, abstinete & prohibete vosmetipsos ab omni cultu Paganorum: non tantum vosmetipsos corrigentes charissimi: sed & subditos vestros, diuinos vel sortilegos, sacrificia mortuorum seu lucorum vel fontium auguria vel phylacteria. & incantores, & veneficos, id est, maleficos & obseruationes sacrilegas, quæ in vestris finibus fieri solebant, omnino respuentes atque abiicientes, tota mentis intentione ad Deum conuertimini: ipsum timete: adorate: & honorificate: *Sanctorum memoriis communicantes*, vt ait Apostolus. Si enim fides, Domino dicente, fuerit vt granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc, & transferetur. Ipse enim Dominus Deus & Saluator noster Iesus Christus in suo sacro eloquio inquit dicens. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua.* Et iterum: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, & ego confitebor eum coram Patre meo qui in cœlis est.* Inde & in alio loco promisit dicens: *Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, fiet vobis.* Et iterum: *Petite & accipietis, quærite & inuenietis: pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.* Et vos charissimi facite fructus dignos, vt in die aduentus Domini nostri Iesu Christi sydereas mereamini adipiscere mansiones. Bene valete.

[l. 1. vit. c. 37. Mog. p. 358.] [Gal. 3.] [Ro. 12.] [N. Int. necessitatibus.] [Matth. Luc. 17.] [Matth. 7.] [22.] [Matth. 10.] [Luc. 12.] [Ioan. 14.] [Matth. 7.] [Luc. 11.]

EPISTOLA CXXIX.

AD NONNVLLOS EPISCOPOS in Alemania, & Baioariorum prouincia constitutos.

Dilectissimis nobis Episcopis in Prouincia Baioariorum, & Allemannia constitutis, Viggoni, Luidoni, Rudolto, & Philippo, seu Addæ Gregorius Papa.

CAtholica & sanctorum Patrum iubet auctoritas, vt bis in anno pro salute populi Christiani seu exhortatione adoptionis filiorum synodalia debeant celebrari: & causarum Canonicarum examinatio proueniret: vt vniuscuiuscunque necessitas poposcerit, pia edocatione subueniatur. Vnde secundum Apostoli doctrinam admoneo, & hortor vos charissimi, per misericordiam Dei: *Vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis*, vt ministerium vestrum perfectum sit coram Deo. Oportunum namque est, vos nosse fratrem ac Coepiscopum nostrum præsentem *Bonifacium*, nostram agentem vicem, cum digno & debito honore pro Christi nomine suscipere: & ministerium Ecclesiasticum cum fide Catholica secundum morem & normam S. Catholicæ & Apostolicæ Dei Ecclesiæ, cui, misericordia Dei præueniente, præesse videmur, sicut Apostolica auctoritate à nobis destinatus est, ab eo suscipientes, dignanter teneatis, & Gentilitatis ritum & doctrinam, vel venientium Britonum, vel falsorum sacerdotum hæreticorum siue adulatores, aut vndecunque sint renuentes ac prohibentes abiiciatis, & vt populum vobis à Deo commissum piis ammonitionibus edoceatis: & à sacrificiis mortuorum omnino deuitetis: & iuxta quod fueritis à prædicto nostro Consacerdote edocti, ita Catholicam & Apostolicam doctrinam tenentes Domino Deo & Saluatori nostro placere festinetis: & in quo vobis loco ad celebranda concilia conuenire mandauerit siue iuxta *Danubium*, siue in ciuitate *Augusta*, vel vbicunque indicauerit, pro nomine Christi parati esse inueniamini: quatenus cognoscamus per eius mandatum de vestro conuentu, vt in diem aduentus Christi Iesu cum fructu boni operis ante eius tribunal assistere mereamini dicentes: *Ecce nos & pueri quos dedisti nobis Domine*, non perdidimus ex eis quenquam: vt vos Dominicam vocem audire mereamini dicentem: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Bene valete.

[l. 1. vit. c. 38. Mog. p. 359.] [Ephes. 4.] [Isa. 8.] [Ioan. 18.]

EPISTOLA CXXX.

AD BONIFACIVM Episcopum.

Reuerendissimo & sanctissimo Bonifacio coepiscopo, Gregorius seruus seruorum Dei.

DOctoris omnium gentium egregij beati Apostoli Pauli vox est dicentis; *Diligentibus omnia coopperantur in bonum.* Agnoscentes itaque in syllabis fraternitatis tuæ, innotuisti iam de Germaniæ Gentibus, quas, sua pietate, Deus noster de potestate Paganorum liberauit, & ad centum millia animas in sinu S. matris Ecclesiæ tuo conamine, & *Caroli* Principis *Francorum* aggregare dignatus est. sed & in *Baioariorum* prouincia, quæ à te acta sunt agnoscentes, datori omnium bonorum domino Deo nostro, extensis ad cœlum palmis, gratias retulimus: qui ianuam misericordiæ & pietatis in illis partibus. Hesperiis, ad cognoscendam viam salutis: ostium misericordiæ aperuit, & misit

[l. 1. vit. c. 40. Mog. p. 361.] [Ro. 8.]

A gelum suum, qui præparauit viam tuam ante te. Ip-
oria in sæcula sæculorum. Igitur quia indicasti, per-
sse te ad gentem *Baioariorum*, & inuenisse eos extra
inem Ecclesiasticum viuentes, dum Episcopos non
ebāt in prouincia nisi vnum nomine *Viuilo*, quem
ante tempus ordinauimus: & qui, cum assensu
Ducis eorundem Baioariorum, seu Optimatum
unciæ illius, tres alios ordinasses Episcopos, & in
uor partes prouinciam illam dimisisti, id est in
uor parochias, vt vnusquisque Episcopus suum
at parochium, bene & satis prudēter peregisti fra-
quoniam Apostolicam præceptionem ex nostra
mplesti: & sicut tibi præcepimus, ita peregisti. Ita-
on desinas, frater reuerendissime, docendo eos
atholicam & Apostolicam Romanæ sedis tradi-
m, vt illuminentur rudes, & viam salutis teneant,
uam possint ad æterna præmia peruenire. Pres-
os vero, quos ibidem reperisti, si incogniti fue-
iri illi, à quibus sunt ordinati, & dubium est eos
B opos fuisse an non, qui eos ordinauerūt, si bonæ
us & Catholici viri sunt ipsi Presbyteri, & in mi-
io Christi, omnemque legem sanctam edocti,
b Episcopo suo benedictionem Presbyteratus
iant & consecrentur, & sic ministerio sacro fun-
r. Illi quippe qui baptizati sunt per diuersitatem
linationem linguarum Gentilitatis, tamen quod
aine Trinitatis baptizati sunt, oportet eos per
impositionem, & sacri chrismatis confirmari.
Viuilo à nobis Episcopus est ordinatus; & si ali-
ccedit extra canonicam regulam, doce & corri-
, iuxta Romanæ Ecclesiæ traditionem, quam à
ccepisti. De Concilio vero vt iuxta ripam *Da-*
ebeas celebrare nostra vice, præcipimus frater-
uæ Apostolica auctoritate te ibidem præsenta-
a quantū Dominus tibi vires dederit, prædicare
n salutis non cesses, vt religio Christiana in no-
C Domini crescat, & multiplicetur. Nec non ha-
centiam, frater, percepti laboris in vno morari
ed confirma corda fratrū & omnium fidelium,
escunt in illis Hesperiis partibus vbi tibi Domi-
eruerit viam salutis prædicare non desistas; & v-
m inueneris necessarium, secundum canonicā
n Episcopos ordina ex nostra vice: & Aposto-
que canonicam traditionem eos tenere edoce-
hoc enim magnū mercedis præmium tibi præ-
: quoniam omnipotenti Deo nostro facies ple-
rfectam. Non pigeat, dilectissime frater, itine-
e aspera, & diuersa, vt Christiana fides longe
tuo conamine extendatur. Scriptum est nam-
ecta & angusta via, qua ducit ad vitam. Opera-
e, frater, bonum opus quod cœpisti, vt in die
Dei nostri merearis dicere inter cœtum proba-
Patrum assistens: *Ecce ego & pueri, quos dedisti*
in perdidi ex eis quenquam. Et iterum: *Domine*
talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlu-
im: vt subsequenter merearis vocem Domini
D *i: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fui-*
, supra multa te constituam: intra in gaudium
ui. Deus te incolumem custodiat reuerendis-
er. Data IV. Kal. Nouembr. imperante domi-
mo augusto Leone, imperij eius anno vicesi-
o: Sed & Constantino magno Imperatore
i, anno vicesimo, Indictione octaua.

EPISTOLA CXXXI.

ZACHARIÆ PAPÆ.

ctissimis nobis, Vuitana sancta Ecclesia Barba-
rana Zacharias Papa.

nino cooperante, & sermonem confirmante,
dilatandā Christianitatis legem & orthodoxę
fidei tramitem, ad docendum iuxta quod prædicat *vera*
sancta hæc Romana, cui Deo auctore præsidemus, Ec- *Vide*
clesia, innotuit nobis sanctissimus ac reuerendissimus *inf. epi.*
frater & Coepiscopus noster *Bonifacius* nuper decre- *131. Inf. ep.*
uisse & ordinasse in Germaniæ partibus Episcopales *17.*
sedes, vbi præest vestra dilectio, & prouinciam in tres
diuisisse parochias. Quo cognito, cum magna exulta-
tione, extensis ad sidera palmis, illuminatori & datori
omnium bonorum Domino Deo & Saluatori nostro
Iesu Christo gratias egimus, qui *facit vtraque vnum.* *Ephe. 2.*
Flagitauit autem à nobis per suas syllabas iam dictus
sanctissimus vir per Apostolicam auctoritatem ve-
stras confirmari sedes. Pro quo & nos, ardenti animo
& diuino iuuamine, auctoritate beati *Petri* Principis
Apostolorum, cui data est à Deo & Saluatore nostro
Iesu Christo ligandi soluendique potestas peccata ho-
minum, in cœlo & in terra, confirmamus, atque soli-
das permanere vestras sedes sancimus Episcopales, in-
terdicentes ipsius Principis Apostolorum auctoritate,
à præsenti, omnibus & in futuras generationes, vt
nullus audeat contra eandem vestram ordinationem
quæ, dignante Deo, ex nostra præceptione in vobis fa-
cta est. Et hoc Interdicentes, vt nullus audeat, iuxta
sanctorum canonum traditionem, ex alio Episcopatu
ibidem translatari, aut ordinare Episcopum, post ve-
stram de hoc sæculo euocationem, nisi is, qui Aposto-
licæ nostræ sedis in illis partibus præsentauerit vicem.
Sed nec vnus alterius parochias inuadere, aut Eccle-
sias subtrahere præsumaris.

Nam si, quod non credimus, si quis ille fuerit, qui
contra hanc nostram præceptionem temerario ausu
venire tentauerit, sciat se, æterno Dei iudicio, anathe-
matis vinculo esse innodatum. Si quis vero Apostoli-
ca seruauerit præcepta, & normam rectæ & orthodo-
xæ fidei fuerit assecutus, benedictionis gratiam conse-
quatur. De cætero, petimus diuinam clementiam, vt
confirmet & corroboret hoc quod operatus est Do-
minus in vobis: & charitas Dei, gratia, & pax vera sit
cum Spiritu vestro. Sanctissimi & dilectissimi nobis,
toto conamine elaborate pro fide Christi, & ad mini-
sterium eius perficiendum decertate: vt cum egregio
Apostolo mereamini dicere: *Bonum certamen certaui,* *I. proficiendū.*
cursum consummaui, fidem seruaui. De reliquo reposita est
mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illum *2 Tim. 4.*
diem iustus iudex. Salutantes vos in Domino valere o-
ptamus. Bene valete. Data Kalend. April. imperante *Tom. 2.*
Domino *Constantino* magno Imperatore, anno vicesi- *Conc.*
moquarto, Imperij eius Anno 11. Inductione XI. *Ind. 6.*

EPISTOLA CXXXII.

Domino charissimo summi Pontificatus infula prædito viro
Apostolico Zachariæ Bonifacius seruus seruorum Dei.

CONfitemur Domine Pater, quia postquam per *I. 2. vit.*
nuncios referentes audiuimus, quod venerandæ *cap. 2.*
memoriæ Apostolatus vestri præcessor *Gregorius* Pon- *Mog. p.*
tifex Apostolicæ sedis, ergastulo corpore absolutus ad *174.*
Dominum migrauit, quo maiorem lætitiam & maius
gaudium nobis non audiuimus, &, suspensis ad æthe-
ra palmis, Deo gratias egimus, quam quod clementem
paternitatem vestram altissimus arbiter canonica iura
regere, & Apostolicæ sedis gubernacula gubernare cō-
cessit. Ego nō aliter quam vt ante vestigia vestra geni- *S. Boni.*
culantes, intimis subnixe flagitamus precibus, vt sicut *erga*
præcessoribus vestrorum pro auctoritate sancti *Petri* serui *Rom.*
deuoti & subditi discipuli fuimus: Sic & vestræ pieta- *Pontificē re-*
tis serui obedientes subditi sub iure Canonico fieri me- *uerētia.*
reamur: Optantes Catholicā fidem & vnitatem Ro-
manæ Ecclesiæ seruare, & quantoscunq; audientes vel
discipulos in ista legatione mihi Deus donauerit, ad
obedientiā Apostolicæ sedis inuitare & inclinare non
cesso. Necesse quoque habemus indicare paternitati
vestræ, quia, per Dei gratiā, Germaniæ populus aliquā-

tu'um percursis vel correctis, tres ordinauimus Episcopos, & prouinciam in tres parochias discreuimus, & illa tria oppida siue vrbes, in quibus constituti & ordinati sunt scriptis auctoritatis vestræ confirmari & stabiliri precantes desideramus. Vnam esse sedem Episcopatus decreuimus in castello quod dicitur *Wirzaburg*: & alteram in oppido quod nominatur *Buraburg*: tertiam in loco qui dicitur *Erphesfurt*, qui fuit iam olim vrbs Paganorum *rusticorum*. [Resp. inf. epist. 141.] Hæc tria loca propria carta & auctoritate Apostolatus vestri roborari & confirmari diligenter postulamus: vt si Dominus voluerit per auctoritatem & præceptum sancti *Petri*, iussionibus Apostolicis, fundatæ & stabilitæ sint tres in Germania Episcopales sedes. Et vt præsentes vel futuræ generationes non præsumāt vel parochias corrumpere, vel violare præceptum Apostolicæ sedis. Notum similiter sit paternitati vestræ quod *Carolomannus* Dux Francorum me accersitum ad se rogauit: vt in parte regni Francorum, quæ in sua est potestate, synodum facerem congregari: & promisit, se de Ecclesiastica religione, quæ iam longo tempore, id est, non minus quam per sexaginta vel septuaginta annos calcata & dissipata fuit, aliquid corrigere & emendare velle. Quapropter si hoc Deo inspirante, veraciter implere voluerit, consilium & præceptum vestræ auctoritatis, id est, Apostolicæ sedis habere & sapere debeo. [To. 2. Con.] *Franci* enim vt seniores dicunt, plusquam per tempus octoginta annorum synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt, nec Ecclesiæ canonica iura alicui fundabant, vel renouabant.

Modo autem maxima ex parte, per ciuitates, Episcopales sedes traditæ sunt Laicis cupidis ad possidendum, vel adulteratis Clericis, scortatoribus, & publicanis sæculariter ad perfruendum. Nam si, per verbum vestrum, hoc negocium, Duce rogante supradicto amouere & corrigere debeo, præceptum & iudicium Apostolicæ sedis cum canonibus Ecclesiasticis præsto habere cupio. [Concubinarii Ecclesiastici.] Si inuenero inter illos Diaconos, quos nominant qui à pueritia sua semper in stupris, semper in adulteriis, & in omnibus semper spurcitiis vitam ducentes, sub tali testimonio venerunt ad diaconatum, & modo in diaconatu concubinas quatuor vel quinque vel plures noctu in lecto habentes, euangelium tamen legere, & Diaconos se nominare nec erubescunt, nec metuunt: & sic in talibus incestis ad ordinem presbyteratus venientes, in hisdem peccatis perdurantes, & peccata peccatis adiicientes, presbyteratus officio fungentes, dicunt se pro populo posse intercedere, & sacras oblationes offerre: nouissime, quod peius est, sub talibus testimoniis per gradus singulos ascendentes ordinantur, & nominantur Episcopi.

Si inquam tales inuenero inter illos, rogo, vt habeam præceptum, & conscriptum auctoritatis vestræ quid de talibus diffiniatis: & per responsum Apostolicum conuincantur & arguantur peccatores. Et inueniuntur quidam inter eos Episcopi, qui licet dicant se fornicarios & adulteros non esse, sed sunt ebriosi, & iniuriosi, vel venatores: & qui pugnant in exitu armati, & effundunt propria manu sanguinem hominum, siue Paganorum, siue Christianorum. [Milites ac venatores vitiosi Ecclesiastici. al. incuriosi id est, negligētes & torpidi] Et quia seruus, & legatus Apostolicæ sedis esse dinoscor, vnum sit verbum & meum hic & vestrum ibi, si contingat ad iudicium auctoritatis vestræ vt pariter missos dirigamus.

Prætereа de vna re & consilium quærere & licentiam petere necesse habeo, eo quod venerandæ memoriæ Præcessor vester, sic vt audistis, in præsentia vestra mihi præcepit: vt presbyterum post obitum meum, Deo volente, in Ecclesiastico ministerio hæredem & successorem constituere deberē. Et hoc mihi si Dei voluntas est, placet. Sed modo dubito & nescio si fieri possit, quia postea frater illius, auunculum Ducis Francorum occidit & adhuc ignoramus qualiter ista discordia pacificari & finiri valeat. Et obsecro, vt auctoritatis vestræ licentia sit, [al. Sed.] vt eum consilio seruorum Dei, de ista electione faciam,

A quod nobis in commune, pro Deo & pro ecclesiæ vtilitate, vel fructu spirituali & defensione religionis optimum esse videatur, vt consensum vestrum habeam de hoc facere, quod optimum esse mihi inspirare dignetur Deus: quia hoc non videtur posse fieri si contrarius Princeps fuerit.

Prеterea quærere & interrogare paternitatis vestræ consilium debeo de quadam confusione & scādalo prædicationis quæ nuper ad nos veniens mentem nostram conturbauit: & sacerdotibus Ecclesiarum verecundiam incutiebat, quia Laicus quidam magnæ personæ ad vos veniens, dicebat sibi ab Apostolicæ sedis Pontifice sanctæ memoriæ Gregorio datam fuisse licentiam, vt in matrimonium acciperet viduam auunculi sui: quæ & ipsa fuit vxor consobrini sui, & ipsa, illo viuente, decessit ab eo, & isti viro, qui nunc eam accipere desiderans, affirmat sibi licentiam datam; in tertia generatione illa propinqua illius esse dinoscitur: [al. tertio genculo vel geniculo. vel gradu.] & votu vouit Deo castitatis, & velata fuit. & iterum abiecto velamine maritata. Tale enim matrimonium supradictus homo sibi ab Apostolico affirmat esse permissum. Quod non æstimamus esse verum, B quia Synodus & Ecclesia, in qua natus & nutritus sui, id est, in *trāsmarina Saxonia*, *Lundunensis Synodus* quæ in primis à discipulis sancti *Gregorii*, id est, *Augustino*, *Laurentio*, *Iusto*, *Melito*, Archiepiscopis constituta & ordinata fuit, talem copulam & matrimonium maximum scelus & incestum & horribile flagitiū & dānabile piaculum fieri ex auctoritate sacræ scripturæ iudicabant. Quapropter paternitas vestra huius rei veritatē indicare non dedignetur, vt Ecclesię sacerdotibus vel populo Christiano inde scandala & schismata vel noui errores non oriantur, & cōcrescant: quia carnales homines, idiotæ *Alemani*, vel *Baioarii*, vel *Franci*, si iuxta Romanam vrbem aliquid facere viderint ex his peccatis, quæ nos prohibemus, licitum & concessum à sacerdotibus esse putant, & nobis improperium deputant, sibi scandalum vitæ accipiunt. [Vrbis ad exēplū tot* conuertitur orbis, Inf. ep. 142.] Sicut affirmant, se vidisse annis singulis in Romana vrbe, & iuxta Ecclesiam in die vel nocte, quando *Kalendæ Ianuarii* intrant, C paganorum consuetudine choros ducere per plateas, & acclamationes, ritu Gentilium, & cantationes sacrilegas celebrare: & mensas illa die vel nocte dapibus onerare: & nullum de domo sua vel ignem vel ferramentum, vel aliquid commodi vicino suo præstare velle.

Dicunt quoq; se vidisse ibi mulieres pagano ritu phylacteria, & ligaturas, & in brachiis, & cruribus ligatas habere: & publice ad vendendum vænales ad cōparandum aliis offerre. Quæ omnia eo quod ibi à carnalibus & insipientibus videntur, nobis hic & improperium & impedimentum prædicationis & doctrinæ perficiunt. [Gal. 4. ser. 241. de tēp.] De talibus ait Apostolus increpans: *Dies obseruatis & tempora: timeo ne sine causa laborauerim in vobis.* Et sanctus Augustinus dixit. *Nam qui prædictis malis, id est, caragis & diuinis, & aruspicibus vel phylacteriis, & aliis quibuslibet auguriis crediderit: etsi ieiunet, etsi oret, etsi iugiter ad Ecclesiā currat, & si largas eleemosynas faciat, etsi* D *corpusculum suum in omni afflictione cruciauerit, nihil ei proderit, quandiu sacrilegia illa non reliquerit.*

Nam si istas paganias ibi paternitas vestra in Romana vrbe prohibuerit, & sibi mercedem & nobis maximum profectum in doctrina Ecclesiastica acquiret. [al. per fecerit.] Episcopi quoque* gentis *Francorum*, qui fuerunt adulteri, vel fornicatores acerrimi, quorum in gradu Episcopatus vel Presbyterii fornicationum filii nati arguunt, [* & presbyteri.] reuenientes ab Apostolica sede, dicunt sibi Romanum Pontificem licentiam dedisse ministerium Episcopale in Ecclesia ministrare. Quos contra contendimus, qui Apostolicam sedem contra decreta Canonum nequaquam audiuimus iudicasse. [al. qui a Ap.]

Hæc omnia, Domine charissime, propterea nota vobis facimus, vt vestræ auctoritatis responsum talibus dare possimus; vt per cautelam vestræ doctrinæ oues Ecclesiæ non seducantur, sed lupi rapaces conuicti & supe-

pereant. Interea munuscula parua vobis direximus: quia digna sint paternitate vestra, sed pro indicio itatis, & obedientiæ, deuotionis: id est villosam am, & argenti & auri tätillum. Dextera Domini pro- ente incolumem valere, & in Christo proficere bea- dinem vestram in longitudine dierum optamus.

Te Deus altithronus sancta conseruet in æde,
Sedis Apostolicæ Rectorem tempora longa.
Mellifluæ gratum populis doctrina per orbem.
Perficiat quæ Deo dignum pia gratia Christi
Splendida percipiat florens sua gaudia mater,
Atque domus Domini lætetur prole secunda.

EPISTOLA. CXXXIII.

Dilectissimo nobis *Burchardo* sanctæ Ecclesiæ *Wirzeburgenensis, Zacharias* Papa. Domino cooperante & sermonem confirmante ad dilatandam Christianitatis legem: & orthodoxę fidei tramitem ad docendum, iuxta quod prædicat sancta hæc Romana Ecclesia &c. Vide supra, epist. 131.

EPISTOLA CXXXIV.

Reuerendißimo & sanctißimo fratri Bonifacio Coepiscopo Zacharias seruus seruorum Dei.

Virgilius & Sedonius religiosi viri apud Baioariorum prouinciam degentes suis nos litteris visitarunt, per quas intimauerunt, quod tua reuerenda fraternitas eis iniungeret, Christianos denuo baptizare. Quod audientes nimis sumus conturbati, & in admirationem quandam incidimus, si habet, vt dictum est. Retulerunt quippe quod fuerit in eadem prouincia sacerdos, qui Latinam linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, nesciens, Latini eloquii infringens linguam diceret: *Baptizo te in nomine patria, & filia & Spiritus sancti*: ac per hoc tua reuerenda fraternitas considerauit rebaptizare. Sed sanctissime frater, si ille qui baptizauit, non errorem, aut hæresim introducens, sed, pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, vt suprà fati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire, vt denuo baptizentur. Quia, quod tua bene compertū habet sancta fraternitas, quicunque baptizatus fuerit ab hæreticis, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, nullo modo rebaptizari debeat, sed per solam manus impositionem purgari debeat. Nam, sanctissime frater, si ita est vt nobis relatum est, non amplius à te illis prædicetur huiusmodi,* sed vt sancti Patres docent & prædicant, tua sanctitas studeat conseruare. Deus te incolumem custodiat reuerendissime frater. * Data Kalendis Iuliis imperante Domino piissimo augusto Cōstantino, a Deo coronato, magno Imperatore anno vicesimo sexto: Imperii eius anno quarto: Indictione quarta decima.

ROMANA SYNODVS DE HÆRETICIS, QVOS SANCTVS damnarat Bonifacius, Missa in Germaniam ad eum & alios..

In nomine Domini nostri Iesu Christi, imperante Domino piissimo Augusto *Constantino* Imperatore, anno xxv. * post consulatum eius anno quinto mense Octobrio, die vicesima quinta, Indictione quarta & decima Residente sanctissimo ac beatissimo Domino *Zacharia* Papa in Patriarchio Lateranensi, in basilica, quæ appellatur Theodori: Considentibus autem cum eo sanctissimis Episcopis *Epiphanio silua candida, Benedicto Nomentano, Venatio Pranestæ, Gregorio Portuensi, Niceta Gabiis, Theodoro* * *tiburtino, Gratioso Velitrias*, cum venerabilibus presbyteris, id est, *Ioanne* Archipresbytero, *Gregorio, Stephano, Dominico, Theodoro, Anastasio, Georgio, Sergio, Iordane, Leone*, item *Leone, Gregorio, Stephano, Eustachio, Procopio*, atque *Theophanio*, propositis in medio sacrosanctis Euāgeliis, astantibus quoque Diaconibus, vel cuncto clero. *Gregorius* Notarius regionarius & nomenculator dixit: *Denerdus*, religiosus Presbyter, legatus Bonifacii sanctissimi Archiepiscopi prouincię Germaniæ, directus apud vestrum sanctum Apostolatum, præ velo est, & petit se ingredi. Quid præcipitis. Dictum est: Ingrediatur. Cumque ingressus Zacharias esset, sanctissimus ac beatissimus Papa sanctæ Dei Catholicæ atque Apostolicæ verbis Romæ dixit: Ante hos dies syllabas reuerendissimi fratris nostri Bonifacii Archiepiscopi nobis retulisti, per quas nobis quæ opportuna ei visa sunt, indicauit. Quid ergo denuo nostris secretariis te ingredi postulasti? *Denerdus* religiosus Presbyter dixit. Domine mi, dum iuxta sancti Apostolatus præceptionem meus Dominus Bonifacius Episcopus famulus pietatis vestræ, in prouincia Francorum synodum aggregasset, & reperisset illic fallos sacerdotes, hæreticos & schismaticos, id est, *Adelbertum & Clementem*, sacerdotio priuans, vna cum Principibus Francorum, retrudi fecit in custodiam. Illi autem non in pœnitentia degunt, vt iudicatum est: sed à contrario adhuc populum seducunt, Pro quo hanc epistolam præfati mei Domini, quam manibus gero vestro sancto Apostolatui missus offero, vt eam coram sacrosancto Concilio relegi faciatis. Dictum est. Suscipiatur epistola, & coram nostra præsentia relegatur. Et accipiens *Theophanius* Notarius regionarius, & sacellarius relegit in his sermonibus.

S. litteras. (beside "tur. Cumque ingressus …")

Su A- delb. (beside "est, Adelbertum & Clementem …")

EPISTOLA CXXXV.

BONIFACII AD ZACHARIAM.

Excellentissimo Patri atque Apostolico Pontifici, & ex auctoritate sancti Petri, Principis Apostolorum magisterio freto, Zacharia Papa, Bonifacius exiguus seruus seruorum Dei, optabilem in Christo charitatis salutem.

Postquam me ante annos prope triginta sub familiaritate & seruitio Apostolicæ sedis annuente & iubēte venerandæ memoriæ Antistite Apostolico Gregorio, anterinre voto constrinxi, quidquid mihi lætitiæ acciderat Apostolico Pontifici solebam indicare: vt in lætis simul laudaremus Deum, & in tristibus, eius cōsilio roborarer. Ita & nunc mihi liceat, pietati vestræ supplico, sicut scriptum est. *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, seniores tuos, & dicent tibi.* Notum enim sit paternitati vestræ, quia postquam indigno mihi mandastis in prouincia Francorum, sicut & ipsi rogauerunt, sacerdotali Concilio, & synodali conuentui præesse, multas iniurias & persecutiones passus sum, maximè à falsis sacerdotibus, ab adulteratis Presbyteris seu Diaconibus & fornicariis Clericis. Maximus tamen mihi labor fuit cōtra duos hæreticos pessimos, & publicos, & blasphemos contra Deum, & contra Catholicam fidem. Vnus qui dicitur Adelbert natione generis Gallus est. Alter qui dicitur Clemens genere Scotus est specie erroris diuersi, sed pondere peccatorum, pares. Contra istos obsecro Apostolicam auctoritatē vestram, quod meam mediocritatem defendere & adiuuare, & per scripta vestra populum Francorum & Gallorum corrigere studeatis: vt hæreticorum fabulas & vana prodigia & signa præcursoris Antichristi non sectentur: sed ad Canonica iura, & ad viam veræ doctrinæ conuertantur: & vt per verbum vestrum isti hęretici duo mittantur in carcerem, si vobis iustum esse videatur, cum vitam & doctrinam illorum vobis intimaue-

Deut. 32 (beside "cut scriptum est. Interroga …")

In su. desunt plurcula. (beside "pulum Francorum & Gallorum …")

1. Cor. 5. 1. Tim. 4. Matth. 24 (beside "præcursoris Antichristi …" and the lines following)

ro, & nullus cum eis loquatur, vel communionem habeat, ne forte fermento doctrinæ fermentatus aliquis pereat: sed segregati viuant: & iuxta dictum Apostoli, huiusmodi *tradiri Sathanæ in interitum carnis vt spiritus saluus sit in die Domini.* Et iuxta Euangelicum præ-
Matt.7. ceptum, *dum Ecclesiam non audierunt, sint nobis sicut Ethnici & publicani.* donec discant non blasphemare, nec scindere tunicam Christi. Propter istos enim persecutiones, & inimicitias, & maledictiones multorum populorum patior: & Ecclesia Christi impedimentum fidei & doctrinæ rectæ sustinet. Dicunt enim de *Aldeberto*, quod eis sanctissimum Apostolum abstulissem, patro-
1.Ti.3. num, & oratorem, & virtutum factorem, & signorum ostensorem abstraxissem. Sed pietas vestra audiens vitam eius, iudicet ex fructu, vtrum vestimentis ouium indutus, intus autem lupus rapax fuisset, an non. In primæua non ætate hypocrita fuit, dicens, quod sibi Angelus Domini, in specie hominis, de extremis finibus mundi, miræ & tamen incertæ sanctitatis, reliquias attulisset: & exinde potuisset omnia, quæcumque popósceret à Deo impetrare: & tunc demum per illam simulationem, sicut Apostolus Paulus prædixit, penetrauit multorum domos, & captiuas duxit post se mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducebantur variis desideriis, & multitudinem rusticorum dicentium, quod ipse esset vir Apostolicæ sanctitatis, & signa & prodigia multa fecisset. Deinde conduxit Episc. indoctos, qui se contra præcepta Canonum, absolute ordinarunt. Tum demú in tantam superbiam elatus est, vt se æquipararet Apo-
De sacris peregrinationib. stolis Christi: & dedignabatur in alicuius honore Apostolorum vel Martyrum ecclesiam consecrare: Et interrogauit, quid voluissent homines visitando limina sanctorum Apostolorum. Postea in proprio honore suo dedicauit oratoria, vel, vt verius dicam, sordidauit: fecit cruciculas, & oratoriola in campis, & ad fontes, vel vbicumque sibi visum fuit: & iussit ibi publicas orationes celebrare, donec multitudines populorum, spretis cæteris Episcopis, & admissis antiquis ecclesiis, in talibus locis conuentus celebrabant, dicentes: Merita sancti *Aldeberti* adiuuabunt nos.

Vngulas suas, & capillos dedit ad honorificandum, & portandum cum reliquiis sancti Petri Principis Apostolorum. Tum demum, quod maximum scelus & blasphemia contra Deum esse videbatur, fecit. Venienti e-
De sacra cōfessione. nim populo & prostrato ante pedes eius, & cupienti confiteri peccata sua dixit: Scio omnia peccata vestra: quia mihi cognita sunt occulta vestra: *Non est opus confiteri: sed dimissa sunt peccata vestra præterita: securi &*
Lutherana & Caluiniana absolutio. *absoluti reuertimini ad domos vestras cum pace*: & omnia quæcumque sanctum Euangelium hypocritas fecisse testatur, suo habitu, incessu, & moribus imitatus est.

Alter autem hæreticus, qui dicitur *Clemens* contra Catholicam contendit ecclesiam: Canones ecclesiarum Christi abnegat, & refutat tractatus, & intellectus sanctorum Patrum *Hieronymi, Augustini, Gregorij* re-
Sic & hodie Nouatores. cusat. Synodalia iura spernens, proprio sensu affirmat, se post duos filios sibi in adulterio natos, sub nomine Episcopi esse posse legis Christianæ Episcopum. Iudaïsmum inducens iudicat iustum esse Christiano, vt si voluerit, viduam fratris defuncti accipiat vxorem. Qui contra fidem sanctorum contendit dicens: quod Christus filius Dei descendens ad inferos, omnes quos inferni carcer detinuit, inde liberasset, credulos & incredu-
Descēsu Chr. ad inferos. Prædestinatio. los, laudatores Dei simul & cultores idolorum: & multa alia horribilia *de prædestinatione Dei*, contraria fidei Catholicæ affirmat.

Quapropter de hoc quoque hæretico precor, vt per litteras vestras mandare curetis Duci *Carolemanno*, vt mittatur in custodiam: vt semina Satanæ latius non seminet: ne forsitan vna ouis morbida totum gregem polluat. Valere sanctitatem vestram, & prosperis prosectibus gaudere in longitudinem dierum optamus.

A Cumque relecta esset, *Zacharias* sanctissimus ac beatissimus Papa dixit: Audistis charissimi fratres quid in istá epistola relectum sit ex sacrilegis illis, qui se ad suam condemnationem *Apostolos* populis prædicauerunt. Sanctissimi Episcopi & venerabiles Presbyteri responderunt: Audiuimus certe per omnia non Apostolos, sed ministros Satanæ, & præcursores Antichristi. Quis enim S. pro sāctuaria
aliquando Apostolorum, aut quilibet sanctorum ex capillis suis, aut vngulis pro sanctuali populis tribuerunt, te Sed sāctuale vocatur res
vt iste sacrilegus & perniciosus agere conatus est *Adelbertus*? Sed hoc scelus à vestro sancto Apostolatu est resecandum: tam de illo, quam etiam de transgressore sancta, reliquiæ.
Clemente, qui sacros canones spernit, atque expositiones sanctorum Patrum *Ambrosij, Augustini*, & cæterorum aut earum theca.
respuit dicta sanctorum. Sed isti iuxta, factis & transgressionibus suis, dignam suscipiant sententiam.

Quia hodie iam tardior hora est, venturo secretario * etiam conscriptam vitam & orationem, quam sibi S * de cōscripta vita & oratione q. i. e. & cæteris.
exposuit, vel cætera, eius conscripta, dum nobis relecta
B fuerint communi consensu, mediante Deo, quid fieri debeat, pertractandum est.

In nomine Domini Dei & saluatoris nostri Iesu Christi imperante Domino piissimo Augusto *Constantino*, magno Imperatore anno vicesimo sexto, post consulatum eius anno quinto, mense Octobris, die vicesima quinta. Indictione quarta & decima. Residente sanctissimo ac beatissimo Domino *Zacharia* Papa in patriarchio Lateranensi, in basilica, quæ appellatur *Theodori*: Considentibus etiam cum eo sanctissimis Episcopis, *Epiphanio* silua candida, *Benedicto, Nomento, Venantio Penestra, Gregorio Portuensi, Niceta* Prænestе.
Gabiis, Theodoro Ostiensi Gratioso, Velitrias: seu venerabilibus presbyteris, id est, *Ioanne Archipresbytero, Gregorio, Stephano*, Itē *Stephano, Dominico, Theodoro, Anastasio, Georgio, Sergio, Iordane, Leone*, Item *Leone, Gregorio, Stephano, Eustachio, Procopio* atque *Theophanio*: propositis in medio sacrosanctis Euangeliis astantibus quoque Dia-
C conibus vel cuncto Clero *Gregorius* notarius regionarius & nomenculator dixit: iuxta vestri sancti Apostolatus præceptionem, quam in præterito secretario iussistis, *Denehardus* religiosus Presbyter adest præ velo. Quid Præcipitis? Dictum est, Ingrediatur.

Cumq; ingressus esset, *Zacharias* sanctissimus ac beatissimus Papa dixit: Actus illius nephandissimi *Aldeberti* siue cætera illius conscripta, quæ præterito secretario præ manibus gerebas, coram præsente concilio porrige legenda, Et accipiens *Theophanius* notarius regionarius & sacellarius relegit vitam illius, cuius initium tale est.

In nomine domini nostri Iesu Christi. Incipit vita in sanctum ac beatum Dei famulú, præclarú atque totum speciosum, ex electione Dei natum, sanctum *Aldebertum* Episcopú. De simplicibus parentibus fuit procreatus, & de gratia Dei est coronatus. Quia dum in vtero matris suæ erat, ibidem gratia Dei cœpit: & antequam peruenisset beatissima natiuitas eius, sic vidit genitrix
D eius, quasi per visionem, egredientem vitulum de dextero latere suo, qui vitulus illi designabat gratiam illá quam ab angelo acceperat antequam exiret de vulua.

Cumque hic libellus vsque ad finem relectus fuisset. Quid *Zacharias* sanctissimus ac beatissimus Papa dixit. Quid ad hæc blasphema responderis sanctissimi fratres? *Epiphanius* sanctissimus Episcopus sanctæ ecclesiæ siluæ candidæ dixit: Certe, Apostolice Domine, ex diuina inspiratione motum est cor sancti vestri Apostolatus, vt prædictum *Bonifacium* sanctissimum fratrem nostrum Episcopum, vtque Francorum Principes commonitis, quatenus in partibus illis, post longa tempora, Concilium aggregaretur sacerdotum, vt hęc schismata, & blasphemiæ vsquequaque sancto vestro Apostolatui minime celarentur. *Zacharias* sanctissimus ac beatissimus Papa dixit: Si quid adhuc habet *Denehardus* religiosus Presbyter nobis porrigere relegendum, porrigat. *Denehardus* religiosus Presbyter respondit.

Exe

e domine epiſtolam qua vtebatur. & diuulgabat eſu, & de cœlo cecidiſſe, Et accipiens *Theophanus* arius regionarius, & ſacellarius relegit: cuius initiale eſt. In Dei nomine, incipit epiſtola Domini ri Ieſu Chriſti filii Dei: quę in Hieroſolyma cecidit, er *Michael* Archangelum ipſa epiſtola inuenta eſt ortã *Effrem*: & per manus ſacerdotis, nomine *Ieure*, ſtola iſta relecta, ipſa exemplata: & tranſmiſit ipſã ſtolam ad* *Hieremam* ciuitatem alio ſacerdoti *Talaſim*. Et ipſe *Talaſim* tranſmiſit ipſam epiſtolam ad *Aram* ciuitatem alio ſacerdoti *Leoban*.

Et ipſe Leobanus tranſmiſit epiſtolam iſtam ad *Vetfam* ciuitatem, & recepit epiſtolã iſtã *Macrius* Sacerdos Dei. tranſmiſit ipſam epiſtolam in montem ſancto changelo *Michael*. Et ipſa Epiſtola per manus Angeli mini peruenit ad Romanam ciuitatem ad locum ſepulchri ſancti *Petri*: vbi claues regni cœlorum conſtitutæ ſunt: & duodecim Papati, qui ſũt in Romana ciuitate, triduanas fecerunt vigilias, in ieiuniis & orationibus. er dies & noctes: & cætera vſque ad finem perlecta.

Zacharias ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Pro erro, chariſſimi fratres, eſt prædictus in inſaniam conerſus *Aldebertus*: omnes qui hac vtuntur cõmentata piſtola, paruulorum more, * abſque memoria menium eſſe poſſunt: quibuſdam mulieris vtuntur ſenſibus.

Sed vt ne leuiores adhuc amplius decipiant, indiſcuſſam & abſque ſententia cauſam hanc in eum relinquere minime poſſumus. Sanctiſſimi Epiſcopi & venerabiles Preſbyteri reſponderunt: Ex diuina illuminatione cognoſcimus cor ſancti veſtri Apoſtolatus illuminatum: & quæ à vobis dicta ſunt, ex adminiſtratione ſancti Spiritus emanarunt. Et idcirco, vt à vobis præuiſum fuerit, in vtroſque ſententia promulgetur. *Zacharias* ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Non vt à vobis ſolũ præuiſum fuerit: ſed pariter cum ſanctitate veſtra eſt pertractandum. Sed ſi domino placuerit, in futuro ſecretario, quod rectum præuiſum fuerit, & Dominus ſuis famulis adminiſtrauerit, ex omnibus actis, promulgabitur ſententia.

In nomine Domini Dei Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, imperante domino piiſſimo auguſto *Conſtantino* magno imperatore anno XXVI. poſt conſulatum eius anno V. menſe Octobr. die XXV. indictione XIV. Præſidente ſanctiſſimo ac beatiſſimo Domino *Zacharia* Papa in patriarchio Lateranenſi in baſilica, quæ appellatur *Theodori*. Conſidentibus etiam cum eo ſanctiſſimis Epiſcopis, propoſitis in medio ſacroſanctis euangeliis, aſtantibus quoque Diaconibus vel cuncto Clero, Gregorius Notarius regionarius & nomenclator dixit: Secundum quod à veſtro ſancto Apoſtolatu præceptum eſt, in præterito ſecretario, vt Deneardus religioſus Preſbyter hodie ſe veſtris obtutibus præſentaret. Præſto eſt præ foribus, quid præcipitis? dictum eſt. Ingrediatur. Cumque ingreſſus fuiſſet, *Zacharias* ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Habes adhuc ex ſacrilegorum illorum conſcripto, vt coram cõcilio porrigere debeas relegendũ? *Deneardus* religioſus Preſbyter reſpondit: Etiã Domine, habeo orationem, quam ſibi Aldebertus componere niſus eſt. Et ecce præ manibus eam gero, iubete ea en ſuſcipi. Et accipiens relegit in his ſermonibus orationem, cuius initium tale eſt.

SCELERATI ALDEBERTI oratio.

Domine Deus omnipotens Chriſte fili Dei, pater domini noſtri *Ieſu Chriſti*, & α & ω, qui ſedes ſuper ſeptimo throno, & ſuper Cherubin, & Seraphin, pietas magna, & dulcedinis ſatis eſt apud te pater ſanctorum Angelorum, qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt.

A Te inuoco, & clamo & inuito te ſuper me miſerrimo, quia tu dignus fuiſti dicere: *Quodcunque petieritis à patre in nomine meo, dedi vobis*: à te peto, ad te clamo, à Domino Chriſto confido animam meam. Cumque per ordinem legeretur, peruenit ad locum vbi ait: Precor vos, & coniuro vos, & ſupplico me ad vos, Angelus *Vriel*, Angelus *Raguel*, Angelus *Tubuel*, Angelus *Michael*, Angelus *Adinus*, Angelus *Tubeas*, Angelus *Sabaos*, Angelus *Simiel*. Dum vero hæc oratio ſacrilega vſque in finẽ perlecta fuiſſet Zacharias ſanctiſſimus Papa dixit. Quid ad hæc, ſanctiſſimi fratres, reſpondetis? Sanctiſſimi Epiſcopi, & venerabiles presbyteri reſponderunt: Quid aliud agendũ eſt niſi vt omnia, quæ nobis relecta ſunt, igni concremẽtur? auctores vero eorũ anathematis vinculo percellantur? Quia octo nomina Angelorũ, quæ in ſua oratione *Aldebertus* inuocauit: non Angelorum, præterquã *Michaelis*, ſed magis dæmones in ſua oratione ſibi ad præſtandũ auxiliũ inuocauit. Nos autẽ, vt à veſtro ſancto Apoſtolatu edocemur, & diuina tradit auctoritas, non pluſquã triũ angelorũ nomina cognoſcimus, id eſt, *Michael, Gabriel, Raphael*. *Alioqui de myſterio, ſub ob-*

Ioan. 16.

S. Adimis, Sabaoth, Simihel

S. dæmonum ſunt, quos.

B *tentu Angelorum, dæmonum nomina introduxit*. Zacharias ſanctiſſimus ac beatiſſimus Papa dixit: Prouiſum eſt à veſtra ſanctitate, vt conſcripta illius omnia igne cremarentur.

Deſunt in S. & al vel ſi qui.

Sed opportunum eſt, vt, ad reprobationẽ eius, in ſancto noſtro ſcrinio reſeruetur ad perpetuã eius confuſionẽ. Nunc vero quia omnia peracta ſunt, de vtrorumque ſententia, quorum ſuperius mentio facta eſt, pertractãdum eſt. Vniuerſum concilium dixit. Aldebertus cuius nobis actus, & nepharia commenta relecta ſunt, & qui ſe *Apoſtolum* cenſuit nominare & capillos & vngulas ſuas populis pro ſanctualis tribuebat, ſeducens populum diuerſis erroribus, quinetiam, ſub obtentu Angelorũ in ſuo auxilio dæmones inuocat, ſit ab omni officio ſacerdotali alienus, agens pœnitentiã pro commiſſis, & amplius iam populum minime ſeducat.

C Sin autem in his erroribus perſeuerauerit, & populũ amplius ſeduxerit; ſit ei anathema: & æterno Dei iudicio condemnetur, vel omnis qui ei conſenſerit vel eius ſecutus fuerit doctrinã, aut adiunctus fuerit illi. Similiter autem & *Clemens*, qui per ſuam ſtultitiam, ſanctorũ Patrum ſtatuta reſpuit, vel omnia ſynodalia acta; inferẽs etiam Chriſtianis Iudaiſmum, dum prædicat fratris defuncti accipere vxorem, inſuper & Dominum Ieſum Chriſtum deſcendentẽ ad inferos, omnes pios & impios exinde prædicat abſtraxiſſe, ab omni ſit ſacerdotali iudicio nudatus, & anathematis vinculo obligatus: pariterque Dei officio condemnatus, vel omnis qui eius ſacrilegis conſenſerit prædicationibus.

Zacharias Epiſcopus ſanctæ Dei eccleſiæ* atque Apoſtolicæ vrbis Romæ his geſtis atque ſentẽtiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit, ** In S. Catholica.*

Epiphanius Epiſcopus ſanctæ eccleſiæ ſiluæ cãdidæ his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit.

D *Benedictus* Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Nomentanæ his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit.

Venantius Epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Præneſtinæ his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit.

Gregorius Epiſcopus ſanctæ eccleſiæ Portuenſis his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

Nicetas Epiſcopus ſanctæ eccleſię Gabinatis, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

Theodorus Epiſcopus ſanctę eccleſiæ Oſtienſis his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatæ ſubſcripſit.

Gratioſus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Velliternenſis, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatę ſubſcripſit.

Ioannes Archipreſbyter tituli ſanctæ *Suſanna* his geſtis atque ſententię à nobis promulgatis ſubſcripſit.

Gregorius Humilis Preſbyter* ſanctę Romanæ Eccleſiæ, tituli ſancti *Clementis*, his geſtis atque ſententiæ à nobis promulgatis ſubſcripſit. ** Deeſt in S. ſemper ſcte.*

Stephanus gratia Dei Preſbyter ſanctæ Romanæ Eccle-

A siç, tituli sancti Marci, his gestis atq; sententiæ à nobis promulgatæ subscripsit.

Stephanus indignus Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tituli sancti Eusebii, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatæ subscripsit.

Dominicus humilis Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tituli sanctæ Priscæ, his gestis atque sententię à nobis promulgatæ subscripsit.

Theodorus humilis Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tituli sancti Laurentii, his gestis atq; sententiæ à nobis promulgatæ subscripsit.

Anastasius indignus Presbyter S. Rom. Ecclesiæ, tituli S. Mariæ, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatæ subscripsit.

Georgius humilis Presbyter S. Roman. Ecclesiæ tituli sanctorum Ioannis & Pauli, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatæ subscripsit.

Sergius humilis Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tituli sanctæ Potentianæ, his gestis atq; sententiæ à nobis promulgatæ subscripsit.

Iordannes indignus Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tituli sanctæ *Sabinæ*, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatę subscripsit. B

Theophanius humilis Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tituli sanctorũ *quatuor coronatorum* his gestis atque sententiæ à nobis promulgatæ subscripsit.

Ordo in S. mutatus. *Leo* indignus Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tituli sanctæ Anastasiæ, his gestis atq; sententiæ à nobis promulgatæ subscripsit.

Leo humilis Presbyter sanctæ Romanę Ecclesię, tituli Damasi, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatæ subscripsit.

Gregorius indignus Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ tituli sanctæ *Balbinæ*: his gestis atque sententiæ à nobis promulgatæ subscripsit.

Stephanus Presbyter sanctæ Romanę Ecclesiæ, tituli sancti *Chrysogoni*: his gestis atque sententię à nobis promulgatæ subscripsit.

Eustachius: humilis Presbyter sanctæ Romanæ Ecclesiæ, his gestis atque sententiæ à nobis promulgatæ subscripsit. C

Precopius indignus Presbyter sanctę Romanę Ecclesiæ, tituli sancti Cyriaci; his gestis, atque sententiæ, à nobis promulgatæ subscripsit.

EPISTOLA CXXXVI.

*S. Beluocanensi. *S. Helisæo Nouiomensi Folcrico T. & ordo mut. *S. Senebaudo Laudensi E. Romano Meldensi E. *S. Hartoni

Dilectissimis Reginfrido Rothomagẽsi Episcopo. Deodato Belbocanensi Episcopo, Remberto Ambianensi Episcopo,* Hebesco Noviomensi Episcopo, Fulcrico Tungrensi Episco. David Spironensi Episcopo. Aitherio Toronẽsi episcopo, Treuuardo Camerotanensi Episcopo, Burchardo Vuirtzenburgẽsi Episcopo,* Agilolfo Coloniẽsi Episcopo, Heddo, Strasburgẽsi Episcopo, & cæteris amãtissimis Coepiscopis Presbyteris, etiam & Diaconib. cunctisque orthodoxis Ecclesiarum Dei clericis Apostolicã doctrinam tenentib. Zacharias diuina gratia præditus, Apostolicæ sedis Pontifex, seruus autem seruorum Dei, in Domino salutem dicit.* D

lib. 2. vit. c. 6. Mog p. 394.

GRatias ago Deo patri omnipotenti, & domino Iesu Christo vnico filio eius, & Spiritui sancto, qui vestra omniũ corda inflãmare dignatus est, per diffusã à se gratiã, vt in vnitate fidei & vinculo pacis ambuletis: & sit splendor Domini Dei nostri super vos, dilectissimi mihi, & abundãs gratia pacis & charitatis, vt sitis vnum corpus spiritalis matris vestræ sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Dei Ecclesiæ, in qua Deo authore præsumus, implentes illud propheticum dictum: *Ecce quam bonum & quam iucundum habitare fratres in vnum.* Et si, pro itineris longitudine, corpore sumus absentes, in spiritu tamen dilectionis semper sumus vobis præsentes, habentes vos in visceribus nostris, & assidue

Psal. 132.

A orantes vt Deus & Dominus noster Iesus Christus multo amplius confirmet corda vestra & corroboret in exhortatione Euangelii, in ministerio, quo fungimini, vt credita vobis plebs piis vestris admonitionibus, adiutore Deo, à diabolica fraude liberata salua persistat, vosque mereamini de eorum animabus in diem Christi apportare lucrum. Scriptum quippe est: *Filii sapientiæ, ecclesia iustorum, & natio eorũ obedientia, & charitas.*

Eccl. 3. v. 1. Eph. 4.

Obsecro ergo vos, charissimi mihi, vt digne ambuletis vocatione qua vocati estis, vt decet sanctos cum multa patientia: supportãtes inuicẽ in charitate: soliciti seruare vnitatẽ Spiritus in vinculo pacis & charitatis: quia finis præcepti charitas est: de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Gaudeo in vobis, fratres charissimi, quoniã fides vestra, & vnitas erga nos preciosa est & manifesta, non solum corã Deo, sed etiã coram omnibus, dum ad fautorẽ & magistrũ vestrum à Deo constitutum beatum Apostolorum Principẽ *Petrum*, benignissima voluntate conuersi estis. Laudabilis fides vestra ex bona fama, quoniã idipsum sapitis quod oportet sapere: * & nunc Deo cooperãte est aggregata sanctitas vestra nostrę societati in vno

Tim. 1.

B pastorali ouili: & est nobis vnus Pastor, qui à pastore pastorũ Domino Deo & saluatore nostro Iesu Christo princeps Apostolorum & noster doctor est institutus.

§ Et in hoc 1. * in S. desunt seq. vsque Habetis.

Habetis itaque nostra vice ad confortandam dilectionem vestram & collaborandum vobis in Euangelium Christi, sanctissimum ac reuerendissimum Bonifacium fratrem nostrum Archiepiscopum Apostolicę sedis Legatum, & nostram præsentantem vicem. Sic ergo constantia vestra aduersus contentiones eorum, qui aduersa sapiunt, & non quę Dei sunt: & erit fortior petra constantia vestra, sicut est scriptum. *Ne timueritis eos, neque terreamini à facie eorum, qui corpus occidunt animã vero non possunt occidere. Quod autem in aure auditis prædicate in lumine, illum timentes qui potest animum & corpus occidere, & mittere in gehennam.*

Matt. 10. Luc. 12.

2. Cor.

Fratres mei: in carne enim ambulantes non *secundum carnem militamus. Arma enim militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo: ad destructionem munitionum consilia destruentes & omnem exaltationem extollentem se aduersus scientiam Dei: & in captiuitatem redigentes omnem cogitationem in obsequium Christo perducentes.* C

Eph. 6.

De cætero, fratres, confortamini in Domino, & in potentia fortitudinis eius. Pax vobis multa & gratia à Deo & Domino nostro Iesu Christo ministretur. Amplectimur & osculamur ac si præsentes charitatem vestram in vnitate Spiritus, in vinculo pacis & charitatis Christi. Deus vos incolumes custodiat dilectissimi nobis.

EPISTOLA CXXXVII.

Zacharias Papa vniuersis Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, Abbatibus, cunctis etiam Ducibus, Comitibus, omnibusque Deum timentibus per Gallias & Francorum prouincias constitutis.

D

Ibi. vit. c. 7. Mog. p. 396.

REferente nobis reuerendissimo atque sanctissimo fratre nostro Bonifacio Episcopo, quod dum synodus aggregata esset in prouincia vestra, iuxta nostram commonitionem, mediantibus filiis nostris Pippino & Carolemanno Principibus vestris, peragente eiusvicem nostram prędicto Bonifacio, Dominus omnipotens inclinasset corda vestra cum Principibus vestris in prædicatione eius, vt omnibus commonitionibus eius obediretis: & fallos & schismaticos, & homicidas, & fornicarios à vobis expelleretis sacerdotes, omnipotenti Deo nostro gratias egimus, & pro vobis incessanter sumus orantes, vt qui cœpit in vobis opus bonum perficiat vsque in finem. Obsecro enim omnes vos, coram Deo, vt eius commonitionibus similiter obediatis.

Ipsum enim vice nostra in partibus illis ad prædicandum

dum habemus constitutum, vt vos Deo proprio ad viã perducat rectitudinis, & à cunctis facinoribus salui esse possitis. Habuistis enim, peccatis facientibus, nuncusque falsos & erroneos sacerdotes. Vnde & cunctę Paganæ gentes vobis pugnantibus præualebant, quia non ea differentia inter Laicos & Sacerdotes, quibus pugnare licitum non est.

S. dubitui. Qualis enim victoria datur, vbi sacerdotes, vna hora, Dominica pertractant mysteria & Christi Dominicum *porrigunt corpus pro suarum animarum redemptione, & postea Christianos quibus hoc ministrare debuerant, aut Paganos, quibus Christum prędicare, propriis, sacrilegisque manibus necant: & fit secundum Domini verbum. *Vos estis sal terræ. Quod si sal euanuerit, in quo condietur? ad nihilum valet vltra: nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Et dum hæc ita sint, & tales in vobis fuerint sacerdotes, quomodo victores contra vestros inimicos esse poteritis? Nam si mundos & castos ab omni fornicatione & homicidio liberos habueritis sacerdotes, vt sacri præcipiunt canones, & nostra vice prædicat præfatus Bonifacius frater noster, & ei in omnibus obedientes extiteritis, nulla gens ante conspectum vestrum stabit: sed corruent ante faciem vestram omnes paganæ gentes: & eritis victores. Insuper & bene agentes vitam possidebitis æternam: Vos enim, charissimi fratres, qui estis veri sacerdotes, vel sub regulari disciplina constituti: sic vosmetipsos exhibete: vt decet Dei ministros & dispensatores mysteriorum Dei, vt non vituperetur ministerium vestrum: ne fiat in vobis quod scriptum est. *Erit sicut populus, sic sacerdos.* Et si hoc fuerit, qualis vobis erit ab hominibus laus? aut qualis à Deo expectatur retributio? Sed sic vos corrigite, vt veri sacerdotes, & tales ad sacerdotium producite vt & vobis & illis testimonium maneat bonum, ab his qui foris sunt, quatenus ab hominibus vobis acquiratis laudem, & à Deo mercedis præmium in æterna beatitudine percipere mereamini: eo quod per vos ad Christi perducti sunt rectam fidem, innoxios habentes sacerdotes. Ad Synodum quoque omni anno conuenite, ad pertractandum de vnitate Ecclesiæ, vt si quid aduersi acciderit radicitus amputetur: & Dei Ecclesia maneat inconcussa. Bene valete.

S.con. secrant.

Matth. 5. saliet ur.

Esa.24.

S. Quioblem prouenite.

EPISTOLA CXXXVIII.

Reuerendissimo & sanctissimo fratri Bonifacio Coepiscopo Zacharias seruus seruorum Dei.

lib. 2. vit. c. 8. Mog. p 397.

CVm nobis sanctissimæ fraternitatis tuæ syllabæ delatæ fuissent, atque per singula relegi fecissemus reperimus in eatundem litterarum tuarum serie, quod peccatis nostris facientibus, dum Dominici tritici semina quæreres elaborare ad augendam segetem spiritalem, subito inimici superseminauerunt zizania, vt sanctitatem tuam in bono opere impedirent. Sed tua sancta fraternitas incessanter orationi instat pariter cũ fratribus, qui tecum laborant: & spiritalei sarculos construens zizaniam eradicans deportes ad comburendum. Vt Beatus *Gregorius* Papa. *Bonum*, inquit, *opus vobis sit in voluntate: nam ex diuino adiutorio erit in perfectione.* His ita se habentibus, charissime frater, confortare in Domino & ipse erit adiutor tuus. De incursione autem gentium, quæ in tuis plebibus facta est, mœrendum nobis est, sed hęc aduersitas nullatenus tuam fraternitatem conturbet: quia & Romana ciuitas ex accidentibus facinoribus est depopulata: & tamen omnipotentia sua Dominus ex supernis eam dignatus est consolari. Sic etenim credimus, quia & vos consolabitur. Sed populis tibi commissis, reuerendissime frater, prædica ieiunium, supplicationes apud Deum Litaniarum, & supereminens clementia eius adiuuabit vos. Te autem, vt prædiximus nullatenus aduersa contur-

Vide c. sc ss 7. Iob &c. 1.9 4. Vast.

alter Sur.

A bent: sed in bono opere, quod cœpisti, nullo modo deficias. Nos vero licet immeriti & peccatores existamus, nostris precibus vel consacerdotum nostrorum, in quantum possumus, adiuuamus.

De Synodo autem congregata apud Francorum prouinciam, mediantibus *Pippino & Carolomanno* excellẽtissimo filiis nostris iuxta nostrarum syllabarum commonitionem peragente vicem nostram tua sanctitate, qualiter exisses cognouimus, & omnipotenti Deo nostro gratias egimus, qui eorum corda confirmauit, vt in hoc pio opere adiutores existerent: Et omnia optime & canonice peregisti tam de falsis Episcopis & fornicariis, & schismaticis quam & in reliquis nomine Sacerdotibus contra Canonum instituta agentibus, vel contra Catholicam & Apostolicam Dei Ecclesiam, de quibus secundum tuam relationem per singula respondemus.

B De eo autem quod suggessisti, quod elegerunt vnam ciuitatem omnes Francorum Principes pertingentem vsque ad Paganorum fines, & in partes Germanicarum gentium, vbi antea prædicasti, quatenus ibi sedem Metropolitanam perpetuo habere debeas, & inde cæteros Episcopos instrueres ad viam rectitudinis, post tui successores perpetuo iure possideant, hoc quod decreuerunt nos læto suscipimus animo, eo quod ex Dei nutu factum est. Quod vero quidam falsi sacerdotes & schismatici hoc impedire conati sunt, eorum vanum agonem Dominus dissipabit, & illa facies stabilita, quæ sanctorum Patrum statutis conueniunt concordare. Et quia tibi ipsi Principes Francorum etiam in hoc adiutores extiterunt, retribuat illis omnipotens Deus vicissitudinis præmium, & innumera largiatur bona. *Su videntur. Cont.*

Nam de illo similiter falso Episcopo, quem dixisti, quod adulterati Clerici, & homicidæ filius, in adulterio natus, & absque disciplina nutritus: & cætera mala & horribilia, quæ per singula enarrasti, ac per hoc is sui similes sacerdotes consecrauit: De hoc meminit tua reuerenda fraternitas, quia iam tibi sæpius scripsimus, vt nullus homicida, nullus adulter, nullus fornicator sacrũ ministerium debeat tractare. Sed neque ex pœnitente quis aut talis qualem sacri canones prohibent esse sacerdotem.

C

De baptizatis vero ab illis seu Ecclesiis consecratis requirat tua fraternitas, si aut Ecclesias in nomine Trinitatis consecrauit, aut paruulos similiter baptizauit dum sacerdotio fungebatur. Et sic consecratio. Ecclesiarum, & paruulorum baptisma sit confirmatum.

Et hoc pariter suggessisti, quod hi qui ante proiecti sũt sacerdotes, à nobis se absolutos apud Francorũ prouinciã diuulgẽt quod tua sãcta fraternitas nullo modo credat. Quia (quod impossibile est) si hoc fecissemus, tuæ charitati per nostras indicassem* litteras. Sed hoc, quod impossibile, nullo modo credat. Quia nõ aliud prędicamus, & aliud agimus, & dirigimus, vt illi garriunt: sed auxiliãte Deo illud, quod prædicamus sine tenus obseruandũ censemus. Hoc autẽ sanctitatẽ tuã firmissime vt teneas, hortamur, vt sanctorũ Patrũ institutis, & consultis sacrorũ Canonum omnimodo obsequi debeas: quia nos nullatenus aliud prædicamus, aut aliud agimus. *S studeas.*

D

Nam de eo quod obsecrasti, vt Francorum Principibus scriberemus, vel cæteris Francis, vt petisti, eis per singula scripsimus: vt tibi & amici sint, & adiutores in Dominico opere existant.

De censu vero expetendo, eo quod impetrare à Francis ad reddendum Ecclesiis vel monasteriis non potuisti, quam vt in vertente anno ab vnoquoque coniugio seruorum duodecim denaria reddantur, ex hoc gratias ago Deo, quia hoc potuisti impetrare, & dum Dominus donauerit quietem, augentur & luminaria Sanctorum pro eo quod nunc accidit tribulatio. *Saracenorum, Saxonum* vel *Fresonum*, sicut tu ipse nobis innotuisti. *S plenos p.*

De eo namq; quod interrogasti, quod illi qui depositi sunt pro capitalibus peccatis, de gradu sacerdotali, dum

eos reperisses adulteros, homicidas, vt nec sacerdotes nec Clerici esse possint, nec sub pœnitentia Monachi esse volunt, sed pergentes apud Palatium Regis Francorum rogant, vt eis loca tribuat Ecclesiarum, vel monasteriorum, vel laicam vitam viuant, dispergentes Sanctorum loca, sed & de hoc pariter qualiter fieri debeat Francorum Principibus commonentes direximus. In alia quippe tua epistola repperimus contineri omnia, quæ contra te egerunt falsi & schismatici Episcopi, id est, Aldebertus & Clemens per quæ, omnia acta ipsorum, & impiissimum errorem singilatim indicasti. Nos vero congregatis fratribus, & consacerdotibus nostris, eorundem prauorum sceleratissima acta in eorum præsentia relegi fecimus: & dũ nobis coram Concilio relecta fuissent, pro studio omnes eodem schismatica dogmata ipsorum, seu sceleratissimam vitam, quam sibi Aldebertus conscribere fecit, vna voce exclamauerunt, vt igni cremarentur. Sed nos hoc non fieri rectum iudicauimus, pro eo quod ad reseruandum siue in æternum eos condemnandum, in scrinio sanctæ Ecclesiæ reseruanda mandauimus. Suscipientes ipsi dignam sententiam, cuius instar actionis, ad tuam direximus fraternam sanctitatem, vt relecta in prouincia Francorum omnis schismaticus audiens taliter à sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia iudicatum, à sensus sui prauitate resipiscat.

S. commonitoria direximus scripta.

Libri hæreticorum interdũ seruandi.

In tertia tua namque epistola intimasti de alio seductore, nomine *Geoleibo*, qui antea falsè Episcopi honore fungebatur, & quia, sine cuiuscumque consultu, apud nos properat, dum aduenerit, vt Domino placuit, fiet, Tua autem reuerentia, vt cœpit, auxiliante Domino vice nostra volumus, vt omni anno, apto tempore, in Francorum prouincia, Concilium debeat celebrare: vt frequentia sacerdotum, siue institutis sacrorum mediantibus, illic quid aduersum nullo modo valeat pullulare: sed magis Ecclesiæ Dei vnitas, & disciplina Catholica atque Apostolica vbique in illis partibus dilatata eunctæ populorum turbæ etiam in occiduis partibus, veri Catholici esse possint: & non amplius per falsos sacerdotes erroribus inuoluti demergantur in interitum. Dum vero concilium aggregaueris, sic tua fraternitas conflictum habeat cum Metropolitanis, quos confirmauimus, de eo quod dixisti, vt nullus sine commendatitiis suscipiatur epistolis. Tamen & pro hoc ipso, & pro omnibus vtilitatibus sanctæ Ecclesiæ, Francorum Principibus, commonitionis direximus litteras: vt iam superius fati sumus. De ciuitate namque illa quæ nuper *Agrippina* vocabatur, nunc vero *Colonia*, iuxta petitionem Francorum, per nostræ auctoritatis præceptum, nomini tuo metropolim confirmauimus, & tuæ sanctitati direximus, profuturis temporibus, eiusdem Metropolitanæ Ecclesiæ stabilitatem. Deus te incolumem custodiat reuerendissime, & sanctissime frater. Data pridie Kalend. Nouemb. imperante Domino piissimo augusto *Constantino*, à Deo coronato, magno Imperatore anno xxvii. Imperij eius* anno quinto, Indictione quarta & decima.

* In S. desid.

EPISTOLA CXXXIX.

ZACHARIAS BONIFACIO.

Reuerendissimo & sanctissimo Bonifacio Coepiscopo, Zacharias seruus seruorum Dei.

l. t. vit. c. 9. Mog. p. 401. 1. Cor. 5.

EGregius nos admonet beatus Apostolus Paulus in eo quod ait. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Hinc est ergo, vt, per spiritale charitatis vinculum, etsi corpore absentes, spiritu vero semper fraternæ sanctitati tuæ sumus præsentes: ita vt in nostris visceribus te habentes charissimum fratrem, & consacerdotem, licet peccatores, tamen, spe diuina freti, assidue in nostris orationibus memoriam tui agere non desistimus: A petentes immẽsam Christi Dei diuinitatem, vt ad peragendum suum te confirmet ministerium: quatenus in diem aduentus eius, illam placabilem merearis exprimere vocem. *Ecce ego & pueri, quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam.* Vt continuo altisona & desiderabilis vox inter illos qui ab initio mundi ei placuerunt, consonãter te in illorum inuitatione submittat, in qua dicturus est. *Venite benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* His ita se habentibus agnoscas charissime, flagitasse à nobis *Pippinum* excellentissimum, maiorem domus gentis Francorum; per suum hominem nomine *Ardobanium*, religiosum Presbyterũ aliquanta capitula de sacerdotali ordine, & quæ ad salutem animæ pertinẽt: simul etiam & pro illicita copula, qualiter sese debeant custodire iuxta ritum Christianæ religionis, & sacrorum Canonum instituta. Et quanquã de hoc iam exper. a sit tua fraterna sanctitas, quę à nobis sunt decreta, illius tamẽ vocibus aurem accommodantes, in breui eloquio conscripta B Apostolica documenta direximus: pro quibus, vt in sacerdotali collegio lectioni pandantur, tuam fraternam sanctitatem inibi euocari dedimus in mandatis.

Isa. 8. Ioan. 18. Matth.

Et dum pro hac re fuerit aggregatum Concilium, ad medium deducantur sacrilegi illi, & contumaces, *Aldeberthus*, & *Godalsacius*, & *Clemens* * Exepiscopi, vt eorũ denuo, subtili indagatione cribretur causa. Quos si deuiantes à rectitudinis tramite vsquequaque repereritis, & conuicti fuerint inclinati ad viã conuerti rectitudinis, vt bonum atque placitum in oculis vestris paruerit cum Principe prouinciæ disponite, secundum sacrorum Canonũ sancita. Sin autem in superbia perstiterint contumaciter proclamantes reos se non esse, tunc cũ probatissimis atque prudẽtissimis sacerdotibus duobus aut tribus prædictos ad nos dirigatis viros, vt profunda inquisitione coram sede Apostolica eorum inquiratur causa, & iuxta quod meruerint, finem suscipiant. Age itaque, dilectissime frater, in ministerio tibi commisso, vt ab omnipotẽte Deo mercedis præmium C recipiens æternam vitam consequi merearis. Deus te incolumẽ custodiat, reuerendissime frater. Data nonis Ianuariis, Imperante Domino nostro piissimo Augusto *Constantino*, à Deo coronato magno Imperatore Anno xxviii. Imperij eius anno sexto, Indictione xv.

* deest in Surio.

desunt in S. & Mauano.

EPISTOLA CXL.

Reuerendissimo & sanctissimo fratri Bonifacio Coepiscopo, Zacharias seruus seruorum Dei.

SAcris liminibus beati Apostolorum principis Petri & nostris obtutibus præsentatus præsens *Burchardt* dilectus nobis Episcopus, fraternæ sanctitatis tuæ attulit affatus, per quorum scriptum tenorem agnouimus, magnum te habere certamen, & sudoriose clabotare fraternitatem tuam, in prædicatione Euangelij Christi Dei nostri: & exhortatione sanctæ Catholicæ, & orthodoxæ rectæ fidei, quam à redemptore noD stro Deo & Domino Iesu Christo per à se institutum beatum Principem *Petrum*, & vas electionis *Paulum*, omnesque Apostolos traditam suscepimus. Quibus agnitis, etsi peccatores, extensis ad æthera palmis, omnipotenti Deo immensas egimus gratias: petentes eius ineffabilem diuinitatem, vt multo amplius confirmet atque corroboret cor fraternitatis tuæ: & sospitem, atque robustum corpore annuat permanere: vsquequo eius diuinitas te superstitem in hac iussrit esse vita, ad perficiendum ministerium tibi impositum, & ad portandum lucrum animarum in diem Christi Iesu, vt illam merearis audire desiderabilem vocem, quam dicturus est Dominus diligentibus se: *Venite benedicti patris mei, percipite regnum vobis paratum ab origine mũdi.* Erant autem inserta in eisdem vis affatibus diuersa capitula: de quibus iudicium atque

lib. 3. vit. c. 10. Mog. p. 403.

S. Iesu.

Matth. 25.

onsilium & solatium sedis Apostolicæ tibi dirigi flagitasti.

Primum capitulum pro synodo prouinciæ in qua natus & nutritus es, quam & in gentem *Anglorum & Saxonum* in *Britannia* insula primi prædicatores ab Apostolica sede missi, *Augustinus, Laurentius, Iustus, & Honorius*, nouissime & tuis temporibus *Theodorus* Græcolatinus ante philosophus, & Athenis eruditus Romæ ordinatus, pallio sublimatus, ad præfatam *Brittaniā* transmissus iudicabat & gubernabat, in illa tale decretū & iudicium firmissime præceptum & diligenter demonstratum esse dinoscitur, vt quicunque sine inuocatione Trinitatis lotus fuisset, quod sacramentum regenerationis non haberet: quod omnino verum est. Quia si mersus in fonte baptismatis qui fuerit sine inuocatione Trinitatis perfectus non est nisi fuerit *in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti baptizatus*.

De illo autem quod per quosdā affirmari scripsisti, vt si euangelicis quis verbis, inuocata Trinitate, iuxta regulam a Domino positā, quicunque mersus esset, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, quod sacramentum sine dubio haberet, & tam fortiter verbis euangelicis fuisset consecratū baptisma, vt quamuis sceleratissimus quisque hæreticus, vel schismaticus, aut latro, vel fur, siue adulter hoc homini petenti ministret, tamē Christi esset baptisma euangelicis verbis consecratum.

Et è contra, si minister iustus fuisset, & Trinitatem iuxta regulam à Domino positam in lauacro non dixisset, verū baptisma non esset, quod dedit. Pro illis itaque immundis & incertis viris, hæreticis, atque schismaticis, qui in nomine *Trinitatis* petentes baptizant, sed & de his, qui sine inuocatione *Trinitatis* mergūt in fonte baptismatis, fraternitati tuæ notū, quid de illis sacrorū canonū series cōtineat: quod & tenere te firmiter hortamur.

Scriptum quippe est, dicēte domino. *Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum.* Quod suscepisti frater à nostro [*Le.11.*] præ decessore sanctæ recordationis *Gregorio* huius Apostolicæ sedis Pontifice in eo permane: & ab euangelica & Apostolica seu sanctorum patrum tradita doctrina nullo modo declines sed indutus loricam fidei, & galeam salutis viriliter contra nequitias Diabolicæ fraudis, [*S. nō*] * Apostolicam præsentando vitam, resiste. Scriptum [*...rem.*] namque est: *Ecce dedi faciem tuam potentem aduersus faciem eorum: & constantiam tuam confortabo aduersus contentiones eorum: & erit fortior petra constantia tua.*

Pro sacrilegis itaque Presbyteris, vt conscripsisti, qui tauros, hircos, diis paganorum immolabāt, manducantes sacrificia mortuorum, habentes & pollutum ministerium ipsique adulteri esse inuenti sunt, [*...is sūt ...te ...missa ...mnia.*] & defuncti: modo vero incognitum esse, vtrum baptizantes Trinitatem dixissent, an non: & timent illi qui viui sūt, quod in tali ministerio non sint baptizati, quibus respondens iussisti omnes baptizare. Hoc quoque obseruasse in supradicta synodo sacerdotes, vt qui vel vnam personā de *Trinitate* in baptismo non nominaret, illud baptismū esse non posse.

Quod pro certo verum est. Quia qui vnum ex sancta *Trinitate* confessus non fuerit, perfectus Christianus esse non potest. Qui enim confitetur Patrem & Filium, si confessus non fuerit Spiritum sanctum: nec Patrem habet nec filium. Et qui confessus fuerit Patrem, & Spiritum sanctum, & Filium non fuerit confessus, nec Patrem habet, nec Spiritum sanctū, sed vacuus est à gratia diuina. Eos autē quos reperisse affata est fraternitas tua pseudosacerdotes multo maiores numeri, quā Catholicos, * erroneos simulatores sub nomine Episcoporum vel Presbyterorum, qui nunquam ab Episcopis Catholicis fuerunt ordinati, illudentes populo, & ministeria ecclesiæ confundentes, & conturbantes, aut falsos gyrouagos, adulteros, sacrilegos, hypocritas, & multos seruos tonsuratos qui fugerunt à dominis suis, seruos diaboli, transfigurantes se in ministros Christi. [*...ce...lebant.*]

Qui sine Episcopo, proprio arbitrio viuentes, populares defensores habentes contra Episcopos, vt sceleratos mores eorū nō constringant, seorsum populum cōsentaneū cōgregant, & illud erroneum ministeriū non in ecclesia Catholica, sed per agrestia loca, per cellas rusticorum, vbi eorum imperita stultitia celari Episcopos possit, perpetrant, nec fidem Catholicam Paganis prædicant, nec ipsi fidem rectam habent, sed nec ipsa solennia verba, quæ vnusquisque Catechumenus, si talis ætatis est, vt iam intellectū habeat, sensu cordis sui percipere & intelligere, nec docent, nec quærunt ab eis, quos baptizare debent, id est, abrenunciationē Sathanę, & cætera. Sed neque signaculo crucis Christi eos muniunt, quæ præcedere debent baptismum: sed nec aliquā credulitatem vnius Deitatis, & sanctæ Trinitatis docēt, neque ab eis quærunt, vt corde credant ad iustitiam, & oris confessio fiat illis ad salutem. [*Rom.10.*]

Hos itaque ministros Satanæ, & non Christi, vbicunque repereris, charissime nobis, aggregato prouinciali & sacerdotali collegio, omnimodo deuita: & à sacerdotali honore priuatos, sub regula monachica & pœnitentia sub missos, vitam finire ordinabis, vt carne afflicti ad viam quandoque redeant rectitudinis, & si corde crediderint; oris eorū vera confessio illis fiat in salutē. [*S. salutis.*] Si vero non fuerint conuersi, tuæ prædicationis nō peribit iustitia. Habebis enim solatiantē te, contra nequitiam malignantium, sanctorum Apostolorum, & cæterorum probabilium patrum canonicam sanctionem. [*S. peribit.*]

Confortare itaque, reuerendissime mihi: & præuale in lege, in euangelio Christi: & prædicatione Catholicæ ac orthodoxæ fidei: quia ipse glorificabit tē. [*Omissa in S.*] Tribulatio enim corporis nostri temporalis est: & finem habet: *Probatio autem spem: spes vero non confundit*, vt ait Apostolus: *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quis namque separabit nos à charitate Christi? tribulatio, an angustia,* &c. [*Rom.8.*] Et si deiicimur frater, non perimus.

Conferamus autem mortem Iesu in corpore nostro: vt vita Iesu in die aduentus sui in corpore nostro manifesta fiat, sicut per eius diuinam edocti sumus vocem. *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* [*Matth.5.*] Conforta itaque & dilectissimos nobis omnes orthodoxos Episcopos, & sacerdotes, atque Leuitas vel Clericos, religiosos Abbates & Monachos seu gloriosissimos Duces, cunctosque Optimates, Christianæ legis seruatores, vt nobis sint adiutores contra aduersarios orthodoxæ fidei, omnesque hæreticos atque schismaticos, quatenus & ipsi de fructu boni operis gaudere mereantur in cœlestibus regnis. [*S. optimates Francorum.*]

Sicut scriptum est. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo & scribam super illum nomen meum.* [*Apoc.3.*] Interea scripsit reuerenda fraternitas tua reperisse quendā Presbyterum, genere Scotū, nomine *Sampsone*, errantem à via veritatis, dicentem & affirmantem, quod sine mysterica inuocatione, aut lauacro regenerationis posse fieri Catholicum Christianum, per Episcopalis manus impositionem. [*S. mystica.*]

Hic autē qui dicit vacuus est Spiritu sancto, & alienus à gratia Christi, atque à cōsortio sacerdotali abiiciēdus. Quis enim nisi baptizetur iuxta præceptū Domini *in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, & sic per manus impositionē consecretur, potest esse Catholicus? [*Matt. 28. Ioan. 3.*] Hūc nequissimū virum talia prædicantē ab Ecclesia Dei sancta condemnatum expelle: Illos autem viros, qui ab hæreticis baptizati sunt, & dubietas tenet quod in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, non sunt baptizati, inquisita rei veritate, si ab erroneis sacerdotibus baptizati sūt, [*aliter S.*] hos sine dubio iuxta prædecessoris nostri beatæ memoriæ Gregorii Papæ & sacrorum canonum traditum tibi mandatum, implere non omittas, ne in æternum pereant, sed potius Euangelica consecratione saluentur. [*S. volumus.*]

Intuiti autē sumus & volumen à te directum vniuersis Episcopis, Presbyteris, Diaconibus vel cæteris religio- [*Liber S. Bonifacii.*]

fam vitam degentibus *de vnitate fidei Catholicæ*, & doctrinam Apostolicam scriptam valde nobis acceptabilem esse cognoscas: quoniam per Spiritus sancti gratiã in te diffusam, charissime, hoc operari studuisti. Interea per alia scripta fraternæ sanctitatis tuæ petisti: vt Sacerdos à nobis dirigatur in partibus Franciæ & Galliæ ad Concilia celebranda.

Sed dum, Deo propitio, tua sanctitas superstes existit, qui sedis Apostolicæ & nostram illic præsentas vicem, aliũ illic dirigere necessarium non est. Quos autẽ reperies, amantissime frater, habentes scientiam sacræ doctrinæ, & sanctam tenentes legem, atque orthodoxam sine dubio defendentes fidem, hos mittere stude in quibus prouideris locis ad prædicandum verbum salutis.

Concilia vero, aggregatis Episcopis prouincialibus, vt tibi & vbi tibi rectum videtur, celebranda procura: & quos deuiãtes inueneris cõfunde facies eorum ignominia vt sint coram omnib. sine honore: Dominus enim Deus noster erit tecum.

Suscepimus vero & chartam conscriptam veræ atque orthodoxæ professionis & Catholicæ vnitatis, quã cum dilectissimis nobis Episcopis partis Francorũ tua direxit reuerenda fraternitas.

Quam relegantes nimio gaudio sumus repleti, innumerabiles gratias agẽtes Deo Patri omnipotenti, quia vnanimitatem eorum ad societatem nostram reuocare dignatus est, vt spiritalis eorum mater lætetur sancta Ecclesia.

Nostra autem vice, charissime, omnes in osculo pacis Christi saluta: quia & nos dilectioni eorum gratias agẽtes Apostolicas misimus litteras.

Nã & hoc intimatum est à tua fraterna sanctitate, quod *Virgilius* ille (nescimus si dicatur Presbyter) malignatur aduersum te, pro eo quod confundebatur à te, erroneũ se esse à Catholica doctrina: immissiones faciens *Otiloni* Duci *Baioariorum*, vt odium inter te & illum seminaret: aiens quod & à nobis esset absolutus, vnius defuncti ex quatuor illis Episcopis, quos tua illic ordinauit fraternitas, diœcesim obtinere. Quod nequaquã verum est: quia mentita est iniquitas sibi. De peruersa autẽ & iniqua doctrina quã contra Deum & animam suã locutus est, si clarificatum fuerit, ita eum cõfiteri, quod alius mundus, alii homines sub terras sint, *hũc accito concilio ab ecclesia pelle sacerdotii honore priuatum.

* Addit S. aliusque Sol & Luna.

Attamen & nos scribentes prædicto Duci euocatorias de prænominato *Virgilio* mittimus litteras, vt nobis præsentatus, & subtili indagatione requisitus, si erroneus fuerit inuentus, canonicis sanctionibus condemnetur. Qui enim seminant dolores, ipsi metunt eos. Sic enim scriptum est. *Peruersæ cogitationes separant à Deo, probata autem virtus corripit insipientes.*

In S. non

Pro *Sidonio* autem supradicto, & *Virgilio* Presbyteris; quod scripsit sanctitas tua, agnouimus. Illis quidem, vt cõdecebat, comminando scripsimus; tuę autem fraternitati plus credulitas quam illis admittetur. Si autem placuerit Deo, vita comite sedi Apostolicæ eos, missis Apostolicis litteris, vt prælatum est, euocabimus. Docuisti enim eos & non susceperunt: & factum est in illis, sicut scriptum est, Sapientia.

Sap. 1. S. synodo.

Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam, arenam & salem & massam ferri facilius est portare quam hominẽ imprudentem & fatuum, & impium. Quoniã *qui minoratur corde, cogitat inania: & vir imprudens & errans cogitat stulta.* Non ergo ad iracundiã prouocetur cor tuum, frater: sed in patientia tua vbi tales repereris, admone, obsecra, increpa, vt cõuertantur ab errore ad viã veritatis. Et si conuersi fuerint, saluasti animas eorũ: si vero in duritia permanserint: mercedem ministerii tui non perdes: illos autem iuxta Apostoli vocem deuita.

S. in lib. Sapiẽtię. Eccl. 22. v. 7. v. 18. & c. 16.

Luc. 5.

Alia deniq; scripta tuæ fraternitatis continebãt, quod iam olim de *Agrippina* ciuitate scripsisti, quod Frãci nõ perseuerauerunt in verbo, quod promiserũt: & nũc moratur tua fraternitas in ciuitate *Maguntia*. Petisti autẽ, vt

S. quia.

A cum nostro consultu pro superueniente tibi senectute, & plena dierum ætate, atque imbecillitate corporis vt substituere potueris* aliũ in eandem sedem, in qua præes, pro tui persona debeas collocare. Tu vero, Charissime, Legatus & missus esse, vt fuisti, sedis Apostolicæ. Nos vero, adiutore Deo, consilium præbemus tuæ reuerendæ sanctitati, vt pro salute animarum rationabilium, fauore Christo, sedem, quam obtines sanctæ *Maguntina* Ecclesiæ, nequaquam relinquas, vt impleatur in te Dominicum præceptum: *Qui perseuerauerit vsque ad finem, hic saluus erit:* sin vero, si Dominus dederit iuxta tuam petitionem hominem perfectum, qui possit sollicitudinem habere, & curam pro salute animarum, pro tui persona illum ordinabis Episcopum. eris que in euangelio tibi credito, & ministeriũ Christi portando in omni loco requirens, & confortans Ecclesiam Dei. Oramus itaque Dominum & Redemptorem nostrum, vt sacris interuentionibus suæ sanctæ genitricis semper virginis Mariæ Dominæ nostræ, & beatorum Principum Apostolorum Petri & Pauli orantem pro nobis fraternam sanctitatem tuã sospitem & columẽ conseruare dignetur.* Deus te incolumem custodiat, reuerendissime frater. B Data Kalendis Maii, imperante Domino piissimo augusto *Constantino*, à Deo coronato, magno Imperatore, pacifico, imperii anno † XXIX. † Patriciatus eius anno septimo, indictione prima.

* S idoneũ in S non.

Matth. 24.

* in S.

* S. xxxix.

* no in S. 1. patrc eius.

EPISTOLA CXLI.

Reuerendissimo Patri, dilectissimo Domino, cum timore & honore venerando Magistro, Apostolici honoris priuilegio prædito, Pontificatus infula Apostolicæ sedis sublimato Zachariæ, Bonifacius exiguus seruus vester, licet indignus & vltimus, tamẽ Legatus Germanicus deuotissimus, optabilem in Christo immarcescibilis charitatis salutem.

Paternæ pietatis vestræ sanctitatem subnixis precibus obsecro, vt hunc Presbyterum meum portitorem litterarum mearum, nomine *Lul.* grato animo C clementer suscipiatis. Habet enim secreta quædam mea, quæ soli pietati vestræ profiteri debet: quædam viua voce vobis dicere, quædam per litteras notata ostendere, de quibusdam vero necessitatibus meis inquirere & interrogare, & mihi paternitatis vestræ responsum & consilium ex auctoritate sancti Petri Principis Apostolorum ad solatium senectutis repræsentare, vt his omnibus auditis & consideratis, si quæ sint, quæ vobis placeant facta adaugere, Deo volente, studeam: Si autem quid, vt timendum est, displiceat, & præcepto sancti, Apostolatus vestri vel indulgentiam merear, vel dignam pœnitentiam persoluam. Antecessor etenim prædecessoris vestri venerandæ memoriæ *Gregorius*; dum me indignum ordinauit, & ad prædicandum verbum fidei Germanicis gentibus misit, sacramento me constrinxit, vt canonicis D & iustis Episcopis & Presbyteris in verbo, in facto in consensu astipulator & adiutor fierem. Hoc autem cum diuina gratia implere studui. Falsos autem sacerdotes, hypocritas, & seductores populorum, vel corrigerem ad viam salutis, vel declinarem, & abstinerem à communione ipsorum: quod ex parte seruaui & ex parte custodire & implere non potui. Spiritaliter impleui sacramentum, quia in consensum & in consilium illorum non venit anima mea. Corporaliter autem ab eis omnino abstinere non potui. Dum venissem ad Principem Francorum, cogente Ecclesiarum necessitate, cum tales ibi reperi, quales nolui: sed tamen in sancta communione corporis Christi illis non communicaui.

Lib. 1. vit. c. 13. Mog. 44.

Præcepit quoque mihi præfatus Apostolicus Põtifex, vt populorũ, quoscunque visitassem, conuersationẽ & mores Apostolicæ sedis Pontifici indicarẽ, quod in Domino cõfido me fecisse. De eo autẽ quod iam prætero

pore de Archiepiscopis & de palliis à Romana Ec-
ia petendis, iuxta promissa Francorum, sanctitati
æ notum feci, indulgentiam Apostolicæ sedis fla-
: quia quod promiserunt, tardantes non impleue.
: & adhuc differtur & ventillatur: quid inde perfi-
voluerint, ignoratur, sed mea voluntate impleta
promissio.

i præterea locus syluaticus in eremo vastissimæ so-
inis: in medio nationum prædicationis nostræ, in
monasterium construentes, monachos constitui-
sub regula sancti Patris *Benedicti* viuentes: viros
æ abstinentiæ, absque carne & vino, absque sice-
seruis, proprio manuum suarum labore conten-
sunt locum supradictum, per viros religiosos &
n timentes, maxime *Carolomannum* quondã Prin-
n Francorum, iusto labore acquisiui: & in *honore*
i saluatoris dedicaui. In quo loco, cum consensu
tis vestræ, proposui aliquando vel paucis diebus
n senectute corpus requiescendo recuperare, &
B mortem iacere. Quatuor etenim populi, quibus
im Christi per gratiam Dei diximus, in circuitu
uius habitare dinoscuntur.
ibus, eum vestra intercessione, quandiu viuo vel
vtilis esse possum. Cupio enim vestris orationibus
ante gratia Dei, in familiaritate Romanæ Eccle-
: vestro seruitio, inter Germanicas gentes, ad
nissus sui, perseuerare: & præcepto vestro obedi-
ut scriptum est. *Iudicium patris audite, filij dile-*
r sic facite, vt salui sitis. Et alibi. *Qui honorat pa-*
ium, vita viuet longiore. Et iterum. *Honora patrem*
vt superueniat tibi benedictio à Domino, & bene-
atris firmat domus filiorum.

EPISTOLA CXLII.

dissimo & sanctissimo patri Bonifacio Archiepiscopo
Zacharias Episcopus seruus seruorum Dei.

edictus Deus pater Domini nostri Iesu Christi,
i dispersa congregat, & congregata conseruat:
ue fidem & fiduciam seruis suis ad prædicandum
n Euangelij Iesu Christi domini nostri, eum eo-
atre & Spiritu sancto in vnitate viuentis in sæ-
culorum, ipsi gloria & laus, qui adiutor & pro-
est in se credentibus. Ipse enim dixit. *Qui credit*
vita viuet & non morietur: quoniam ego sum via,
veritas. Laudamus & superexaltamus nomen
i, gaudentes, per harum gerulos, & sanctæ fra-
tis tuæ litteris allatis superstitem in hac vita, &
ino te valere cognoscentes, petentes immen-
i nostri diuinitatem: vt ad prædicandum mul-
lius Euangelij atque sanctæ fidei eius sacramen-
ag. eum te conseruet: suaque protectione te
, & ab aduersantium insidiis pie miserendo cu-

ессit itaque fraterna sanctitas tua in suis apici-
iod prædecessor noster beatæ memoriæ *Grego-*
us sedis Apostolicæ Præsul, dum ad prædican-
rbum Euangelij tuam misisset fraternitatem in
iæ partibus & gentibus illis Paganis, verbo
ationis te esse munitum: ita vt orthodoxos E-
s, ac Presbyteros vel quosque reperire potuis-
rbo exhortationis perfectos, amplius confir-
: eis communicares, quod & factum est. Si quos
luctores Episcopos, aut pseudopresbyteros, vel
: à recto fidei tramite deuiantes reperisses, nul-
m eis esset communio: quod, te Deo solatian-
e ad præsens spiritualiter seruasse confessus es.
nnino propter principalem & humanum fauo-
ntis Francorum, dum ad eos accessisses, corpo-
bstinere non valuisti: cogente necessitate Ec-
m Dei; & tamen in eorum consilio & consen-
nunionis anima tua non est coinquinata. Ita-
ct. Biblioth. Vet. Patr. Tom. 2.

A que propter hoc, quod cum eis conuersatus, non con-
sentiens iniquitati eorum, nullum tibi est detrimen-
tum coram Deo. Te enim prædicante, si obedirent sal-
ui essent, sin autem in iniquitate permanent, ipsi per-
ibunt: tu autem, iuxta Prophetæ dictum, saluasti ani-
mam tuam.

De * Episcopis autem Francorum, & palliis scripsi- Ezech. 33.
sti quod iuxta promissionem suam nondum impleue- * S.
runt: qui si impleuerint iuxta verbum habebunt ex eo Princi-
laudem: sin vero aliter egerint, ipsi videbunt. Nos pib. f
enim, diuina gratia largiente, quod gratis accepimus quia in
gratis damus. Tua quidem benigna voluntas propter consti-
hoc † à nobis suscepta est. tutione

Igitur & hoc petisti, vt monasterium in vastissima Episco-
solitudine, & in medio gentium, quibus prædicas con- porum,
stitutum, & à te fundatum: atque in *honore Saluatoris* quibus
Dei nostri dedicatum, vbi etiam & monachos sub re- pallia
gula B. Benedicti degere ordinasti: illud venerabile misi-
monasterium nomini tuo, priuilegio sedis Apostolicæ mus,
munire deberemus. Quod votis tuis acquiescentes or- prom.
dinauimus iuxta desiderium & petitionem tuam. Con- p. n. i.
gruit enim diuini ministerij prædicatorem, optimum- illis
que ministrum ad desiderata pertingere, & cœptum magis
bonum opus vsque in finem perficere, sicut scriptum quã ti-
est in Dominico præcepto. *Qui perseuerauerit vsque in* bi im-
finem, hic saluus erit. Et beatus seruus ille quem cum ve- putan-
nerit Dominus inuenerit sic facientem. Etenim super omnia dũ est.
bona sua constituet eum. * mer-
cede nõ
Interea prædictus tuus gerulus *Lul*, cum cæteris suis priua-
Comitibus, quæ iniunctã fuerunt à tua fraterna sancti- bitur.
tate tam verbo, quam per scripta, omnia liquidius sug-
gerentes innotuerunt. De quibus tam in verbo respon-
sum dantes, & per scripta tuæ remisimus fraternitati.
Continebant enim capitula in pyctacio ab eis porrecto,
quæ inferius annexa sunt: de quibus flagitasti à nobis,
quæ recipienda, quæ respuenda sint. In primis *de vola-*
C *tilibus*, id est, graculis, & corniculis, atque ciconiis,
quæ omnino cauendæ sunt ab esu Christianorũ. Etiam
& † *fibri*, & †; *lepores*, & *equi siluatici* multo amplius * In S.
vitandi. Attamen, sanctissime frater, de omnibus è non sas
Scripturis sacris bene compertus es. tis in-
struc
De *igne* autem *paschali* quod inquisisti, à priscis san- poteris.
ctis Patribus, ex quo, per Dei & Domini nostri Iesu In S.
Christi gratiam, & pretioso sanguine eius dedicata est; aliter.
quinta feria Paschæ, dum sacrum chrisma consecratur,
tres lampades magnæ capacitatis, ex diuersis candelis
Ecclesiæ oleo collecto, in secretiori Ecclesiæ loco, ad
figuram interioris tabernaculi insistentes indeficiẽter,
cum multa diligentia inspectæ ardebunt, ita vt oleum
ipsum sufficere possit vsque ad tertium diem. De qui-
bus candelis, sabbatho sancto, pro sacri fontis baptis-
mate sumptus ignis, per sacerdotem renouabitur. De
D *chrystallis* autem, vt asseruisti, nullam habemus tra-
ditionem.

De *his, qui regio morbo vexantur*, inquisisti, siue ho- S. de
mines siue equi sint, quid faciendum sit de illis. Si ho- igne,
mines ex natiuitate, aut genere istius morbi sunt, hi qui ex
extra ciuitatem conuersari debebunt: eleemosynam chryst.
vero accipiendam à populo non vetari. sumi-
tur al.
Si autem contigerit magnum vel paruum, non nati- ad el. v.
uitate, sed superueniente ægritudine vexari: non est acc. ap.
proiiciendum, sed, si possibile est, curandus: attamen non de-
in Ecclesia, dum ad communionem venerit, post om- uitari.
nium suppletionem erit ingressurus ad participandum S. post
munus. Equi vero qui præfato morbo fuerint coinqui- omnes
nati si curari non valuerint, in puteis & foueis proii- accede-
ciendi sunt: ne eiusdem compaginne cæteri coinqui- re de-
nentur. De animalibus autem, quæ à furentibus, id est, bet ad
rabidis lupis, canibus fuerint lacerata, oportet ea à cæ- perc. f.
teris separari: ne furentes & mordentes cætera coin- mune-
quinent. Quod si pauca sunt, vt supra diximus in fo- ris my-
ueam proiicienda sunt sterii.

Nam & hoc inquisiuit fraternitas tua, si liceat san-

S. quæ. ad. viii faciũ. Io. 13. ctimoniales fœminas, quemadmodum viris, sibi inulcem pedes abluere, tam in Cœna Domini, quam in aliis diebus. Hoc Dominicum præceptum est, quod qui per fidem impleuerit, habebit ex eo laudem. Etenim viri & mulieres vnum Dominum habemus, qui in cælis est. A

Pro benedictionibus autem, quas faciunt Galli, vt nosti frater, multis vitiis variantur. Nam non ex Apostolica traditione hoc faciunt, sed per vanam gloriam operantur, sibiipsis damnationem adhibentes. Dum scriptum est: *si quis vobis euangelizauerit præter id quod euangelizatum est, anathema sit.*

Regulam Catholicæ traditionis sicut suscepisti, frater amantissime, sic omnibus prædica, omnesque sicut à sancta Romana, cui Deo auctore deseruimus, Ecclesia accepisti.

Inquisisti etiam & hoc, *si ante tricesimum annum liceat sacerdotem ordinari.* Bonum & congruum est, charissime, si fieri & inueniri potest, vt prouectæ ætatis & boni testimonij viri, iuxta sacrorum Canonum instituta, ordinentur sacerdotes. B

Nu. 4. & 8. Si autem minime reperiuntur, & necessitas exposcit, à viginti quinque annorum, & supra Leuitæ & Sacerdotes ordinentur, quemadmodum in lege Domini continetur.

De *Milone* autem & eiusmodi similibus, qui Ecclesiis Dei plurimum nocent, vt à tali nefario opere recedant, iuxta Apostoli vocem, *opportunè, importunè, prædica.* Si acquieuerint admonitionibus tuis, saluabunt animas suas: sin vero, ipsi peribunt obuoluti in peccatis suis: tu autem qui recte prædicas, non perdes mercedem tuam. 2. Tim. 4

Nam & hoc inquisisti, post quantum temporis, debet lardum comedi. Nobis à Patribus institutum pro hoc non est. Tibi autem petenti consilium præbemus, quod non oporteat illud mandi, priusquam super fumo siccetur, aut igne coquatur. Si vero liber, vt incoctum manducetur, post Paschalem festiuitatem erit manducandum. C

Episcopus autem condemnatus, de quo quæsisti, qui pugnator & fornicator existit, atque res Ecclesiæ post degradationem, sibi vendicare nititur, hic omnino ac detestabiliter respuendus est. Quæ enim portio infideli cum fideli? aut quæ communio Christo & Belial? Hos sanctorum Patrum traditiones, & sanctorum Canonum instituta condemnauerunt. 2. Co. 6. in S. nō.

De ordinatione etiam Presbyterorum, & Diaconorum, qui cogente necessitate, & paupertate rogantium, non legitimis temporibus & diebus ad te peruenerunt, si aliquam haberes ex hoc offensionem, insinuasti. Dicimus autem tibi, frater. Bene nosti, quod sacri Canones docent aptis temporibus sacerdotes ordinandos. Attamen in eo quod à te, propter zelum fidei actum est, à Domino Deo nostro indulgentiam postulemus.

De censu autem Ecclesiarum, id est, solitum de *cassata* suscipe, & nullam habeas hæsitationem, dum ex eo poteris eleemosinam tribuere, & opus perficere sanctarum Ecclesiarum, iuxta Canonum instituta. Si quos vero Presbyteros, qui de Laicis promoti fuerunt, & ante criminalibus causis obuoluti celantes peccatum suum ordinati sunt, postmodum vero manifestata est eorum iniqua actio, hos à sacerdotali habitu priuatos pœnitentiæ submitte. Non enim odit Deus peccantem & confidentem, sed peccantem & negantem. D

Nam & hoc flagitasti à nobis, si liceat persecutionem Paganorum fugere, an non: Et propter hoc salutare consilium damus, frater. Si fieri potest, & locum inueneris, insta ad prædicandum illis: si autem supportare non valueris eorum persecutionem, habes præceptum Dominicum, vt in aliam ingrediaris ciuitatem. Mat. 10.

Nam & hoc inquisiuisti, quid faciendum sit de excommunicato Episcopo, & Apostolicam authoritatem negligente. Hic detestabilis est coram Deo & hominibus, cuius condemnationi incondemnatus non communicabit. Ipsi enim condemnabuntur in die iræ & reuelationis Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, dum sederit ad iudicandum genus humanum, sicut scriptum est: Superbis ego resistam, dicit Dominus. 1. Pet. 5.

Etenim de Sclauis Christianorum terram inhabitantibus, si oporteat censum accipere, interrogasti, frater. Hoc quidem consilio non indiget, dum rei causa est manifesta. Si enim sine tributo sederint, ipsam quoque propriam sibi vendicabunt terram. Si vero tributum dederint, norunt dominatorem ipsam habere terram.

Nam & hoc flagitasti à nobis sanctissime frater, *in sacri Canonis prædicatione*, quot in locis Cruces facere debeamus tuæ significemus sanctitati. Votis autem tuis clementer inclinati, in rotulo dato prædicto *Lullo* religioso Presbytero tuo per loca, signa sanctæ crucis quanta fieri debeant, infiximus. His ita se habentibus Domini deprecamur clementiam, licet peccatores, vt sui te muniat & conforter auxilio, nosque annuat prosperitatis tuæ semper læta suscipere nuncia. Deus te incolumem custodiat reuerendissime frater. Data pridie nonas Nouembris imperante Domino piissimo Augusto Constantino à Deo coronato, magno Imperatore. Anno xxx. it. Imperij eius anno vndecimo. Indictione quinta. in S. nō.

EPISTOLA CXLII.

Reuerendissimo & sanctissimo fratri Bonifacio Episcopo, Zacharias seruus seruorum Dei.

SVsceptis sanctissimæ fraternitatis tuæ litteris per *Denchardum* religiosum Presbyterum tuum qui te sospitem, vt semper cupimus esse, cognouimus, omnipotenti ac misericordissimo Deo nostro magnas retulimus grates, qui tibi in omnibus bonis prosperari dignatur. Magnam enim cordibus nostris infundis lætitiam, quotiens nobis sanctitatis tuæ scripta mittuntur, quando reperimus quæ ad salutem respiciunt animarum: dum quotidie in gremio sanctæ matris Ecclesiæ, per tuam prædicationem noui populi adduntur. Vbi & tres Episcopos per loca singula, secundum seriem syllabarum tuarum, te ordinasse cognouimus, qui eidem populo quem sibi Dominus Deus noster, per tuam sanctitatem aggregare dignatus est, præesse debeant, & petisti, vt per auctoritatem sedis nostræ, Episcopales ibidem sedes firmentur. Sed tua sancta fraternitas pertractet mature & subtili consideratione discernat, si expediat: aut si loca vel populorum turbæ tacernat, si expediat: aut si loca vel populorum turbæ talia esse probantur, vt Episcopos nupere mereantur. Meministi enim charissime quid in sacris Canonibus præcipimur obseruare: vt minime in villulas vel in modicas ciuitates Episcopos ordinemus: ne vilescat nomen Episcopi. Sed nos tuis sincerissimis atque à nobis dilectis syllabis prouocati, quæ poposcisti absque mora concedi patimur: & statuimus per Apostolicam auctoritatem Episcopales illic esse sedes, quæ per successionem Episcopos mereantur: & populis præsint: atque verbum prædicationis subiectis insinuent, id est, in castello, quod dicitur *Wirtzeburg*. & alteram in oppido, quod nominatur *Buraburg*. tertiam in loco qui dicitur *Erpfesfurt*. Ita vt nulli post hæc liceat cuiquam hæc, quæ à nobis sancita sunt, quoquomodo violare, quæ auctoritate Beati Petri Apostoli firma esse decreuimus. L. 3. vit. c. 3. Mog. p. 178. & sup. epist. 132.

De eo autem, quod nobis intimasti, quod te *Carlomannus* filius noster, apud se rogauit accedere: vt in parte Francorum in sua ditione sine potestate constituta Synodum celebrares, eo quod omnis Ecclesiastica regula siue disciplina ab eadem prouincia funditus abolita est, nimis mœrendum est, quod per spacia tanta temporum ibidem Synodus sacerdotum minime celebraretur: vnde neque quid sit sacerdotium ab eis, qui se sacerdotes esse existimant, cognoscitur: sed con iuuante Deo, quæ à præfato filio nostro promissa sunt,

ad effectum perducta fuerint: tuaque fraternitas memorato Concilio consederit cum eodem excellentissimo tuo: si quos reperierit Episcopos, Presbyteros aut Diaconos contra Canones vel statuta patrum excessisse: id est, in adulterio, vel si plures vxores habuerunt: aut si sanguinem Christianorum vel Paganorum effuderunt: vel etiam aliis capitulis, quibus Canones obuiasse reperit tua sanctitas, nulla ratione Apostolica auctoritate permittat sacerdotio fungi: quia tales à suo tantum proprio ore falsò nominantur sacerdotes: & deteriores secularibus esse noscuntur: qui se neque à fornicationibus, neque à nefariis matrimoniis abstinent: neque ab hominum sanguinis effusione manus seruant innoxias, se esse sacerdotes existimant.

Aut quid inde sentiunt dicente Deo, *Sacerdotes mei semel nubant.* Et Apostolus. *Vnius vxoris virum*, & cætera, & hoc ante susceptum sacerdotium vti licitum est. Nam à die suscepti sacerdotij, etiam ab ipso proprio coniugio prohibendi sunt. Quomodo se sacerdotio fungi considerant, qui talibus sceleribus inuoluti esse monstrantur, vt neque seculares fideles his facinoribus obuolutos optemus? Quomodo non pertimescunt diuina mysteria contingere?

Aut quomodo ad orandum pro peccatis populi accedere præsumunt? dum sacri Canones, neque parum Clericum, cui sacerdotium non est, secundis copulari nuptiis præcipiunt. Isti enim è contrario non solum post susceptum sacerdotium se abstinere nolunt ab vna vxore, imo luxuria obuoluti peiora secularibus scelera committunt, vt plures vxores habere præsumant, quibus neque vnam concessum est, post susceptum ministerium, attrectare, Sed & ista parui pendentes, atque Dominum ad iracundiam prouocantes maiora committunt facinora, dum propriis manibus Christianos atque Paganos homines necant.

Et fit, vt quibus in remissionem peccatorum debuerant lauacrum regenerationis impendere, atque Christi sacramenta donare, ne in æternum perirent, eorundem sacrilegis manibus extinguantur. Quis enim sapiens habens cor eos æstimet sacerdotes, qui neque à fornicationibus abstinent: neque ab effusione sanguinis manus seruant innoxias? Quisue eorum sacrificiis Deum esse credit placatum dicente Propheta: *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus?* Hos namque, vt præmisi, ne sacerdotio fungi patiantur, neque diuina contingere mysteria, commonemus. Quidquid vero aliud, vt dictum est, s contra Ecclesiasticam regulam excessisse reperis, Canones siue instituta patrum præ manibus habeto: & iuxta quod in eis edoctus fueris, cerne.

Quod autem, tibi successorem constituere petisti, te viuente in tuo loco eligatur Episcopus, hoc nulla ratione concedi patimur: quia contra omnem Ecclesiasticam regulam vel instituta Patrum esse monstratur: sed volumus vt tibi ministret, & sit in Euangelio adiutor, dicente Apostolo: *Si quis bene ministrauerit, gradum sibi bonum acquirit.* Nimis enim reprehensibile ac detestabile esse manifestum est: vt, te viuente, tibi alium substituamus. Sed hoc commonemus, vt quamdiu te diuina iusserit clementia superesse, sine intermissione orare non cesses: vt tibi Deus successorem concedat, qui ei possit esse placabilis, & populum, quem ad suam gratiam, per tuæ sanctitatis industriam, vocare voluit, irreprehensibiliter regere valeat, atque ad viam vitæ elaboret perducere.

Nam quomodo hæc quæ poposcisti (etiamsi volumus) concedere possumus; dum nos fragiles homines existentes, & sub conditione mortis constituti, ignorantes quid superuentura pariat dies, non valemus inuestigare, quis è nobis prior de præsenti migret? Sin autem & eundem diuina voluerit clementia post tui diem transitus superesse: si eum aptum cognoueris, & in tua voluntate fuerit definitum, ea hora qua te de præsenti sæculo migraturum cognoueris præsentibus cunctis, tibi successorem designa, vt huc veniat ordinandus: quod nulli alij concedi patimur, quod tibi charitate cogente largiri censuimus. al. alio.

De illo vero, qui viduam auunculi sui, quæ & ipsa fuit vxor consobrini sui, & sacrum velamen habere monstrata est, & à beatæ memoriæ prædecessore nostro sibi licentiam concessam esse diuulgauit, vt ei in pernitioso matrimonio assumi debuisset, Absit hoc, vt decessor noster ista permitteret.

Nec enim ab hac Apostolica sede illa diriguntur, quæ contraria esse Patrum siue Canonum institutis probantur. Ammonere, adhortari, increpare eos frater charissime ne cesses, quatenus à tali scelesto recedant matrimonio, vt non in æternum pereant. Reminiscantur enim se Christi sanguine esse redemptos: & non sponte se contradant (nisi ab isto recesserint incesto matrimonio) diaboli potestati: sed magis omnipotenti Deo, & Christo filio eius, Spiritui quoque sancto, in cuius nomine ab illius antiqui hostis erepti sunt potestate. Elabora igitur, sanctissime frater, in eis, quia scriptum cognoscis. *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte: & operit multitudinem peccatorum.* Nam & nos ei pro hoc commonitoria scripta direximus. Iac. vlt.

De *Calendis* vero *Ianuariis*, vel cæteris auguriis, phylacteriis, & incantationibus, vel aliis diuersis obseruationibus, quæ gentili more obseruari dixisti, apud Beatum *Petrum* Apostolum, vel in vrbe Roma, hoc & nobis & omnibus Christianis detestabile, & pernitiosum esse, iudicamus dicente Domino. *Non augurabimini*, vel certe, *non obseruabitis somnia.* Et iterum Scriptura dicit. *Non sint auguria in Israel, nec obseruatio in domo Iacob.* Ita & à nobis cauendum esse censemus, vt nullis auguriis vel obseruationibus attendamus. Quia omnia hæc abscissa esse à Patribus sumus edocti. Et quia per instigationem Diaboli iterum pullulabant, à die qua nos iussit diuina clementia, quanquam immeriti existamus, Apostoli vicem gerere, illico omnia hæc amputauimus. Leu. 19. Nu. 23.

Pari etenim modo volumus tuam sanctitatem populis sibi subiectis prædicare, ad viam æternæ perducere vitæ. Nam & sanctæ recordationis prædecessoris atque nutritoris nostri Domini *Gregorij* Papæ constitutione, omnia hæc pie atque fideliter amputata sunt, & alia diuersa quam plura, quæ Diabolo suggerente, pullulabant in Christi ouili: cuius instar, pro illius populi salute dirigere maturauimus. Renascentib. scandalis occurrendum.

Nam de sacerdotibus illis, qui falsa opinantur, qui etiam adulteri & fornicatores probantur: & sibi ab Apostolica sede indultum esse, testantur, & è contrario sibi licentiam prædicationis largitam esse, hoc nulla ratione credat sancta tua fraternitas: sed similiter in eis Canonicam exerce vindictam, quemadmodum de his quibus superius à nobis edoctus monstraris. Non enim aliud te agere volumus, præterquam quod sacri præcipiunt Canones, vel etiam ab hac Apostolica sede instructus esse dinosceris. Falsa ac surreptitia Pōt. sicut bulla, indulta, priuilegia.

Secundum tuæ namque sanctitatis petitionem & tribus Episcopis tuis singulas confirmationis epistolas misimus, quas per tuæ sanctitatis manus eis largiri volumus. Et *Carlomanno* filio nostro alia scripta direximus, vt quæ tibi poposcit, adimplere festinet, adminicula præster.

Sed hæc, frater charissime, de omnibus superius comprehensis capitulis, vt Dominus donauit, respondimus, ad omnia amputanda Diabolicæ fraudis scandala. Tua vero sancta fraternitas, siquid de cætero euenerit, vt sacri docent Canones, studeat emendare in plebibus sibi à Deo commissis.

Non enim aliud nobis conuenit prædicare, præter quod à sanctis Patribus sumus edocti. Si vero & noui aliquid, inimici astutia agente, acciderit, quod tua sancta fraternitas minime per Canonum instituta discernere possit: huc vobis non pigeat insinuare: quatenus Deo iuuante quæque ad emendationem nouæ plebis esse possunt, tibi absque tarditate respondere maturemus. Cognoscat enim, frater charissime, tua sancta fraternitas, ita dilectionem tuam in nostris habere præcordiis: vt te præsentialiter quotidie videre desideremus: & ita te in nostro consortio habeamus, vt certe ministrum Dei, & dispensatorem Ecclesiarum Christi, de cætero namque confortare in Domino frater charissime, & esto robustus: & elabora in opere, ad quod te diuina voluit euocare clementia. Magna enim te spes remunerationis exspectat, quam promisit Deus diligentibus se.

Et nos, licet peccatores existamus, tamen Dei nostri non cessamus absque intermissione immensam exorare clementiam, vt qui cœpit in vobis, perficiat opus bonum vsque adhuc. Et Beatus Apostolorum Princeps
al. quæ. *Petrus*, cooperetur tibi in omnibus bonis, qui ei parere desideras.

Deus te incolumem custodiat, reuerendissime & sanctissime frater. Data Kalend. April. imperante Domi-
al. patre eius an. 11. f Patriciatus. no piissimo, Augusto *Constantino*, à Deo coronato magno Imperatore. Anno vicesimo quarto Imperij, Indictione xi.

EPISTOLA CXIII.

Reuerendissimo & sanctissimo fratri Bonifacio Coepiscopo, Zacharias seruus seruorum Dei.

Baron. an. 743. SVscipientes sanctissimæ fraternitatis tuæ litteras per præsentium gerulum, & relegentes quæ in eis continebantur, in ecstasi quadam incidimus, & admiratione magna, eo quod nimis repertæ sint dissonare ab eis syllabis, quæ à tua directæ sunt fraternitate per elapsum Augustum mensem: vbi nobis indicasti, quod & consilium adiuuante Deo & *Carolomanno* præbente consensum & contestante, factum est: & qualiter falsos sacerdotes, qui diuinum non erant digni attrectare ministerium, à sacro munere suspendisti: & quia tres Archiepiscopos per singulas metropoles ordinasses reseruasti. Id est, *Grimonem* in ciuitate quæ dicitur *Rothomagum*: secundum vero *Abel* in ciuitate quæ dicitur *Remorum*: Tertium denique *Hardthbertum* in ciuitate quæ dicitur *Sennis*. Qui & apud nos fuit, & tua nobis pariter & *Carolomani* atque *Pippini* detulit scripta, per quæ suggessistis vt tria pallia hisdem tribus prænominatis Metropolitanis dirigere deberemus: quod & largiti sumus pro adunatione & reformatione Ecclesiarum Christi. Nunc autem denuo tuas suscipientes syllabas valde sumus, vt diximus, mirati, eo quod antea nobis cum memoratis Principibus Galliarum pro tribus palliis suggessisti, & postea pro solo *Grimone*. Sed volumus vt tua nobis indicet fraternitas, cur nobis ita direxisti antea pro tribus, & postea pro vno, vt & nos certi redditi ex hoc nulla in nobis sit ambiguitas. Reperimus etiam in memoratis tuis litteris quæ nimis animos nostros conturbant, quod talia à te nobis referantur, quasi nos corruptores simus canonum, & Patrum rescindere traditiones quæramus, ac per hoc (quod absit) cum nostris in Simoniacam hæresim incidamus, accipientes & compellentes quibus pallia tribuimus, vt nobis præmia largiantur expetentes à nobis pecunias. Sed charissime frater, hortamur sanctitatem tuam, vt nobis tale aliquid deinceps minime tua fraternitas scribat, quia fastidiosum à nobis & iniuriosum suscipitur, dum illud nobis ingeritur, quod omninodo detestamur. Absit enim a nobis & à nostris Clericis vt dona, quæ
A per Spiritus sancti gratiam suscepimus, precio venun- Simo-
demus, dum & illa tria pallia, quæ te suggerente, vt nix cri-
prædiximus, sumus flagitati, ... nullum ab eis com- men de-
modum modo quopiam experti. Insuper & charitas testatur
quæ secundum morem à nostro scrinio pro sua confir- Pontif.
matione atque doctrina tribuuntur, de nostro con- f tribui-
cessimus, nihil ab eis auferentes. Absit vt sic quidem mus.
à tua fraternitate criminis nobis Simoniaci obiicia- l. com-
tur nomen. Anathematizamus namque omnes qui- quic-
cumque ausi sunt donum Spiritus sancti pretio venun- piam.
dare. l. vel si quidē.

Suggessisti etiam nobis per alia tua scripta, quod l. ana-
in *Baioaria* reperisses vnum falsum sacerdotem, qui & thema-
affirmabat, quod à nobis fuisset Episcopus ordinatus & tizātes.
tua hoc fraternitas optime egit, dum ei non credidit, quia falsus homo omnia false suggessit, & falsum reperiens, sacerdotio suspende. Si etenim auctoritate beati *Petri* Apostolorum Principis tibi præcipi Bai. mi-
mus, vt quemcumque reperteris à sacris canonibus de- nisterium.
B uiare, nulla ratione patiaris sacrum mysterium attrectare. Et si deberes in *Baioaria* prouincia ius habere prædicationis sciscitasti, an non, quam decessore nostro habuisti concessam: Nos denique, auxiliante Deo, ea, quæ tibi largitus est decessor & prædecessor noster, non minuimus, sed augemus, & non solum *Baioariam*, sed & omnem Galliarum prouinciam, donec te diuina iusserit superesse Maiestas, nostra vice per prædicationem tibi iniunctam, quæ repereris contra Christianam religionem, vel canonum instituta, spiritualiter studeas norma rectitudinis reformare. Deus l. Ar-
te incolumem custodiat, reuerendissime & sanctissi- chadio
me frater. Data nonis Nouembris, imperante Do- seq. ali- ter. Bar.
mino piissimo Augusto *Artabasdo* à Deo coronato ma- Ind. xi.
gno Imperatore anno tertio Patriciatus eius anno ter- vel so.
tio, sed & *Nicephoro* magno Imperatore eius filio Anno III. Indictione XIII.

C

EPISTOLA CXLIV.

LEgimus in libro Actuum Apostolorum, Spiritum sanctum Apostolis præcepisse, *Separate mihi Bar-* Act. 13.
nabam & Paulum in opus quod assumpsi eos, id est, vt per prædicationem Christianæ religionis, & eiusdem Spiritus sancti gratiam, mundum illuminarent vniuersum, quorum illuminatio prædicationis atque doctrinæ, Christi præsidio, mansit ac manet Catholica Dei Ecclesia præfulgens horum & beati Apostolorum Principis Petri illuminata doctrinis, & eorum sequi pedem ex inspiratione diuina tuam sanctissimam fraternitatem in partibus illis credimus esse destinatam: vt etiam, instar eorum, idem S. Sanctus in eodem te assumpsit opere ad illuminationem gentium illarum. Vnde nimis exultamus in Deo, & eius omnipotentiæ immensas referimus laudes.
D Dum vero & series syllabarum tuarum nobis panderetur, per singula multo amplius lætati sumus in Domino, qui tibi suam gratiam ita largiri dignatus est, vt seductæ gentis corda lenires, quatenus liberti animo inclinarentur ad obediendum fidei vt diuinis obtemperarent præceptis. Indicasti etenim nobis, quomodo & qualiter tetigisset Deus corda excellentissimorum nostrorum *Pippini* & *Carolomanni* vt tibi prædicatione socij & adiutores esse niterentur ex inspiratione diuina, quorum merces copiosa manet in cœlis, quoniam benedictus homo, per quem benedicitur Deus.

De Episcopis vero Metropolitanis, id est, *Grimone* quem nos iam compertum habemus. *Abel* sive *Hartberto*, quos per vnamquamque metropolim per prouincias constituisti, hos per tuum testimonium confirmamus, & pallia ad eorum firmissimam stabilitatem & Ecclesiæ Dei augmentum, vt in meliore statu pro-

ant. Qualiter enim *mos pallij* sit, vel quomodu si- A
n suam exponere debeant, hi, quibus pallio vti li-
ntia conceditur, eis direximus, informantes eos,
sciant quid sit *pallii vsus*, & subiectis viam prædica-
salutis, & Ecclesiastica disciplina eorum in Eccle-
i in vtilitate seruetur, & maneat inconcussa, & sa-
rdotium, quod in eis fuerit, non pollutum, vt antea
it, sed mundum & acceptum Deo esse possit, quan-
m humana conditio valet: ita vt nullus reperiri pos-
sacris Canonibus deuiate, & sacrificium eorú mun-
am ab eis immoletur, ita vt Deus eorum placetur
muneribus, & populus Dei purificatis mentibus ex om-
i squalore syncerum valeant exhibere Christianæ re-
gionis officium.

Retulisti etiam nobis, charissime frater, quod duos seudoprophetas in eadem Francorum prouincia reperisses, quos non pseudoprophetas, sed magis pseudochristianos appellare debemus, ex quibus vnum quidem & nouum *simonem* iuxta tenorem tuarum literarum reperimus, qui etiam sibi & sacerdotium vindicabat, & à luxuria se minime continebat, seducens populum & inania prædicans, non solum suam animam iuri diabolico tradens, sed & populorum corda in interitum demergens, & seducens populum per falsitates, ita vt eum ab Ecclesia Dei subtraheret, & à Christiana lege discordaret.

Et cruces statuens in campis & oratoriola illic populum seducebat relinquentem Ecclesias publicas, cócurrentem ad ea signa, quæ ab eo salse fiebant. Et sanctitatis nomine se vocari censuit, & in suo nomine Ecclesias consecrari, affirmans etiam se Angelorum nomina scire, quæ in tuis syllabis nobis conscripta direxisti, quæ *nomina* nos *non Angelorum, sed magis dæmoniorum nomina* affirmamus. Alium vero ita luxuriæ deditú, vt concubinam haberet, duos ex ea filios procreasset, & tamen sacerdotium sibimet vendicabat: affirmans hoc iustum esse, iuxta traditionem veteris testamenti, vt defuncti fratris superstes frater ducat vxorem.

Et quia Christus resurgens ex inferis nullum ibi reliquisset, sed omnes inde abstraxisset, quæ omnia hæc detestabilia & scelestia iudicamus. Bene enim tua sancta fraternitas iuxta Ecclesiasticam regulam, eos damnauit, & in custodiam misit, & optime vocauit *Antichristi* ministros & præcursores. De cætero decerta charissime, & viriliter age, & peruigil permane in ministerio Christi, vt amplius Christi grex augeatur, & tibi præmium æternæ retributionis maneat copiosum, & cum sanctis & electis Dei, vt credimus, esse inueniatis particeps, Apostolorum consors. Deus te incolumem custodiat, reuerendissime frater. Data x. Cal. Iul. imperante Domino piissimo Augusto *Artabasdo* à Deo coronato magno Imperatore anno III. Patriciatus eius anno III. sed & *Nicephoro* magno Imperatore anno II. indict. x.

EPISTOLÆ CXLV.

BENEDICTI VICEDOMINI ad Bonifaciun.

Domino sanctissimo, atque amantissimo nobis in Christo patri Bonifacio Archiepiscopo Benedictus Episcopus & Vicedominus sanctæ sedis Apostolicæ.

PRæsens *Lul.* venerabilis Presbyter paternæ sanctitatis vestræ missus, honorandos tuos nobis attulit [illegible] Quorum textus continebat, multis te necessitatibus & turbinibus esse tristatum per homines [illegible] timentes Deum, & falsos Episcopos, atque pseudopresbyteros, & fornicatores dominicos, eorumque iniquas actiones, prauasque immissiones, iram quoque inimicantium & persequentium gentium, quorum persecutio iniqua finem habebit interitus sempiterni. Etenim sanctissime Pater, omnes sancti, quanta passi sunt tormenta, vt secuti possiderent vitæ æternæ palmam! Habemus consolatorem egregium Apostolum Paulum, qui docet: *Oportet nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei.* Magna tibi est merces, ô sanctissime Pater, & corona gloriæ coram omnipotenti Deo, dum omnia toleranter sustines propter diuinum mandatum & prædicationem euangelij Iesu Christi domini Dei, & Saluatoris nostri, cuius licet peccator potentiam deprecor, vt Domino meo beato Apostolorum Principe *Petro* intercedente, cuius & vicem geris inter feroces & indomitas gentes, vt ipse te sua pietate custodiat, & post decursum ministerii tui, in die aduentus eius, copiosum fructum afferre valeas, & à conditore omnium Deo remunerationis præmium centuplum accipias, & vitam æternam possideas. B Etenim meipsum sanctis tuis orationibus commendans, vt valui in verbo & opere, prædicto tuo misso adiutor apparui. Benedictionem denique a vestra beatitudine missam, sicut à patre meo suscepi, & omnipotenti Deo gratias egi, & vestræ sanctissimæ paternitati. Etenim, beatissime Pater, paruum munusculum sanctitati vestræ direxi, sabanum vnum, facitergium vnum, & modicum thymiama: quod peto vt, absque iniuriis vestrá, honoranda Paternitas suscipere non dedignetur.

Margin notes: I. iamque &c. — Act. 14. — Act. 14. — I. eius. S. Bonif. S. Petri vicarius. — I. modicæ thyniamæ.

EPISTOLÆ CXLVI.

THEOPHYLACIAS ARCHIdiaconus Bonifacio.

(I. Theophil.)

C *Egregio Patri, & Domino, supernis fascibus decorato Bonifacio Archiepiscopo Theophylacias indignus Archidiaconus sanctæ sedis Apostolicæ.*

INter sua quidam peritissimus dudum ænigmata sic promulgat. *Verba sapientum, quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi*, quia culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere. Vnde hactenus, non sine graui tristitia Dauidica illa ex intimo cordis mœrore compulsus sum cantica decantare: *Annunciaui & locutus sum: multiplicati sunt super numerum*, & quod multi ad fidem veniunt, & pauci ad electorum numerum perducuntur, hoc ipsum Domino promulgante: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Vos quidem egregie & sacerdotale præfulgidum apex vt illustre pro pagina exaranda notescendo D notescitis. Distincte in cursa, & vigilantius in quo Angelicas & beati domini mei & singulatim prætulimus aures & iuxta roseum illud & angelicum optatum desiderium desideratus ann. latus dominus ter beatus in Apostolica vos ad præsens dignatur informatione firmari, qualiter non solum de schismaticis & hæreticis illis, seu excommunicatis, & ab orthodoxæ fidei regula nequiter aberrantib., censeatis, vt conuenit: verũetiam Francorum & Galliarum gentes fidei tramitem solidæ amplectentes exuberent, enitentes & vestro sancto sub tempore non tantum occiduæ, sed vsquequaque floreant nationes. Scriptum namque est: *Multum valet deprecatio iusti assidua.* Et Dauid similia: *Nisi Moyses stetisset in conspectu Dei, vt auerteret iram eius, ne disperderet eos.* Nos etenim priscũ sodalitatis retinentes amorem, quamuis variæ nunc vtrosq; nationes & maria diuidant, tamen scriptum est: *Aqua multa non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Benedictionis etenim munusculum, ob recordationis nostri memoriam, cynamomum, costum, piper, & incensum

Margin notes: Eccl. 2.11. — I. grauis Dau. Ps. 93. — Matt. 20.16. — Locus totus per librarios deprauatus. — I. solite. — I. occiduas. — Iacob 5. 17. — Ps 105. 23. — I in vtr. Cant. 8. 7. — I. fluuij.

pariter direximus obsignatum, quod minimum et- A
enim, vt pro magno excipere debeatis, impensius po-
stulamus. Scriptum namque est. *Omnis gloria eius fi-*
Ps. 44. 14. *liæ regis ab intus, & omni habenti dabitur.* Quia quis-
Matth. 25. 29. quis haber charitatem perfectam, etiam cuncta dona,
Spiritu sancto ministrante, promeretur accipere: Om-
l. quisq. nipotens etenim rerum opifex & arbiter, qui vestro
sancto sub tempore, occiduos & circumquaque popu-
Abest los commorantes, ad vestræ beatæ prædicationis fa-
vocauit. cundiam, in Catholicæ & Apostolicæ sanctæ sedis fi-
dem vocauit, florere faciat perenniter, vt optamus.

EPISTOLA CXLVII.

THEOPHILACIAS BONIfacio Episcopo.

Egregio Patri & Domino, æthereis decorato fascibus, Bonifacio, almo Archiepiscopo Theophylacias indignus Diaconus sanctæ sedis Apostolicæ. B

INter amœna prata fragrantium odorum, sæpe spi-
nis circumuallatur rosa, ita illustrante S. Spiritu,
præfulgidus plerumque rutilat arbiter, veluti roseus
flos & mellifluadogmata salutis æternæ abundet eru-
l. ethereis. ctuet nimirum laudabile in aruis. O beatissime in
æthereis. Talenta etenim tuæ credita egregiæ beati-
tudini, non solum dupla, verum etiam & sescupla
Christo à te reddantur in astris, arcanaque vox ope car-
mine Christi dicentis: *Euge serue bone & fidelis, quia*
Matt. 25. 21. *inter pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra*
in gaudium Domini tui. Denique ob vestri laboris cre-
mentum, sedulo vna cum sancto coangelico Patre ve-
stro Domino Apostolico, totius sanctæ nostræ Eccle-
siæ sacerdotibus vel populo nauiter Domini nostri Ie- C
su Christi exoramus clementiam, vt vestræ sanctissimæ
paternitatis illuminatos doctrinis, atque è viuo pota-
tos fonte, simul cum eorundem satore, confirmare ac
conseruare in sanctæ ac orthodoxæ fidei tramite cle-
menter iubeat, & eorum, qui credituri sunt, corda
l. velamine, aperire, atque eorum detegere velamen. vt inflam-
inflammanteque. mante eosdem Spiritu S. intrepidi lætantes ad fidem
Christi peruenire festinent, quemadmodum Domini-
ca sanxit clementia: *Et alias oues habeo, quæ non sunt ex*
Ioa. 10. 16. *hoc ouili*, & cætera. Itaque Domine ac sanctissime Pa-
ter, quæsumus vestram à Deo ambrosiam bonitatem,
vt sanctissimum nimisque nobis dilectum *Lulum*, be-
nedictum Archidiaconum vestrum charissimum atque
dulcissimum sodalem & fratrem nostrú omnibus mo-
dis fouere propter Deum, & nostræ pusillitatis amici-
l. pro modis fauere. tiam, commendatum habere dignemini. Nostra est
scilicet & in eo rata dilectio, pro eo quod vestræ almæ
f. commodis. paternitati magnis decoratæ infulis, fidelibus ac lepidis D
ministrat seruitiis: & ob hoc poplite itidem flexo ve-
stram deprecamur togatam prudentiam, vt, eum mul-
to amplius rationem habere, non dedignemini perni-
l. refunditis. citer: ob nostramque paruitatem cum Domino Deo
Iacob 5. crebro funditis preces, memoriam facere non omitta-
l. inuatam. tis, quia scriptum est: *Multum valet deprecatio assidua.*
l. potius vt apud Nonium. His vero prælibatis, salutamus vestram à Deo infula-
tam sanctissimam, nectareamque Paternitatem: &
optamus, vt Deo fauente, perennibus capiatis tem-
poribus præmia, & desideratum ob vestræ sospitatis
f. ceram ac styracem. xxxiii. suffragium, sentiatis effectum. Denique vobis dire-
ximus paruam benedictionem ex largitate B. *Petri* A-
postoli: Propter Deum grato animo dignemini susci-
pere costum, cynamomum, & serastyracem.

EPISTOLA CXLVIII.

GEMMVLI DIACONI AD sanctum Bonifacium Archiepiscopum.

Domino sanctissimo, Apostolorumque meritis decorato, Bonifacio Archiepiscopo, Gemmulus indignus Diaconus sanctæ sedis Apostolicæ.

SVmmis, & Deo amabilibus apicibus acceptis, cum
magno & omni quo decet honore & veneratione,
relegi. Et quia post tot tempora, merui ex vestris syl-
labis visitari. omnipotenti Deo nostro gratias egi, qui
me indignum famulum suum etiam de vestra lætifica-
uit incolumitate. Igitur omnia quæ nobis per nunc di-
rectas litteras præcepistis, vt Dominus vires donare di-
gnatus, est adimplemus: sed & ea, quæ Domino Apo-
stolico suggessistis, per nos sunt suscepta, & annuncia-
ta, atque relecta: & vos ea pertractantes omnia scri-
pta, quæ à vobis ab ea directa sunt, à nobis esse dicta-
ta iuxta vestram voluntatem cognoscite. Sed & quod
vos non sperabatis fieri, suggessimus, & facta est Syno-
dus sacerdotum, præsidente Domino Apostolico, & Synodus.
relecta est sacrilega illius *Aldeberti* nefandissimi vita,
& omnia opuscula illius coram Synodo: pariter & epi-
stola sanctissimæ paternitatis vestræ, vbi de illo, & de
Clementis dementia suggessistis: & sic gesta peracta:
sententia anathematis in eis promulgata est, vel in om-
nibus, qui eorum nefandam secuti sunt sectam: cuius
instar vobis à Domino Apostolico directum est. Et hæc f. post
coram præsentia præsentis patris nostri *Denearde* ve- gesta.
nerabilis Presbyteri acta sunt: & ipse vobis ore pro-
prio poterit enarrare, quod omnia ista per nos acta
sunt. Nam pro certo cognoscite, sanctissime Pater,
quia in omnibus paratum me offero, vestris obtempe-
ratorum præceptis. Scio enim quia vestris orationibus
adiutus, erutus sum à tentationibus inimici & miser- l. obcō
tus Dominus, suo famulo medelam tribuit, & diuer- peran
sis infirmitatibus circumdatus, quanquam indignus, dum.
illud Apostoli sequor consolationis donum, quo ait, f. obtē-
Dum infirmor, tunc potens sum. Et libenter gloriabor in perantem.
infirmitatibus meis, vt inhabitet in me, per vestras san- 2. Cor. 12.
ctas preces, *virtus* Christi. Venerandas namque soro-
res nostras, & Dei ancillas, quæ apud limina sancto-
rum Principum Apostolorum properauerunt, quas
etiam nobis vestra sancta paternitas commendare ius-
sit, in quantum Dominus vires donare dignatus fuerit:
curam earum habemus propter vestram sanctam præ-
ceptionem. Benedictionem etenim, quam nobis di-
rexistis, suscepimus, id est, poculum argenteum, &
syndonem vnam, quam in duplici suscepimus benedi-
ctione, eo quod à tanto Patre meruimus visitari. Et li-
cet tribuere non valeamus, tamen ad vicem chari-
tatis, cum magna reuerentia direximus cinamomum,
vncias IV. costum, vncias IV. piper. lib. II. cozom-
bum. lib. I. quæ pero, vt absque iniuria suscipere iu-
beatis: & vt pro nobis orare dignemini omnino de-
posco. Incolumem sanctissimam paternitatem ve-
stram diuina conseruet maiestas orantem pro nobis
Domine & meritis Apostolorum decorate Pater.

EPISTOLA

EPISTOLA CXLIX.

GEMMVLI DIACONI AD sanctum Bonifacium legatum Germanicum.

Domino sanctissimo, & nimium desiderantissimo, atque cum omni affectu charitatis recolendo Patri, Bonifacio Archiepiscopo prouinciæ Germaniæ, Gemmulus indignus Diaconus sanctæ sedis Apostolicæ.

VEnerabilibus sanctissimæ paternitatis vestræ syllabis susceptis, per præsentem gerulum *Denehardum* venerabilem virum missis, cum omni, vt decuit, veneratione atque charitatis affectu suscepisse, insinuo: simul & benedictionem quam mihi misistis, quæ apud paruitatem meam super aurum & argentum accepta est, eo quod mei memorem esse in sanctis suis orationibus almitatis vestræ coronam cognoui, quem concedere mihi diuina patiatur maiestas incolumem, quamdiu me superna voluerit clementia superesse, vt vestris sacris interuentionibus iuuatus, exercitior inueniar, Deo propitio, aduersus antiqui hostis insidias repugnare. Interea insinuastis mihi, quod vobis de illis epistolis sancti *Gregorii* mitteremus. Sed nunc minime potuimus sanctis paternitatis vestræ præceptis parere, eo quod nimis attritum, atque in podagrico humore & dolore fatigatum memoratus vester Presbyter per tempus cognouit: ita vt in eo me dolore afflictum relinqueret, quod & ore proprio vobis intimabit. Sed si vita comes fuerit, & vestra oratio modo non defuerit, quæ iussistis, dum saluti fuero plenius restitutus, sanctissimæ paternitatis vestræ obtemperabo iussionibus, vt dum alia vice huc vestrum missum direxeritis, quæ præcepistis impleta esse reperiantur, vt absque tarditate quæ desideratis, explicantur. Transmisimus enim per prædictum vestrum Presbyterum aliquantum coczumbri, quod incensum Domino offeratis, temporibus matutinis & vespertinis, siue dum Missarum celebratis solemnia, miri odoris atque fragrantiæ: sed peto vt absque iniuria suscipiatis, quod pura charitate dirigitur, salutans vestram sanctissimam paternitatem in Domino: & vt pro nobis orate jubeatis, deposco. Sed & omnem Ecclesiam, quæ vobiscum est, per vos saluto, & vt ipsi pro me exorent. *Multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Nam & ego, licet peccator existam, tamen vestri memoriam ante sacras confessiones Apostolorum faciés, orationi incumbo. His præmissis, optamus sanctitatem paternitatis vestræ in Domino bene valere: atque in opere, quo assumptus es, multo amplius fructum boni operis pullulare concedat, & ad incrementum perducere patiatur diuina majestas, Trinitas Indiuisa sanctitatem vestram conseruet orantem pro nobis.

f. infulatis, vel luxatus.

Iac. 5.

SEquebantur in Ingolstadiensi Codice S. Bonifacii ad Stephanum Papam epistolæ: sed ante iam è Cæsareo Codice positæ sunt, sicuti & aliæ plures. Adiungo addunt aliquas è Tomo IX. Annalium Reuerendiss. & Illustriss. Card. Baronii, qui eas è S. Mariæ & Antonii Augustini bibliothecis exscripsit.

EPISTOLA CL.

Dilectissimo & Reuerendissimo Cuthberto Abbati, & vniuersis fratribus sanctæ congregationis eius, Bonifacius seruus seruorum Dei in Christo fraternæ charitatis salutem.

FRaternitatis vestræ pietatem intimis obsecramus precibus, vt nos inter feras & ignaras gentes Germaniæ laborantes, & grana Euangelica plantantes vestris sacrosanctis orationibus adiuuemur, & precibus sanctitatis vestræ in nobis sæuus Babylonicæ ardor restinguatur flammæ, & sparsa sulcis ad fructum multiplicata surgant semina, quia iuxta dictum Apostoli. *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed Deus qui incrementum dat, vt detur nobis sermo in apertione oris, & sermo Domini currat & clarificetur.* Interea rogamus, vt reliqua de opusculis sagacissimi inuestigatoris Scripturarum *Bedan* Monachi, quem nuper in domo Dei apud vos, vice candelæ, Ecclesiæ, scientia Scripturarum fulsisse audiuimus, conscripta nobis transmittere dignemini. Etsi vobis laboriosum non sit, vt donum vnum, nobis grande solatium peregrinationis nostræ transmittatis.

1. Cor. 3.

f. ecclesiastico scientia.

Ad indicium quoque intimæ charitatis, lectisternia caprina vobis (sicut hîc vocant) direximus: quæ petimus, licet digna non sint, vt pro memoria suscipiatis. Alma Trinitas, & vna diuinitas fraternitatem vestram, & hic sanctis virtutibus proficientem, ac valentem augeat & custodiat, & in futura beatitudine, inter splendida Angelorum agmina, gaudentes remunerando glorificet.

EPISTOLA CLI.

Pippinus Rex Francorum, V. C. Bonifacio Archiepiscopo & Legato Germanico ab Apostolica sede directo.

QVia veneranda pietas tua nostram excellentiam postulauit, pro monasterio, quod à te nouiter instructum est in solitudine *Buchonia* juxta fluuium *Fulda*, in loco quem beatę memoriæ *Carolomanus* germanus noster legitima deuotione tibi concessit; vt sicut ex auctoritate sancti Petri Principis Apostolorum, pro quo legatione fungeris, priuilegio sedis Apostolicæ sublimatum esse constat, ita etiam nostræ auctoritatis præcepto roboretur: placuit nobis tuæ petitioni assensum præbere: & ideo hanc nostram præceptionis seriem, ob honorem Dei & venerationem sancti Petri, conscribi jussimus, per quam priuilegium sedis Apostolicæ à Beato Zacharia tibi collatum, cum consensu Episcoporum, cunctorumque fidelium nostrorum, per omnia roboramus, præcipientes vt nullus Sacerdotum in regno nostro diuinitus nobis concesso, in præfato monasterio iurisdictionem aliquam sibi vindicet, præter Apostolicam sedem, ita vt nisi ab Abbate monasterij fuerit inuitatus, nec Missarum solemnia ibi quisquam præsumat celebrare: sed iuxta id quod subjectum constat; Apostolicæ sedi, firmitate priuilegij inconcussè roboratum permaneat. Locis etiam & rebus, quas tam moderno tempore tenet vel possidet, quam quas futuris temporibus, iuribus ipsius monasterij diuina pietas augere voluerit, ex donis, oblationibus, decimisque fidelium, absque vllius personæ contradictione firmitate perpetua fruatur.

Si autem quisquam nostræ authoritatis præcepto repugnare voluerit, Sententiam Apostolicæ districtionis, quæ in priuilegio expressa est, experiatur. Et tamen hoc, quod, ob amorem Dei & venerationem sancti Petri, auctoritate nostra firmauimus, stabile permaneat, manu nostra roboratum, & tam annuli nostri impressione, quam fidelium nostrorum adstipulatione subnixum. Vale.

FRECVLPHI EPISCOPI LEXOVIENSIS, Chronicorum libri duo:

QVORVM PRIOR AB INITIO MVNDI vsque ad Octaniani Cæsaris tempora, & Seruatoris nostri Christi natiuitatem: Posterior dehinc vsque ad Francorum & Longobardorum regna, rerum gestarum historiam continet.

In priorem huius operis tomum auctoris ipsius ad Elisacharum suum præceptorem.

PRÆFATIO.

CVm torpentia quorundam ingenia industria prudentium excitare soleat, ne ignauiæ depressa sopore, otio languenti inutiliter contabescant, sed caligine detersa somnolentiæ expergiscantur, vt quibus prodesse potuerint scribendo vel docendo, accurate hoc agere studeant: ne de talento male defosso, terribilem Domini promulgatam audiant quandoque sententiam: tu quidem, mi dilectissime Elisachare, & amore insatiabilis sophiæ venerande præceptor, post cæteros quos stimulis instanter charitatis agitare soles, vt vigilantes, fideliter ea quæ eis credita sunt, domini sui famulis tempore distribuant opportuno, tãdem meam aggressus paruitatem, iussisti vt perscrutando diligenter volumina antiquorum seu hagiographorum, siue etiam Gentilium scriptorum, quæcunq; pertinent ad historię veritatem, breuiter ac lucide colligere desudarem. à conditione quidem primi hominis, vsque ad Christi natiuitatem Domini: eo scilicet modo, vt quicquid de primo seculo quod ante generalem fuerat cataclysmum, siue de secundo quod fuit post diluuium vsque ad natiuitatem Abrahæ, & regis Assyriorum Nini regnum, nostri siue Gentiles senserunt scriptores, pandere diligentius curarem. Quæstiones etiam difficiles, quæ per hæc tempora in scriptis habentur legislatoris, enodare non negligerem, quantum attinet ad historiæ veritatem. Inde autem per reges Assyriorum, Medorum, atque Persarum, siue Græcorum, & vsque ad Octaniani Cæsaris monarchiam, ad quas gentes Assyriorum deriuando regnum per succedentia peruenit tempora: in populo autem Dei per patriarchas, iudices, reges, ac sacerdotes, iterumque reges, numerum custodire annorum cautius obseruarem, & ea quæ gesta in singulis mundi partibus, & memoria sunt digna, adnotarem: vt quæque immortaliter per singula frequentantur tempora, quando vel vbi fuerint, qui tunc etiam imperauerint in eminentioribus regnis, vel qui populo Dei præfuerint, ostenderem. Insuper à destructione templi Hierosolymitani, vsque ad Domini natiuitatem Christi, quæque in populo gesta sunt Iudæorum, quoniam confusa propter calamitates quæ eis acciderunt, esse videntur, ordinando summatim colligere instigasti. Hæc quidem omnia ceu picta breui in tabula meæ ostendens paruitati, nullam excusationis occasionem reliquisti, sed potius operam dare imperasti. Igitur auxilio Dei adiutus, qui facit mutos loqui: non temeritatis, sed obedientiæ gratia, hoc tam ingens parua cum cymba ignarus nauta pelagus nauigare cœpi. Sed si maris se immutauerit serenitas, fluctusque intumuerint, tu qui iussisti naufrago porrige manum. Quamuis enim ecclesiasticis alligatus ac secularibus negotijs, lingua præpeditus, sensu obtusus, hoc tam magnum ineruditus tyro arripui opus, quod sapientibus erat committendum: tamen quia tuæ hoc non potui negare beneuolentiæ, tibi examinandum mitto, & si vtile adiudicaueris fore, non magis acceptum feretur scribenti, quam censori. Porro nomina authorum, ex quibus ea collegi, quæ in 7. libris conclusi, ideirco non vbique inserui (vt præmonuisti) quoniam in his, in quibus concordare videbantur, sensum eorum, quę elegeram, compendiose complexus sub breuitate dictare studui. Eorum autem nomina adnotare decreui, siue nostrorum siue gentilium, sententiasque illorum assumpsi, vt in suis habentur libris qui variando à cæteris exorbitare videntur. Obsecro itaque candidum Lectorem, ne præsumptioni tribuat meæ imbecillitatis, si quid in his ei displicuerit libris, sed obedientiæ. Nec temere reprehendat, antequam diligentius eos legerit authores, ex quibus nos hæc decerpsimus, & ad quos eorumdem quoque fidem referimus.

EIVSDEM AD EVNDEM Carmen Hexametrum.

Te duce Christe vias facilis nos ire per omnes
Quod natura negat, varios, fessosque labores,
Das qui ausus fragili, das grandia vincere posse,
Paruula mens trepidat hominum, quæ tangere duras
Miratur tetigisse quidem, gaudet superasse.
Si quid enim fuerit dignum laude, & memorandum,
Nec sibi, sed domino tribuat, quæ gesta videntur:
Qui dedit ingenium stolido, qui cuncta gubernat,
In cœlis, terris, perque omnia secula semper:
Cuius ego auxilio intus, non viribus æquis,
Arripui celsos secle transcendere colles.
Quæ vt fuerint calamo pingam per tempora prisca.
Æternos replicare dies ingentia regum
Tempore quo fuerint, vbi talia facta per orbem,
Quique viri fortes, portenta, fames, mala mundi,
Quas dederint clades populis ciuilia bella.
Triuerit externas gentes infanda cupido:
Quos casus tribuit regnis improuida cura.
Hæc cecini, breuiter memorans venerande sacerdos:
Non ignota canens veterum, sed dicta priorum.

FRECVLPHI EPISCOPI Lexouiensis vita, ex Iohanne Tritthemio, Abbate Spanheimensi, contexta.

Freculphus Episcopus Lexouiensis, in prouincia Rhotomagensi, monachus ordinis sancti Benedicti, ad quem Rabanus adhuc Abbas multis voluminibus exercitauit ingenium, vir in diuinis scripturis studiosissimus & valde peritus, atque in docenda plebe satis idoneus, non minus conuersatione quam scientia insignis, fertur quædam præclara scripsisse opuscula. De quibus tantum legi volumen grande & insigne, continens ab exordio mundi vsque ad natiuitatem Domini nostri Iesu Christi.

Rerum gestarum historiam lib. 7. Dum aliquam temporis.

De aliis nihil vidi. Scripsit autem præfatum opus ad Elisacharum, in quo etiam difficiliores quæstiones scripturarum enodauit, & res tam Iudæorum quam etiam Gentilium ab initio mundi vsque ad partum virginis gestas, luculento sermone conscripsit:

Claruit sub Ludouico: Anno Domini DCCCXL.

EX BELLARMINO DE Scriptoribus Ecclesiasticis.

A

FReculphus Monachus S. Benedicti, & postea Episcopus Lexouiensis eodem Ludouico Imperatore floruit. Scripsit enim *ad Iuditham Lu lenici vxorem libros quinque historiæ vniuersalis ab orbe condito vsque ad annum Domini sexcentesimum*: sed ipse vixit vsque ad annum Dom. 840. in eo autem fallus fuisse inuenitur, quod scripsit tomo secundo libro quarto cap. 20. Gothos ab Arianis ad fidem Christianam fuisse conuersos. Scribit enim Theodoretus lib. 4. histor. cap. vltimo, Gothos ab Vlphila Episcopo fidem Catholicam fuisse edoctos; sed postea tum ipsum Vlphilam, tum eius populos ab Arianis fuisse seductos, neq; enim hæretici Paganos conuertere, sed Catholicos peruertere norunt, vt scribit Tertulianus in lib. de præscriptionibus.

B

FRECVLPHI EPISC. LEXOVIENSIS, CHRONICORVM.

Tomus prior,

Continens ab exordio mundi vsque ad Natiuitatem Seruatoris nostri Iesu Christi rerum gestarum Historiam.

LIBER I.

De eo quod pene omnes Historiographi texere suas cœperint Historias à Nino Assyriorum rege.

C

CAP. I.

DVm aliquam temporum seriem commatico sermone ex nobilium studijs, tam diuinarum scriptorum historiarum, quam secularium, & ex pluribus eorum paucos libando flosculos libris, seu ex diuersorum vernantium pratorum floribus perstringere curarem, vt lector animaduertere facile valeret, quid ex celebrioribus factis in singulis tam regum quam regnorum sit gestũ temporibus: offendit meæ imbecillitatis paruitas, omnes pene historiographos, maxime autem Græcorum, atq; Latinorum, à Nino Beli filio, rege gentium multarum, scilicet, primo suas gestorum inchoasse narrationes: præcipue videlicet bellorum casus, regum, regionumque destitutiones, atque hominum miserias, & vt eorum instruimur assertionibus, nihil aliud esse bella, nisi ad alterutrum vergentia mala: quæ studiosissime descripserunt. Translacta autem retro secula, ac si sine vitio forent (vt quibusdam illorum placuit) & homines ritu pecorum irrationabilium prius vixissent, intacta reliquerunt. Igitur auxilio omnipotentis Dei fultus, atque authoritate diuinæ scripturæ fretus, ab ipso protoplasto exordium meæ narrationis sumere curaui: qui primus parens authorque mortalium hominum, vltimus in fabrica Dei conditus est: sexta scilicet die. Post eius namque conditionem Dominũ cessasse à noua operatione, non autem à gubernatione creaturarum, haud dubium est. Qua de re scriptura commemorat Dominum requieuisse die septimo ab omnibus operibus suis.

D

A

Cur homo nouissimus in creaturis conditus sit.

CAP. II.

QVæri tamen potest, cur homo in conditione vltimus creatus sit, sexto scilicet die: cum constet propter intelligentiam nobiliorem esse hominem cæteris creaturis, quæ in præcedentibus factæ commemorantur diebus: nisi vt prius conderetur mundus quasi domus, & sic demum introduceretur dominus, id est, habitator domus.

Quomodo ad imaginem & similitudinem Dei homo sit conditus.

CAP. III.

B

QVi etiam ad imaginem & similitudinem Dei est conditus, quam videlicet imaginem atque similitudinem, in rationalis animæ intellectu, non in corporis forma esse nouimus, juxta quod ait Apostolus: Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est. Et alibi, Exuentes vos, inquit, veterem hominem, induite nouum, qui renouatur in agninone Dei, secundum imaginem eius qui creauit eum. Quamuis & ipsum corpus nostrum ita sit fabricatum, vt ostendat nos meliores esse, quam reliqua animalia. Illa enim omnia inclinata sunt ad terram: hominis autem corpus erectum est, vt manifestet animam nostram, in supernis ad spiritalia debere semper esse erectam: Igitur inter imaginem & similitudinem, hoc distat, quod imago Dei in immortalitate animæ est; vnde etiam anima peccatrix, imago Dei esse non desistit: similitudo in moribus constat. Quamobrem non nisi anima sancta similitudinem Dei habet, in eo enim suo creatori similis est, in quo angelis sanctis erit æqualis.

C

De obedientia homini à Deo data.

CAP. IV.

IDem etiam sator hominum, colonus paradisi constituitur: vt in eo feliciter, si præceptum mandati obediendo seruaret, absque vllis calamitatibus, aut metu mortis, æternis fruendo gaudijs viueret: sin autem inobediens existeret, priuatus æterna felicitate, miserijs subjaceret mortis: quas est expertus dum vetitum contigit lignum: de quo inhibitus fuerat, ne illud tangeret. Sic ergo primus parens à paradisiaca amœnitate depulsus est, cum sua conjuge, quam Apostolus diabolica fraude deceptam dicit: ipsum vero Adam non deceptum, sed causa suæ sociæ fuisse transgressum.

D

De ligno scientiæ boni & mali in paradiso, & de ligno vitæ.

CAP. V.

ERat vtique in paradiso corporaliter lignum, quod nuncupatur lignum vitæ: sicut & petra, quæ percussa aquas præbuit in eremo populo Dei, quamuis significarent mystice Christum. Quod propterea lignum vitæ dictum est, quoniam dum illi homines inde gustarent, nec morbo nec senectute deficerent. In cæteris enim erat alimentum, in isto Sacramentum, lignumque scientiæ boni & mali, non quod ipsum in sua natura lignum esset rationale, vel scientiam boni & mali habuisset: sed propterea appellatum est boni & mali scientiæ, quia homo per experimentum ab ipso didicit, quod esset inobedientiæ malum. Si quis vero de his plenius scire voluerit, patris Augustini lib. de ciuitate Dei legat.

De Abel à fratre suo Caïn occiso, & de vindictis, quas Caïn pertulit.

CAP. VI.

ERgo Adæ nati sunt filij masculi duo, in regione ad quam transmigrauit eum Deus à paradiso, post suam præuaricationem. Quorum prior appellatur Caïn, secundus autem Abel. Germani siquidem, sed diuersis lætabantur studijs. Abel quidem junior, iustitiam colebat, & in omnibus quæcunque gerebat, dominum putabat esse præsentem: cuius erat conuersatio pastoralis. Caïn autem erat quidem circa alia pessimus, & ad lucra solummodo semper intentus: terram vero primus arare cœpit. Fratrem quippe huiusmodi causa peremit. Nam cum eis Deo sacrificare placuisset, de frugibus quidem terræ munera Caïn obtulit: Abel autem de primogenitis agnorum, & lac. Deus enim hoc potius sacrificio delectatus est, quod spontaneè & naturaliter ortum fuerat: & non in illo, quod ex inuentione hominis auari natum videbatur. Quapropter Caïn indignatus, eo quod Abel fuisset à Deo præpositus: & hoc ita nouit, ignis enim Dei sacrificium fratris consumpsit, & eius intactum reliquit: quo stimulatus liuore, fratrem suum Abel interemit.

De exordio duarum ciuitatem.

CAP. VII.

QVa de re Dominus ad Caïn ait: Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio. Dominus non tanquam ignarus interrogat, sed tanquam iudex reum, quem puniat. Putans enim Caïn Deum latere quæ gesserat, respondit: Nescio. Cui Deus ait: Arbitraris me quod gessisti, nescire: qui cogitationem tuã, quam impie conceperas, inspiciens, ne opere consummares ante præmonui? Sed ne causeris iniuste me aduersum te proferre sententiam, ego tibi accusationem non infero: sed est restis, qui te accusat, vox videlicet sanguinis fratris tui: qui clamat ad me de terra. Respõditque Caïn ad Dominum: Major est iniquitas mea, quam vt veniam merear. Intellexit enim ex furia mentis, & ex tremore corporis quo agitabatur, se dignũ interfici, & ait: Ecce eijcis me hodie à facie tua, & à facie terræ abscondar, & ero gemens super terram & omnis qui inuenerit me, occidet me. Verum Deus nolens eum compendio mortis finire cruciatus, nec tradi pœnæ, qua se ipse damnauerat, ait. Non sic, id est, non vt tu æstimas morieris, & mortem pro remedio accipies: verum viues vsque ad septimam generationem, & conscientiæ tuæ igne torqueberis: ita vt quicunque te occiderit, secũdum duplicem intelligentiam, aut in septima generatione, aut magno te liberabit cruciatu, non quod ipse, qui percusserit Caïn, septem vltionibus subijciendus sit; sed quod septem vindictas, quæ in Caïn tanto tempore cucurrerunt, soluat interfector, occidens eum, qui vitæ fuerat derelictus ad pœnam. Vt autem quod dicimus manifestius fiat, quotidianæ consuetudinis ponamus exemplum. Loquitur inter verbera seruus ad dominum: Quia incendi domum tuam & vniuersam substantiam dissipaui, interfice me. Dominusque respondeat: Non vt vis morieris, & finies morte supplicia, verum longo tempore custodieris ad vitam, & tam infeliciter in hac luce versaberis, vt quicunque te occiderit, beneficium præstet occiso: dum tam multis te liberauerit cruciatibus.

Quomodo Deus primis hominibus loqueretur, & de eo quod scriptum est: Nonne si recte offeras, recte autem non diuidas, peccasti?

CAP. VIII.

QVomodo Deus primis hominibus loqueretur, quæri solet, scilicet per creaturam subjectam, velut eorum socius forma congrua loquebatur cum eis. Sed quid profuit Caïn? Nonne conceptum scelus in necando fratre, etiam post verbum diuinum impleuit? Illud vero quod dictum est: Nonne si recte quidem offeras, recte autem non diuidas, peccasti? quia lucet cur vel vnde sit dictum, multos sensus peperit eius obscuritas: cum diuinarum scripturarum quisq; tractator secundum fidei regulam id conatur exponere. Recte quidem offertur sacrificium, cum offertur Deo vero: cui vni tantummodo sacrificandum est. Non autem recte diuiditur, dum non discernuntur recte vel loca vel tempora, vel res ipsæ quæ offeruntur, vel qui offert, & cui offertur: vel hi quibus ad vescendum distribuitur quod oblatum est: vt diuisionem, hic discretionem intelligamus. Siue cum offertur, vbi non oportet, aut quod non ibi, sed alibi oportet, siue cum offertur, quando non oportet, siue cum id offertur, quod nunquam penitus debuit, siue cum electiora sibi eiusdem generis retinet homo, quam sunt ea, quæ offert Deo, siue eius rei quæ oblata est, fit particeps prophanus, aut quilibet, quod fas non est fieri: In quo autem horum displicuerit Caïn, facile non potest inueniri. Sed quoniam sicut Iohannes ait, ex maligno erat, & ex inuidentia occidit fratrem suũ, fratris autem illius opera bona erant: datur intelligi, propterea Dominum non respexisse in munera eius, quia hoc ipse male diuidebat; dans Deo aliquid de suo, sibi autem seipsum. Quod omnes faciunt, qui non Dei, sed suam sectantur voluntatem, non recte diuidendo, hoc est, non recte viuendo. Dominus enim dans ei mandatum iustum & bonum, dixit: Quiesce, ad te n. conuersio eius, & tu dominaberis illius. Nunquid fratris? Absit. Cuius igitur, nisi peccati? Dixerat enim, peccasti. Tum deinde addidit, quiesce: ad te enim conuersio eius, & tu dominaberis illius. Potest quidem sic intelligi, ad ipsum hominem conuersionem esse debere peccati: vt nulli alij quam sibi sciat tribuere quod peccat. Hæc enim est salubris pœnitentiæ medicina, & veniæ petitio congrua. At vbi ait, ad te enim conuersio eius, non subaudiatur erit, sed sit, præcipientis videlicet, non prædicentis modo. Tunc enim dominabitur quisque peccato, si id sibi non defendendo præposuerit, sed pœnitendo subjecerit.

De eo quod scriptum est: Cognouit Caïn vxorem suam, & peperit ei Enoch, ex cuius nomine nuncupauit ciuitatem, quam ædificauerat, & hoc qualiter conueniat, vt tres homines, qui tunc tantum erant, ciuitatem ædificarent.

CAP. IX.

SEquitur: Cognouit Caïn vxorem suam, quæ concepit & peperit Enoch, & ædificauit ciuitatem, & vocauit nomẽ eius Enocha, ex nomine filij sui Enoch. Vnde quæri potest, dum non plures eo tempore quam viri quatuor, vel potius tres postea, quia fratrem frater occidit, fuisse viderentur in terra: quomodo Caïn solus ciuitatem ædificasse dicitur. Sed quos hoc mouet, parum considerant, non omnes homines, qui tunc esse potuerunt scriptorem sacræ huius historiæ necesse habuisse nominare, sed eos solos, quos operis suscepti ratio postulabat: illos videlicet, per quos ad Noë, ac deinde ad Abraham, genealogia texendo

perduceretur. Nec enim consequens est, vt istum primum filium genuisse credatur Caïn, quia dictum est, cognouit vxorem suam, quasi tunc primitus ei commiscuisset. Nam de ipso Adam hoc dictum est, non solum quando conceptus est Caïn primogenitus: verum etiam posterius: Cognouit, inquit, Adam Euam vxorem suam, quæ concepit & peperit filium, & nominauit eum Seth. Vnde intelligitur, ita solere illam scripturam loqui, quamuis non semper. Potuit enim fieri vt licet alios haberet filios, hunc tamen propter aliquam causam, plus cæteris dilexerit. Non enim Iudas primogenitus Iacob, ex quo Iudæa dicta, & Iudæi sunt nuncupati. Ergo si Caïn primogenitus Enoch, non ideo putandus est confestim filio nato ex eius nomine ciuitati nomen dedisse: quia nec constitui tunc ab vno poterat. Aliud enim ciuitas non est, quam hominum multitudo, societasque. Sed cum illius hominis tanta cresceret numerositate familia, vt quantitatem populi jam haberet, tunc potuit fieri, vt & ciuitas conderetur, & ex nomine primogeniti nuncuparetur. Ergo si attendat tunc temporis tam longæuos fuisse homines, vt qui minime vixerant septingentos quinquaginta vixisse reperiantur annos: nec eos solummodo habuisse filios, quos scriptura commemorat, cum subditur, genuit filios & filias: vnde eis fœcundissimam prolem fuisse datur intelligi. Ex quo conijci potest, quod si à nepote Abraham, Iacob videlicet tanta multitudo hominum multiplicari potuit in Ægypto intra annos trecentos, vt sexcenta millia fuissent, quando ascenderunt ex Ægypto, quid mirum homines multam potuisse condere familiam, per spatium nongentorum annorum aut eo amplius, qui ciuitates ædificarent plurimas? Sed hanc ciuitatem Caïn propter terrenam ciuitatem commemoratam fuisse, credibile est, quæ ab ipso constitutionis conditore initium sumpsit. Hinc jam ciuitates duæ exortæ sunt, impiorum scilicet atque iustorum. Iustorum quidem fundamentum peregrinationis suscepit in Abel, ac deinde in Seth & in posteritate eius: ac si laborando peregrinatur vsque ad præsens tempus. Ergo in prioribus seculis, quamuis vsque ad septimam progeniem in filijs Seth multiplicitet fœcundaretur ciuitas Dei: tamen in paucis ædificata est ad comparationem iniquorum, quoadvsque Dominus Christus, Deique filius Deus ante secula, homo in nostro tempore ex vtero Virginis Mariæ sacratissimę procederet: qui verus Deus, verusque homo, ex duabus substantijs & vna persona, nouum lumen mundo resplenduit: ac deinceps per vniuersum orbem, in membris eius hæc ciuitas sancta fœcundius ædificatur, & ad ciues suos angelos scilicet Dei quotidie colligitur: quorum præsidijs in hac peregrinatione jugiter suffragatur. In Caïn vero atque eius cognatione latissime impiorum ciuitas fabricata est. Refert quidem de eo ille antiquitatum scriptor Iosephus, quod postquam signum acceperat, vt non interficeretur à quibuscunque inueniretur bestijs, sed sine formidine per omnem terram signo ei imposito quo notus fieret, vagus & profugus abiret, ab ea dejectus regione, in qua fratrem occiderat, & in qua cum parte habitauerat, multam peragrans terram cum sua vxore, tandem deuenit in locum, qui Naida nuncupatur, ibique moratus est, in quo ei etiam filij nati sunt. At vero pœnam illam non habuit pro emendatione, sed ad incrementum & ad libidinem suo potius nutriuit in corpore, licet cum injuria secum commorantium hanc haberet, augens domum multitudine pecuniarum, ex rapinis & violentia congestarum, ad luxuriam quoque & latrocinia suos inuitans familiares, quorum doctor in scelestis studijs erat. Et simplicitatem quidem cum qua prius viuebant homines, ad inuentionem mensurarum & ponderum permutauit, integramque earum vitam ex earum rerum ignorantia ad calliditatem, corruptionemque perduxit. Terminos terræ primus posuit, ciuitatesque constituit, murisque muniuit, illicque suos coëgit conuenire domesticos. Hanc vero ciuitatem ab Enoch seniore filio suo Enocham appellauit, vt prædiximus.

Quod aliter sentiant Philosophi Græcorum & Latinorum de primo seculo, quam Hebræorum.

CAP. X.

IGitur Philosophi Græcorum atque Latinorum, longe aliter senserunt de primo seculo, quam Iosephus referat, qui aurea prima nuncupant secula, & tunc homines solo vacasse otio, & his tantummodo frugibus fuisse contentos, quas terra sponte protulerat, & simplici aqua eos esse potatos, nec vllius carnis esum attigisse, autumant. Secundum quorum opinionem quidam ex nostris suum ita composuit carmen, quod huic nostro opusculo inserere libuit:

Felix nimium prior ætas,
Contenta fidelibus aruis
Nec inerte perdita luxu:
Facili quæ sera solebat
Ieiunia soluere glande.
Non Bacchica munera norant,
Liquido confundere melle,
Nec lucida vellera Serum
Tyrio miscere veneno.
Somnos dabat herba salubres,
Potum quoque lubricus amnis,
Vmbras altissima pinus.
Nondum maris alta secabant,
Nec mercibus vndique lectis,
Noua littora viderat hospes.
Tunc classica sæua tacebant,
Odijs neque fusus acerbis,
Cruor horrida tinxerat arua.
Quid enim furor hosticus vlla
Vellet prior arma mouere,
Cum vulnera sæua viderent,
Nec præmia sanguinis vlla?
Vtinam modo nostra redirent
In mores tempora priscos.
Sed sæuior ignibus Æthnæ
Feruens amor ardet habendi.
Heu primus quis fuit ille,
Auri qui pondera tecti,
Gemmasque latere volentes,
Pretiosa pericula fodit?

Salustius enim collaudans breuiter antiquiora tempora, ait: Quando vita hominum sine cupiditate agebatur, & sua cuique satis placebant. Postea vero, inquit quam in Asia Cyrus, in Græcia Lacedæmonij & Athenienses cœpere vrbes atque nationes subigere, libidinem dominandi causam belli habuere: maximam gloriam, in maximo imperio putare, & cætera, quæ ipse instituerat.

De Seth filio Adam, qui placuit Deo, eiusque filiis & nepotibus, qui vsque ad septimam generationem mirabiliter sapientiam adinuenerunt, & demum incolumnis scripserunt.

CAP. XI.

IGitur Adam, qui primus è terra factus est, post Abel quoque necem filij sui, & Caïn depulsionem, cum ducentorum triginta esset annorum, genuit Seth. Qui adultus, virtuti studuit, & nomen Domini inuocare

cœpit: & cum esset vir egregius, imitatores sui filios reliquit. Ex eius namque prosapia ciuitas Dei creuit. A Refert enim Iosephus de eius filijs in hunc modum: Illi autem omnes cum boni fuissent, orti in eadem terra, sine aliqua vexatione viuentes, felicissime commorati sunt: Nihilque eis vsque ad vitæ terminum crudele prouenit. Disciplinam vero rerum cœlestium, & ornatus earum primitus inuenerunt. Iobal autem consanguineus eorum existens, musicam adinuenit & psalterium citharamque laudauit. Et ne dilaberentur ab hominibus, quæ ab eo inuenta videbantur, aut antequam venirent ad cognitionem deperirent, cum prædixisset Adam exterminationem rerum omnium, vnam ignis virtute, alteram vero aquarum vi ac multitudine fore venturam, duas facientes columnas vnam quidem ex lateribus, alteram vero ex lapidibus, in ambabus quæ inuenerant conscripserunt, vt & si constructa lateribus exterminaretur ab imbribus, lapidea permanens, præberet hominibus scripta cognoscere: quæ tamen lapidea permanet hactenus B in terra Syriæ. Ergo Seth cum ducentorum quinque esset annorum, genuit Enos. Enos autem vixit annis centum nonaginta, & genuit Cainan. Cainan autem vixit centum septuaginta, & genuit Malalehel. Malalehel vixit annis centum sexaginta quinque, & genuit Iarech. Iarech vero vixit annis centum sexaginta duo & genuit Enoch.

De Enoch qui translatus est, qui etiam suas Prophetias scriptas reliquit.

CAP. XII.

Enoch autem vixit annis centum quinquaginta-quinque, & genuit Matusalam, & post hæc annos trecentos ambulauit cum Deo: vnde & non comparuit, quia Deus eum tulit. Qui etiam aliqua scripsit, Iuda teste Apostolo. Ait enim: Prophetauit septimus ab Adam Enoch, dicens: Ecce veniet Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes: & arguere omnes impios, &c. Liquido namque claret, ab ipso exordium literarum primo homine cœpisse, qui adhoc supererat, quando filij ac nepotes sui in studio sapientiæ feruebant. Vnde etiam filij Seth cum Iobal consanguineo in columnis ea quæ sapienter de disciplina cœlestium rerum adinuenerunt, cum reliquis artibus conscripserunt: sicut superius ex verbis Iosephi declaratum est.

De filiis Seth, qui post septimam generationem Deo displicuerunt.

CAP. XIII.

Filij namque Seth, in septem generationibus permanserunt, dominum iudicantes dominum omnium, & ad virtutem semper inspicientes, vt Iosephi D vtamur verbis. Deinde tempore procedente, de paternis solennitatibus ad mala progressi sunt, neque legitimos honores vlterius Deo præbentes, neque circa homines iustitiam facientes: sed zelum quem prius habuerant, in duplam malitiam per ea quæ gerebant, postea demonstrabant. Ob hoc itaque contra se dominum irritauerunt.

De filiis Dei, qui filias hominum acceperunt vxores.

CAP. XIV.

Sequitur. Dicit enim Moses: Videntes filij Dei filias hominum, eo quod essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant. Ergo ijdem dicti sunt angeli Dei. Vnde multi illos putant non homines fuisse, sed angelos. Quod tamen, angelos sanctos illo tempore sic labi potuisse, nullomodo credibile putatur: nec de his dixisse Petrum Apostolum, quod angelis peccantibus non pepercit: sed de illis, qui cum principe eorum diabolo ceciderunt. Angeli enim in sacro eloquio homines sunt, vt de Iohanne scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam. Et Malachias Propheta proprie dictus est angelus, Igitur vt omittamus multorum opiniones, filios Dei, hic filios Seth intelligimus: filias vero hominum Caïn vtique filias, ex quibus nati gigantes referuntur: quos & ante esse historia declarat, cum dixit: Gigantes enim erant in illis diebus. Fuisse etiam post diluuium quosdam, sed plures antea, historica traditione deprehendimus: sicut Nebroch, & alij de progenie Noë exorti sunt, qui omne bonum despicientes propter confidentiam fortitudinis, & pulchritudinem corporis, dominum irritantes perierunt.

Vtrum homines primi seculi sine coniugibus per tot curricula annorum fuerint, vt legimus, post plures annos filios genuisse.

CAP. XV.

Vixit autem Matusalam CLXXXVII. annis, & genuit Lamech: & post hæc annis DCC. LXXXII. Hic namque quæri potest, si homines tunc temporis per tot curricula annorum vxoribus vacabant, aut si eas prius ducebant, quænam causa erat vt absque liberis tamdiu manerent? Hæc autem quæstio duplici soluitur modo. Aut enim homines qui tantæ prolixitatis habebant ætatem, diutius à vinculo coniugij vacabant: aut, quod verissimum est, hi tantum assumuntur à veridico Mose historiographo, ex quibus Noë cum filiis ducebat originem, per quem & mundus post cæterorum hominum perditionem in diluuio, erat restaurandus. Sic namque Matthæus non primogenitos tantum assumens in catalogo generationis Christi, sed eos ex quibus natiuitas Domini secundum carnem docebatur, non enim Abrahæ primogenitus fuit Isaac, sed Ismaël. Nec Iudas primogenitus Iacob, sed Ruben, neque Dauid Isaï.

De Matusala vtrum quatuordecim annos post diluuium vixerit, vt in Genesi contineri videtur?

CAP. XVI.

Vixit itaque Lamech CLXXXII. annis, & genuit filium vocauitque nomen eius Noë. Noë ergo cum sexcentorum esset annorum, venit diluuiū super vniuersam terram, omne genus humanum delēs, præter Noë eiusque filios, cum vxoribus, quos dominus in arca reseruauit ad genus restaurandum hominum. Nunc autem famosissima hic nascitur quæstio de Matusalam, & in Ecclesiis sæpissime ventilata, quod iuxta diligentem fertur supputationem, XIV. annis post diluuium vixisse. Cum autem supra DCCCC.LXIX. annis sit dictum eum vixisse: quomodo verum est, quod VIII. tantum animæ in arca saluæ factæ sint, si hic post diluuium vixit. Restat igitur quod quomodo in plerisque alijs, ita & in hoc sit error in numero. Siquidem & in Hebræis & Samaritanorum libris, ita scriptum reperitur. Et vixit Matusalam CLXXXVII. annis, & genuit Lamech. Et vixit Matusalam postquam genuit Lamech, DCC.LXXXII. annis. Et fuerunt omnes dies Matusalæ anni DCCCC. LXIX. Et vixit Lamech 182. annis: & genuit Noë. A die ergo natiuitatis Matusalæ, vsque ad diem ortus Noë, sunt anni CCCLXIX. His adde DC. annos Noë, quia in sexcentesimo vitæ eius anno diluuium factum est. Atque ita fit vt nongentesimo nono anno vitæ suæ Matusalam mortuus sit, eo anno quo cœpit esse diluuium.

De hoc quod dicitur: Vltio dabitur de Cain septuplum, de Lamech vero septuagies septies.

CAP. XVII.

Dixit quoque Lamech vxoribus suis, Adę & Sallæ: Audite vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum, quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum Septuplum vltio dabitur de Cain: de Lamech vero septuagies septies. Lamech itaque qui se homicidium vxoribus suis fatetur perpetrasse, septimus erat ab Adam. In huius enim homicidæ filijs, septem Cain vindictæ aquis diluuij solutæ sunt, quoniam omnis progenies Cain in eo deleta est. Dira namque mors atque humanorum scelerum vindex, inter reliquos peritutos ipsum homicidam Lamech reperisse credibile est. De Lamech vero septuagies septies. Igitur superius partim retulimus, quæ ad huius quæstionis pertinebant solutionem. Secundum historiæ tamen veritatem, ab Adam vsque ad Christum LXXVII. generationes inueniuntur, in quibus peccatum Lamech, id est, totius mundi, sanguinis Christi effusione solutum est. Siquidem & in populo Iudæorum propter interfectionem Christi LXXVI. vindictæ sunt statutæ: iuxta illud Euangelium, in quo dictum est Petro Apostolo: Non solum septies, sed etiam septuagies septies, si pœnituerit fratri remittendum: Iudæum scilicet reuertentem, per LXXVII. vindictas statutas, recipiendum ad indulgentiam Christi.

De ira Dei, & de eo quod scriptum est in Genesi: Pænitet me hominem fecisse, cum in Deo nulla sit pœnitentia, in quo est certa præscientia.

CAP. XVIII.

Videns, inquit dominus Deus, quia multiplicatæ sunt malitiæ hominum super terram, dixit: Delebo hominem, quem feci, à facie terræ ab homine vsque ad pecus, & à repentibus vsque ad volatilia cœli: quia iratus sum, quoniam feci eos. Ira Dei non perturbatio animi eius est, sed iudicium, in quo irrogatur pœna peccatori. Cogitatio vero eius & recogitatio mutādarum rerum est immutabilis ratio. Neque enim sicut hominem, ita dominum cuiusquam facti pœniter sui, cuius est de omnibus rebus tam fixa sententia, quam certa præscientia. Sed si non vtatur scriptura talibus verbis: non se quodammodo familiarius insinuabit omni generi hominum: quibus vult esse consultum.

De eo quod dixit Deus: Erunt dies eorum centum viginti annorum.

CAP. XIX.

Quod autem dixit Deus: Erunt dies eorum centum viginti annorum, non sic accipiendum est: quasi prænunciatum sit, post hæc homines centum viginti annos viuendo non transgredi, cum & post diluuium etiam quingentos quosdam excessisse inueniamus: sed intelligendum est hoc dominum dixisse, cum circa finem quingentorum annorum esset Noë, id est, quadringentos octoginta vitæ annos ageret, quos more suo scriptura quingentos vocat: nomen totius summæ per maximam partem plerumque significans. Sexcentesimo quippe anno vitæ Noë secundo mense factum est diluuium: ac sic CXX. anni prædicti sunt futuræ vitæ hominum peritutorum, quibus transactis, diluuio delerentur. Hieronymus autem sic ex Hebræo

A vertit: Non iudicabit spiritus meus homines istos in sempiternum, quoniam caro sunt: hoc est, quia fragilis est in homines conditio; non eos ad æternos seruabo cruciatus; sed hic illis restituam quod merentur: Ergo non seueritatem, vt in nostris codicibus legitur, sed clementiam domini sonat, dum peccator hic pro suo scelere visitatur. Porro ne videretur in eo esse crudelis, quod peccantibus locum pœnitentiæ non dedisset, adiecit: Sed erunt dies eorum centum viginti annorum, hoc est, habebunt CXX. annos ad agendam pœnitentiam. Non ergo humana vita, vt multi æstimant, in centum viginti annos contracta est: sed generationi illi centum viginti anni, ad pœnitentiam dati sunt. Siquidem inuenimus, quod post diluuium Abraham vixerit annis centum septuaginta quinque. Dominus autem noluit tempus expectare decretum, sed viginti annorum spacijs amputatis, induxit diluuium anno centesimo agendæ pœnitentiæ destinato.

B

De Noe quomodo dicimus ab Adam princeps suæ gentis extiterit.

CAP. XX.

Noë vero principatum tenens, quem per successiones partes eius habuerant, scilicet per generationes X. id est, à Noë vsque ad primum parentem, filij patribus succedentes, dum esset ab Adam decimus, grauiter ferens actus hominum, & habens eorum consilia nimis ingrata, satagebat vt ad meliora mentem eorum actusque transferret. Cum autem videret, quod non adquiescerent ad talia, sed, vehementer malorum libidine detinerentur: metuens ne ipsum quoque cum vxore & filijs suis interficerent, discessit ab ea terra. Deus itaque Noë quidem iustitiam dilexit, condemnauit autem non solum illorum malitiam, sed omne

C genus humanum. Quod cum ei disperdere placuisset & aliud constituere genus, malignitate priuatum: Noë præcepit vt arcam fabricaret quatuor cameras habentem, & longitudinē cubitorum CCC. L. vero latitudinem, & XXX. altitudinem: qua protectus cum filijs & vxoribus remansit ex hominibus solus post diluuium cum domo sua, vt præmisimus. Hæc iuxta intelligentiam Iosephi, de Noë actibus sufficiunt.

De magnitudine arcæ & cameris eius

CAP. XXI.

Ergo fuerunt nonnulli impossibile putantes, vt tot genera animalium, repentium, hæc arca capere potuisset: & ea quæ sibi pro solatio vitæ forent necessaria, per tantum temporis spacium. Qui non attendunt Mosen in omni Ægyptiaca eruditum sapientia, & cubitum geometricæ disciplinæ, quo vtuntur Ægyptij

D tantum valere, quantum sex cubiti, quibus nos vtimur: Qui autem dicunt tantæ molis fabricam, humano fieri non posse ingenio, spacium C. annorum constructionis gratia acceperat Noë, hominumque fortitudinem, qui primo vigebant seculo, cum starent immensas vrbes fuisse constructas, nisi forte lapis lapidi adhærere potest, sola calce coniunctus, vt murus per tot milliaria circumagatur: & lignum ligno cæmentatum, clauis solidarum, gluten bituminis non potest connectere vt fabricetur arca, non curuis sed rectis lineis longe lateque porrecta: quam nullus in mare mittat conatus hominum, sed leuet vnda cum venerit, naturali ordine ponderum, magisque diuina prouidentia, quam humana prudentia. Legitur etiam hæc habuisse arca cœnacula, & tristega: quod alia translatio bicamerata & tricamerata voluit nominare: ita vt quinque habitationes distinctas in ea esse aduerta-

mus: inferiora loca stercoribus esse deputata & contigua bicamerata, quæ conseruarent pabula animalium. In hos ergo vsus tradunt fuisse inferiores partes distinctas, superiores vero partes quæ tricameratæ dicuntur primo ad habitaculum bestiarum: vel immitium animalium serpentiumque: hinc contigua in superioribus loca mitioribus animantibus stabula fuisse: supra omnia vero in excelso auibus & hominibus sedem locatam, vt pote sicut honore & sapientia homo antecedit omnia: ita & loco cuncta præcelleret animalia, & sic quinque mansiones in eadem arca fuisse intelliguntur. Prima stercoraria, secunda apothecaria, tertia feris animantibus, quarta mansuetis, quinta hominibus.

Quid de immundis animantibus bina, de mundis septena in arca fuisse legimus.

CAP. XXII.

QVod autem de immundis animalibus bina introducuntur & bina, de mundis vero septena, & septena, has tradunt esse causas, vt quæ hominibus profutura essent, de his plura conseruarentur in arca: & vt haberet Noë post egressum arcæ vnde gratificas Domino offerret hostias.

De minutissimis bestiolis & inutilibus, vtrum fuerint in arca.

CAP. XXIII.

QVod autem scrupulosissime quæri solet & de minutissimis bestiolis, non solum quales sunt mures & stelliones: verum etiam quales locustæ, scarabæi, muscæ denique, & pulices: vtrum non amplioris numeri in arca illa fuerunt, quam est diffinitus cum hoc imperaret Deus: prius ammonendi sunt, quos hæc mouent, sic accipiendum esse quod dictum est, quæ repant super terram, vt necesse non fuerit conseruari in arca, quæ possunt in aquis viuere, non solum mersa sicut pisces: verum etiam supernatantia sicut multæ alites. Deinde quod dicitur, masculus & fœmina erunt: profecto intelligitur ad reparandum genus dici, ac per hoc nec illa necesse fuerant ibi esse, quæ possunt sine concubitu de quibusque rebus vel rerum corruptionibus nasci; vel si fuerint, quæ in domibus esse consueuerunt, ne vlla numeri diffinitione esse potuisse. Aut si mysterium sacratissimum quod agebatur, & tantæ rei figura, etiam veritate facti, aliter non posset impleri, nisi vt omnia ibi certo illo numero essent, quæ viuere in aquis natura prohibente non possunt: non fuit ista cura illius hominis, vel illorum hominum, sed diuina. Non enim ea Noë capta intromittebat, sed venientia, & intrare volentia, permittebat. Ad hoc enim valet quod dictum est, intrabunt ad te, non scilicet hominis actu, sed nutu: ita sane vt non illic fuisse credenda sint, quæ sexu carent, vel ea etiam, quæ ex diuersis generibus procreantur, vt muli.

Quomodo in arca viuerent animalia, quæ non sine carnibus vesci putantur.

CAP. XXIV.

SOlet etiam mouere nonnullos, quæ genera escarum illic habere poterant animalia, quæ non nisi carnibus vesci putantur: vtrum præter numerum ibi fuerint animalia sine transgressione mandati, quæ aliorum alendorum necessitas illic coëgisset includi: an vero quod potius est credendum, præter carnes aliqua alimenta ibi fuisse, quæ omnibus conuenirent. Nouimus enim quam multa animalia, quibus caro ci-

A bus est, frugibus, pomisque vescantur: & maxime ficu, atque castaneis. Quid ergo mirum si vir ille sapiens & iustus, etiam diuinitus admonitus, sine carnibus aptâ vnicuique generi alimoniam præparauit & condidit? Quid est autem quo vesci non cogeret fames? aut quid non suaue ac salubre facere posset Deus: qui etiam potuit, vt sine cibo viuerent diuina facultate?

De ingressu Noë in arcam, & vbi resideret arca post diluuium, & numero annorum ab Adam vsque ad Noë. vel quid de arca gentium Philosophi senserint.

CAP. XXV.

IGitur Noë sexcentorum erat annorum, quando cœpit esse diluuium super terram. Inde autem, vsque ad primi hominis conditionem erant anni transacti duo millia ducenti quadraginta duo. Ergo vt quædam præstrinximus libando, ita primum se habuit seculum.
B Noë vero cum filijs Sem, Cham & Iafeth, vxoribusque eorum ingressus in arcam mense secundo, septimadecima die mensis, impetu violentiæ aquarum in sublime sublatus est. Arca autem residente in vertice montis Armeniæ, egressus est Domino monente ex ea, mense secundo septima & vicesima die mensis. Quem locum egressorium Armenij vocant, illic enim arcæ solutæ reliquias prouinciales ostendunt. Huius enim diluuij indicium hactenus videmus in lapidibus, quos in remotis montibus conchis & ostreis scabros etiam sæpe cauatos aquis visere solemus. At tamen qui de hac arca, atque hoc diluuio gentium historiographi, sapientesque eorum scripserint: paucis referre curabo. Quorum vnus Berosius Chaldæus, narrans de diluuio, taliter est effatus: Dicitur autem & nauis eius, quæ in Armeniam venit, circa montem Cardicum, & adhuc aliqua pars est, & quosdam bitumen
C exinde tollere, quo maxime homines ad expiationes vtuntur. Meminit autem horum & Hieronymus Ægyptius, qui antiquitatem Phœnicæ noscitur conscripsisse. Sed & Manaseas Damascenus in nonagesimo sexto historiarum libro ita de hoc diluuio dicit: Est & super Muniadam excelsus mons in Armenia, qui Baris appellatur, in quo multos fugientes sermo est, diluuij tempore liberatos, & quendam simul in arca deuectum, in Siciliæ montis venisse summitatem, lignorumque reliquias multo tempore ibi conseruatas ferunt. Fuit autem ista arca quam etiam Moses Iudæorum legislator scripsit.

De eo, quod quibusdam hominibus impossibile videtur, homines nongentos annos vixisse.

CAP. XXVI.

D VIxit autem Noë post diluuium annos trecentos quinquaginta. Et facti sunt omnes dies Noë anni nongenti quinquaginta. Ergo si cuilibet incredibile videtur raræ diuturnitatis vitam antiquorum hominum fuisse, Iosephi assertionem animaduertat, Dicit enim: Nullus autem ad vitam modernam, & annorum breuitatem, quibus nunc viuimus, vitam comparans antiquorum, putet falsa, quæ de illis sunt dicta, & eo quod nunc vita tanto non ducatur tempore, credat neque illos ad vitæ illius longitudinem peruenisse. Illi namque cum essent religiosi, & ab ipso Deo facti, cumque eis pabula opportuniora ad maius tempus existerent præparata, tantorum annorum circulis rite viuebant. Deinde propter virtutes & gloriosas vtilitates, quas iugiter perscrutabantur, id est, astrologiam, & geometriam, Deus eis ampliora viuendi spacia condonauit, quæ haud ediscere potuissent, nisi sexcentis

viuerent annis. Per tot enim annorum curricula, magnus annus impletur. Testes autem isti sunt omnes, qui antiquitatem apud Græcos & barbaros conscribere maluerunt. Nam & Manechon, qui descriptionem fecit Ægyptiorum, & Berosus, qui Chaldaica deflorauit, & Mochus, & Aetius, ad hæc & Hieronymus Ægyptius, qui Phœniceam disposuit, concordant cum eis dictis. Hesiodus quoque & Agatheus, & Hellanicus, & Acusiuaus, & inter hos Ephorus, & Nicolaus, in historijs suis memoriam faciunt antiquorum, annis mille viuentium.

Quomodo ex tribus filiis Noë, omne genus hominum sit propagatum, & quas orbis terræ partes obtinuerint.

CAP. XXVII.

Filij autem Noe fuerunt, Sem, Cham & Iafeth. Ex his enim post diluuium disseminatæ sunt gentes, per vniuersas terras, atque insulas maris. Sed quas vnusquisque condiderit gentes, & quas partes obtinuerit orbis, ex Iosephi atque Hieronymi libris, decerpere libuit. Fuerunt autem filijs Noë filij, quorum propter honorem gentibus quas condiderunt, imposuerunt nomina, & terris quas apprehendere potuerunt. Iafeth ergo Noë filius, habuit filios septem. Habitauerunt isti regionem, à Tauro & Amano montib. incipientem, & pertingentem in Asiam vsque ad flumen Tanaim. In Europa vero terra Gazzinorum, cum nullus eorum, qui supradicti sunt, ibidem habitator existeret, gentes eius diuersis se nominibus appellabant, qui nunc à Græcis Galatæ nuncupantur: olim vero dicti sunt Gomanicæ, quos Gomer instituit. Magog vero Magopas à se nominatos instituit. Isti à Græcis Scythæ sunt appellati, Item filiorum Iafeth. Madeus & Ianus fuerunt: & ex Madeo quidem sunt gentes, quæ à Græcis Mœdi vocantur: A Iano vero omnes Ionij, Helladicique descendunt, qui & Græci: vnde & mare Ionium appellatur. Condidit autem Iobel Iobelos, qui nostris temporibus Hyberes, qui & Hispani: à quibus postea Celtiberi nuncupati sunt. Moga vero primum dicebatur, quæ postea Cappadocia: nunc autem Cæsarea, à Romanis hoc vocabulum sortitur, id est, à Cæsare. Mosceni vero à Mosochum plantati sunt, qui nunc Cappadoces nuncupantur. Quorum antiquæ appellationis signum ostenditur, nam ciuitas est apud eos, quæ hactenus Mosecha dicitur, ostendens intelligere valentibus, eo quod aliquando omnes gentes regionis ipsius ita vocatæ sunt. Thyras autem Thyrenses appellauit suos, quorum princeps fuit quibus Græci Trachium nomen commutauerunt. Tantæ siquidem gentes, per Iafeth filios institutæ sunt. Gomer autem habens tres filios. Astinegas quidem Astinegas instituit, qui nunc Regini vocantur à Græcis. Riphat autem Riphæos, qui dicuntur Paphlagones. Tygram vero Tygraneos, qui Phryges à Græcis sunt nuncupati. A Iano autem Iafeth filio, & ipso tres habente filios: Hrlisas quidem Helisæos vocauit eos, quorum princeps fuit, qui nunc Aeoliei. Tharsis vero Thyrsos, sic enim antiquitus Cilicia vocabatur: Tharsus enim apud eos maxima ciuitatum metropolis appellatur: Tau litera, pro theta mutata. Cythim autem Cythimam insulam habuit, quæ nunc dicitur Cyprus, & ab ea omnes insulæ & maritima loca, Cythim Hebraïce nominantur. Testis enim sermonis mei vna in Cypro ciuitatum, quæ antiquam appellationem valuit retinere. Cythis enim ab his, qui ei Græcum nomen imposuerunt vocatur, neque sic fugiens Cythi nomen. Iafeth itaque filij seu nepotes, has habuere gentes, & quæ forsan nunc ignorantur. Omnes tamen pene insulas & totius orbis littora, terrasque mari vicinas legimus Græcis accolis occupatas, qui vt supra diximus, ab

A Amano & Tauro montibus, omnia maritima loca, vsque ad Oceanum possederunt Britannicum. Filij Cham, Chus, & Mesraim, Futh, & Chanaan. Chus hodie ab Hebræis Æthiopia nuncupatur, Mesraim Ægyptus, Futh Libyes, à quo & Mauritaniæ fluuius, vsque in præsens Futh dicitur, omnis que circa eam regio Futhensis nuncupatur. Modo tamen in vna tantum climatis eius parte, antiquum Libyæ nomen residet, & reliqua terra vocatur Aphrica. Porro Chanaan obtinuit terram, quam Iudæi deinceps possederunt, Eiectis Chananeis filij Chus Saba & Euila, Sabatha & Regina. Sabatachia, id est, Saba, à quo Sabæi. Euila Getuli in parte remotioris Aphricæ eremo cohærētes. Sabatha, à quo Sabatheni, qui nunc Astauari nūcupantur. Regina vero, & Sabathaca paulatim antiqua vocabula perdiderunt, quæ nunc pro veteribus habeantur ignoratur. Filij Regina & Saba Dadan, à quo hic Saba per sin literam scribitur, supra vero per Samech, diximus appellatos Sabæos. Interpretatur nunc

B ergo Saba, Arabia. Nam in septuagesimo primo Psalmo, vbi habemus reges Arabum & Saba munera offerunt, in Hebræo scriptum est, reges Saba. Dadam genus est Æthiopiæ, in occidentali plaga. At vero Mesraim, genuit Ludim & Anamim, & Laabim, Neptuim, & Petrusim, & Cesluim. De quibus egressi sunt Philistiim, & Chapturim, exceptis Labaim, à quibus Libyes postea nominati sunt, qui prius Putei vocabantur, & Casloim, qui deinceps Philistimi appellati sunt, quos nos corrupte Palæstinos dicimus. Cæteræ sex gentes ignotæ nobis sunt, quia bello Æthiopico subuersæ, vsque ad obliuionem præteritorum nominum peruenerunt. Possederunt autem terram Agazi vsque ad extremos fines Ægypti. Chanaan autem genuit Sidonem primogenitum suum, & Ethæum Iebusæum & Amorræum, Gergæsum & Euæum, & Atachæum: Simæum & Aradium Samarithen & Mathæum. De Chanaan primus natus est Sidon: à quo vrbs in Phœ-

C nice Sidon vocatur. Atachæus, qui Archias condidit oppidum, in radicibus Libani situm. Aradij sunt, qui Aradam insulam possederunt, angusto freto Phœniceis littore separatam. Samaria emissa nobilis Syriæ Cæles ciuitas, hanc Macedones, qui post Alexandri mortem regnauerunt, Epiphaniam nuncupauerunt. Et fuit terminus Chananæorum à Sidone, donec veniatur in Gerara, & vsque ad Gazam pergentibus Sodomam & Gomorrham, & Adamam, & Seboim, vsque Lerzem: quia exteræ ciuitates, Sidon videlicet, & Gerara, & Sodoma, & Gomorrha, & Adama, & Seboim notæ sunt nominibus suis. Fiunt itaque omnes filij Cham, hoc est, medij filij Noë quatuor, & nepotes quinque, ex vno eius filio pronepotes duo, ex nepote vno sit eorum summa, vndecim. Quibus enumeratis, hic reditur ad alium Cham, qui vocabatur Mesraim: & commemorantur quos genuit, non tanquam singuli homines, sed nationes septem, & de sexta, velut de sexto filio, gens commemoratur exisse, quæ appellatur Philistim:

D vnde fiunt octo. Inde iterum ad Chanaan reditur, in quo filio maledictus est Cham, & quos genuit, vndecim nominantur. Deinde vsque ad quos fines peruenerint commemoratis quibusdam ciuitatibus dicitur: ac per hoc in filij s, nepotibusque computatis, de progenie Cham triginta vnus geniti referuntur. Sem vero tertio Noë filio, quinque fuerunt nati, qui vsque ad Oceanum seorsum habitant Asiam, ab Eufrate facientes initium. Helam siquidem Helamitas, qui Persarum sunt principes, reliquit. Assur autem Ninum instituit ciuitatem, qui nunc Chaldæi vocantur. Arfaxat autem, Arfaxateos nominauit, cum princeps eorum esset. Aram vero Arameos instituit, quos Græci Siros appellant. Quos autem nunc Lidos vocant, Luth tunc Ludas nominauit. Aram vero filijs quatuor existentibus: his quidem instituit Traconitidem, & Damascum, quæ est Media Palestinæ, Syriæque coniun-

ēta. Armeniam vero Ortus, Geter Bactrianos, Mes autem Mesaneos, quæ nunc Arax vocatur ab omnibus. Arfaxat autem filius fuit Sala, de quo natus est Heber, à quo Iudæos prius Hebræos vocauerunt. Heber autē Iectan genuit & Falech: Iecta vero, qui filius fuit Heber, habuit filios Helmodat, Saleth, Asormoth, Iare, Aduram, Vzal, Deda, Ebal, Abimael, Sapha, & Ophir, & Ebila, & Iobab. Isti à flumine Cophenæ Indiæ, posita circa Syriæ loca quædam inhabitant. Hæ namque generationes Sem. Sem vero cum centum esset annorum genuit Arfaxar, biennio post diluuium. Arfaxat vixit triginta quinque annis & genuit Sale: Sale quoque vixit triginta annis, & genuit Heber. Vixit autem Heber trigintaquatuor annis, & genuit Falech.

De eo, quod Falech diuisio interpretatur, quia in diebus eius diuisio linguarum facta est, vt de ædificatione turris, & de eius Nembroth, seu quid de ea gentium sapientes senserint.

CAP. XXVIII.

ISte autem Falech dictus est, quoniam secundum diuisionem nationum natus est: Falech autem Hebræi diuisionem vocant, quoniam dum vnum hucusque esque esset labium hominis, diuisum est in plures scilicet linguas, & quæ hactenus vocabatur humana, deinceps exigente superbia, diuersa promeruit vocabula. Deo autem iubente vt crescerent, & multiplicarentur post diluuium filij Noë, & vt diuersam colentes faciem terrarum, abundantia fructuum potirentur: qui cum essent incruditi, & ideo inobedientes fuerint, in calamitatibus incidentes, sua grauiter peccata senserunt. Et qui iuuentutis multitudine feruebant, & propria fortitudine, non Dei propitiatione, se bona habere credebant, apposuerunt vt voluntati Dei inobedientes fierent. Fecit autem eos elatos esse ad iniuriam Dei, atque contemptum Nembroth filius Chus, qui fuit filius Cham, filij Noë. Qui cum esset audacior & manu fortissimus, suadebat eis, vt non Domino ascriberent, quia felicitas hominibus eueniret, sed hæc propria hominum virtute præberetur: solus ipse præsumens homines à Dei timore reuocare, & spem suam in propria virtute reponere. Ob quam rem turrim ædificandam altiorem suadebat, vbi aqua non posset ascendere, quæ etiam cælum pertingeret. Multitudo autem prona erat, vt Nembroth præceptionibus obediret, putantes graue seruitium obsequi Deo, & turrim ædificabant, in nullo sua studia deserentes. Sumebat ergo altitudo facilitatem, & plusquam sperare quis possit. Multis itaque manibus fabricata crescebat. Vnde & legislator testatur dominum descendisse ad videndam turrim, quam ædificabant filij Adam, dicens: Ecce vnus populus & vnum labium omnibus, cœperuntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui: atque ita diuisit eos dominus ex illo loco in vniuersa terra. Et cessauerunt ædificare ciuitatem, & idcirco vocatum est nomen eius Babel: quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ. Inde autem migrationes vbique agentes, & terram apprehendentes vnusquisque felicem, quam Deus vnicuique distribuit: & ita omnis terra per eos completa est, mediterranea simul atque maritima. Quidam etiam nauib. transeuntes, insulas habitauerunt. Vnde aliquæ gentes, ab institutoribus positas appellationes hucusque seruant: sicuti superius declaratum est. Quædam vero placita sibi nomina immutauerunt. Diuisiones autem linguarum septuaginta duas fuisse historia declarat, non vt solummodo tot homines tunc fuissent, & non plures, sed tot iam principes familiarum ex filijs Noë procreatos ostendit, qui po-
A pulos & gentes condiderunt. Ait enim scriptura: Hæc familia Noë iuxta populos & nationes suas, ab hisque diuisæ sunt gentes in terra post diluuium. De hac vero turri, diuersisque vocibus hominum meminit & Sibilla dicens: Cum omnes homines vnius vocis existerent, quidam turrim ædificauerunt excelsam, tanquam ascensuri per eam ad cælum. Dij vero ventos immittentes euerterunt turrim, & vocem propriam vnicuique partiti sunt: & propterea Babyloniam vocari contigit ciuitatem. De campo vero qui vocatur Sennaar, in regione Babylonis, meminit Æstius ita dicens: Qui vero de sacerdotibus sunt erepti, Iouis sacra sumentes, in Sennaar Babylonis venerūt. Igitur Nembroth filius Chus nepos Noë, de quo iam mentionem fecimus, ipse cœpit potens esse in terra, & erat robustus venator coram domino. Ab hoc exiuit prouerbium: Quasi Nembroth robustus venator coram domino. Quod sic intelligendum est. Gigantem istum
B contra dominum fuisse. Quod significatur eo nomine, quod dicitur venator, quasi animarum deceptor, hominumque oppressor, & pro eo quod homines à cultu Dei abstrahebat, sic nominatus est. Fuit autem principium regni eius Babylon, & Aracha, Achar, & Calennæ, in terra Sennaar. Aracha autem hæc est Edisse ciuitas. Achat, quæ nunc dicitur Nisibin, Calennæ, postea verso nomine, à Seleuco rege dicta est Seleucia. Hic autem Nembroth arripuit tyrannidem insuetam, prior in populis regnauit & in Babylone. Apparet namque hunc tyrannum fortissimum in eo regnasse loco, vbi linguæ ad confusionem humanæ superbiæ diuisæ sunt. Hunc etiam scripsisse astrologiam, atque geometriam, diuisiones orbis fecisse, Syri tradunt.

De eo, quod dictum est, de terra Sennaar exisse Assur, & ædificasse Niniuen.

C

CAP. XXIX.

QVod vero dictum est, de terra Sennaar, quæ pertinebat ad regnum Nembroth exisse Assur & ædificasse Niniuen, & alias, quas contexuit ciuitates legislator, longe postea factum est. Quod ex hac occasione perstrinxit, propter nobilitatem regni Assyriorum, quod mirabiliter dilatauit Ninus Beli filius, conditor Niniues ciuitatis magnæ, cuius ciuitatis nomen, ex illius nomine deriuatum est, vt à Nino Niniue vocetur, Assur autem, vnde Assyrij, non fuit in filiis Cham, sed in filijs Sem reperitur, qui fuit Noë maximus filius. Vnde apparet de progenie Sem exortus fuisse, qui postea regnum gigantis illius obtineret, & inde procederent, atque alias conderent ciuitates.

Quid est, quod peccante Cham, filius eius Chanaan sententiam vltionis accepit.

D

CAP. XXX.

QVid est quod peccāte Cham, filius eius Chanaan sententiam vltionis accepit? Quid est quod non in se, sed in posteritate percutitur, nisi quod reproborum nequitiæ, hic quidem multæ proficiunt, sed in posterum feriuntur? Seu quia prophetauit terram Chanaan eiectis inde Chananæis & debellatis, accepturos fuisse filios Israël, qui venerunt de semine Sem, intuens & præuidens quod longe fuerat post futurum.

Quomodo intelligendum sit: Dilatet Deus Iafeth, & inhabitet in tabernaculis Sem.

CAP. XXXI.

Dilatet Deus Iafeth, & habitet in tabernaculis Sem. Quanquam enim sit Deus omnium gentium, quodammodo tamen proprio vocabulo & in ipsis iam gentib. dicitur Deus Israël. Et hoc vnde factum est, nisi ex benedictione Iafeth. In populo enim gentium totum orbem terrarum occupauit Ecclesia. Hoc prorsus pronuntiabatur, cum diceretur: Dilatet Deus Iafeth, & habitet in tabernaculis Sem. Sem quippe, de cuius semine incarnatus est Christus, interpretatur nominator. Quid autem nominatius Christo est, cuius nomen vbique iam flagrat, ita vt per Cantica Canticorum etiam in se præcedente prophetia, vnguento comparetur effuso? In cuius domib. id est, Ecclesiis, habitat gentium latitudo, nam Iafeth latitudo interpretatur: Ecce quomodo Deus dilatet Iafet & habitet in tabernaculis Sem, id est, in Ecclesiis quas filij Prophetarum Apostoli construxerunt, secundum quod Paulus Apostolus fidelib. ex gentib. ait: Qui eratis illo tempore sine Christo, alienati à societate Israel, & peregrini testamētorum & promissionis spem non habentes, & sine Deo in hoc mundo. Per hæc verba ostenditur, quod nondum habitat Iafeth in domib. Sem, sed paulo post: quemadmodum concludat, aduertamus. Igitur iam, inquit non estis hospites & peregrini, sed estis ciues sanctorum domestici Dei, superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide existente Christo Iesu.

De eo quod scriptum est: de Sem nati sunt patre omnium filiorum Heber fratre Iafeth maiore.

CAP. XXXII.

De Sem quoque nati sunt patre omnium filiorum Heber fratre Iafeth maiore. Hinc iam cœpit texere progeniem Sem, maioris filij Noë: quoniam à minore inchoauerat Iafeth, ac sic demum peruenerat ad Sem. Habetur enim aliquid difficultatis in ipso narrationis exordio, cum dicit: De Sem autem nati sunt patre omnium Heber, fratre Iafeth maiore. Ordo verborum est, ex Sem natus est Heber: qui Sem pater est omnium filiorum Sem. Sem ergo patriarcham intelligi voluit omnium qui de stirpe eius exorti sunt: quos commemoraturus est, siue sint filij, siue nepotes, seu pronepotes. Srimus namque Heber non filium fuisse Sem, sed abnepotem eius. Nec enim sine causa prætermissis filiis, introducitur Heber abnepos eius: nisi quod in progenie filiorum Noë hic reperitur, placens Deo, qui non cum filijs superbiæ conspirauerat ad ædificandam turrim ob iniuriam Dei, pertinentium ad ciuitatem impiorum, qui merito iniuriam confusionis suæ passi sunt in perditione linguæ propriæ. Ob quam causam per vniuersum dispersi sunt orbem, relicto opere quod summo studio accelerare festinabāt. In huius autem Heber domo, quoniam immunis à pœna terrigenarum superbientium extitit, prisca remansit lingua, quæ prius humana, quia omnibus erat communis: postea vero ab eius nomine nuncupata est Hebræa ad distinctionem cæterarum. Quæ per successiones peruenit ad Abraham, ac sic per Patriarchas, qui ex stirpe Abraham sunt propagati, profusa est in populum Dei. Attamen nec Heber, nec ipse pater Abraham, in omnem progeniem suam, hanc diffundere valuerunt: sed in eos qui ad ciuitatem Dei pertinere videbantur: de quibus secundum carnem natus est Christus.

A *Quum non fiat commemoratio in Genesi à Noë vsque ad Abraham, vtrum aliquis iustorum fuerit.*

CAP. XXXIII.

Benedictis igitur duobus filijs Noë, atque vno in medio eorum maledicto: deinceps vsque ad Abraham de iustorum aliquorum, qui pie dominum colerent, commemoratione silentium est. Veruntamen vtrum ciuitas piorum non fuerit, an latuerit, an potius permanserit in duobus filiis Noë, qui benedicti sunt, eorumque posteris, impia vero in eo qui maledictus est, atque eius progenie vbi etiam exortus est gigas venator contra dominum, non est diiudicatio facilis. Fortasse enim quod profecto est credibilius, & in filiis duorum illorum iam tunc antequam Babylonia cœpisset institui, fuerunt cōtemptores Dei: & in filiis Cham B cultores Dei. Vtrumque tamen hominum genus terris numquam defuisse credendum est. Quamobrem sicut lingua vna cum esset omnium, non ideo filij pestilentiæ defuerunt, nam & ante diluuium vna erat lingua & tamen omnes præter vnam Noë iusti domum, deleri diluuio meruerunt: ita post diluuium, nec iustos defuisse crediderim. Sed si omnes commemorarentur nimis longum fieret, & esset hæc historica magis diligentia, quam Prophetica prouidentia. Illa itaque exequitur literarum sacrarum scriptor: vel per eum Dei spiritus: quib. non solum narrentur præterita, verum etiam pronuntientur futura, quæ tamen pertinēt ad ciuitatem Dei. Omissis ergo cæteris filiis Noë, ad hanc rem non pertinentib. illi connectuntur in ordine generationum, per quos possit ad Abraham perueniri: sicut illi connectebantur ante diluuium per quos perueniretur ad Noë generationes: quæ propagatæ sunt ex illo Adam filio, qui est appellatus Seth.

C *Quomodo intelligendum sit descendisse dominum, & nec desistent à cogitationibus suis donec eas opere compleant, & qualiter ex tribus filiis Noë per terras LXXII. linguæ esse cœperunt.*

CAP. XXXIV.

Mouet ergo quosdam hoc quod legitur: Descendit dominus, vt videret ciuitatem, cum non locu moueatur Deus, qui semper est vbique totus. Quod ita intelligendum est: Descendit dominus videre ciuitatem & turrim quam ædificabant filij Adam, hoc est, non filij Dei, sed filij hominum, id est illa societas, secundum hominem viuens, quam terrenam dicimus ciuitatem. Deus autem non localiter descendit, cum sit vbique totus, & omnia impleat, sed descendere dicitur in terram, quando præter vsitatum naturæ cursum, mirabiliter operatur. Nec discit videndo aliquid ad tempus, qui ignorare potest nihil, mente cuiuspiam D conceptum. Dicitur enim ad tempus videre & cognoscere, eo quod videri quod reprobat, & cognosci faciat. Ciuitas namque illa non sic videbatur, quomodo eam Deus videri fecit quando sibi quantum displiceret ostendit, quamuis possit intelligi Deus ad illam ciuitatem descendisse, quia descenderunt Angeli eius in quib. habitat, quia per Angelos descendebat, qui in Angelis descendentib. erat. Et non ait: Venite & descendentes confundite, sed confundamus ibi linguam eorum, ostendens ita se operari per ministros suos, vt sint etiam ipsi cooperatores Dei. Illud sane quod dictum est, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant, non est dictum confirmando, sed tanquam interrogando, sicut solet à comminantibus dici. Sic ergo accipiendum est, tanquam dixerit: Nonne omnia deficient ex illis, quæ conati sunt facere? Sed si ita diratur: non exprimitur comminanter,

quoniam voce pronuntiantis non possumus scribere. Venite igitur descendamus & confundamus ibi linguas eorum vt non audiat vnusquisque vocem proximi sui. Atque ita diuisit eos dominus ex illo loco, in vniuersas terras. Et cessauerunt ædificare ciuitatem, & idcirco vocatum est nomen Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ, & inde dispersit eos dominus super faciem cunctarum regionum. Merito autem malus punitur affectus, etiam cui non succedit effectus. Genus vero ipsius pœnæ quale fuit? Quoniam dominatio imperantis in lingua est, ibi est damnata superbia, vt non intelligeret iubens homini, qui noluit intelligere vt obediret Deo iubenti: sicque illa conspiratio dissoluta est, cum quisque ab eo, quem non intelligebat, absccederet: nec se, nisi ei, cum quo loqui poterat, aggregaret. Et per linguas diuisæ sunt gentes, dispersæque per terras, sicut Deo placuit, qui hoc modis occultis, nobisque incomprehensibilibus fecit. Ex illis igitur tribus hominibus Noë filiis LXXII. linguæ per terras esse cœperunt, quæ crescendo ad insulas peruenerunt. Auctus autem est numerus gentium, multo amplius, quam linguarum.

De numero annorum à diluuio vsque ad natiuitatem Abrahæ, & quid alter Iosephus atque LXX. interpretes, siue Eusebius sentiant, quam in Hebraica veritate continetur.

CAP. XXXV.

IGitur vt supra memorare cœpimus, series annorum à diluuio vsque ad natiuitatem Abrahæ ita continetur. Sem C. ætat annorum quando genuit Arfaxat, biennio post diluuium. Porro Arfaxat cum esset XXX. annorum, genuit Sale. Sale quoque XXX. ætatis suæ anno, genuit Heber. Heber autem cum XXXIV. annorum esset, genuit Falech. Falech quoque vixit annis XXX. & genuit Reu. Reu vero vixit annis XXXV. & genuit Saruch. Saruch autem vixit annis XXX. & genuit Nachor: & Nachor vixit XXVIII. annis, & genuit Tharam. Thara vero cum LXX. esset annorum, genuit Abram, & Nachor, & Aran. Ergo à natiuitate Abrahæ, qui X. fuit à Noë. sicut nunc declaratum est, supputa per singulas ætates, numerum annorum ab ortu vniuscuiusque patris, vsque ad ortum subsequentis filij, & inuenies CCXCII. annos, id est, à natiuitate Abrahæ vsque ad diluuium. Quamuis beatus Hieronymus in Chronico Eusebij, atque Orosius in prima fronte suorum librorum, à quibus etiam Iosephus non longe exorbitat, aliter sentiant in numero annorum, dicentes à natiuitate Abrahæ vsque ad totius orbis diluuium, inueniri supputando retrorsum annos DCCCC. XLII. Igitur mundi secunda ita se habuit ætas, vt prænotatum est, quantum ad nostræ paruitatis notitiam ex antiquorum authoritate peruenire potuit, quam ætatem pueritiam nominant.

Quomodo Thara cum Abraham & Loth & Aram exierit de Chaldæa, & venerit in terram Chanaan.

CAP. XXXVI.

IGitur Thara tulit Abram filium suum, & Loth filium Aran filij sui, & Sarai nurum suam, vxorem Abraam filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorum, vt iret in terram Chanaan: veneruntque vsque ad Aran, & habitauerunt ibi. Porro Iosephus, vt ciuitatem Chaldæorum esse dicit, Ex qua Thara profectus est cum familia domus suæ, & venit in Aran, quod alia translatio solet nominare Charra. Hieronymus autem hunc historiæ locum ita explanat, scilicet de morte Aran, ante obitum patris atque de Vr Chaldæorum. Mortuus est Aran ante Tharam patrem suum in terra natiuitatis suæ, in Vr Chaldæorum. Pro eo quod legimus in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum, in Hebræo habetur in Vr cesdim, id est, in igni Chaldæorum. Tradunt autem Hebræi ex hac occasione istiusmodi fabulam, quod Abraham in ignem missus sit, quia ignem adorare noluerit, & quod Babylonio vallatus incendio, Dei auxilio liberatus, de idololatriæ igni profugerit. Quod vero in sequentibus scribitur egressum esse Tharam cum sobole sua de regione Chaldæorum, pro eo quod in Hebræo habetur de Vr, hoc est, de incendio Chaldæorum, & hoc est quod nunc dicitur: mortuus est Aran ante conspectum Tharæ patris sui in terra natiuitatis suæ, in igne Chaldæorum: quod videlicet ignem nolens adorare, igni consumptus sit.

Post mortem Thara patris Abraham, quod legitur dixisse Dominum ad Abraham: Exi de terra tua & de cognatione tua, &c. cum prius cum patre egressus sit ex ea, & de Nachor fratre Abraha, & ea quæ ad hanc rationem pertinent.

CAP. XXXVII.

QVod vero commemorata morte Tharæ patris Abraham, deinde legitur: & dixit dominus ad Abraham: Ex de terra tua, & de cognatione & de domo patris tui, & cæ. Hinc B. Stephanus in Actibus Apostolorum cum ista narraret, inter cætera sic ait: Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cum esset in Mesopotamia prius quam habitaret in Charra, & ait ad illum: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui; secundum hæc verba Stephani, non post mortem patris eius locutus est Deus Abrahæ, qui vtique in Charra mortuus est, vbi cum illo & ipse filius habitauit. Sed prius quã habitaret in eadẽ ciuitate, id est, cum esset in Mesopotamia, iam ergo exierat à Chaldæis. Quod itaq; adiungit Stephanus: Tunc Abrahã egressus est de terra Chaldæorũ & habitauit in Charra, non quod sit factum posteaquã locutus est illi Deus, neque enim post illa Dei verba egressus est de terra Chaldæorum, cum dicat ei locutum dominum esse in Mesopotamia, sed ad totum illud tempus pertinet quod ait: Tunc, id est, ex quo egressus est à Chaldæis, & habitauit in Charra. Item quod sequitur: Et inde postquam mortuus est pater eius, collocauit illum in terra hac, in qua nunc vos habitatis & patres vestri, non ait: Postquam mortuus est pater eius exiit de Charra, sed inde hic eum collocauit, postquam mortuus est pater eius. Intelligendum est igitur locutum dominum fuisse ad Abraham cum esset in Mesopotamia, priusquam habitaret in Charra, sed eum in Charran peruenisse cum patre, tenẽto apud se præcepto domini, & inde exisse septuagesimo quinto anno, patris autem vi centesimo quadragesimo & quinto. Collocationẽ vero eius in terra Chanaan non profectionem de Charra post mortem patris eius, factam esse dicit: quia iam mortuus erat pater eius, quãdo emit terram cuius iam suæ rei cœpit esse possessor: Quod autem iam in Mesopotamia cõstituto, hoc est, iam egresso de terra Chaldæorum dicit dominus: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui: non vt corpus inde eiiceret quod iam fecerat, sed animum auelleret, dicitur. Non enim inde exierat animo, sed spe redeũdi & desiderio tenebatur. Quæ spes & desiderium Deo iubente atque adiuuante, & illo obediente fuerant amputanda. Non sane incredibiliter existimatur, cum postea secutus esset Nachor patrem suum, tunc Abraham præceptum domini implesse, vt cum Sara coniuge sua, & Loth filio fratris sui exiret de Charra. Narratur enim in locis superioribus, quẽadmodum Thara cum suis regionẽ reliquerit Chaldæorũ, & venerit in Mesopotamiã & habitauerit Maran.

Maran. Tacetur autem de vno eius filio, qui vocatur Nachor, tanquam eum non duxerit secum. Sed inuenimus postea, cum seruum suum mitteret Abraham ad accipiendam vxorẽ filio suo Isaac, ita scriptum esse. Et accepit puer decem camelos de camelis domini sui, & de omnib. bonis domini sui secum, & exurgẽs profectus est in Mesopotamiam in ciuitatem Nachor. Isto & aliis sacræ huius historiæ testimoniis ostenditur: etiã Nachor exisse de regione Chaldæorum, sedesq; constituisse in Mesopotamia, vbi cum patre suo habitauerat Abraham. Cur ergo eum scriptura nõ commemorauit, quando ex gente Chaldæa cum suis profectus est Thara, & habitauit in Mesopotamia: vbi non solum Abraham filius eius, verumetiam Sara nurus, & Loth nepos eius commemorantur, quod eos duxerit secum, nisi forte quod à paterna & fraterna pietate desciuerat, & superstitioni adhæserat Chaldæorum & postea inde siue pœnitendo, siue persecutionem passus (quod suspectius habetur) & ipse migrauerit? Et facti sunt omnes dies Tharæ ducentorum quinq; annorum, & mortuus est in Aran. Non sic accipiendum est quasi omnes hos dies ibi egerit: sed quia omnes dies vitæ suæ, qui fuerũt anni ducenti quinq;, ibi cõpleuerit. Ignoratur autem quot annis vixerit Thara in Charra, quoniã nõ legitur quoto anno vitæ suæ in Charrã venerit. Et absurdum est existimare, in ista serie generationum, vbi diligenter commemoratur, quot annis quisq; vixerit, huius solius numerum annorum vitæ non commemoratum esse.

Cum aliquorum vita adnumerantur anni, cur aliorum taceantur in Genesi.

CAP. XXXVIII.

QVod enim quorundam quos eadem scriptura commemorat, taceãtur anni, cum aliorum adnumerentur, quæri solet. Quibus est respondendum, quoniam non sunt in eo ordine, in quo temporum dinumeratio decessione gignentium, & genitorum successione contexitur: ob hanc causam eorum vitæ non adnumerari annos! Iste autem ordo qui dirigitur ab Adam vsque ad Noë, & inde vsque ad Abraham: sine numero annorum neminem continet.

Pater Melchæ, ipse est pater Iescæ, vel quæ fuit Iesca.

CAP. XXXIX.

IGitur quod in Genesi legitur, pater Melchæ, ipse est pater Iscæ, vel quæ fuit Iesca, ita intelligendum est: Thara genuit Abraham, & Nachor, & Aran. Aran vero genuit Loth, & Melchan, & Sarai cognomento Iescam, & acceperunt vxores, Abraham Sarai, & Nachor Melcham. Nec dum vero inter patruos, & fratrum filios, nuptiæ lege prohibitæ sunt.

Quomodo Sara cum à Pharaone rapta fuerit, ab eo violata esse non credatur.

CAP. XL.

QVæritur quomodo Sara cum à Pharaone rapta fuerit, ab eo violata esse non credatur, nisi quia iuxta librũ Hester, quæcunq; mulierum placuisset regi apud veteres, sex mensibus vngebatur oleo myrteo, & sex mensibus in pigmentis variis erat, & curationibus fœminarum, & tunc demum ingrediebatur ad regem. Atque ita potest fieri, vt Sara postquam placuerat regi, & dum per annum eius præparabatur introitus ad regem, quod interim Abrahæ Pharao multa donauerit, & Pharao postea percussus sit à domino, illa adhuc intacta ab eius concubitu permanente.

Qui sint expediti, quos Abraham numerasse legitur.

CAP. XLI.

QVæritur etiam qui sint expediti, de quibus in Genesi dicitur: Numerauit expeditos vernaculos suos. Expeditos dixit iuuenes ad bellum promptos, & qui non fuerunt vxorati. De quibus in sequentibus dixit: Exceptis his quæ comederent iuuenes. Et persecutus est eos vsque ad Dan. Dan Phœnicis oppidum est, quod nunc Peneas dicitur, vbi vnus de fontibus Iordanis oritur, qui dicitur Dan, alter vero Ior, & his duobus fontibus, qui non procul à se distant, in vnum riuulum fœderatis, Iordanis appellatur. Ergo sicut ex duobus fontibus vnus fluuius: ita ex nominibus duobus vna appellatio procreatur.

Quis Melchisedech sit rex Salem qui ab Abraham decimas accepit.

CAP. XLII.

MElchisedech rex Salem, protulit panes & vinum Abrahæ. Erat autem sacerdos Dei altissimi, benedixitque illi. Tradunt quoque hunc esse Sem, primũ filiũ Noë, qui mutato nomine nuncupatus sit Melchisedech: quod in nostra lingua interpretatur rex iustitiæ: & eo tempore quo ortus est Abraham habuisse ætatis annos CCC. XC. qui ita supputantur. Post diluuium anno secundo cum C. esset annorũ Sem, genuit Arfaxath. Post cuius ortum vixit annis D. hoc est, simul DC. Arfaxath annos natus XXXV. genuit Sale. Qui & ipse tricentarius procreauit Heber: quem xxxxiv. annorum legimus genuisse Phalech. Rursum expletis annis. XXX. genuit Reu. Qui & ipse post XXX. & V. natiuitatis suæ annum, edidit Seruech. De quo cũ ad xxx. peruenisset annos, ortus est Nachor. Qui XXIX. annorum genuit Tharam, quem legimus quod septuagenatius genuerit Abraham, & Nachor, & Arant. Supputa per singulas ætates annorum numerum, & inuenies ab ortu Sem vsque ad generationem Abraham, CCC. XC. annos. Mortuus est autem Abraham C. & LXXV. ætatis suæ anno. Ratione deducta, inuenitur Sem, abnepotem suum Abraham superuixisse annos xxxv. simulque de hoc tradunt vsque ad sacerdotium Aaron, omnes primogenitos fuisse sacerdotes, & Deo victimas immolasse, & hæc esse primogenita, quæ Esau fratri suo vendiderit Iacob. Nec esse mirum, si Melchisedech victori Abraham obuiã processerit, & in refectionem tam ipsius quam pugnatorum eius panem vinumq; protulerit, & benedixerit ei, cum abnepoti suo hoc iure deberet, & decimas prædæ atque victoriæ acceperit ab eo, siue quod habetur ambiguum, an ipse dederit ei decimas substantiæ suæ, & habitam largitatem ostenderit in nepotem. Vtrumq; enim intelligi potest, & iuxta Hebraicũ, & iuxta LXX. interpretes: quod & ipse acceperit decimas spoliorũ, & Abrahæ dederit decimas substãtiæ suæ: Quanquam Apostolus in Epistola ad Hebræos apertissime diffiniat non Abraham suscepisse à Melchisedech decimas diuitiarum eius, sed spoliis hostiũ, partem accepisse pontificem. Salẽ autem non vt Iosephus, & nostrorũ omnes arbitrabantur esse Hierusalem, nomen ex Græco, Hebræoque compositum, quod absurdũ esse peregrinæ linguæ mixtura demonstrat: sed oppidum iuxta Scythopolim, quod vsque hodie appellatur Salem. Ostenditur tibi palatium Melchisedech, & ex magnitudine ruinarũ veteris operis ostendens magnificentiã. De quo in exteriore quoque parte Geneseos scriptũ est: Venit Iacob in Sochot, id est, in tabernacula, & fecit sibi ibi domos atque tentoria, & transiuit in Salem ciuitatem regionis Sychem, quæ est in terra Chanaan. Considerandum quoque

est, quod Abrahæ à cæde hostium reuertenti (quos persecutus est vsque Dan, quæ hodie Paneas appellatur) non de via Hierusalem, sed de oppido metropolis Syehen iter fuerit. De quo in Euangelio quoque legimus: Erat autem Ioannes baptizans in Enon iuxta Salim, quia aquæ multæ erant ibi. Nec refert vtrum Salem, an Salim nominetur, cum eisdem vocalibus in medio literis perraro vtantur Hebræi, & pro voluntate lectorum, ac varietate regionum, eadem verba, diuersis sonis atque accentibus proferantur. Apostolus quoque hunc Melchisedech dicit esse sine patre, sine matre, sine genealogia. Quod ideo dixit: quia genealogiam eius sancta scriptura non narrat, vel quia secundum legalem traditionem, non offerebat hostias, quas dominus sacerdotibus Leuitici generis, immolare præceperat, siue quia ex tribu Leui, nec patrem habuit, nec matrem: sicut præmissum est.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

Ne tibi fucum facere videamur, candide Lector, ingenue fatemur, hic inter primum & secundum librum vtrinq; aliqua desiderari: nulla sane nostra vel incuria vel studio: sed exemplaris, ex quo hæc cum aliud correctius non suppeteret, descripsimus, vitio. De quibus tamen non est quod magnopere labores, cum huiusmodi fere sint illa, vt ex sacrorum bibliorum lectione abunde constare tibi queant.

FRECVLPHI EPISCOPI Lexouiensis, Chronicorum.

Tomi prioris,

In quo ab initio mundi vsque ad Natiuitatem Christi continua ac compendiaria quædam rerum gestarum texitur Historia.

LIBER II.

De Ioseph in Ægypto exaltatione, & quam ob causam filii Israel inde discesserint, Ethnicorum historiographorum partim imperfecta, partim falsa narratio.

CAP. I.

DE hoc autem nostro Ioseph, Ethnici etiam historiographi aliqua scripserunt. Pompeius enim historicus, eiusque breuiator Iustinus, inter cætera sic ait: Minimus ætate inter fratres Ioseph fuit. Cuius excellens ingenium fratres veriti, interceptum peregrinis mercatoribus vendiderunt. A quibus deportatus in Ægyptum, cum * magicas ibi artes solerti ingenio percepisset, in breui ipsi regi percharus fuit. Nam & prodigiorum sagacissimus erat & somniorum primus intelligentiam condidit, nihilque diuini iuris, humaniq; ei incognitum videbatur: adeo, vt etiam agrorum steril tatem futuram, ante multos annos prospiciens, fruges congregasset, tantaque experimenta eius fuerint, vt non ab homine, sed à Deo responsa viderentur. Filius Ioseph Moses fuit, quem præter paternæ scientiæ hæreditatem, etiam formæ pulchritudo commendabat. Sed Ægyptij cum scabiem & vitiliginem paterentur, responso moniti, eum cum ægris, ne pestis ad plures serperet, terminis Ægypti pellunt. Hæc Iustinus. Sed quoniam hæc idem Moses, quem isti sapientem, scientemque fuisse attestantur, plenius, veriusque tam per se, quam per suos quæ gesta sunt conscripsit: primum fide eius atque authoritate quam etiam isti probant, horum ignorantia est supplenda. Dehinc sacerdotum Ægyptiorum fallax malitia confutanda est, qui vel astu (quod manifestius est) euidentem iram, misericordiamque veri Dei memoriæ subtrahere conati sunt, particulatim expositione confusa, ne in contumeliam idolorum suorum, eum colendum merito ostenderent, cuius consilio adnuntiata hæc mala, & auxilio euitata docuissent, vel forte, vt indulgentius accipiamus, obliti sunt. Illius enim nostri Ioseph, qui fuit veri Dei seruus & pro creatura domini sui, pie, intenteque solicitus prouisione, ipsi abundant frugibus quasi sacerdotes. Sed quia falsi sacerdotes erant, cum cæteris esurientibus non dolebant. Enimuero cui placet, obliuiscitur: cui dolet, meminit: quanquam huius temporis argumentum historiis, fastisque reticentibus, ipsa sibi terra Ægypti testis, pronuntiat, quæ tunc redacta in potestatem regiam, restitutaque cultoribus suis, ex omni fructu suo vsque nunc quintæ partis ineffabile vectigal exoluit. Fuit itaque hæc fames magna, sub rege Ægyptiorum Diopolita, cui nomen erat Amoses. Quo tempore Baleus Assyrios, Argiuos Apis regebat. Fuerunt autem ante annos septem præcedētes alij septem vbertatis anni, quorum affluentiam tanto negligētius perituram, quanto vberius natam Ioseph noster solertia sua collegit & condidit, totamque Ægyptum cōseruauit: acquisiuit vniuersam Pharaoni pecuniam, & Deo gloriam reddens, dispensatione iustissima cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem: omniumque pecora, terras, censusque collegit. Semina etiam sub taxatione statuta eis tribuit, vt terram Ægypti, quam emerat, exoluerent: & quintā partem de fructibus regi darēt.

* Alias magoificas.

Patriarchæ Iacob luculentum de Christi aduentu vaticinium, Et quo tempore Græcia frugibus vti cœperit.

CAP. II.

ASsyriorum X. Altadas regnat annis XXXII. A natiuitate Abrahæ CCCXV. erat annus: & repromissionis CCXL. Sycioniorum X. Eratus. Quartus Argis, Argus regnat. Ægyptiis XVIII. Dinastia. Amoses tunc primus Diapolitanorum regnabat. Iacob autem cum CXLVII. ætatis suæ annum degeret, prophetans de Christo, & de gentium vocatione, dicens in benedictione Iudæ. Non deficiet princeps ex Iuda, & dux de fœmoribus eius, donec veniant quæ reposita sunt ei, & ipse erit expectatio gentium. Moriturus, filios suos & nepotes ex Ioseph benedixit, & obiit in AEgypto. Cuius cadauer Ioseph cum magno honore reuocat in terram Chanaan. Ergo regnante Argo, cœpit vti frugibus Græcia, & habere segetes in agricultura, delatis aliunde seminibus. Argus quoque suum post obitum, Deus habitus est, templo & sacrificiis honoratus, qui honor eo regnante ante illum delatus est homini priuato, & fulminato cuidam Gyto, eo quod primus ad aratrum boues iunxerit. Eo itaque tempore Sparta condita, à Spartato filio Photonei.

De obitu Ioseph, & subsecuta mox filiorum Israel afflictione.

CAP. III.

ASsyriorum XI. Manitus annis XXX. A natiuitate Abrahæ CCCXLVII. erat annus: repromissionis autem CCLXXII. Sycioniorum XI. Plemneus, AEgyptiorum Ammenophis, cui Neeges succedit. Igitur his regnantibus, Ioseph moritur. Post cuius mortem populus Dei mirabiliter crescens, tranquille prius mansit, donec morerentur, quibus Ioseph notus fuit. Deinde quia inuidebatur eius incrementis, erantque suspecta, AEgyptij Hebræos seruiture deprimunt: quam seruitutem durissimam annis CXLIV. sustinent, quousq; diuinitus liberarentur. Fiunt autem omnes anni, quos Hebræi in AEgypto fecerunt CCXV. qui ab eo tempore computantur, ex quo Iacob cum filiis

suis descendit in AEgyptum. Ergo secundum opinionẽ quorundam, his temporibus Prometheus fuit: à quo homines de luto factos esse commemorant. Et reuera cum sapiens esset, feritatem eorum & nimiam imperitiam ad humanitatem & scientiam transfigurabat, nec tamen qui eius tempore fuerint sapientes, ostenditur.

Callithias primus Argis sacerdotio functus. Quo tempore & Atlas astrologus insignis fuit.

CAP. IV.

ASsyriorum XII. Machaleus annis XXX. A natiuitate Abrahæ CCCLXXVII. repromissionis autẽ annus CCCII. erat: Argis V. Criasus regnat. Primus quippe sub eo Argis sacerdotio functus est Callithias Pirantis filius. Sycioniorũ XII. rex Orthopolis, AEgyptiorũ Nusphармitos, cui succedit Tumosis. His enim temporibus, Atlas frater Promethei, præcipuus astrologus fuit. Qui ob eruditionem disciplinæ, cœlum etiam sustinere dictus est. Euripides autem, montem esse eum altissimum affirmat, qui Atlas vocatur.

Syria vnde nomen sortita.

CAP. V.

ASsyriorum Iphræus annis XXX. A natiuitate Abrahæ CCCCVII. repromissionis autem CCCXXII. AEgyptiorum Amenopis. Hic est Amenopis, quem quidam Menonem putant, lapidem loquentem. Quibus regnantibus Syrus fuisse perhibetur indigena: ex cuius vocabulo Syria nuncupata est, AEthiopes etiam tunc ab Indo flumine consurgentes, iuxta AEgyptum consederunt.

Quo tempore & quibus coætaneis Moses AEgyptiorum Philosophiam didicerit.

CAP. VI.

ASsyriorum quartus decimus Mamilus, annis triginta. A natiuitate Abrahæ quadringentesimus vicesimusseptimus, repromissionis vero trecentesimus quinquagesimussecundus: Argis, sextus rex Phorbas, AEgyptiorum autem Orus. His enim regnantibus Moses adolescens, omnem Philosophiam AEgyptiorum didicit. Epidaurus itaque ciuitas condita est. Primus quippe Emon regnauit in Thessalia. Phorbas Rodum obtinuit Hercules, vt fertur, Anthæum luctæ vicit certamine. Trochilus primus iunxisse quadrigã, Xantus Triopalesbum condidit, Cidon regnauit in Creta. Quidam vero scribunt Prometheũ & Phiemetheum atq; Athlantem fratrem Promethei & Argum cuncta cernentem, & Io filiam Promethei his fuisse temporibus, alij vero ætate Cecropis, nonnulli ante Cecropem, annis sexaginta aut nongentis.

Quibus temporibus Atheniensium regnum cœperit. Et de Athenarum appellatione deorum Neptuni & Mineruæ contentio.

CAP. VII.

ASsyriorum quintusdecimus Sparetus, annis quadraginta. A natiuitate Abrahæ quadringentesimus quinquagesimusseptimus, repromissionis vero trecentesimus octogesimussecũdus erat annus. Sycioniorum tertiusdecimus Marathius, Argis septimus Troipas regnat. AEgyptiorum Acencres. His temporibus Athenensis regni principium fuit. Primus enim Cecrops, qui & Difies in Acta, quæ nunc Attica vocatur, regnauit annos quinquaginta. A Cecrope autẽ

A vsque ad primam Olympiadem numerãtur reges quatuordecim. Principes vero, quos mors tãtum finiebat, duodecim: sub quibus apud Græcos multa miranda narrant accidisse. Dicebatur autem Cecrops Difies, siue ob longitudinem corporis, siue ob id, quod cum AEgyptius esset, vtramq; linguam sciebat. Hic autem Cecrops, in Euboea Athenas, quam & Diadas vocant, condidit: quam vrbem Euboici Cercomenon appellauerunt. Deorũ namque iudicium, Neptuni & Mineruæ, de contentione regionis apud Cecropẽ actum fuisse confingitur hunc in modum. Nam vt Athenæ vocarentur, (quod certe nomen à Minerua est quæ Græce Athena dicitur,) hanc causam Varro, indicat: Cum apparuisset illic repente oliuæ arbor, & alio loco aqua erupisset: regem prodigia ista mouerunt, & misit ad Apollinem Delphicum, sciscitandum quid intelligendum esset, quidue faciendũ. Ille respondit, quod deam Mineruam significaret, & Neptunum, & quod esset in ciuium potestate, ex cuius nomine potius duorum B deorum, quorum signa illa essent, ciuitas vocaretur. Iste Cecrops, oraculo accepto, ciues omnes vtriusque sexus consulens, mos enim tunc in eisdem locis erat, vt etiam fœminæ publicis consultationibus interessent, ad ferendum suffragium omnes conuocauit. Cõsulta igitur multitudine, mares pro Neptuno, fœminæ pro Minerua tulere sententias. Et quia vna plus inuenta est fœminarum, Minerua vicit. Tunc Neptunus iratus, marinis fluctibus exæstuantibus terras Atheniensium populatus est, quoniã spargere latius quaslibet aquas difficile dæmonibus non est. Cuius, vt iracundia placaretur, triplici supplicio dicit idem author, ab Atheniensibus affectas esse mulieres, vt nulla vlterius ferrent suffragia, vt nullus nascentium maternum nomen acciperet, vt ne quis eas Athenas vocaret. Ita illa ciuitas, mater aut nutrix liberalium doctrinarum, & tot, tantorumq; Philosophorum, qua nihil habuit Græcia clarius atque nobilius, ludificantibus dæmonibus de lite Deorum suorum, maris & fœminæ, & de victoria C per fœminas, fœminæ Athenas nomen accepit. Areopagus vero dicitur in eadem ciuitate, vbi cum Atheniensibus Paulus Apostolus disputauit, à Marte, qui Græce Ares nuncupatur: quoniam cum homicidij crimine reus fieret, iudicantibus XII. diis, in eo pago VI. sententiis absolutus est. Vbi enim par numerus sententiarum fuisset, ibi absolutio damnationis erat. Varro autẽ astruit Neareonpagon Atheniensium, de nomine Martis & pagi, quasi Martis pagum nominasse credit, Areopagitæ namque curiales eiusdem vrbis sunt.

De Mosis natiuitate, expositione, educatione, vita & rerum ab eo cum in AEthiopia, tum in AEgypto gestarum historia.

CAP. VIII.

ASsyriorum sextusdecimus, Ascharades annis quadraginta. Huius regni anno octauo Moses D virtutibus atq; prodigiis insignibus in AEgypto perpetratis, ad desertum Sinai iubente Domino populũ Hebræorum educit ex AEgypto, cum esset annorum quingentorum quinque, à natiuitate Abrahæ: repromissionis autem quadringentesimus tricesimus, eisque in eremo, per annos quadraginta legem exponit. Igitur ab exitu Israëlitici populi de AEgypto, vsque ad Solomonem, & ædificationẽ tẽpli, numerãtur anni CCCCLXXIX. Secundum minorem tamen numerum, quem III. Regnorum liber continet: nam iuxta volumen Iudicum, supputantur anni DC. Sycioniorum autem XIV. Maratus rex erat: cui succedit Echireus. Argis namq; Erotophus octauus erat rex, qui Sthenelum habuit successorem. Quibus temporib. de principibus Argiuorum, Castores existunt. At cum Danus Sthenelum expulisset, Argos tenuit: minoresque eius perseueraue-

runt, vſque ad Cutiſteũ filiũ Stheneli nepotẽ Perſei.
Poſt quem Pelopides imperium ſuſceperunt, primo ex
ipſis regnante Atreo. Quo tempore, primus pontifex
apud Hebræos conſtituitur Aaron, iubente Deo, fratre
Moſi. Ergo quis iſte Moſes eſſet paucis indicare cura-
bo: Is enim ſeptimus erat ab Abraham, filius Ambri, qui
fuit de patre Caath, qui natus eſt de Leui: Leui vero
de Iacob, qui fuit ex Iſaac filio Abraham. Mortuo nã-
que Ioſeph, dum Ægyptij duriſſimo opprimerent ſer-
uitio filios Iſraël, quidam eorum ſacer ſcriba vaticinã-
do prædixit, puerum naſciturum ex Hebræis, qui &
Ægyptios valde affligendo humiliaret: & progeniem
Ioſeph à iugo ſeruitutis eorum eriperet. Quam ob rem
regem eum Ægyptijs ſuis armauit conſilij, vt omnes
Hebræorum mares, quotquot naſcerentur, interime-
rent: quod ita & facere niſi ſunt. Quibus Hebræi affli-
cti malis, Ambri anxietate non modica vexabatur. Cui
Deus in viſu noctis aſtitit, eique filium prædixit naſ-
citurum, qui & ſuos à tanta liberaret miſeria & Ægy-
ptios afflictos, ſpoliatoſque ac demum in mari demer-
ſos ſuperaret, & memoriam ſui nominis celeberrimam
per omnia relinqueret ſecula, quam euentus rei viſio-
nem veram declarauit. Ergo vt Moſes natus, partus
ipſius obſtetricibus celatus eſt, annuente domino, ac
ſic tribus menſibus domi enutritus, dum eius genitor
amplius celare diffideret, in vaſculo de papyro facto,
ac bitumine linito, in flumen expoſuit: illum domi-
no commendans, qui eum prædixerat naſciturum fo-
re. Deus enim Termuth filiam regis, ludendi gratia ad
ripam fluminis adeſſe fecit. Quæ dum vas cerneret in
crepidine fluminis, ad ſe deferri iubet: conſpectoque
puero, dum in eo elegantem cerneret formam, valdè
eſt gauiſa, nutriri illum iubet, & dum propriam nõ ha-
beret ſobolem, hunc ſibi adoptauit in filium. Qui ſpe-
cie decorus, ingenio feruens, ita duntaxat vt plurimi
ammirantes, videndi gratia ad eum properarent: ſua
relinquentes negotia, delectari eius potius viſione.
Erat enim infantilis in eo multa gratia. Termuth au-
tem, quæ ſibi eum adoptauerat in filium, dum ſæpius
ad patrem ipſum deferret, contigit quadam die, vt
rex eundem ſumens & ad pectus applicans, pro filiæ
gratia diadema capiti eius imponeret. Quod Moſes
quaſi infantiliter ludens, arreptum in terram proiecit,
pedibuſq; conculcauit. Hoc autem ſacer ille ſcriba cer-
nens, exclamauit hunc eſſe, quem naſciturum nutu Dei
prædixerat, qui principatum deiicere Ægyptiorũ acce-
leraret, niſi prius morte præuentus fuerit: impetum in
eum faciens, interficiendũ decernebat. Ad cuius necẽ
ſegnius rex excitabatur, ne filiam offenderet charam.
Quẽ Termuth vix è manibus eorũ eripuit, & à morte
ſaluauit. Poſt aliquod vero tẽporis ſpatium inter Ægy-
ptios & Æthiopes, ſæuum exortum eſt bellũ. Qui dum
noſcũtur eſſe vicini, negotiatores hinc inde mercimo-
nia ferentes, ad lites & iurgia prouocauerũt Ægyptios.
Quam ob rem Æthiopes hæc indignando arma ſu-
mũt, Ægyptum vaſtando ac ſæuiendo, ciuitateſq; eo-
rum capiendo, reſiſtente nullo bacchantes, vſque ad
Mẽphim ciuitatem Ægyptiorum nobilẽ perueniunt.
Hac compulſi neceſſitate Ægyptii, ad diuinationes &
reſponſa confugiunt, acceptoq; oraculo, vt Hebræus
dux exercitus conſtitueretur, cuius auxilio non ſolum
à finibus ſuis pellerentur AEthiopes, ſed iam ditioni
ſubiicerentur AEgyptiorum. Eligitur autem Moſes,
quẽ & prudentia elegantior, & forma cõmendabat ex-
cellentior, dux exercitus. Qui dum in hoſtes irruere ita
diſpoſuit, vt eius aduentũ minime præuidẽdo cogno-
ſcerent, exercitum per loca inuia deſerti deduxit. Dif-
ficultatem vero itineris impetus maxime ſerpentium,
non ſolum repentium, ſed etiam volantium, per deſer-
tum inuia loca præbent. Ille autem diuinitus accepto
conſilio, ibes in caueis recluſas, quas ſerpentes maxi-
me verentur, ſecum tulit. Eſt autem hoc animal ſer-
pentibus inimicum. Fugiunt enim eis aduenientibus,
& cum ſe celare voluerint, velut flatu ceruorum abre-
A ptæ deuorantur. Quarũ ſolatio exercitum à peſte ani-
malium venenatorum liberauit. In AEthiopes ex ad-
uerſo irruens, quos in primo certamine profligando
deiicit, fugatos cæcidit. Et dum ei in nullo reſiſtere va-
lerent loco, ſe ad nobiliſſimam eorum ciuitatem cõtu-
lerunt Saba. In qua dũ obſiderentur, & Moſes nobili-
ter ac prudenter ſæpius certando obſeſſos affligeret, à
filia regis AEthiopum adamatus eſt. Quæ dum vim
amoris ferre nequiret: per fideles miniſtros nuptias
eius expetiuit. Quod Moſes minime denegans, ſub ea
ſcilicet conditione, vt fœderati ciues, ſe manibus eius
traderent. Quod per conſilium prædictæ puellæ citius
expletum eſt, eamque Moſes celebratis nuptiis ſuo co-
pulauit matrimonio: ac ſic demum debellata Æthio-
pia, reuertitur in AEgyptum cum triũpho. Quæ pro-
ſperitas & ſuis fiduciam libertatis, & Ægyptiis metum
intulit maiorem: vnde & opportunitatem quærentes,
B vt eum morti traderent. Quod Moſes intelligens, me-
ditabatur qualiter eorum declinaret inſidias. Interfe-
cto AEgyptio, dum quæreretur ad mortem, vix ela-
pſus per loca difficilima deſerti fugit in Madian: & ibi
cum Iethro ſacerdote degens, cuius filiam duxit vxo-
rem, dumque illius paſceret gregem in monte Sina
colloquio fruens Dei, ab eo in AEgyptum miſſus ob li-
berationem filiorum Iſrael. Hæc namq; ex Ioſephi de-
cerpſimus hiſtoria. De eodem etiam Moſe, hiſtorio-
graphi gentium quædã ſcripſerunt: ex quorum aſſer-
tionibus aliqua decerpere libuit. Ait Pompeius de illo
ſiue Iuſtinus hoc modo: AEgyptij cum ſcabiem ac vi-
tiliginem paterentur, reſponſo moniti, Moſen cum
ægris, ne peſtis ad plures ſerperet, terminis AEgypti
pellunt. Dux igitur exulum factus, ſacra AEgyptiorũ
furto abſtulit: quæ armis repetentes AEgyptij, domum
redire tẽpeſtatibus cõpulſi ſunt. At vero Cornelius de
eadẽ re ſic ait: Plurimi authores conſentiunt orta per
C AEgyptum tabe, quæ corpora fœdaret, regẽ Boccho-
rũ, adito Hammonis oraculo, remedium petentẽ, pur-
gare regnũ, & hoc genus hominũ, vt inuiſum diis, alias
in terras abire iuſſum. Sic conquiſitũ collectumq; vul-
gus, poſtquam vaſtis locis relictum ſit, cæteris per la-
chrymas torpentib. Moſen vnũ exulum monuiſſe, ne
quã Deorũ hominumue opem expectarẽt, ſed ſibimet
duces cœleſti crederent, primo cuius auxilio præſen-
tes miſerias pepuliſſent. Itaque Cornelius dicit, quod
ipſis AEgyptiis cogentibus, Iudæi in deſerta propulſi
ſint: & poſtea ſubiungit incaute, quia ope Moſi ducis,
in AEgypto miſerias propuliſſent. Quare oſtenditur:
quædã quæ per Moſen ſtrenue acta ſunt, fuiſſe celata.
Item Iuſtinus aſſerit, pulſum æque cum populo Moſen
ſacra AEgyptiorũ fuiſſe furatum. Quæ AEgyptios ar-
mis recipere moliẽtes, coactos tempeſtatibus ac repul-
ſos, domum rediſſe. Et hic aliquid amplius, & ſi non
totum, prodidit quod ille celauit. Quapropter ſi Moſi
magno illi duci, teſtimonium ambo dixerunt, ab ipſo
ſicut per eum & geſta & dicta ſunt, melius proferun-
D tur. Hinc autem Oroſius hiſtoriographus ſic ait: cum
populum Dei, hoc eſt, genus Ioſephi, AEgyptij cuius
ope ſalui erant, ſeruitio oppreſſum labore cruciarent:
inſuper etiam ad necandam ſobolem ſuam crudeli im-
perio cogerent, dimitti Deus populum ſuum liberum
ad ſeruiendum ſibi per Moſen nuntium iubet: contẽ-
ptuſque duriſſimis contumaces ſuppliciis agit. Qui de-
cem plagis onerati ac protriti tandem quos dimittere
noluerant, etiam feſtinare coëgerunt. Poſt aquas in
ſanguinem verſas, ardentibus ſiti grauiora afferen-
te pœnarum remedia, quã pœnas. Poſt horridos ra-
narũ ſqualores, per omnia mũda, immundaq; reptãtes
Poſt ignitas cyniphes & nuſquã toto aere vibrãte vita-
biles. Poſt muſcas caninas, etiã per interiora mẽbro-
rũ horridis morſibus curſitãtes, acerbeq; inferẽtes tam
grauia tormenta, quã turpia. Poſt omnium pecorum
& iumentorum repentinam ruinam ſtragemque

generalem. Post vesicas efferuescentes, vlceraque manantia, & vt ipsi dicere maluerunt, scabiem, ac vitiliginem totis corporibus erumpentem. Post grandinem cum igne permixtam, passim homines, armenta, atque arbores proterentem, post locustarum nubes, exhaustis omnibus ipsas quoque radices seminum persequentes. Post tenebras, imaginibus diras crassitudine palpabiles, diuturnitate ferales. Postremo, post vniformem in tota Ægypto primitiuæ sobolis necem, paremque per vniuersos orbitatum tempestatem, qui iubenti Deo non cesserant, cessere puniti. Sed mox pessima pœnitentia dimissos persequi ausi, vltima nephandæ peruicaciæ expendere supplicia. Nam rex eorum vniuersum Ægypti exercitum, curribus atque equitib. instructum, in circumerrantes egit. Cuius numerum hoc solo, vel maxime argumento coniicere possumus: quod cum DC. millia virorum timuerunt atque fugerunt. Sed protector depressorum & vltor contumacium Deus, diuisit subito rubrum mare, ac dilatans vtrumque marginibus, rigentium vndarum in montis faciem latera erecta suspendit, vt inoffensi spe limitis prouocati, pijque viam desperatæ salutis, impij in foueam insperatæ mortis intrarent. Itaque Hebræis tuto per sicca gradientibus refusis à tergo aquarum astantium molibus, obruta est & interfecta, cum rege suo, vniuersa Ægypti multitudo: totaque prouincia plagis antea cruciata, hac postremo interfectione vacuata est. Extant etiam nunc certissima horum monumenta gestorum. Nam tractus curruum rotarumque orbitæ, non solum in littore, sed etiam in profundo, quousque visus admittitur, peruidentur. Et si forte ad tempus, vel casu, curiositate, cuiuspiam turbantur: continuo diuinitus in pristinam faciem, ventis fluctibusque reparantur: vt quisquis non docetur timorē Dei propalatæ religionis studio, iræ eius transactæ vltionis terreatur exemplo. Cecropem enim, de quo supra diximus, tempore etiam Mosi ducis gentis Hebræorū (qui primus omnium Prophetarū ante aduentū domini Saluatoris diuinas leges sacris literis explicauit) fuisse eruditissimum tradiderunt. Hic Moses omnib. quos Græci antiquissimos putant, senior deprehēditur, Homero scilicet, & Hesiodo Troianoque bello ac multo superius Hercule Musæo, Lino, Chirone, Orphæo, Castore, Polluce, Esculapio, Libero, Mercurio, & Apolline, & cæteris diis gentium, sacrisq; vel vatibus, ipsius quoq; Iouis gestis: quē Græcia in arce diuinitatis collocauit. Hus, inquā, omnes quos enumerauimus, etiā post Cecropem Disien, quē primum Atticæ regē fuisse comminuimus. Itaq; sine vlla ambiguitate Moses, & Cecrops, qui primus Atheniensiū fuit, iisdem fuere temporibus. Porro iste Cecrops Dines indigena, sub quo primum in arce oliua orta est, & Atheniensium vrbs, ex Mineruæ appellatione sortita nomē. Hic primus omnium, Iouem appellauit, simulachra reperit, aram statuit, victimas immolauit, nequaquam istiusmodi rebus in Græcia vnquam visis. Cætera quoque, quæ apud Græcos mira iactantur, posteriora Cecrope deprehenduntur. Post hunc enim scribitur diluuium sub Deucalione, incendium sub Phaëtonte, Erichthonius Vulcani & terræ filius, Dardanusque qui Dardaniam condidit. De quo Homerus.

Quem primum genuit cælestis Iuppiter arce.

Libere quoque raptus Europæ, sacra Cereris, atque Isidis delubrum in Eleusina, frumenta Triptolemi, regnū Trois, cuius dinatum Ganymedem ad sydera raptum, vina Dei magnis voluerunt fundere mensis. Quo tempore Tantalus quoq; & Tytios fuerunt, & Apollo natus est. Nam Latona Iouis coniunx tempore Tytionis fuit, Latonæ autem & Iouis (vt ferunt) fuit Apollo filius. Post quos Cathmus Thebas venit, qui Semelen genuit: de qua pulcherrima proles Liber indignam partu tulit edita frugem. Porro Liber & qui, quos mox inseremus, post ducentesimum an-

num Cecropis fuerunt, Linus scilicet & Cethus, &
A Amphion, Musæus, Orpheus, Minos, Perseus, Esculapius, gemini Castores, Hercules, cum quo Apollo seruiuit Admeto. Post quos facta est Troianæ vrbis euersio, quam Homerus longo sequitur interuallo, longe post fuerunt. Homerus autē Solone & Thalete Milesio cæterisque qui cum his septem sapientes appellati sunt, multo prior reperitur. Deinde Pythagoras extitit, qui se non sapientem vt priores, sed Philosophum, id est amatorem sapientiæ dici voluit, quem secutus Socrates, qui Platonem erudiuit, à quo famosa in partes Philosophia diuisa est. Horum singulos, iuxta ordinē sequentis historiæ, suis locis inseremus. His etiam temporibus, adeo iugis & grauis æstus incanduit, vt sol per deuia transuectus, vniuersum orbem, non calore affecisse, sed igni torruisse dicatur: impressumq; feruorem, & Æthiops plus solitum, & insolitum Schytha nō tulerit: ex quo etiam quidam, dum non concedunt Deo ineffabilem potentiam suam, inanes ra-
B tiunculas conquirentes, ridiculam Phaëtontis fabulam texuerunt. Igitur vt supra memini, anno octauo, regnante Scarade in Assyriis, fiunt anni transacti repromissionis quadringenti triginta, à natiuitate vero Abrahæ quingenti quinque. Moses autem octogesimum ætatis habens annum, dux itineris efficitur Hebræorum ab Ægypto: præfuitque populo Dei in deserto annis quadraginta, tradensq; ei legem à Deo sibi datam. Eo tempore secundus Atheniensium Cradauus rex erat, qui habuit successorem Amphitionem. Quo in tempore Curetes & Corybantes Gnoson condiderūt, qui modulatam & inter se concinentem, in armis saltationem repererunt: musicus Euerhæi & nymphæ filius agnoscitur. Hoc enim tempore Corinthus est condita quæ prius Epira vocabatur. Secundum vero nonnullos, Io in Ægyptum profecta, & ibi Isis nuncupata est. Quæ nupta postea Thelegono regi Ægyptiorum Epafum genuit.

C

De filiorum Danai & Ægisti parricidiis, Ægypti prima appellatione & Busiridis in ea tyrannide.

CAP. IX.

Assyriorum septimusdecimus Amnites annis quadraginta quinque. Huius namque anno nono Moses moritur, & Iesu Naue ducatum populo præbet, annis viginti sex: qui terram Palæstinorum sorte distribuit Iudæis. Eratque tunc secūdus pontifex Hebræorum Eleazar: Ergo à prima mundi fabrica, vsque ad Mosi obitum libri ipsius quinque continent annos tria millia septingentos triginta, secundum LXX. seniorum interpretationem. Igitur decimus Argis Danaus regnat, Sycioniorum sextusdecimus Corax. Atheniensibus Erichthonius regnabat, qui primus quadrigam iunxit in Græcia quamuis olim esset apud alias natio-
D nes. His enim regnantibus, inter Danai atque Ægisti fratrum filios quinquaginta parricidia vna nocte commissa sunt, solo Lynceo euadente, qui post eum regnauit. Ipse deinde tantorum scelerum fabricator Danaus, regno, quod tot flagitiis adquisiuerat, pulsus, Argos concessit, ibique indigne persualus in facinus Argis Sthenelam, qui eum profugum egenumq; exceperat, regno expulit: atq; ipse regnauit. Neq; vero multitudo filiorū incredibilis videri debet in barbaris, cum tam innumerabiles habeant connubias. Enimuero à prædicto Ægypto rege nomen accepit Ægyptus, quæ prius Aeria dicebatur: Eodem etiam tempore Dardanus Dardaniam condidit. Templum Delphis à Phlegio incensum est. Tunc etiam Busirides in Ægypto fuit Neptuni & Libyæ Epaphi filiæ filius. Qui dum apud vicina Nili loca tyrannidem exerceret, transeuntes hospites crudeli scelere interficiens, tyranni cruentissimi hospitalitas crudelissima, & religio cru-

delior erat, qui sanguinem hospitum innocentum scelerum suorum participibus diis propinabat. Igitur per hæc tempora, id est, ab exitu Israël ex Ægypto, vsque ad mortem Iesu Naue, per quem populus Dei terram repromissionis accepit, sacra sunt instituta diis falsis, à regibus Græciæ, quæ memoriam diluuij, & ab eo liberationis hominum, vitæque ærumnosæ, modo ad plana migrantium, solenni celebritate reuocarunt. Nam & Lupercorum per sacram viam ascensum atque descensum sic interpretantur, vt ab eis significari dicant homines, qui propter aquæ inundationem summa montium petiuerunt: & rursus eadem minuente, ad ima redierunt.

De Progne & Philomela, & rege Thebarum Cathmo.

CAP. X.

Assyriorum octauusdecimus Belochus, annis viginti quinque. Huius filia Tosa, quæ & Semiramis, regnauit cum patre annis octo. Ab exitu filiorum Israël ex Ægypto, septuagesimus septimus erat annus. Iudæorum primus iudex Gothoniel iam annis vndecim iudicabat populum. Deinceps autem vigintinouē annis præfuit, qui cū superioribus fiunt quadraginta. Sycioniorum septimusdecimus Epopeus. Atheniensium autem quintus Pandion, Argis vndecimus Lynceus. His regnantibus, subiectos tenuerunt Hebræos alienigenæ annis octo, qui iunguntur temporib. Gothoniel, secundum Iudæorum traditionem. Gothoniel autem iudex, ex tribu Iuda fuit. Igitur suscepit Phinees eo tempore pontificatum apud Hebræos: apud Argos autem sacerdotio functa est Hypermestra Danai filia. Ergo Europæ filiæ Phœnicis mixtus est Iupiter. Post hæc vero à Cretensibus rapta est nam, cui fuit in signo taurus. Quam postea Asterius (quem alij Exanthum vocant) rex Cretensium vxorem accipiens, Minoem ex ea, & Radamantum, & Sarpedonem procreauit. Tunc etiam Therei Prognæ & Philomelæ, incesto parricidium adiunctum, atque execrabilius vtroque conuiuium per infandos cibos additum, cum propter sororis pudicitiam ereptam, præcisamque linguam, filium paruulum mater occidit, pater comedit. Hæ namque Progne atque Philomela Pandionis fuerunt filiæ, qui filius Ericthei fuit. Tunc etiam Cathmus regnauit Thebæis, ex cuius filia Semele, natus est Dionysius, id est, Liber pater, sub quo Linus Thebæus musicus fuit. Melus etiam & Paphus atque Tharsus, vel Thasus, Calistaque & Bithinia, vrbes conditæ sunt. Linus autem Thebæus, & Zethus & Amphion, in musica arte clarescunt, qui tunc post Cathmū Thebæis regnabant. In Dardania namque regnauit Ericthonius, Dardani filius. Quem Ericthonium finxerunt Neptuni & Mineruæ filium, quia in templo Vulcani & Mineruæ, quod ambo vnum habebant Athenis, expositus inuentus est dracone inuolutus, qui eum significauit magnū futurum, & propter commune templum, & ignotos parentes, filium Deorū esse dixerunt. Ea quę de Diana (quam Isidem esse aiunt) & Danae referuntur (ex qua Perseus nascitur) his gesta temporib. sunt. Ephira vero, quæ nunc Corinthus vocatur, à Sysipho condita. Armenia à Cathmo est capta. Phœnix autem & Cathmus, de Thebeis Ægyptiorum in Syriam profecti: apud Tyrum & Sydonem regnauerunt. His temporibus erant qui ferrum repererunt, vt dicuntur, Idæi Dactyli.

Ludi in honorem Apollinis instituti, quo tempore Hercules claruit, & Dionysium vitem ostendit. Item de diluuio sub Deucalione & incendio sub Phaetonte.

CAP. XI.

Assyriorum nonusdecimus Bellespares annis triginta. Ab egressu filiorum Israël ex Ægypto anni centū duo. Hebræorum iudex Aod, ex tribu Effrem, A annis octoginta. Alienigenæ Hebræos habuerunt subiectos annis decem & octo qui sub eodem iudice supputantur. Tunc etiam Apollini Delphico instituti sunt ludi musici, vt placaretur ira eius, quia putabant afflictas esse sterilitate Græciæ regiones: quia non defenderint templum eius, quod rex Danaus cum easdem terras bello inuasisset, incēdit. Hos autem ludos vt instituerent, oraculo sunt ammoniti. In Attica vero rex Ericthonius filius Cecropis ei ludos primus instituit, templumque fabricauit. Nec ei tantum ludos fieri censuit, sed etiam Mineruæ, vbi primum victoribus oleum ponebatur, quod eius fructus inuentricem Mineruam, sicut vini Liberum tradunt. Hercules autem cognomē Desanaus in Phœnice clarus habetur, inde ad nostram vsque memoriam, à Cappadocibus & Eliensibus Desanaus adhuc dicitur: Sed nimirum alius Hercules, non ille cuius ingentia & innumerabilia facta narrantur, B hic fuit. His temporibus Dionysium, qui etiam Liber pater dictus est, & post mortem Deus habitus, vitem ferunt ostendisse in Attica terra hospiti suo. Ericthonius etiam Vulcani & terræ filius, qui ab Homero Erictheus vocatur, his regnantibus fuit. Eo quippe tēpore Arcas filius Iouis, & Callistonis, Pelasgis in deditionem redactis, regionem eorum Arcadiam nuncupauit. Ergo à Deucalione Hellene, & Pyrra, hi qui prius Græci, tunc Hellenes nuncupati sunt, & Actea Benactica est vocata. Igitur de diluuio, quod tunc sub Deucalione in Thessalia, & incendio quod sub Phaetonte factum est, de pestilentiis etiā multimodis Æthiopiæ, quæ tunc contigerunt, Orosius in hunc fert modum: Anno octingentesimo ante vrbem conditam, Amphiction Athenis tertius à Cecrope regnauit. Cuius temporibus aquarum illuuies, maiorem partem populorum Thessaliæ absumpsit, paucis per refugia montium liberatis, maxime in monte Parnaso, in cuius circuitu Deucalion tunc regno potiebatur: qui tunc ad se ratibus confugientes, susceptos per gemina Parnasi iuga C fouit aluitque. A quo propterea genus hominum, Græcorum fabulæ ex lapidibus reparatum ferunt, propter hominum insitam cordis duritiam. Tunc etiam in Æthiopia pestes plurimas, dirosque morbos, pene vsque ad desolationem exæstuauisse, Plato testis est. Et ne forte diuisa tempora esse credant, iræ Dei furorisque bellici, ea tempestate subactam Indiam Liber pater sanguine madefecit, cædibus oppleuit, libidinibus polluit, gentem vtique nulli vnquam hominum obnoxiam, vernacula tantum quiete contentam.

Troia & Achaia condita, Triptolemus frumenta per vrbes distribuit. Thesum Hercules ab inferis reducit.

CAP. XII.

Assyriorum XX. Lamprides annis XXXII. Ab exitu Israël ex Ægypto anni CXXX. Sycioniorum XVIII. Laomedon, sub quo Apollo Latonę filius D Admeto seruiuit sub cura pastorali, & Neptunus muros Troianorum fundauit. Sed hos vtrosque Laomedon fefellit, quia ab eo mercede laboris fraudantur. Argis duodecimus Abas. Pelops regnabat in Græcia, à quo Peloponensis vocata. Hic fuit Pandionis filius, sub quo mysteria Græcorum esse cœperunt. His etiam temporibus Triptolemeus, quem Philochorus ait longa naui ad vrbes accedentem, distribuisse frumenta, & ob id dedisse suspitiones, quod nauis eius serpens pennatus fuerit, siue vt alij fingunt: quod iubente Cerere anguibus portatus alitibus, indigentibus terris frumenta volando contulerit. Achaia autem tunc ab Acheo condita est. Fabula Proserpinæ, quam rapuit Aidoneus, id est, Orcus rex Molosorum. Cuius canis ingentis magnitudinis, Cerberus, nomine, Perithoum deuorauit: quia ad raptum vxoris eius cum

Theseo venerat, quem & ipsum Theseum jam mortis periculo constitutum, adueniens Hercules liberauit, A & ob id quasi ab inferis receptus dicitur. Quo tempore Erichthei filiam, Orithiam Boreas Astrei filius Thrax rapuit, quam fabula ventum fuisse confingit. Hac ætate Phrixus fuisse secundum quorundam opinionem, qui cum Helle sorore sua fugiens insidias nouercales, visus est per aërem vehi ab ariete velleris aurei. Fuit autem ei nauis parata fugienti, cuius insigne aries erat. Porro Palefatus affirmat, arietem vocatum illius nutritorem per quem liberatus sit.

De raptu Ganymedis, Medææ per cædes paruulorum pignorum grassatione, & Gorgona meretricis capite desecto.

CAP. XIII.

Assyriorum vicesimusseptimus Sosares, annis viginti, ab exitu Hebræorum de Ægypto annus B centesimus sexagesimusquartus, Hebræorum iudex Aod, qui & supra Atheniensium sextus Erictheus, Sycioniis nonusdecimus Sycion, à quo Sycionii nuncupati sunt, qui prius Ægialei vocabantur. Argis tertiusdecimus Protheus, qui successorem habuit Acrisium. Horum temporibus Melampus diuinus agnoscitur. In Dardania vero regnauit Tros, à quo Troiani nuncupati sunt, Apud Phytium vates prima Phemone hexametris versibus futura cecinisse narratur. Tantalus tunc Phrygas regebat, qui prius Meones vocabantur. Hic enim Tantalus rex Ganymedem Troï Dardanorum regis filium, cum flagitiosissime rapuisset, majore conserti certaminis fœditate detinuit, sicut Phanocles Poëta confirmat. Qui maximum bellum excitatum ob hoc fuisse commemorat, siue quia hunc ipsum Tantalum, (vt Poetæ adseclam Deorum videri volunt) raptum puerum ad libidinem Iouis familiari lenocinio præparasse, qui ipsum quoque filium Pelopem epulis eius non dubitaret impendere. C Ipse etiam Pelops, qui Hiptodaniam duxit vxorem, contra Dardanos atque Troianos, magna pertulit certamina. Quæ, quia in fabulis celebrari solita sunt, negligentius audiuntur. Eo etiam contigerunt tempore Atrei & Thiestis odia, stupra, parricidia, cœlo quoque inuisa. Fuisse etiam tunc Oedipum ferunt, patris interfectorem, matris maritum, filiorum fratrem, suumque vitricum. Tunc equidem Æthecoles & Polynices mutuis perierunt concursibus, vt vtrique existerent parricidæ. Medæa quo in tempore amore sæuo sauciata, cæde pignorum paruulorum grassatur. Perseus autem à Græcia in Asiam transuectus est, ibi barbaras gentes, grani, diuturnoque bello domuit, & nouissime victor, nomen subjectæ genti dedit. Nam à Perseo Persæ sunt vocati. Illa quoque prætereo, quæ de Perseo, Cathmo, Thebanis, Sparthanisque per inextricabiles alternantium malorum recursus, Palefato scribente referuntur. Flagitia lemnia & Pandionis D Atheniensium regis flebilis fuga, tunc etiam contigisse credibile putatur. Gorgonæ etiam meretricis capite desecto, quæ propter eximiam pulchritudinem, ita aspectatores suos mentis inopes reddebat: vt vertere eos putaretur in lapides; vnde ei caput serpentibus crinitum finxerunt.

De Debbora Prophetissa, & regno Argiuorum in Micenas translato.

CAP. XIV.

Assyriorum XXII. Lampares, annis XXX. Ab exitu Israël de Ægypto CLXXXIV. annus erat. Hebræos post Aon in deditionem redigunt alienigenæ annis XX. qui conjunguntur temporibus Debboræ & Barach secundum traditionem Iudæorum, qui judicauerunt populum annis XL. Nam Debbora Prophetissa erat. Cuius Prophetia de Christo, minus est aperta, & diuturna indiget expositione. Debbora namque tribu Effraïm, Barach tribu Nepthali præfuerunt. Sycioniorum Polybus, Atheniensium vero VII. Cecrops junior. His regnantibus, regnum deficit Argiuorum quod steterat per annos DXLIV. vsque ad Pelopem. Exin in Micenas imperio translato, regnauit post Acrisium Euristeus, qui Stheneli filius fuit. Igitur Argiuorum imperio in Micenas translato, hi reges per successiones fuerunt: Perseus, Sthenelus, Atreus, Thiestes, Agamemnon, Ægistus, Orestes, & Thysamnus, & Pentilus, & Cometus, vsque ad Heraclidarum discessum.

Quo tempore Ilium & Troia condita, aurea Saturni tempora.

CAP. XV.

Assyriorum XXIII. Pannias, annis XLV. Ab exitu filiorum Israël de Ægypto anni CCXIV. Atheniensium VIII. Pandion. His regnantibus Gedeon ex tribu Manasse, Hebræorum iudicabat populum, qui annis XL. iudex extitit. Alienigenæ sub eo annis VII. rediguntur suam in deditionem. Ilium autem est ab Ilio conditum. Amphion enim Thebæis regnabat, quem ferunt cantu citharæ saxa mouisse. Fuerunt autem duro corde, & vt ita dicam, saxei quidem auditores. Secundum alios quidem Thebæis tunc regnabat Cathmus. Ea etiam quæ de Sparthis memorantur, quod Palefatus scripsit, cum proximarum essent regionum, aduersus Cathmum subito constitisse, & propter repentinos quasi de terra côtractus, ex omni parte confluitur, Sparthos vocatos. Tunc equidem templum in Eleusina ædificatum est, & Troia etiam condita. Quo tempore Laurentes vbique in Italia regnabant, quorum primus Picus, filius Saturni rex fuit. Quem Saturnum idcirco dominum esse dixerunt: quia terram colere docuit, eamque stercore conficere, vt fruges funderet vberiores, vnde & Stercutius nominatus est, siue Sterticen. Sub quo Vergilius, & alii antiquorum doctores aurea fuisse secula scribunt: quia homines qui ad montes confugerant, reuocauit ad plana, & moribus compositis degere instituit, legesque dedit, Latiumque vocare maluit: eo quod in eo tutius latuisset fugiens filium. Successorem etiam eius Picum, idcirco inter Deos retulerunt: eo quod præclarus augur & belligerator fuisse dicitur.

De Libero & eius Bacchanalibus sacris. Item de Dædalo & Spinga, Argonautis quoque. Et tandem de Scythis, Amazonibus & Scaza insula.

CAP. XVI.

Assyriorum XXIX. Sosarmus, annis IX. & X. qui Mitreum habuit successorem, & is regnauit 27. annis. In principio quippe hujus Metrii regni, ab exitu filiorum Israël de Ægypto, erant anni transacti CCLXXVIII. Abimelech & Thola XXV. annis Hebræorum eo tempore iudicauerunt populum. Sycioniorum rex, Inachus erat: Chareus & Thiestes apud Micenas regnabant. His autem temporibus, quidam vendicant gesta Liberi patris, & ea quæ de Licurgo, atque Athenæo, & Penteone, memorantur: quomodo aduersum Persen consistens occidatur in prælio, vt Dinargus Poëta refert. Qui autem voluerit, potest inspicere ipsius Liberi patris apud Delphos sepulchrũ, juxta Apollinem aureum. Pingitur vero Liber in mulieris specie, & delicato corpore: propter mulieres in

suo exercitu militantes, quando debellauit Indiam. Quæ mulieres Bacchahæ appellatæ sunt, non tam virtute nobiles quam furore. Aliqui sane, & victum scribunt istum Liberum, & victum nonnulli, & occisum in pugna à Perseo, nec vbi fuerit sepultus tacent, & tamen eius velut Dei nomine per immundos dæmones Bacchanalia sacra, vel potius sacrilegia sunt instituta. De quorum rabiosa turpitudine post multos annos senatus sic erubuit, vt in vrbe Roma celebrari prohiberet. Per ea tempora Perseus & vxor eius, posteaquam sunt mortui, sic eos cœlo receptos esse crediderunt, vt imagines eorum appellare numina non erubescerent. Tunc etiam Pandion fugientem ab Ionib. insidias passum ferunt. Europa etiam Agenoris filia regibus præfatis rapitur existentibus. Philamon Delphus, tunc nobilis habebatur, qui primus apud Pythiam chorum constituit. Ergo & quæ de Dædalo fabulæ ferunt, qui visus est simulachra fecisse mouentia, qui etiam primus omnium pedes statuarum à se inuicem separauit, alijs conjunctim eos fabricantib. Palesatus memorat. Necnon quomodo cum filio Icaro, Minoem naui fugerit, & propter inuestigabilem fugam, auolasse pennis æstimatus est. Tūc etiam Orpheus Thrax, clarus habebatur, cuius discipulus fuit Museus Emolpi filius; Linus etiam magister Herculis, famosus erat. Igitur ea, quæ de Spinga & Oedipode & Argonautis dicuntur, in quibus fuerunt Hercules, Asclepius, Castor & Pollux, tunc contigisse Palesatus scribit, qui Spingam vxorem Cathmi fuisse, & propter zelum Ermionæ vxorem à viro recedentem contra Cathmum constitisse. Nunc de Argonautis plus aliquid dicamus. Aquilis est fluuius, in quem sermo fertur, aduectam nauigio Argo, & ad Thyrrenum pelagus fuisse perductam, Argonautæ enim ventum validum declinantes, non eodem nauigio in regressione sunt vsi, sed transeuntes mare, quod super Scythas est, per hæc flumina venerunt ad terminos Italorum, & ibi hyemantes condiderunt ciuitatem, quæ vocatur Hemona. Æstate vero superueniente, cooperantibus eis prouincialibus fere CCCC. stadios, arte mechanica trahentes, Argo per terram ad fluuium Aquilem deduxerunt, qui permiscetur Heridano. Heridanus autem fauces habet in Italicum mare. Et sic ad propria repedarunt. Eodē quoque tempore, Vesozes rex Ægypti, meridiem & septentrionem, diuisas pene toto cœlo ac pelago plagas, aut miscere bello, vt regno jungere studens, Scythis bellum primus indixit, missis prius legatis, qui hostibus parendi leges dicerent. Scythæ autem legatis respondent: Stolidè opulentissimum regem aduersus inopes sumpsisse bellum, quod timendum ipsi magis versa vice fuerit, propter incertos belli euentus, nulla præmia, & damna manifesta. Porro sibi non expectandum ad se veniatur, sed vltro prædæ obuiam ituros. Nec mora, nam dicta factis insequuntur. Primum ipsum Vesozem territum refugere in regnum cogunt: destitutum vero exercitum inuadunt, omnemque belli apparatum capessunt. Vniuersam quoque Ægyptum populauissent, ni paludibus impediti repellerentur. Inde continuo reuersi, perdomitam infinitis cædibus Asiam vectigalem fecere. Vbi per XV. annos sine pace immorati, tandem vxorum flagitatione reuocantur: denunciantium, ni redeant, sobolem se à finitimis quæsituras. Medio autem tempore, apud Scythas duo regij juuenes Plinius & Scolopetius, per factionem optimatum domo pulsi ingentem juuentutem secum traxere, & in Cappadociæ Ponticæ ora juxta amnem Thermodontem consederunt Campisthemis Scyrijs sibi subjectis, vbi diu proxima quæque populati, conspiratione finitimorum per insidias trucidantur. Horum vxores exilio ac viduitate permotæ, arma sumunt, & vt omnibus par ex simili conditione animus fieret, viros qui superfuerant, interficiunt: atque accensæ in hostem sanguine suo vltionem cęsorū

A conjugum finitimorum excidio consequuntur. Tunc pace armis quæsita externos concubitus ineunt, editos mares mox enecant, fœminas studiose nutriunt, inustis infantum dexterioribus mammillis, ne sagittarum jactus impedirentur. Vnde Amazones dictæ. Harum duę fuere reginæ, Marpesia & Lampeto. Quæ agmine diuiso in duas partes vicissim curam belli, & domus custodiam sortiebantur. Igitur cum Europæ maximam partem domuissent, Asiæ vero aliquantis ciuitatibus captis, ipsæ etiam Ephesum aliasque vrbes dū condidissent, præcipuam exercitus sui partem onustam opulentissima præda domum reuocant, reliquæ ad tuendum Asiæ imperium relictæ, cum Arpesia regina, concursu hostium trucidantur. Huius locum Sinope filia capessit, quæ singularem virtutis gloriam, perpetua virginitate cumulauit. Hac fama excitas gentes, tanta admiratio & formido inuaserat, vt Hercules quoque cum jussus fuisset à domino suo exhibere arma reginæ, quasi ad ineuitabile periculum destinatus

B vniuersam Greciæ lectam ac nobilem juuentutem cōtraxerit, nouem longas naues præparauit: nec tamen contentus examine virium, ex improuiso aggredi, & insperatas circumuenire maluerit. Duæ tunc sorores regno præerant Anthiope & Orythia. Hercules mari aduectus, incautas, inermesque & pacis incuria desides oppressit. Inter cæsas, captasque complurimas, duæ sorores, Antiope, Melanippe; ab Hercule; Hyppolite; A Theseo retentæ sunt. Sed Theseus Hyppoliten matrimonio asciuit, Hercules Menalippe sorori reddidit, & arma reginæ precio redemptionis accepit. Post Orythia Pentesilia regno potita est, cuius Troiano bello clarissima inter viros documenta virtutis accepimus. Igitur Scythæ ijdemque Gothi, quos Nesozes rex Ægypti, ad suam, suorumque non solum miseriam & confusionem, sed etiam aliarum gentium excitasse, historiographorum nobilium assertionibus declarauimus, ex qua prius originem natione ducerent, seu quas incolerent sedes, elucidare cursim sta-

C tui. Refert enim Claudius Ptholomæus, orbis terræ descriptor egregius, in secundo sui operis libro: Est in Oceano arcti salo posita insula magna, nomine Scanza, in modum folij cedri lateribus pandis per longum ducta concludens se, quam & Pomponius Mela in mari sinucodano positam refert, cuius ripas influit Oceanus. Hæc à fronte posita est Iustulæ fluminis, qui Sarmaticis montibus ortus, in conspectū Scanzæ septentrionali Oceano, trisulcus illabatur, Germaniā Scythiamque disterminans. Hæc ergo habet ab oriente vastissimum lacum in gremio orbis terræ, vnde Vagi fluuius, velut quodam ventre generatus, in Oceanum vndosus euoluitur. Ab occidente namque immenso pelago circumdatur, à septentrione quoque innauigabili eodem vastissimo concluditur Oceano. Ex quo quasi brachio quodam exeunte, sinu detento, Germanicum mare efficitur. Apum ibi turba mellificæ ob nimium frigus nusquam reperitur. In cuius parte

D Arcthoa gens consistit, quæ dicitur à Dogit, quæ in media æstate quadraginta diebus & noctibus luces habere fertur continuas: itemque brumali tempore, eodem dierum, noctiumque numero, alternato mœrore cum gaudio, lucem claram nescire fertur. Hoc enim euenit, quia prolixioribus sedibus per axis marginem solem videt redeuntem ad orientem. Breuioribus vero non sic apud illos conspicitur, vt australes aspicere assuerunt. Nobis enim videtur Sol ab imo surgere, illis vero marginem terræ circuire. Nec hoc incredibile cuilibet videatur. Plinius namque eruditissimus literarum secularium, eodem fieri modo in insula Thilæ testatus; In hac autem insula licet multæ & diuersæ maneant nationes: Ptholomæus tamen septem nationum nomina meminit, ex quibus gens mcoratur ibi, quæ Suehans nominatur. Hi namque equis vtuntur eximiis. Deinde sequitur diuersarum

turba nationum, Theutes, Vagoth, & reliquæ: sed ex his sunt exteriores Ostrogothæ. Ex istarum stirpe gentium Dani quippe sunt progressi, qui inter omnes huius Scanzæ nationes, nomen sibi ob nimiam proceritatem affectant præcipuum. Igitur ex hac Scanza prædicta, quasi officina gentium, aut certe velut vagina nationum cum rege suo nomine Berich Gothi, quondam memorantur egressi. Qui vt primum è nauibus exeuntes terras attigerunt, illico nomen loco dederunt. Nam hodieque illic, vt fertur, Gothi Scanza vocatur. Vnde mox promouentes, ad sedes Vlmerugorum, qui tunc Oceani ripas insidebant, castrametati sunt, eosq; commisso prælio propriis sedibus pepulerunt, & eorum vicinos Vandalos, quos tunc subjugantes, suis applicauere victorijs. Vbi vero magna populi numerositate crescente, etiam pene V. rege regnante, post Berich Philuner, filio Gadarigis consilio sedit, vt exinde cum familiis Gothorum promoueret exercitus. Qui aptissimas sedes, locaque dum quæreret congrua, peruenit ad Scythiæ terras, quæ lingua eorum Oium vocabantur. Vbi delectatus magna vbertate regionum, sed exercitus medietate transposita, pons dicitur vbi amnem traiecerat, irreparabiliter corruisse, nec vlterius iam cuiquam licuit ire aut redire. Nam is locus, vt fertur, tremulis paludibus voragine circumiecta concluditur. Quem vtraque confusione, natura reddidit imperuium. Veruntamen, hodieque illic & voces armentorum audiri, & indicia hominum deprehendi, commeantium attestatione, quamuis à longe audientium credere licet. Hæc ergo pars Gothorum, quæ apud Philuner dicitur, in terras Oium emenso amne transposita, optato potiti solo, nec mora illico ad gentem Spalorum adueniunt, consertoque prælio, victoriam adipiscuntur. Exinde iam velut victores, ad extremam Scythiæ partem, quæ Ponto mari vicina est, properant: quemadmodum & in priscis eorum carminibus pene historico ritu, in commune recolitur. Quod & Ablauius descriptor Gothorum gentis egregius, verissima attestatur historia, in quam sententiam & nonnulli consensere maiorum. Quorum sedes hæ in solo Scythiæ fuerunt, juxta paludem Meotidem primæ, secundę in Mysia, Thraciaque & Dacia, tertiæ supra mare Ponticum, vt testantur historici. Dum in prima namque sede iuxta Meotidem habitarent, Philuner regem habuisse noscuntur. In secunda, id est, Dacia, Thraciaque & Mysia, Zalmoxen, quem miræ Philosophiæ & eruditionis fuisse testantur. Plerique scriptores annalium tradunt Zeutem prius habuisse eruditum, post etiam Diceneum. Is vero Diceneus venit in Gothiam, quo tempore Romanorum Sylla potitus est principatu. Quem Diceneum suscipiens Boscurta Getharum rex, dedit ei pene regiam potestatem. Cuius consilio Gothi Germanorum terras, quas nunc Franci obtinent populati sunt. Cæsar vero, qui sibi primus omnium Romanorum vendicauit imperium, & pene omnem mundum suæ ditioni subegit, omniaque regna perdomuit: D adeo, vt extra nostrum orbem in Oceano repositas insulas occuparet, Gothos tamen crebro pertentans, nequiuit subiicere. Caius Tiberius iam tertius regnat Romanis, Gothi tamen suo regno incolumes perseuerant: quibus hoc erat salubre, hoc accommodum, hoc votiuum, vt quicquid Diceneus eorum consultarius præcepisset, hoc modis omnibus expetendum, hoc vtile diiudicantes fore. Qui in omnem pene Philosophorum sapientiam eos introducens, barbaros mores eorum compescuit, carminibus & diuersis cantibus animos demulcens eorum, studiosos reddidit. Vnde & carmina in ipsorum lingua adhuc extant diuersa ab eis composita. Decedente autem Diceneo, Comosicum habuerunt sapientem. Hic etiam propter suam peritiam pontifex illis & rex habebatur. Deinde quartum Zalmoxen, nec defuerunt qui eos

A in studio sapientiæ erudirent. Vnde & pene omnibus Barbaris Gothi sapientiores extiterunt, Græcis pene consimiles, vt refert Dio: qui historias eorum annalesque Græco stilo composuit. Adeo ergo fuere laudati Getæ, vt dudum Martem, quem poëtarum fallacia Deum belli pronuntiat, apud eos fuisse dicant exortum. Vnde & Virgilius:

Grandæuumque patrem Geticis qui præsidet aruis.

Tertia vero in sede, supra mare ponticum iam humaniores, & vt superius diximus, prudentiores effecti, diuisi per familias populi Vesegothi, qui & Getæ sunt dicti. Quorum fuit studium primum inter vicinas gentes, aliasque arcum intendere neruis: Lucano plus historico quam poëta testante. Ait enim: Armeniosque arcus Geticis intendite neruis. Hoc namque cantu, maiorum facta modulationibusque & citharis cantabant. Tales etiam eos tradunt extitisse, quales vix heroas fuisse: quos miranda jactat antiquitas, Con-
B tra hos, vt præmisimus, Vesozes lachrymabile sibi intulit bellum, quos Amazonum fuisse viros tradunt. Eusebius autem in annalibus, & Orosius in libro 1. contra Paganos Scythas eos vocant, quia partem Scythiæ incolebant. Quo etiam tempore atrocissimum inter Cretenses & Athenienses certamen fuit: vbi populis vtrisque profligatis, infeliciter cruentiorem victoriam Cretenses exercuerunt. Qui nobilium Atheniensium filios Minotauro crudeliter addicebant. Vtrum vero ferus, ac inhumanus crudelisque hic Minotaurus fuerit, vt scribit Philochorus, in secundo Attidis libro, dubitatur: Dicit enim magistrum Minoïs fuisse taurum nomine, aut informe prodigium, quod effossis Græci luminibus saginabant. Igitur Gnossius testatur, Androgeum Athenis dolo interfectum, Minoïs regis filium, qui super mortem Androgei filij sui agonem statuit, præmij nomine pueros Atticos largiens. Taurus vero vniuersos in contentione superabat. Tandem factum est, vt à Theseo in palæ-
C stra vinceretur, ob quod Athenienses pueri tributaria pœna liberati sunt. Theseus autem Athenienses qui prius per regionem erant dispersi, in vnam congregauit ciuitatem, qui etiam Helenam rapuit, quam rursus illius fratres receperunt, capta matre Thesei. Tandem Theseus Athenas profugus dereliquit. Iisdem diebus Laphitæ, & Thessali, famosis nimium centauree conflictibus. Palefatus in libro primo incredibilium prodit, ipsos Laphitas creditos, dictosque fuisse centauros eo quod discurrentibus in bello equitibus, velut vnum corpus equorum & hominum videntur: Quo etiam tempore Priamus regnauit post Laomedontem. Fuerunt & tunc illi septem fortes, qui aduersum Thebas pugnauerunt, nec non & Thamiris Amontis filius, insignis celebrabatur.

Carthago à Didone condita. Hercules certamen Olympiacum instituit, & Antæum Terræ filium occidit. Troianorum decennale oritur bellum. Quo tandem finito, Æneas alias sibi sedes quærens in Latium venit, &c.

CAP. XVII.

Assyriorum XXVI. Thaitthanes annis XXXII. Igitur ab exitu Israël de Ægypto anni sunt cccvi. Airus autem ex tribu Manasse, Hebræorum iudicauit populum, qui eis præfuit annis XXII. Post quem in deditionem suam redigunt Hebræos Ammonitæ, annis VIII. & X. qui cum temporibus posteriorum iudicum copulantur, id est, Iepthæ, qui annis VI. Essebō autem VII. Eapdon vero VIII. Hebræorum populo præfuerunt. Post Essebon, videlicet secundum traditionem Iudæorum, fertur Calabon rexisse populum

anni decem qui non habentur apud LXX. Interpretes. Sycionès autem Adrastus regebat, cui succedit A Polipedes. Micenarum vero Agamemnon rex erat, Athenienſium autem Meneſtheus. Iiſdem temporibus Minos leges ac iura conſtituit: qui tandem in Sicilia aduerſus Dædalum arma capiens, à filiabus Cocali occiditur, Carthago à Didone in Aphrica condita eſt. Tunc etiam Hercules agonem olympiacum conſtituit: à quo vſque ad primam olympiadem ſupputantur anni CCCCXXX. Iiſdem enim Hercules in Libya occidit Antæum. Dicitur autem Antæus Terræ filius, quia palæſtricæ artis & certaminum, quæ in terra exercentur, ſcientiſſimus erat: & ob id videbatur à terra matre adiuuari. Poſt necem vero filij, aqua purgatus eſt Athenis in ſacris Cereris, & poſt interfectionem Ipphiti, quem peregrinum & amicum iniuſte peremit, Hercules incidit in morbum peſtilentem, qui ob remedium doloris ſe iecit in flammas, in monte qui vocatur Oeta, dum plura fortiter ac mirabiliter perpetraſſet, & ſic morte finitus eſt, anno ætatis ſuæ B LII. Quidam vero aiunt. XXX. Huic autem Herculi, XII. inſignia inter eius ingentia numerant facta. Ergo principibus prædictis exiſtentibus, Alexander Priami filius, rapuit Helenam. Troianum decemnale oritur bellum, ac demum euerſa capitur Troia. Quod ita contigiſſe in hiſtoria Daretis atque aliorum legimus. Pelias rex maximus, eo tempore inter reges Græcorum habebatur: cuius conſiliis cæteri obtemperabant. Qui nepotem habuit nomine Iaſonem, filium fratris ſui. Quem vt nouit ferocem eſſe animo, prudentem conſilio, corpore ſtrenuum, inuidit. Quamobrem ad Colchos gentem fortiſſimam ac bellicoſiſſimam, ipſum cum exercitu direxit: promittens ei, vt ſi pellem inauratam quam nouerat habere Colchos, illis deuictis ei deferret, ipſum regni ſui ſucceſſorem faceret. Dedit autem conſilium principibus ſuis, vel Iaſon primus cum ſuis ſodalibus ad bellum procederet, illi vero relicto Iaſone, in periculo mortis, recederent nauali euectione. C Sed hos dolos Iaſon, vt erat verſutiſſimus, cognouit. Nam collecto exercitu, cum trierib. & magno apparatu nauium, mare magnũ ingreſſus, flante aquilone, à recto receſſit itinere, & peruenit ad portum Troianorum, vbi Symoïs fluuius ingreditur mare. Quod audiens Laomedon rex Troianorum Græcorum exercitum fines ſuos attigiſſe, contra ipſos Priamum filium ſuum cum valida manu direxit. Iaſon vero precabatur, vt iter ei præberetur, abſque conflictu ſuorum per illorum regionem eundi gratia in Colchos. Illi autem noluerunt acquieſcere, ſed repulerunt eum cum injuria grandi à ſuis finibus. Græci vero recuperato vento, peruenerunt in Colchos, illoſque imparatos atque inſcios repererunt. Iaſon namque irruit ſuper eos cum ſuo exercitu, tamen principes aui ſui Peliæ, ante ſe ad pugnam ire compulit. Colchos autem proſtrauit atque deuicit, ciuitates eorum cepit, atque vaſtauit, pellemque inauratam inuenit, & auo ſuo D cum præda magna in Græciam deportauit. Pelias autem rex, vt cognouit qualia exercitus eius à Troianis eſſet paſſus, indignatus eſt, miſſaque manu valida, vt regnum Laomedontis affligeret, ignorantibus Troianis ſuperuenerunt Græci, terramque eorum late vaſtauerunt, filiam etiam Laomedontis regis Eſionam nomine, pulchram ac decoram nimis, captiuam cum ſpoliis multis, ſecum in Græciam deduxerunt. Igitur poſt aliquod interuallum in Macedoniam eorum metropolim confluxerunt, reges ſcilicet Græcorum ad diem feſtum quendam, & ibi erant, qui de cunctis partibus Græciæ illuc conuenerunt. Pelias & Iaſon nepos eius. Agamemnon & Memnon frater eius. Aiax & Palamedes, Achilles, Triptolemus, Menelaus atque Polypus, Caſtor & Pollux. Alea, qui primus tabularum luſum reperit, & cæteri reges minores ad diem feſtum conuenerunt prædictum, ſacrificare Ioui. Audiens hęc Alexander filius Priami, Troia progreſſus, multitudinem exercitus ſumens, naues magnas aſcendit, per mediterraneum mare, ad inſulam regis Agamemnonis veniens, ad palatium eius acceſſit, vbi Helena regina illius vxor deæ Mineruæ diem feſtum exhibebat. Alexander autem filius Priami, prædictam Helenam reginam ſpecioſam valde illico inuadẽs, rapuit cum theſauris eius omnibus ac viri ſui, ob vindictam amitæ ſuæ Eſionæ, quam Græci captiuam tenebant & nolebant reddere. Quod vt cognouerunt Græcorum reges, nimium grauiter ferentes, inito conſilio, cum omni apparatu vndiq; confluxerunt, inſtructaq; claſſe tráſfretantes mare Ilium, petierunt rogantes, vt redderetur Helena, & recederent. Troiani autem reſponderunt, nequaquam ſe hoc facturos, niſi prius Eſionam regis Priami ſororem recepiſſent. Quam ob rem vtriſque indignantibus, decem annorum bella grauiſſima geſſerunt. Erant igitur filij Priami regis, ex matrona nomine Hecuba, primogenitus Hector elegantiſſimus & pugnator fortiſſimus. Secundus Alexander, qui rapuit Helenam, tertius Troilus, quartus Deiphœbus, quintus Achimachus, filias autem habebat duas, Polyxinam, atq; Caſſandram valde decoras. Ergo quindecim reges Græcorum, contra Priamum regem, & filios ac populum eius dimicantes, acerrime ex vtriſque partibus conflixerunt. Quatuor autem bella peregit Hector Troianorum fortiſſimus cum populo ſuo contra Græcorum reges & eorum populum: in quibus prælijs, vt in Darete legimus, ceciderunt de Græcis ducenta quinquaginta octo millia ducenti quatuor: quos ipſi recenſuerunt. De Troianis vero centum triginta quatuor millia, quadringenti viginti duo. De regibus autem Græcorum Aiax cum tribus principibus cecidit. Tanta namque interfectio, quam præmiſimus, in tribus prælijs contigit, in quarto vero vbi Hector Palamedem occidit regem, & dum loricam eius auream detraheret, Achilles inopinatus adueniens, Hectorem ſpoliis inhiantem, incautum reperiens occidit. Peremptorum vero aliorum numerum eo prælio, non reperi. Hinc Troilus ſe armauit, vt fratris mortem Hectoris vlciſceretur: & ipſe duobus prælijs peractis, fortiſſimum ſe declarauit. In primo enim Polypus Græcorum rex cecidit, cum duobus principibus & de reliquo exercitu XLVII. millia, & XXIII. De Troianis vero XXV. millia XXVI. Tunc Agamemnon cæteris ſapientior regibus, infecto negotio reuerſurus erat in Græciam, niſi ei Achilles reſtitiſſet: qui magis mori elegerat, quam ſine vindicta ſuorum & abſque victoria recedere. Igitur iterum cohortantur ſe ad bellum, cum Troianis Troilus occurrit: Quibus fortiter tribus diebus ac noctibus continuo decertantibus innumerabilis multitudo ex vtraque parte cecidit. De Græcis C.XLV. millia. De Troianis C. XII. millia, inſuper Troilus ab Achille percuſſus mortuus eſt. Cuius corpus Achilles circa ciuitatem trahens, maximum luctum Troianis intulit. Quod Hecuba Troili mater cernens, multo redimere auro cupiuit, vt ſepulturæ traderet. Achilles autem Polyxenam Priami filiam petens in matrimonium, dixit ſi ei daretur, & corpus mortui redderet, & Græcos à Troia recedere faceret. Sed dum illi eſſet repromiſſa, Troili cadauer parentibus reddidit. Achilles vero dum templum Dianæ adiret, quaſi Polyxenam ibi accepturus, iuxta palatium conſtitutus, inſidiis Alexandri circumuentus occiſus eſt. Agamemnon autem cognita Achillis morte, iterum hortabatur populum cum magno clamore recedere à Phrygia, cui reſtitit Triptolomeus dicens: Viuus hinc non recedam, niſi necem patris vindicauero. Iterumque ortum eſt prælium. Deiphœbus quippe cum Troianis agmine Græcorum occurrit: in qua pugna ceciderunt de Græcis CXV. millia, & LIV. De Troianis autem LXX. millia, DC. III. vt populus recenſuit. Vulneratus eſt ab

hostibus Deiphœbus, & mox in ciuitatem reuersus mortuus est. Tunc domestici regis, Æneas & Vlysses, domino suo Priamo suaserunt, vt redderent Helenam, datis insuper muneribus, & recederent ab eis hostes: quoniam se imminutos ac pene victos cernebant. Quod audiens Agamemnon libenter præbuit assensum. Alexander autem Helenam reddere noluit, frater quoque illius Achimagus magis populum ad bellum excitabat. Quod Æneas & Antennor audientes, indignati sunt, & clam mittentes ad reges Græcorum inierunt fœdus cum eis, vt ipsis parcerent & omnibus quæ ad eos pertinere videbantur, & ipsi ciuitatem manibus eorum traderent. Accepta vero fide à Græcis, nocte media signum inauditum in similitudinem equini capitis excogitantes, supra murum posuerunt. Quorum fraude Græci vrbem intrauerunt, & super Priamum ac liberos eius irruerunt, nec vlli ex eis pepercerunt: Helenam autem receperunt. Æneas vero abscondit in tutri vrbis Polyxenam atque Cassandram. Triptolemeus autem requisiuit Polyxenam, pro qua illius pater Achilles mortuus fuerat. Sed dum eam Æneas se nescire testaretur, & in hoc deprehensus esset mendacio, à Phrygia deiectus est. Agamemnon autem Polyxenam Triptolemeo tradidit, ille eam super tumulum patris trucidauit. Ergo igni, ferroque funditus euersa Troia, Æneas cum omnibus suis, à finibus Troianorum depulsus, alias quærendo sedes, Latium venit, ibique habitauit. Qui dum sæuissimus esset, ac crudelissimus belligerator, & nulli parceret, ob tantam impietatem, à Deo ictu fulminis percussus interiit. Item vt alij volunt Phrygas & Æneas germani fuerunt, Æneas in Latio, & Phrygas in Phrygia regnauerunt. Post Æneam vero Ascanius derelicto nouercæ suæ Lauiniæ regno, Albam longam condidit: & Syluium posthumum fratrem suum, Æneæ ex Lauinia filium cum summa pietate educauit. Ascaninus etiam Iulium filium procreauit, à quo familia Iuliorum orta est, sed propter ætatem paruuli, quia necdum idoneus erat ciues eius regere, Syluium posthumum fratrem suum, regni reliquit hæredem. De Phryga namque progenies progressa est, quæ per multas regiones vagando cum vxoribus & liberis, eligentes regem ex se Francionem nomine, ex quo Franci vocantur: eo quod fortissimus ipse Francio in bello fuisse fertur. Et dum gentibus cum plurimis pugnasset, in Europam iter suum dirigens inter Rhenum & Danubium consedit. Ibique mortuo Francione, prælia multa gesserunt: quibus attriti parua ex ipsis manus remansit. Hinc duces ex se constituerunt: attamen iugum alterius semper negantes ferre. Hæc quidem ita se habere de origine Francorum opinantur. Alij vero affirmant eos de Scanza insula, quæ vagina gentium est, exordium habuisse, de qua Gothi & cæteræ nationes Theorisex exierunt: quod & idioma linguæ eorum testatur. Est enim in eadem insula regio, quæ vt ferunt, adhuc Francia nuncupatur. Domino autem annuente, de his in sequenti opere plenius enarrare cupimus.

Hebræorum iudex Samson, Latinorum primus rex Æneas, & post eum Ascanius, &c. Item Vlyssis Scyllam fugientis historiam hoc tempore factam fabulæ tradunt.

CAP. XVIII.

ASsyriorum vicesimus septimus Teuteus annis quadraginta. Ab exitu filiorum Israël de Ægypto, anni trecenti triginta. Hebræorum autem iudex annis viginti, Samson ille vltra fortes fortissimus: ita vt à quibusdam facta eius Herculis comparentur gestis, qui pene contemporales, quamuis Hercules non multum præcederet, extiterunt. Redigunt autem alienigenæ in suam ditionem Hebræos annis vndecim.
A Huic Samsoni Heli Sacerdos succedit: qui annis quadraginta præfuit Hebræis, secundum Iudæorum traditionem, iuxta LXX. interpretes XX. tantum. Apud Athenienses Demophon tunc regnabat, filius Thesei, & habuit successorem Oxyntem. Sycioniorum rex Ceuxippus. Principibus prædictis regnantibus, post captam Troiam, primus rex Latinis, qui postea nuncupati sunt Romani, Æneas profugus fuit, vt paulo latius supra explicuimus. Ab excidio namque Troiæ annos VII. obtinuit Latinorum regnum, & tribus regnauit annis. Quæ arma idem commouerit in Italia, qualia per triennium bella excitauerit, quanto implicuerit populos odio excidioque afflixerit, ludi literarij testantur, disciplinæ nostræ quoque memoriæ in vsu est. Is namque Latini regis filiam ducens vxorem Lauiniam nomine: affinitatis gratia jungens Phrygas Latinis, jamque junctos Phrygas Italosque, Latinos nominauere populos, & sic jam extunc & deinceps
B quamuis in pauperrimo regno, locoque angusto, qui dicebatur ager Laurentum, regnauerunt. Post Latinum Æneas, & successores eius qui Syluij & Albani sunt vocati, pro Alba scilicet vrbe & pro Posthumo Ænea. Idem videlicet Posthumus Æneas, ideo dictus est Syluius, quoniã Lauinia post mortem Æneæ, timens Ascanij inuidiam, clam eum in sylua genuit: Æneamque Syluium nominauit. Ascanius autem qui post Æneam regnauit Italiæ, derelicto nouercæ suæ regno Lauiniæ, Albam condidit ciuitatem in qua & regnauit, Albanisque nomen indidit: & fratrem suum posthumum Syluium Aneæ ex Lauinia filium, summa pietate docuit, quem & regni reliquit hæredem, quamuis haberet filium nomine Iulium, à quo familia Iuliorum orta. Sed propter ætatem paruuli filij, quem necdum idoneum ad gubernacula regiminis viderat disponenda, fratrem regni fecit successorem. Ergo ante Æneam Italiæ regnatum est à Latino, eiusq; patre Fauno, auo quippe illius Pico, proauo Saturno,
G abauo Iano, per annos circiter CL. alij vero, CLXXX. eos regnasse asserunt. His enim temporibus, ea quæ fabulæ de Vlysse ferunt, quomodo Trigeri Scyllam fugerit, hospites spoliare solitam, scribit Palefatus, in incredibilium libro primo: Syrenas fuisse quoque meretrices, quæ decipiebant nauigantes. Tunc etiam Pyrrus in templo Delphici ab Oreste occiditur, proditione sacerdotis Machatei. Quidam etiam Homerum poëtam jam tunc fuisse dicunt.

Heli sacerdoti mortuo Samuel Propheta succedit, & Saul primus Hebræorum rex constituitur.

CAP. XIX.

ASsyriorum vicesimus octauus Thineus, annis XXX. Ab exitu Israël de Aegypto, anni CCC.
D LXXVII. Atheniensium rex Thymoetes, qui habuit successorem Melanthum: apud Latinos aut Posthumus Syluius Aeneæ filius rex erat. Annó quoque octauo decimo regnante Thineo, Heli Sacerdos audita nece filiorum arcamque testamenti captam à Palæstinis, cadens à sella fractis ceruicibus mortuus est. Cui Samuël Propheta succedit, populumque iudicat Hebræorum, sub quo Saül primus Hebræorum rex constituitur, qui fuit ex tribu Benjamin: qui annis LX. regnauit. Igitur principibus prædictis inter nationes existentibus, reges Sycioniorum defecerunt, qui regnauerunt annis DCCCCLXII. id est, ab Egaleo vsque ad Ceuxippum. Post quos Sacerdotes Carnij constituti sunt, qui præfuerunt annis XXXIII. ac deinde Carideminus constituitur Sacerdos, qui impensas gentilium superstitiosas non sustinens fugit. Micenis regnabat Thisamenus, filius Orestis. Quo tempore,

Hectoris filij Ilium receperunt, expulsis Antenoris posteris, Heleno sibi subsidium ferente. Tunc etiam secundum quosdam Amazones Ephesi templum Dianę incenderunt. Quo tempore reges Atheniensium cognomento Ericthides defecerunt à regno: quorum omne tempus inuenitur à Cecrope Diffie, vsque ad Thimothen, anni CCCCXXIX. Post quos suscepit regnum Melanthus Piliensis Andropomphi filius, & huius filius fuit Codrus, qui imperauerunt simul annis L VIII. Ericthidarum imperio destructo, Atticorum principum regnum ad aliud genus translatum est. Quod ita contigit: Cum regem Tymethem prouocasset Xantus Boëtius ad singulare certamen, Tymethe autem recusante, Melanthus vero Piliensis Andropomphi filius suscepit certamen, ac deinde regnauit. Hinc & Aparirion, id est, fallaciarum solennitas celebratur, quia victoria ex fraude processerat.

Dauid primus ex tribu Iuda Hebræorum rex constituitur. Sub idem tempus & Homerum floruisse, quorundam fert opinio. Codrus Atheniensium rex quo pacto patriam suam liberauerit.

CAP. XX.

Assyriorum XXIX. Dercilus, annis XL. ab exitu vero Israël de Ægypto anni CCCCVII. Samuel autem apud Hebræos prophetabat, regnante Saül. Dacilo regnante Assyrijs anno XXVIII. Dauid primus ex tribu Iuda rex constituitur Hebræorum, sub quo Abiathar pontifex clarus habetur: Atheniensium rex Codrus, Melampti filius: Latinis Aeneas Syluius, quamuis in alia reperiatur historia, quarto Latinum Syluium regnasse, Lauiniæ & Melampodis vterinum filium fratrem Posthumi, & quinto, qui nunc hic quartus ponitur, Syluium Aeneam Posthumi filium. Illis etiam diebus, Lacedæmone primus regnat Theuris: similiter Corinthij primus regnauit Aleces. Homerus etiam secundum quorundam opinionem his fuisse temporibus indicatur. Quanta autem de eo apud veteres dissonantia fuerit, manifestum esse poterit ex consequentibus. Quidam eum ante discessum Ericthidarum ponunt: Erathostenes autem post C. annos Troianæ captiuitatis: Aristarchus vero Ionicæ migratione, siue post annos C. Philochorus emigrationis Ionicæ tempore, sub Archyppo Atheniensium magistratu, & post captam Troiam, anno CLXXX. Apollodorus Atheniensis post CCXL. annos euersionis Ilij eum fuisse credit. Alij quidem extiterunt, qui modico antequam Olympiades inciperent, id est CCCC. retro annis Troianæ captiuitatis eum fuisse putant: licet Archilogus post XIII. Olympiadem, & quingentesimum Troianæ euersionis annum, eum esse putauit. Quo in tempore Iones profugi Athenas se contulerunt, Peloponenses autem contra Athenas dimicant, à quo Peloponnesiaco bello Ericthidarum est imperium, id est, Atheniensium. Codrus autem rex Atheniensium Peloponensibus suæ ciuitatis hostibus se interficiendum ignotus obiecit. Et factum est hoc modo, quod dicitur patriam liberasse. Responsum acceperant Peloponenses, tum demum se superaturos, si regem illorum non occidissent. Fefellit enim eos Codrus in habitu pauperis apparendo, & in suam necem per jurgium prouocando. Vnde ait Vergilius, & jurgia Codri. Quem Athenienses tanquam Deum postea honore sacrificiorum coluerunt.

Annorum ab Adam vsque ad Salomonem & templi ædificationem calculatio duplex. Vna quidem, secundum Eusebii & diui Hieronymi: altera, Iosephi supputationem.

CAP. XXI.

Assyriorum XXX. Cupales, annis XXXVIII. ab exitu Israël de Ægypto, CCCXLII. erat annus. Quo regnante, Salomon gloriosus Hebræorum rex constituitur. Qui templum domini inchoauit, & insigni decore singulariter in mundo, per spacium annorum VII. perfecit. Colligitur autem omne tempus à Mose & egressu Israël ex Ægypto vsque Salomonem & ædificationem templi, anni quadringenti octoginta, vt regnorum liber 3. testimonio est, à diluuio sc. vsque ad Mosen anni M. CCCCXLVII. à diluuio vsque ad Adam, duo M. CCXLII. qui simul supputati, id est, CCCCLXXX. M. CCCCXLVII. duo M. XLII. à Salomone scilicet vsque ad Adam, fiunt simul anni IV. M.CLXIX. Hanc quidem annorum supputationem iuxta Eusebii Chronicon atque Hieronymi assertionem coaptare curauimus. Iosephus vero antiquitatum scriptor, ita annos computat ab ædificatione templi vsque ad Adam. Dicit enim: Cœpit Salomon ædificare templum anno IV. regni sui mense secundo, anno quingentesimo secundo filiorum Israel profectionis ex Ægypto. Post M. autem XXX. annorum aduentus Abraham ad Chananæam de Mesopotamia: à tempore vero diluuii anno M. CCCC. ab Adam autem protoplasto vsque ad ædificationem templi Salomonis, prætereunt anni simul III. M.C. & duo. Continet autem libellus iste annorum seriem, à natiuitate Abrahæ vsque ad ædificationem templi, quam diuidere malui, id est, ab anno primo repromissionis, vsque ad exitum Israel de Ægypto: inde autem vsque ad ædificationem templi, vt lector facilius retinere valeat ea, quæ in temporibus singulorum gesta narrantur. Hunc autem post immensum tanti itineris laborem fessi, diuerticula petentes, dum Sol occiduas tendit in horas, prolixæ iam è montibus procedunt vmbræ: tandem ad domini venimus templum, optata statione potiti: hinc metam secundi nostri operis imponimus.

Libri II. Finis.

FRECVLPHI EPISC. LEXOVIENSIS, CHRONICORVM.

Tomi prioris.

LIBER III.

Quomodo Dauid ex pastorali habitu ad regnum peruenerit, & illud insigniter dilatauerit.

CAP. I.

Quia in præcedenti libro Iudicum Israelitici populi siue regum nomina tantum opportunis designauimus locis, annorum etiam numerum, quibus populo præfuerunt: cætera vero ab eis gesta, quæ lectitando continuatim ad memoriam reuocantur, sub silentio transiluimus: visum nobis, non fore iteranda, quæ omnibus

omnibus nota sunt. Dauid huius gentis regum fortissimus, qui ex ouium pascuis à Domino electus, cum ingenti ac vario labore sublimatus. Qui post necem gigantis præcipui, quem armis puerilibus iugulauit, & strages inimicorum plurimas, fortissimorum mox, vt confirmatus est in regno, collecta sociorum manu valida, hactenus inexpugnabilem, nactus virtutem Domini ac bellorum experientiam audacter Iebusæorum vrbem aggressus est. Quamuis autem à ciuibus, in muri fortitudine ac sublimitate confidentibus, ludibrio habitus sit, confestim tamen vrbem cepit. Arcem vero quæ imminebat ciuitati, fortiter ac mirabiliter proposito principatus militiæ præmio cepit. Qua virtute audaciaque Ioab qui primus altitudinem superauerat arcis, est princeps factus militiæ. Igitur trucidatis, depulsisque Iebusæis, colonis scilicet antiquis, Hierosolymam nominauit, caputque regni effecit. Ergo postquam mirabilium sociorum fultus auxilio fortissimorum, regnum dilatauerat suum à flumine magno Eufrate, vsque ad flumen Ægypti, multorum spoliis regum ac ciuitatum ditissimus factus, in auro scilicet, argento & ære, ac lapidibus preciosis; demum post bella plurima & inimicorum strages fortissimorum, dum templum Domino in Hierosolymis condere vellet, in eo scilicet loco, in quo olim Abraham Isaac filium mactandum Deo obtulerat, & ipse hostias litando gladium imminentem percutientis angeli à ciuitate & populo suo auerteret, Deo prohibitus est, quoniam bellis & sanguine multorum pollutam habebat dexteram, tamen filium eius hoc esse facturum, qui successurus erat in regnum, Deus prædixit.

De impensis atque dispositionibus, seu ordine Sacerdotum, quæ præparauit Dauid ad templum Domini fabricandum.

CAP. II.

QVas enim filio præparauerat ad opus fabricæ impensas, vt non tunc cum esset nouus, & inexpertus propter ætatem circa talia laboraret, sed habens hæc præparata, citius paternam ad effectum perduceret voluntatem, paucis recitabimus. Instituit namque lapidum cæsores, octoginta tria millia, quingentos laborantibus præposuit: nonaginta sex millia, qui lapides veherent, deputauit. Præparauit autem ferrum multum & æs ad opera & ligna cedrina: hæc mittentibus quibus mandauerat, Sidonibus auri talenta decem millia, argenti vero centum millia talentorum. Hæc itaque in ministerio templi pro diuersitate vasorum, secundum qualitatem ponderum diuisit, & pro mensura vniuscuiusque candelabri, & lucernarum distribuit. Aurum quoque dedit in mensam propositionis pro diuersitate mensuræ, similiter & argentum in alias mensas argenteas, & cætera vasa, quæ aurea & argentea & opus templi singula fieri censuit, quæque forent necessaria. Dixit enim Dauid: Omnia hæc quæ fieri mando, venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera talibus exemplaribus. Ergo insuper his exceptis quæ præparauit, obtulit tria millia talenta de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi, ad deaurandos parietes atque ornandos, principes etiam familiarum, & proceres tribuum cum ministris regis dederunt in opera domus Dei, auri talenta quinque millia, solidorum decem millia, argenti talenta decem millia, excepto ære & ferro copioso. Lapides insuper preciosos in thesaurum domus Domini dederunt, de quibus etiam prius rex magnam & preciosam obtulerat copiam. Conuocauit ergo Dauid principes vniuersos in Hierosolymam, & Sacerdotes & Leuitas, & dinumerans eos, primum inuenit ab anno tricesimo vsque in quinquagesimum existentes, triginta octo mil-

A lia de genere Leuitarum, ex quibus instituit curatores fabricæ templi duodecim millia. Iudices autem populi, & scribas eorum sex millia. Ianitores autem domus Dei quatuor millia, & totidem qui hymnos dicerent Deo, cantantes in organis, quæ Dauid peritissimus psaltes instituit. Diuisit eos etiam per generationes, & segregans de tribus Sacerdotes, inuenit in eis generationes vigintiquatuor. Ex domo quidem Eleazar sedecim, & de Ithamar octo, præcipiens, vt vnaquæque generatio ministraret Deo per dies octo à Sabbatho vsque ad Sabbathum. Et ita omnium generationes sortem acceperunt præsente Dauid, & Sadoch, & Abiathar Sacerdotibus & principibus vniuersis. Et prima quidem generatio conscendens scripta est prima, & secunda pariter & tertia consequenter vsque ad vicesimamquartam. Et hæc diuisio permansit vsque ad destructionem templi sub Vespasiano & Tito. Eos autem qui erant ex germine Mosi, eminentius honorauit. Fe-
B cit enim eos custodes thesaurorum Dei atque vasorum, quæ reges Deo dicare contingeret, iussitque omnibus de tribu Leui, simul & Sacerdotibus, vt die noctuque Deo seruirent, sicut eis præceperat Moses.

De Salomone, quam nobiliter sit in regnum sublimatus & qualiter ditissime patrem sepelierit. Quod claruit quando Hircanus post multa tempora illius sepulchrum effodit, & pecunias infinitas inde tulit. Similiter & Herodes postea fecit.

CAP. III.

POst hæc autem diuisit exercitum in cohortes duodecim cum ducibus suis & centenariis & tribunis. Habebat itaque vnaquæque cohors vigintiquatuor millia virorum, quibus obseruare præcepit per tricenos dies à prima hora vsque ad nouissimam, Solomo-
C nem regem cum millenariis & centenariis, reliqua, quæ prudenter ac perquam sapienter disposuit, filiumque suum Solomonem se viuente, regem constituit, eique mandauit, vt Deo corde perfecto seruiret, & animo voluntario. Locutusque est etiam Dauid ad Ecclesiam vniuersam, quam congregauerat in Hierusalem, vt leges Domini mente perfecta custodirent, & in eius præcepto permanerent. Lætatus est autem populus gaudio magno, immolantes victimas plurimas Domino & comederunt ac biberunt coram Domino cum grandi lætitia, & vnxerunt secundo Solomonem super se regem. Sed & Dauid rex coram vniuersa multitudine mirabiliter ac spiritualiter Domino benedixit, dehinc plenus dierum obiit. Quanta autem laude sit dignus & iustitia præditus, liber Paralipomenon atque Iosephus in septimo historiarum libro satis declarant. Diuitiarum vero eius magnitudinem ex his quilibet poterit agnoscere. Post tempus enim
D annorum mille trecentorum Hircanus pontifex, dum ciuitas obsideretur ab Antiocho rege, qui nobilis cognominatus est, filio Demetrij, volens ei dare pecunias, vt ab obsidione recederet, & exercitum suum auferret, sed non habens vnde hoc implere posset, aperuit vnum loculum sepulchrorum Dauid, & sublatis exinde tribus millibus talentorum, partem dedit Antiocho, & ita nimietatem obsessionis amouit, sicut etiam in aliis iudicabimus. Post hæc autem multo annorum tempore iam transacto, rursus Herodes rex alium loculum aperiens, plurimas exinde pecunias tulit. Igitur Solomon sedit super solium Domini in regem pro Dauid patre suo, & cunctis placuit, & paruit illi omnis Israël. Sed & vniuersi principes & potentes cuncti filij regis Dauid, dederunt manum, & subiecti fuerunt Solomoni regi. Dauid itaque dum adhuc viueret & disciplinatissime suos moneret filios, vt Solomon obedirent, velut Domino, dicens

A ad eos : Nuncio itaque, quoniam pater noster Iacob cum duodecim filios habuisset, nostis Iudam fuisse regem, me etiam fratres habuisse, & nullum eorum grauiter tulisse, quod rex existerem. Ergo licet magnum sit regnum si omnes filij ac nepotes regis, cui proles fœcunda fuerit, regnare tentauerint, non reges, sed tyranni, nec regni consultores, sed destructores fient, & ego deposco meos filios, vt non in alterutros seditiones exerceant, regnum suscipiente fratre. Itaque ferant eum libenter vt dominum, quando non extraneo seruiunt, sed magis lætentur in fratre honorem imperij. Excellens est enim gloria regis esse fratrem, dum omnes simul regnare nequeant. Magnificauit ergo Dominus Solomonem super omnem Israël, & dedit gloriam regni, qualem nullus habuit ante eum rex Israel.

Assyriorum XXXI. Laustenes, cuius in tempore SOLOMON templum domini consummauit, vsus amicitia Hyram regis Tyri : & quæ de vtrisque gentium scriptores senserint.

CAP. IV.

ERgo Assyriorum tricesimus primus Laustenes, annis quadragintaquinque : Salomon item omnium regum Hebræorum sapientissimus ac ditissimus, potitur regno Israelitico à patre Dauid nobiliter dilatato. Qui Domino monente templum Hierosolymis mirabiliter patris suffragantibus impensis ædificare studuit, annoque regni sui vndecimo omne opus templi consummauit, beneficio amicitiarum Hyram regis Tyri adiutus, in lignis videlicet cedrinis, atque alijs rebus plurimis. Meminit autem horum duorum regum Menander, qui ex Phœnica lingua antiquitates Syrorum in vocem conuertit Helladicam, ita dicens : Moriente autem Abibalo, successit in eius regnum filius eius Hyram. Qui dum vixisset annis quinquagintatribus, regnauit trigintaquatuor. Hic effodit amplum terræ spatium, & auream columnam, quæ est in Iouis templo, ædificauit : insuper & lignorum materiam à monte Libano incidit ad tecta templorum, & destruens antiqua sacraria, templum ædificauit Herculis & Hastartæ, & primum Herculi hoc erexit mense Piritio. Et contra Eucheos tributa non reddentes egit exercitum, eisque sibi subditis, denuo remeauit ad Tyrum. Huius temporibus erat Abdemonis filius iuuenculus, qui semper propositionibus, quas imperasset Hierosolymorum rex, euincebat. Meminit horum etiam Dion historiographus ita dicens : Abibalo moriente, filius eius Hyram regnauit. Hic partem ciuitatis positã ad orientem diruit, & maiorem vrbem effecit, & Olympici Iouis templum destruens, medium locum ciuitati coniunxit, & aureis anathematibus exornauit, ascendensque in tem Libanum syluam maximam ad sacrorum secuit ædificia. Adiecit etiam hæc : Regem Hierosolymorum Solomonem misisse ad Hyram Tyri regem figuras quasdam, & petisse ab eo solutionem, ita vt si non posset discernere, soluendi pecunias daret. Cumque fateretur Hyram posse se illa soluere, multaque foret pecuniarum detrimenta passurus, per Abdimum quendam Tyrium, quæ proposita fuerant, sunt soluta, & alia ab eo proposita, quæ si Solomon non solueret, Hyram regi pecunias multas daret. Quo in tempore Italiæ Latinus Syluius principatum tenuit, habens successorem Alba Syluium. Corinthiorum rex erat Ion, habens successorem Egilon, Archippus Athenienses tunc regebat. Eodem tempore Ephesus condita ab Andronico est. Quidam etiam Carthaginem tunc conditam volunt à Calcedono Tyrio : alij vero à Didone eius filia. Quidam etiam Homerum & Hesiodum his temporibus fuisse aiunt. Tunc Hebræorum Sacerdos Sadoch illustris habebatur,

Assyriorum XXXII. Piritiades, quo tempore regnum Hebræorum diuiditur, templum etiam Domini Susachim rex Ægypti spoliauit : quid etiam eruditus gentium scriptor inde senserit.

CAP. V.

ASsyriorum XXXII. Piritiades, annis XXX. à perfectione autem templi quadragesimus quartus annus erat. Hic namque dissonantia oritur historiarum, in annis videlicet regni Solomonis, dum quadraginta eum regnasse annis, in libris legitur Regum. Iosephus autẽ octoginta, & omne vitæ illius spatium, annos nonagintaquatuor fuisse asserit. Hebræorum iam Solomone mortuo regnum erat diuisum inter Roboam & Ieroboam, ac deinceps Hebræorum alij vocati sunt Iu-
B dæi, alij Israelitæ. Israel namque pristinum retinens nomen, causa vero regum, qui ex tribu Iuda à tempore Dauid & deinceps orti sunt, appellantur Iudæi. Vnde & vniuersa gens nomen Iuda sortita est. De Ieroboam vero Solomonis seruo, qui rex decem tribuum est constitutus, qualiter populum à Deo auerterit, & simulachra colere fecerit, aras in excelsis montibus constituens, populum illic sacrificare instituerit, & de Iaddun Propheta Hierosolymitano, qui prædixit quæ ventura erant Ieroboam, ac posteritati eius, qualiter etiam à maligno seniore homine, falsoque Propheta, quem Ieroboam magnis studiis honorabat, quia crebro ei dicebat quæ illi grata forent : deceptus sit, in Iosephi libro octauo scire cupiens plenius inueniet. Igitur anno quinto regni Roboam filij Solomonis, Susachim rex Ægypti, contra Iudæos dimicans, templum Hierusalem spoliauit. Meminit autem huius depopulationis, Herodotus Halicarnes. Ait enim : Quoniam & statuas eorum, qui se sine prælio tradiderunt, reli-
C querit, & mulierum genitalia in eis celauerit. Roboam enim ciuitatem sine prælio tradidit. Dixit autem & Æthiopas ab Ægyptiis didicisse genitalium circuncisionem, dum liquet in Palæstina degentium, non alij præter Iudæos circuncidant. Defunctoque Roboam, qui regnauit in Hierusalem super tribum Iuda & Beniamin successit Abia, qui etiam habuit successorem Asam. Ergo Ieroboam, qui super decem tribus regnauit in Samaria mortuo, successit in regnum eius filius Nadab. Latinis tunc Ægyptus Syluius, qui alio vocabulo Athis Syluius vocabatur Albæ superioris regis filius rex fuit Corinthiorum rex Prunnis erat, Lacedæmoniorum Dotistus, Atheniensium Tersippus. Quo in tempore Samus condita & Smyrna in vrbis modum ampliata. Prophetabant autem in Iudæa, Aias, Amos, Iohel & Azarias.

D *Assyriorum XXXIII. Ofrateus, cuius tempore Achab rex nequam in parte Israel regnabat : sub quo Helias. Et quid de siccitate illius temporis Menander scripserit.*

CAP. VI.

ASsyriorum tricesimus tertius Ofrateus, annis viginti. A conditione vero templi septuagesimusquartus annus erat. Sub isto enim in parte Iudæorum Iosaphat, Israelitarum vero celeri morte Nadab, & Baaz, Ela, & Ambri, obeuntibus, tenebat regimen Achab, cum Iezabel nequissimus regum super omnes nequam antecessores suos reges Israel, cuius vxor longe acerrima simul & audacissima, quę ad tantam venit luxuriam atque vesaniam, vt ciuitates Israel statuis atque aris repleret, ritu que Gentilium pollueret omnia, insuper Prophetas Domini trucidaret. Igitur quidam Propheta summi Dei Helias nomine de ciuitate Tesbô

Galaditidis regionis, veniens ad Achab dixit ei: quia diceret Deus, neque imbrem, neque rorem illis annis in ea prouincia se missurū, nisi ipse rursus apparuisset, & in his dictis abscessit, fuerūtque anni tres & menses sex, in quibus Israelitæ afflicti sunt nimia siccitate. Meminit autem huius siccitatis Menander in gestis Nalithiorum regis dicens: Et siccitas super eos facta est à mense hyperueritheon, vsque ad alium. Qui dum Deo supplicaret, multa flumina sunt emissa, & hæc quidem ait sub Achab, factam significans siccitatem. Quo in tempore Latinorum Capis Syluius Ægypti, id est Athis superioris filius rex erat, qui Carpentem Syluium habuit successorem regni. Atheniensium rex Phorbas, eiusque regni successor fuit Megiales: Corinthiorum vero Bachis. Lacedæmoniorum Agesilaus. Prophetabant autem in Israel, Helias & Helisæus, Abdias, Azarias, & Micheas.

Assyriorum XXXIV. Ofratenes, quo regnante Tyberinus Latinorum erat rex. Et Homerus tunc fuisse traditur. Similiter & Licurgus legislator, Ioiada etiam insignis, pontifex templi: qui CXXX. annis post vixit, vt Mosen sacra refert historia.

CAP. VII.

Assyriorum tricesimusquartus Ofratenes annis quinquaginta, à conditione autem templi nonagesimus quartus annus erat. Sub quo Ioram, Achazias, & Athalia, atque Ioas in Hierusalem regnabant, in Israel vero Hoziat, Ioram, & Ieu principatui vnus post alium successerunt. Latinorum vero Tyberis Syluius, Carpentis filius princeps erat, à quo & fluuius Tyberis est appellatus, qui prius Albula vocabatur, cuius filius Agrippa post eum regno potitus est. Quo apud Latinos regnante, Homerus poeta in Græcia claruit, vt testatur Apollodorus Grammaticus, & Eusobius historicus, ante vrbem conditam anno centesimo vicesimo quarto, & vt ait Cornelius Nepos ante Olympiadem primā ante vrbem conditam anno centesimo. Iisdem etiam temporibus Helias rapitur, Licurgus quoque legislator Apollinis insignis habetur. Ioiada etiam tunc pontifex templi fuit, qui post Mosen, vt refert sacra historia, annis centum triginta vixisse perhibetur, iustus &, per omnia venerandus, & sepultus est in Hierosolymis in regiis monumentis, quoniam generis Dauid reparauerat imperium. Tunc etiam Traces obtinuerunt mare.

Assyriorum XXXV. Acrazapes, quo regnante Zacharias Propheta filius Ioiada Sacerdotis occiditur inter templum & altare. Syluius Romulus tunc etiam præsidium posuit inter montes, vbi nunc Roma est.

CAP. VIII.

Assyriorum XXXV. Acrazapes, annis XLII. à templi autem constructione C.LXIV. annus erat. Ioas parti Iudææ regnabat, qui successorem habuit Amasiam. Israeli vero post mortem Ieu, Ioachab, & Ioas vnus post alium regnabant. Atheniensium rex Diognetus, Corinthiorum Eudæmus, Latinorum Aremulus Syluius. His existentibus nationum regibus, Zacharias Sacerdos & Propheta, de quo Dominus in Euangelio mentionem facit, iussu Ioas regis inter templum & altare interficitur: quem mortuo Ioiada Sacerdote Ioas de morte liberauerat, & eum clam in templo nutrierat, atque regem fecerat. Idem rex curam perdidit diuinæ religionis cum quo etiam primatus plebis pariter viciati sunt circa legitima iura legis. Vnde & Dominus misit ad eos Prophetas, qui contestarentur, vt ab huius- A modi gestorum malignitate recederent. Ille vero non solum vt pœnitentiam ageret & conuerteretur ab iniquitate sua, non obtemperauit: verum etiam Zachariam filium pontificis Ioiadæ lapidibus in templo rex iussit occidi, beneficiorum patris eius oblitus. Quem Zachariam cum Dominus Prophetam constituisset: stans in media multitudine suadebat ei simul & regi, vt iustitiam facerent: & quia magna supplicia susciperēt, si nollent Dei præceptionibus obedire. Qui tamen cum moreretur, suarum passionum testem Deum proclamauit: quia pro bono consilio & pro his quæ pater eius præstiterat regi Ioas, ille amare & violenter occumberet. Helisæus propheta etiam eo tempore moritur: Carthaginem quidam hoc tempore conditam fuisse dicunt. Syluius Aremulus siue Remulus, Agrippæ superioris regis filius, præsidium Albanorum inter montes, vbi nunc Roma est, posuit: qui ob impietatem fulminatus est. Huius filius Proculus, Iulij Proculi, qui cum Romulo Romam commigrans fundauit Iuliam gen- B tem.

Assyriorum tricesimus sextus Thonos Concolores vocatus Sardanapalus, qui muliere corruptior fuit. Ob quam causam ab Arbace duce Medorum spretus atque deiectus est, & pariter cum eo regnum Assyriorum corruit.

CAP. IX.

Assyriorum tricesimus quintus. Thonos Concoloros: quem Græci Sardanapalum nominant, annis viginti: à conditione templi centesimus octogesimus sextus annus erat, Iudæorum Azarias qui & Ozias: Israelitis vero Roboam reges erant. Atheniensium Pherecius, cui successit Ariston, Corinthiorum Aristemedes. Latinorum Auentinus Syluius. Hic enim Aremuli maior filius fuit, in eo quippe monte, qui nunc pars est vrbis, æternum vocabulum loco dedit. Quo in tempore C Hesiodus poeta claruit: atque Phidon Argiuis mensurarum pondera reperit. Olympias videlicet prima à Græcis constituitur, & agnus in Ægypto loquitur: Osee, Amos, Esaias, & Ionas in Iudæa prophetabant. Sardanapalus autem Assyriorum rex vir muliere corruptior, qui inter scortorum greges fœminæ habitu purpuram colo tractans: à præfecto suo Arbace, qui tunc Medis præerat, visus atque execrationi habitus: mox etiam excitis Medorum populis ad bellum prouocatus & victus Sardanapalus, ardenti pyræ se iniecit. Ex hinc regnum Assyriorum in Medos concessit. Vsque ad id tempus fuisse reges Assyriorum historia refert. Fiunt autem simul à natiuitate Abrahæ vsque ad huius regni terminum anni mille centum nonaginta septem. Omnes autem anni regni Assyriorum à primo anno Nini regis supputantur M. CCXL. Arbaces vero Assyriorum destructo imperio, regnum in Medos transtulit. Ferunt namque interim, id est, vsque ad Deiocum regem Me- D dorum sine principibus res geri, & in medio hoc tempore Chaldæos proprie præualuisse: quorum separatæ quædam regum successiones feruntur. Reliquæ quoque gentes propriis regibus vtebantur.

Medorum I. Arbaces: quo regnante prophetabant Osee, Esayas, Amos, & Ionas. Qui velut fontes proruperunt in Prophetiam, vt prima caderet Babylon & secunda cœpit oriri, id est Roma, sub cuius regno Christus est natus.

CAP. X.

Primus Medis Arbaces regnauit annis viginti octo. A constructione vero templi anni ducenti sex: sub quo adhuc regnat Azarias qui & Ozias in parte Iudææ,

In Iſrael autem poſt Roboam, paucis diebus fuerat Zacharias, rurſuſque Sellom quibus ſucceſſerat Manahe. Athenienſium Teſpieus rex Ariſronis filius erat: quando Aſſyriorum deſtructum eſt regnum. Procas Syluius Latinorum erat rex, qui filius Auentini prædicti regis fuit. Corinthiorum Alexander, Lacedemoniorum Talchamenes: Macedonum hoc tempore primus rex Caranus fuit. Tunc etiam Heſiodus inſignis habetur: vt vult Porphyrius.

Medorum ſecundus Soſarnus: quo regnante prima Olympias cœpta eſt, reges Lacedemoniorum atque Corinthiorũ, defecerunt Lydorum autem regnum inchoauit, tyrannus Phalaris tunc in Sicilia autorem nefandiſsimi operis iuſte puniuit. Sancti Prophetæ etiam gentium ſalutem exorſi ſunt prædicare.

CAP. XI.

MEdorum ſecundus Soſarmus annis xxx. à conditione templi anni ccxxxiv. Iudæ parte regnabat Ioathan, Iſraelitis Phacee, quando & quinto decimo eius anno prima Olympias cœpta eſt nominari: à qua vſque ad captiuitatem Troiæ ſupputantur anni quadringenti quinque: quam Olympiadem Iphitus filius Praxonidis ſiue Emonis primus conſtituit, in qua Corebus Elienſis extitit victor: Elienſes quidem quinquennale certamen, quatuor annis in medio expletis: quibus tot principes annuos cõſtituebant, agere ſoliti ſunt. Eſcilus vero Agameſtoris filius, Athenienſium tunc princeps erat. Ab hoc itaque tempore Græcorum hiſtoria vera creditur eſſe; nam antea vt cuique viſum fuit, diuerſas protulerunt ſententias. Latinorum rex Amulius, qui pulſo Numitore fratre maiore regni poteſtate potiebatur, male adepta Athenienſium Agameſtor, cui Eſcilus ſucceſſit, Macedonum vero Cyrus. Quo in tempore Bogorus Ægyptijs iura conſtituit: ſub quo & agnus locutus eſt, vt ferunt alij. Leges vero Licurgi à Lacedæmonijs ſunt receptæ. Quibus etiam diebus Lacedæmoniorum reges, atque Corinthiorum defecerunt. Lydorum autem regnum inchoauit: quibus Ardiſus rex primus extitit. Ea tempeſtate Phalaris Siculus Agrigentinos arrepta tyrannide populabatur: qui crudelis mente, commentis crudelior, omnia nepharia in innocentes agens, inuenit aliquando quem iuſte puniret iniuſtus. Nam per illos quidam æris opifex, affectans tyranni amicitiam, aptum munus crudelitati illius ratus, taurum æneum fecit, cui faber ianuam è latere compoſuit, quæ ad contrudendos damnatos receptui foret, vt cum incluſus ibidem ſubiectis ignibus torreretur, ſonum vocis exortæ capacitas concaui æris augeret, pulſuque ferali competens imagini murmur emitteret, nefarioque ſpectaculo mugitus pecudis non hominis gemitus videretur. Sed Phalaris factum amplexus, factorem execratus, & vltioni materiam præbuit & crudelitati. Nam ipſum opificem ſua inuentione puniuit. Tunc etiam Peloponenſium, Athenienſiumque maximum bellum totis viribus, animiſque commiſſum eſt, in quo mutuis cædibus ad hoc coacti ſunt, vt velut victi ſe ab alterutro ſubtraherent, bellumque deſererent. Tunc etiam Amazonum gens & Cymeriorum in Aſia repentinis incurſibus plurimam diu, lateque cædem edidit. Quibus equidem temporibus Lacedæmonij contra Meſſenios propter virgines ſuas ſpretas in ſolenni Meſſeniorum ſacrificio, per annos viginti indefeſſo furore bellantes, ruinæ ſuæ totas Græciæ vires implicuerunt. Qui cum per decem annos longa fatigati obſidione, & querelis vxorum ſuper longa viduitate & periculo ſterilitatis conteſtantium, ni redirent, à finitimis concubitus petituras, permoti: tamen ne reuocarentur electos in exercitu quoſdam Sparthàm remittunt, quibus promiſcuos omnium fœminarum concubitus permiſere. Sciendum tamen eſt ipſam eſſe Sparthàm, quam & Lacedæmoniam ciuitatem, atque inde Lacedæmonios Sparthanos dici. Qui dum crudeliter contra Meſſenios dimicant, quamuis ſæpius ancipiti victoria, demum ſuperant. Tunc etiam contra Athenienſes arma conuertunt, diu variæ & graues pugnæ & anceps ſtatus victoriæ ac poſtremum pendente euentu vtrinque diſceſſum eſt. Ergo tantus furor Sparthanorum erat, vt duobus bellis implicti, ſuſcipere tertium non recuſarent. Tunc enim poſt innumerabiles, vt ita dicam, Laurentis loci in Latio reges Syluios, Albanoſque, qui trecentos per annos in parte Italiæ prædicta regnauerunt, quamuis pauperrime: Amulius rex fratris ſui Numitoris filiam Rheam nomine, quæ & Ilia vocabatur. Veſtalem virginem fecerat. Quæ grauida inuenta, dum ſcelus ſuum nititur excuſare, à Marte ſe compreſſam mentita eſt. Ex qua genitis duobus geminis, rex exponi præcepit. Quos vagientes paruulos iuxta ripam Tyberis expoſitos, Fauſtulus regis paſtor ad Laurentinam vxorem ſuam detulit, quæ propter pulchritudinem & rapacitatem corporis quæſtuoſi, à vicinis Lupa appellabatur. Vnde meretricum cubicula lupanaria dicuntur. Qui gemini inter alios paſtores enutriti, cum adoleuiſſent, collecta latronum manu & paſtorum, interfecto apud Albam Amulio, auum Numitorem in regnum reſtituunt, matremque vindicant: quæ defoſſa iuxta legem viua, ob ſtupri mercedem fuerat. Hinc decedentibus atque naſcentibus regnis, nouus ordo conſurgit.

Medorum III. Maditus: quo regnante decem tribus quæ vocabantur Iſrael, trãſlata ſunt in montes Medorum: & Cuthæi (qui vocantur Samaritæ) pro eis in eorum regione collocantur. Romulus autem interfecto auo atque fratre, fundauit Romam. Sibylla Erithrea hoc in tempore extitit: quæ de Chriſto manifeſte prophetauit.

CAP. XIII.

MEdorum III. Maditus annis XL. à conditione templi anni CC. LXIV. Quo Medis regnante, Iudæis regnabat Achaz, cui ſucceſſit filius eius Ezechias, Iſraelitis alius Phacee habens ſucceſſorem Oſiam. Per ea videlicet tempora erant prædicti Prophetæ, quos præmiſimus, id eſt, Amos, Iſaias, Micheas, & Oſee. His adiunguntur Ionas & Iohel, cum iam regnaret Ioathan, qui ſucceſſit Oziæ. Sed iſtorum Prophetarum duorum tempora in libris non inuenire potui canonicis. Qui prædicti Prophetæ velut fontes Prophetiæ eruperunt pariter, quando regnum defecit Aſſyriorum, cœpitque Romanum, vt ſcilicet quemadmodum regni Aſſyriorum primo tempore extitit Abraham cum promiſſiones apertiſſimæ fierent, id eſt in eius ſemine benedictiones omnium gentium: ita occidentalis Babylonis exordio, quo fuerat Chriſtus imperante venturus, in quo implerentur illa promiſſa per ora Prophetarum prædicta, non ſolum loquentium, verum etiam ſcribentium. Cum enim Prophetæ nunquam fere defuiſſent populo Iſrael, ex quo ibi reges eſſe cœperunt: in vſum tantummodo eorum fuere non gentium. Quando autem ſcriptura manifeſtius Prophetica condebatur, quæ gentibus quandoque prodeſſet: tunc oportebat vt inciperet quando condebatur hæc ciuitas, quæ gentibus imperaret. Tunc Athenienſium erat rex Alcmeon, Macedonum Thyrimmas, Heſiodus, & Ariſtoteles, fuiſſe tunc memorantur. Igitur regni Maditi anno XV. captiuitas prima X. tribuum Iſrael facta eſt à Sennacherib, qui & Salmanaſar rege Chaldæorum, quæ tranſlatæ ſunt in montes Medorum. Regnatum eſt in Samaria annis C C. XL. & menſes VII. & dies VII. ex quo ſe à domo Dauid & tribu Iuda ſeparauerunt cæteræ tribus. A tempore quo ſub prin-

cipe Iesu prouinciam obtinuerunt eandem, erant anni DCCCC. XLVII. Eodem quoque tempore nonnulli Sibyllam Eritream vaticinatam ferunt. Sibyllas autem Varro prodit plutes fuisse, non vnam. Hæc sane Eritrea Sibylla quædam de Christo manifesta conscripsit carmina: quæ beatus Augustinus ex Græco in Latinum vertit eloquium, vbi ostendit in capitibus versuum ordinem litterarum ita se habentem, vt hæc in eo verba legerentur. Iesu Christe, theos, soter: quod est Latine, Iesu Christe Dei filius saluator. Hi autem versus quorum primæ litteræ istum sensum quem diximus, reddunt, ita translati sunt:

Iudicij signum, tellus sudore madescet,
E cælo rex adueniet, per secla futurus
Scilicet in carne præsens vt iudicet orbem.
Vnde Deum cernent incredulus atque fidelis,
Celsum cum sanctis aui iam termino in ipso.
Sic animæ cum carne aderunt quos iudicet ipse,
Cum iacet incultus densis in vepribus orbis,
Reiicient simulachra viri, cunctam quoque gazam.
Exuret terras ignis, pontumque polumque.
Inquirens tetri portas effringet Auerni,
Sanctorum, sed enim cunctæ lux libera carni
Tradetur, sontes æterna flamma cremabit.
Occultos actus retegens tunc quisque loquetur,
Secreta atque Deus reserabit pectora luci.
Tunc erit & luctus, stridebunt dentibus omnes.
Eripitur solis iubar & chorus interit astris,
Soluetur cælum, lunaris splendor obibit.
Deiiciet colles, valles extollet ab imo.
Non erit in rebus hominum sublime vel altum.
Iam æquantur campis montes & cerula ponti
Omnia cessabunt, tellus confracta peribit,
Sic pariter fontes torrentur fluminaque igni,
Et tuba tunc sonitum tristem demittet ab alto
Orbe, gemens facinus miserum, variosque labores;
Tartareumque chaos monstrabit terra dehiscens,
Et coram hic Domino Reges sistentur ad vnum,
Recidet è cælo, ignisque & sulphuris amnis.

Nonnulli autem Ericthеam Sibyllam non his regnantibus, vt præmisimus, sed Troiani belli tempore fuisse scripserunt. Eumelus autem tunc Corinthius versificator agnoscitur. In Sicilia vero Syracusia condita est similiter, & Cathina. A Lacædemoniis namque, vt prædiximus, bella contra Messenios geruntur, & ab eis Messala capitur. Thales Milesius Physicus Philosophus tunc agnoscitur, qui vnus ex septem sapientibus fuisse perhibetur, qui Physicam primus apud Græcos innenit, Iste etiam Thales successores propagauit, rerum naturam vtique scrutatus, suasque disputationes litteris mandans emuniuit, maximeque admirabilis extitit; quod astrologiæ numeris comprehensis, defectus solis & lunæ etiam prædicare potuit. Aquam tamen putauit rerum esse principium, & hic omnia elementa mundi, ipsumque mundum & quæ in eo videntur existere. Nihil autem hoc opere quod mundo considerato iam mirabile aspicimus, diuinæ menti præposuit. Quo etiam in tempore, Athenis principes qui vsque ad mortem Reipublicæ præerant desierunt, & in annis decem magistratuum consuetudinem Athenienses tenuerunt. Post principes vero prædictus regnauit primus cum eis Carobi Eschili filius. Tunc Aradis insula habitata est, Gizæcus condita. Igitur anno Madidi nono, post euersionem vero Troiæ quadringentesimo quartodecimo sexta Olympiade, quæ quinto demum anno quatuor in medio expletis, apud Elidem Græciæ ciuitatem, agone & ludis exerceri solebat, Romulus eiusque germanus Remus, quos inter pastores diximus enutritos, collecta pastorum atque latronum multitudine, Romanæ vrbis ædificia inchoauerunt, suoque de nomine iunior, qui germa-

A num peremerat, vrbem vocari præcepit. Cuius regnum vrbis continuo Romulus fratricidio imbuit, parique successu crudelitatis, sine mora raptas Sabinas mulieres improbis nuptiis confœderatas, maritorum & parentum cruore dotauit. Itaque Romulus interfecto primum auo Numitore, de hinc Remo fratre, arripuit imperium, vrbemque constituit, regnum aui, muros fratris, templum soceri sanguine dedicauit, sceleratorum manum promissa impunitate collegit. Ad tutelam vero nouæ vrbis, sufficere vallum videbatur, cuius dum angustias Remus increpat, saltu transiliuit, qui iussu fratri occisus est, prima certè victima vrbis fuit. Imaginem namque vrbis quam vrbem fecerat Romulus, sed incolæ deerant. Erat tamen in proximo locus, hunc asylum facit, & statim mira vis hominum, Latini, Thuscique pastores etiam transmarini Phryges, qui sub Ænea: Archades, qui sub Euandro venerant duce, confluxerunt. Sic nam-
B que ex variis quasi elementis congregauit corpus vnum, populumque Romanum ita fecit. Virorum itaque matrimonia à finitimis petita; quia non impetrabantur, manu capta sunt. Simulatis quippe ludis equestribus, virgines ac mulieres Sabinorum, quæ ad spectaculum venerant, prædæ fuerunt. Hæc statim causa bellorum. Sabinis portæ proditæ per virginem Tarpeiam. Ita admissis intra mœnia hostibus atrox in ipso foro pugna: adeo, vt Romulus fœdam suorum vix sisteret fugam. Tandem interuenere funeribus raptæ laceris comis: sic pax facta cum Tatio, fœdusque percussum est. Quem cum Tatium senem honestis pietatis causis insistentem: mox vt in societatem regni Romulus assumpsit, occidit. Ergo pulsi, fugatique Vientes Cenniensium captum ac dirutum est oppidum: spolia insuper opima de rege Argone Feretrio rex reportauit. Tarpeia namque virgo prædicta clypeis Sabinorum obruta est. Vnde mons Tarpeius nomen accipit: in quo nunc est Capitolium. Iam hinc incessabi-
C lia certamina & iuxta quantitatem virium externa atque ciuilia semper grauia fuerunt. Igitur Romulus hunc Reipublicæ imposuit statum. Iuuentus diuisa per tribus, in equis & armis, vt ad subita bella excubaret, consilium autem Reipublicæ penes senes esset, qui ex authoritate patres vocabantur, ob ætatem senatus: & ex populo mille collegit viros, qui armati sibi assisterent expediti. Vnde à mille milites dicti, sicut à senibus senatores, & à curis Quirites. Idem Romulus apud paludem per caput capri sublatus, nusquam comparuit. Sed suadente Procula Quirinus est nominatus, quem tamen à senatu propter acrius ingenium deceptum asserunt. Eodem tempore Senacherib rex Chaldæorum ad custodiendam regionem Israelitarum accolas Assyrios misit. Qui æmulatores Idææ legis facti, Samaritæ nuncupati sunt, quod Latina lingua exprimitur custodes, qui propriè Euthæi vocantur, à quodam flumine Eutha, quod est in prouincia Persida, vnde rex eos migrare fecerat in Samariam.

D

Medorum IV. Cardicas, quo regnante, Numa rex Latinorum fuit, qui multa vana instituit & superstitiosa.

CAP. XIII.

IGitur Medorum quartus Cardicas, annis tredecim. A constructione vero templi tricesimus quartus, sub quo Ezechias regnabat in Iudæa. Decem vero tribus, quæ vocabantur Israël, iam in captiuitatem erant ductæ. Macedonum rex Perdica erat, Atheniensium Hyppomenes, cui Leocrates succedit. Latinorum Numa, qui & Pompilius, post Romulum extitit rex: qui nullum cum finitimis gessit bellum. Duos menses is anno addidit, Ianuarium & Februarium, cum antea decem tantum apud Romanos fuissent, à Romulo in-

ſtituti. Capitolium quoque à fundamentis ædificauit, vir in religione ſacrorum præcipuus, qui ſacra & ceremonias, omnemque cultum deorum docuit. Pontifices, augures, cæteraque Sacerdotia & ſecreta quædam imper.j pignora deſcripſit, Ianumque bifrontem. Ille primus focum Veſtæ virginibus colendum dedit, vt ad ſimulachrum cuſtos imperij cœleſtium ſyderum flamma vigilaret. In tantum enim vanitate deceptus eſt, vt plura diabolo dictante conſcriberet, quæ poſtea ſi ad hominum notitiam peruenirent, nimium obfutura cognouit. Sed quia incendere ea timuit, iuxta ſuum latenter ſepulchrum, vbi neminem acceſſurum credidit, ſub humo abſcondit. Decedente vero tempore, quidam ruſticus dum in eodem agriculturam exerceret loco, aratro euellente hoc ſcriptum reperit, prætori obtulit, prætor vero ſenatui. Senatus autem vt vidit, nimium deteſtatus exhorruit, & incendio tradens, concremauit: ne aliqua curioſitate ad hominum notitiam tantum nefas Diabolicum perueniret. Bellum etiam quod in Tyria geſtum eſt inter Lacedæmones & argiuos, nunc fuiſſe creditur Sybilla, quæ & Erophila, in Samo inſignis babebatur. Nicomedia tunc condita eſt, quæ prius Aſtacus vocabatur, quo in tempore prophetabant Iſayas & Oſeæ.

Mederum V. Deioces, ſub quo Manaſſes in Babyloniam captiuus ductus, & pœnitentiam agendo meruit abſolui. Romanorum vero Tullius rex, qui multa Reipublica ad decorem pertinentia instituit, & qua ciuitates tunc ſunt conditæ.

CAP. XIV.

IGitur Medorum quintus Deioces, annis quinquagintaquatuor. A condito templo, trecenteſimus ſeptimuſdecimus erat. Sub quo Manaſſes patri Iudę dum regnaret, ductus in Babylonem captiuus, ferreis vinculis inligatus, fertur pœnitentiam egiſſe: cuius & canticum pœnitentiæ legitur. Poſtea vero reuerſus in regnum, mala præterita damnans pœnitendo, Deo etiam gratias agebat, qui eius exaudiuit preces, eripiens eum à maximis anguſtiis, deinde vitam ducens mirabilem, tamen reliquit filium ſuum peſſimum Ammon ſucceſſorem. Quibus diebus Athenienſium erat rex Abſander, cui ſucceſſit Erixias. Poſtquam ceſſantibus regibus conſtituti ſunt principes, electi nobiles nouem Athenienſibus vbi præfuerunt, Rempublicam agentes. Macedonum Argæus: Romanorum vero Tullius Hoſtilius, cui ob honorem virtutis, regnum vltro datum eſt. Hic omnem militarem diſciplinam, artemque bellandi inſtituit. Primus regum Romanorum purpura & faſcibus vſus eſt. ille ambitu vallis vrbem ampliauit, adiecto monte Celio. Itaque exercita iuuentute intuliſſe Albanis bellum, & diu altrinſecus ſpe incerta clade, tandem peſſimus exitus, & dubius euentus, compendioſa tergeminorum congreſſione fuiſſe. Rurſus pace diſrupta Metium Suffetium Fidinatem bella meditantem etiam proditione ſuſpenſum, curribus in diuerſa raptantibus duplicis animi noxam pœna diuerſi corporis expendiſſe. Quibus etiam diebus Cizicus condita eſt, & in Italia Locri: in Lacedæmone vero primum acta nudipedalia dicuntur. Muſici namque Archilogus & Symonides, Ariſtoxenuſque illuſtres habebantur. Itaque legiſlator Zeleucus frequentibus præconiis celebrabatur: Cypſilus enim in Corinthio tyrannidem exercebat. Tunc Byzantium conditum eſt, & Hyſtriis ciuitas in Ponto.

Medorum VI. Phraortes, ſub quo Ioſias Iudæorum rex, & Romanorum Ancus Martius.

CAP. XV.

MEdorum ſextus Phraortes, annis vigintiquatuor. A condito namque templo, anni trecenti ſeptuaginta vnus, ſub quo Ioſias regnare cœpit parti Iudææ, qui lucos ſuccidit, & gentium idola de ſuo regno abiecit, Deumque cœli integre coluit. Oſſa etiam humana ſuper altare combuſſit: quod impius Ieroboam ad ſubuerſionem Iſrael conſtruxerat. Adimpleuit namque quod de eo prophetatum fuerat, per virum Dei Iaddun de Iuda, Ieroboam ſacrificanti. Philippus Macedonum rex tunc erat, & Ancus Martius Romanorum, Pompilij nepos ex filia. Hic Auentinum montem & Ianiculum vrbi addidit, & muro mœnia amplexus eſt, & influentem Tyberinum vrbi pontem commiſit. Supra mare vero tertiodecimo ab vrbe milliario in ipſo fluminis, mariſque confinio Oſtiam ciuitatem condidit. Quibus diebus (vt quidam ferunt) Thales Mileſius primus Phyſicus philoſophus clarus habebatur, prophetantibus in Iudæa Hieremia, Olda muliere & Sophonia. Tunc muſicus Tarpander inſignis habetur. Oraculo namque Dodonæo primum vſa eſt Græcia: Myrtheus Athenienſis poeta tunc cognoſcitur, Dracho legumlator tunc etiam fuiſſe fertur: Epidaurus ciuitas condita, quæ poſtea dicta eſt Dyrachium.

Medorum VII. Cyaxares, quo regnante, Ioſias rex Iudæorum occiditur, Iudæi diuerſis calamitatibus opprimuntur, regeſque eorum inter Ægyptios & Babylonicos infelici ſorte affliguntur: Romanorum vero Tarquinius Priſcus erat rex, qui Senatum auxit, & multa inſignia & decora adinuenit, quibus dignitas imperij eminet.

CAP. XVI.

MEdorum ſeptimus Cyaxares, annis triginta duobus. Ab ædificatione vero templi anni trecenti nonagintaquinque. Quo in tempore Ioſias rex erat Iudæorum, qui cum Nechaone rege Ægyptiorum congreſſus, occiditur: habens ſucceſſorem Ioacha, quem Neacho vinctum duxit in Ægyptum, poſt bella contra Babylonios acta, conſtituenſque fratrem eius ſeniorem, ex eodem patre, pro eo regem, nomine Ioachim, qui & Eliachim, prouinciæ tributum impoſuit. Igitur Ioachim cum octauum regni ageret annum, veniente Nabuchodonoſor cum magno apparatu contra Iudæos, qui omnem Syriam de manu Nechaonis regis Ægypti abſtulerat, quem etiam Nabuchodonoſor iuxta Eufraten in bello vicerat, eiuſque dominationem ab Aſſyria depulerat eamque ſibi ſubiecerat. Hunc vero Nabuchodonoſor metuens Ioachim, minaſque eius, & pacem habere deſiderans, præbuit ei tributa quæ præceperat, annis tribus: tertio vero anno non reddidit, deceptus ſpe Ægyptiaci belli. Audierat enim eos contra Babylonios iterum pugnaturos, ſed hoc minime Ægyptij præſumpſerunt. Nabuchodonoſor vero iterum cum magno exercitu venit contra Iudæos: quem Ioachim iure fœderis ſuſcepit. Dum ergo rex Babyloniæ intraſſet in ciuitatem, fidem nequaquam ſeruauit, ſed iuuenes fortiſſimos Hieroſolymitanorum occidit vna cum rege Ioachim, quem etiam ante muros inhumatum proiici iuſſit, & alios in dignitatibus poſitos, captiuos in Babyloniam duxit: inter quos ductus Ezechiel propheta adhuc puer eſt. Filium vero eius Ioachim conſtituit regem vniuerſæ prouinciæ, quod mox eum pœnituit feciſſe. Formidatus eſt enim, ne forte habens mali memoriam pro nece pa-

terna provinciarum eius invaderet, & mittens exer-
A citium, regem Ioachim Hierosolymis obsidebat: quia accepit iusiurandum ab eis, vt nihil mali pateretur, nec ipse, nec ciuitas. Non autem seruauit eam Babyloniæ rex, sed præcepit principibus suis, vt omnes, qui erant in ciuitate iuuenes captiuos sumerent, pariter & artifices, eosque ad se legatos adducerent, qui omnes fuere decem millia octingenti triginta & duo, simul & Ioachim, cum matre pariter & amicis, quos deductos ad se habuit in custodia. Patruum vero Ioachim, nomine Sedechiam, constituit regem, accipiens ab eo iusiurandum, vt ei prouinciam custodiret, & nihil hostiliter ageret, & Ægyptiis non fauerer. Hæc iuxta assertionem Iosephi retulimus. Eusebius vero & nostri temporum scriptores ita ferunt. Anno tertio Ioachim Nabuchodonosor Iudæam captam tributariam fecit, & in ditionem suam redactis plurimis Iudæorum partem etiam vasorum templi cum inuasisset, tributario Eliachim facto & Ioachim, victor ad suos rediit. De regio
B semine pueros secum in Babyloniam deduxit, quos eunuchos factos scholæ tradidit, cum cæteris nobilioribus, quos ex diuersis nationibus deprædauerat: vt omnem discerent Chaldæorum sapientiam, Inter quos Daniel, Ananias, Azarias, Misahel clari habentur. Tunc temporis Macedonum rex Philippus erat, Lydorum Sadiattes: Romanorum vero Tarquinius Priscus, qui quamuis transmarinæ originis esset, regnum vltro petens accepit, ob industriam atque suam elegantiam: quippe, qui oriundus Corintho Græcum ingenium Italicis artibus miscuisset, Hic & senatus maiestatem numero ampliauit, & centuriis tribus auxit, quamuis Acius Neuius numerum augeri prohibeat, vir summus augurio. Quem rex in experimentum rogauit, fieri ne posset quod ipse mente conceperat. Ille rem expertus augurio, posse respondit. Ad quem hoc, inquit, agitur: an cutem illam secare nouacula possit? Et augur: Potest, inquit, & secuit, inde Romanis sacer auguratus. Neque pace Tarquinius quam bello prom-
C ptior. Duodecim namque Tusciæ populos frequentibus armis subegit: inde fasces, trabeæ, curules, anuli, phaleræ, paludamenta, prætextæ, inde quod aureo curru quatuor equis triumphatur, togæ pictæ, tunicæque palmatæ: omnia denique decora & insignia, quibus imperij dignitas eminet, sumpta sunt. Idem Romæ circum ædificauit, numerum senatorum auxit, Romanos ludos instituit, muros & cloacas construxit, ad extremum ab Anci filiis occisus est, regis illius, cui ipse successerat.

Medorum VIII. Astyages, quo regnante Hierusalem capta est, templumque incensum. Iudæi in Babyloniam captiui sunt ducti. Quanta etiam fortitudinis Nabuchodonosor extiterit: & qualia fortiter gesserit virtute & opere, succincte sunt adnotata. Quid etiam de eo gentium scriptores dixerint. Itaque quod requiritur, cum Babyloniorum reges miræ fortitudinis essent, cur per
D *reges Medorum annorum numerus obseruatur. De passionibus etiam Hieremiæ prophetæ, & quid inuitus in Ægyptum descenderit, & Ægyptiorum vastationem prædixerit. De Pythagora etiam & de septem sapientibus Græcorum, qui per ea tempora fuerint.*

CAP. XVII.

Medorum octauus Astyages, annis trigintaocto. Ab ædificatione vero templi, anni quadringenti vigintiseptem, Macedonum rex Acropus, Lydorum Aliattes. Igitur anno octauo Astyagis, Iudæi de Hierosolyma captiuantur à Nabuchodonosor rege Babyloniorum. Capta est vero ciuitas vndecimo anno Sedechiæ regis, quarto mense, die nono: ceperuntque eam principes Babyloniorum, quibus obsessio à rege Nabuchodonosor videbatur esse commissa. Ipse autem in Arabatha ciuitate morabatur, Sedechias vero dum caperetur vrbs, ilico fuga elapsus est, quem fugientem per desertum comprehendentes cum vxoribus atque filiis, adduxerunt ad regem principes Babylonij in Arabatha. Hunc ergo ad se venientem, Nabuchodonosor impium & infelicem vocare cœpit, & iusiurandi immemorem: quia dum ab eo percepisset imperium, quod ab eius fratre tulerat, & illi tribuerat, contra munificum largitorem egisse videbatur hostiliter. His igitur verbis vsus, filios eius iussit pariter & amicos continuo perimi, ipso scilicet Sedechia & aliis captiuis inspicientibus. Deinde oculos eruens Sedechiæ, eumque vinciens perduxit in Babyloniam. Alia siquidem vniuersa, consona à prophetis edicta sunt: quo modo & ciuitas vastaretur, & ipse Sedechias duceretur captiuus in Babyloniam. Discordauit autem in hoc Ezechiel dicens. Quia Sedechias Babyloniam non videret, cum Hieremias dixisset: quia vinctum eum rex Babyloniæ illuc duceret. Hæc autem prouenerunt ei, quæ Hieremias & Ezechiel prophetauerunt, quia comprehensus duceretur ad Babylonium regem, & loqueretur ei ore suo, vt videret oculos regis, sicut Hieremias dixit, cæcatus autem & ductus in Babyloniam, non vidit eam, sicut Ezechiel prædixit. Porro Babylonius rex misit principem militiæ suæ Nabuzardan in Hierosolymam, vt expoliaret templum, præcipiens vt illud incenderet, & regalia pariter & ciuitatem ad pauimentum vsque deponeret, & populum in Babyloniam abduceret. Qui dum venisset ad Hierosolymam vndecimo anno regis Sedechiæ templum subuertit, & vasa Dei aurea argenteaque tulit: nec non & maximum cantarum, quem posuit in templo Solomon, insuper, & columnas æneas & capita earum, aureasque mensas & candelabra. Et hæc auferens templum quoque succendit. Mense quinto initio mensis anno vndecimo Sedechiæ regis, octauodecimo anno Nabuchodonosor. Succendit autem & regalia ciuitatemque destruxit. Templum ita concrematum est: post trecentos & septuaginta annos, & menses sex diesque decem, ex quo id constat ædificatum, ab egressu autem populi ex Ægypto, tunc erant anni mille sexaginta duo menses sex, dies decem. A diluuio vero vsque ad vastationem templi, omne tempus fuit, annorum mille nongentorum quinquaginta septem, mensium sex, dierum decem.

Ex quo vero factus est Adam vsque ad ea quæ prouenerunt templo, anni sunt tria millia, quingenti tredecim, menses sex, dies decem. Tantus ergo numerus annorum fuit. Mansit autem sub regibus hic populus, A Saul, & Dauid, & qui primi gentis Iudaicæ imperium susceperunt, per quingentos triginta duos annos menses sex, dies decem, sub iudicibus vero annis plus quingentis, post mortem Mosi, & ducis Iesu. Hæc ita se habent iuxta Iosephi assertionem, Iuxta aliorum vero supputationem, templum ab anno ædificationis suæ quadringentesimo tricesimo quinto, vel quadringentesimo quadragesimo secundo succensum est. Ergo Nabuchodonosor tantæ fuit fortitudinis vt etiam Magestenis in quarto Indicorum libro nititur approbare, hunc regem fortitudine & actuum magnitudine Herculem transcendisse. Dicit enim eum vastasse Libyæ ciuitates & Hiberiam. Porro Diocles in secundo coloniarum libro meminit huius regis, & Philostratus in Indicis & Phœnicis historiis dicit, quia iste rex obsedit Tyrum annis tribus, cum illo tempore Tyro regnaret Ioathabula. Ipse vero de manubiis hostium templum Beli, & reliqua largissime nimis ornauit, & antiquæ ciuitati alia quoque contulit, & priscæ superauit, ita vt nequaquam obsidentes valerent fluuium conuertere, & ciuitati aliquo modo præualere. Erexitque tres porticus intrinsecus, & tres extrinsecus, de latere cocto decenter muniens eas, & exornans

valde magnifice. Paternis quoque regalibus aliæ proximæ regalia fabricatus est, quorum spacia & reliquam pulchritudinem dicere credo superuacuum. Veruntamen hoc sciendum, quia dum essent hæc magna & nimis eximia, diebus sunt quindecim consummata. In istis vero regalibus lapides posuit, quorum instar simile erat monti, & plantauit diuersas arbores, fecitque ostium quod pensibile dicebatur. Hoc ergo modo diuersi huius regis fecere memoriam. Igitur dum tam potentes, atque famosi Babyloniorum existerent reges: quæritur quæ nam causa sit, cur non in numero & cardine illustrium habeantur regum? Scimus enim, quoniam regnum Assyriorũ quod à Semirami de Nini vxore est in Babylonia fundatũ, diuturno tempore in ea & vsque ad Sardanapalum permansit. Quo interfecto, à præfecto Medorum Arbace, regnum Assyriorum in Medos translatum est, Medorumque reges in cardine & numero ab historiographis traduntur, donec ad Persas translatum est. Ergo si translatum est Assyriorum regnum ad Medos, & cum eis retentum, sicut historiæ declarant: nunc Babyloniorum regnum quod sit, si quis scire voluerit, recolat Asiam à Nino occupatam, totumque Orientem vsque ad terminos Indiæ, ab vxore vero eius, insuper Æthiopas, aliasque nationes regno Assyriorum esse subiectas. Ex quo apparet descendente Arbace ad Medos, partem regni maximam dignitatemque inuasisse ac penes se in Media retinuisse. Chaldæi vero Babyloniam sibi aduersus Medos vendicauerunt. Ita quippe potestas Babyloniæ apud Medos, proprietas vero regni apud Chaldæos fuit. Chaldæi autem propter antiquam dignitatem regiæ vrbis, non suam dignitatem, sed illius vocare maluerunt. Vnde factum est, vt Nabuchodonosor cæterique post eum reges, vsque ad Cyrum & Darium, qui Chaldæorum regnum ciuitatemque Babyloniam destruxerunt, quamuis Chaldæorum viribus potentes, nomine tamen Babyloniæ clari legantur. Enimuero non immerito beatum Apostolum Petrum Romam in suis scriptis Babyloniam nominasse nunc recolo: quoniam tunc in Oriente prima caput orbis est effecta Babylon, mansitque inconcussa vsque ad Sardanapalum. Quo interfecto, amisit partem maximam potentiæ, tamen partem regni penes se retinuerunt Chaldæi, qui Babyloniam sibi aduersum Medos vendicauerunt. Quo in tempore Proca auus Rheæ Syluiæ quæ mater Romuli fuit, regnare cœpit, à quo historiæ Latinorum inchoantur, ab eo sementum Romæ iactum, quamuis nondum germen appareret. Babylon vero nouissime eo tempore à Cyro rege subuersa, quo primũ Roma à Tarquinio regum dominatione liberata est. Siquidem sub vna eademque conuenientia temporum illa in Oriente cecidit: ista in Occidente surrexit. Illa tunc quasi moriens dimisit hæreditatem alienorũ perpessa dominatum, hæc vero pubescens se agnouit hæredem, aspernata etiam suorum fastigium. Tunc orientis occidit, & ortum est occidentis imperium. Qua de re ab Apostolo Roma iure Babylon nuncupatur. Igitur Nabuzardan princeps militiæ Nabuchodonosor, qui templum Domini succendit, eiusque vasa & cantarum maximum à Salomone factum, vna cum populo à Hierusalem transmigrare fecit ad regem Babylonium, reliquias quasdam populi in Iudæa reliquit ad excolendam terram, tributaque regi persoluenda, quibus præfecit Godolielem. Quo in tempore idem Godoliel ab Ismaele, qui erat de regio semine, interficitur: Timentes vero Babylonios Iudæi, qui remanserant, propter necem Godoliæ, quoniam à Babyloniis iudex fuerat constitutus, assumptum Hieremiam prophetam inuitum atque contradicentem, cum suo discipulo Baruch, ad Ægyptum descendentes secum trahunt. Rex Ægyptiorum Vastis tunc erat. Hieremias vero propheta, à XIII. anno regis Iosiæ, prophetare orsus, vsque dum ciuitas vastaretur & templum, quæ ventura illi populo erant, prophetando prædicabat, suasque prophetias in libro scriptas, populo legendas dedit. Qua de re multa à Iudæis mala perpessus, cæsus, vinculis afflictus est. Principes etiam è carcere prophetam educentes, rege Zedechia permittente, in quendam lacũm plenum cœno deposuerunt, vt morte propria suffocatus extingueretur. Ille vero vsque ad guttur in luto depositus, in his degebat angustiis. A quodam vero seruorum regis, honoribus decorato, qui genere erat Æthiops, liberatus est.

Igitur dum in Ægypto consisteret, iubente Deo prædixit, populo Ægypti futuram captiuitatem, & qualiter in Babyloniam captiui ducerentur, & alij in propria regione ab illis trucidarentur. Et hæc ita completa sunt: V. siquidem anno captiuitatis Hierosolymorum. Cumque subdidisset Nabuchodonosor Ammonitas & Moabitas, perrexit ad Ægyptum, eamque subuertit, & regem quidem, qui tunc erat, occidit: aliumque in ea constituens, denuo Iudæos captiuos duxit in Babyloniam. Igitur per Assyrios corruit populus X. tribuum de Samaria, cum regnaret apud eos Osias. Deinde duarum tribuum multitudo à Nabuchodonosor rege Babyloniorum & Chaldæorum captis Hierosolymis est vastata. Salmanasar namque transmigrans Israelitas, in eorum regione instituit gentem, quæ prius in interiori parte Persidæ & Mediæ morabatur. Tunc tamen primum Sammaritæ vocati sunt, vocabulum prouinciæ sumentes, in qua habitare videbantur: dum prius Euthæi dicerentur, à flumine iuxta quod habitabant. Babyloniorum vero rex, cum duas tribus captiuas duxisset, neque gentem aliam in eorum fecit habitare prouincia, & propterea desolata omnis Iudæa, & Hierosolyma, & templum annis LXX. permansit. Omne siquidem tempus à captiuitate Israelitarum vsque ad duarum tribuum transmigrationem fuit annorum centum triginta, mensium sex, dierum quindecim: Igitur ea quæ de Daniele & sociis eius gesta mirabiliter apud regem Nabuchodonosor legimus, tunc temporis fuisse nemo fidelium dubitare potest, siue etiam quæ Naduchonedosor contigerunt, & à sancto Daniele sibi sunt prædicta. Quibus temporibus in agone certantibus tragus dabatur in præmio, i. hircus, vnde aiunt tragœdos nuncupatos. Alcman & Stesichorus poetæ clari habentur. Pythacus Mitileneus, qui de septem sapientibus fuit, cum Phrenone Atheniensi, olim Phœnice congressus eundem interfecit. Solon Draconis leges antiquas extra eas quæ ad sanguinem pertinebant nouo Atheniensibus, quibus præerat, iure constituit. Septem vero antiquitas sapientes iactat, hi fuerunt, Thales Milesius, Pythacus Mitilenus, Solon Atheniensis, Chion Lacædemonius, Periandros Corinthius, Cleobolus Lydius, Bias Priennæus. Omnes hi septem appellati sunt sapientes, qui post poetas theologos claruerunt. quoniam nonnulla honestiora præcepta morum breuitate sententiarumque complexi sunt.

Nihil autem monumentorum, quod ad litteras attineat posteris reliquerunt: nisi quod Solon quasdam leges Atheniensibus (vt prædixit) dedit, Thales vero physicus fuit, & suorum dogmatum libros reliquit. Pythagoras autem Samius à quo etiam ferunt philosophiæ nomen exortum, qui & arithmeticæ artis inuentor fuisse dicitur, eodem tempore claruisse fertur. Nam cum antea sapientes appellarentur, qui aliis præstare videbantur: iste interrogatus, quid profiteretur, philosophum se esse respondit, id est, studiosum vel amatorem sapientiæ, quoniam sapientem profiteri arrogantissimum videbatur. Per idem tempus Sappho mulier in diuerso poemate claruit. Terechites historiarum, & Xenophines physicus tragœdiarum clam inuentores habentur. Romanorum vero Seruius. Tullius gubernacula, quo in tempore inuadit, nec obscuritas inhibuit, quamuis

quo in tempore inuadit, nec obscuritas inhibuit, quamuis matre serua creatus est. Nam eximiam indolem vxor Tarquinij Tanaquil liberaliter educauerat, & clarum fore visa circa caput flamma promiserat. Ergo post Tarquinij mortem adnitente regina substitutus in locum regis quasi ad tempus regnum dolo partum, sic egit industrie, vt iure adeptus videretur. Ad hoc populus Romanus relatus in censum, digestus in classem, inde curiis atque collegiis distributus est. Summaque regis solertia ita est ordinata Respublica, vt omnia patrimonia, dignitates, ætates artium, officiorumque discrimina in tabulis referrentur: ac sic maxima ciuitas minimæ domus diligentia contineretur. Quibus etiam diebus solis facta defectio est, cum futuram eam Thales antea dixisset. Quo in tempore Aliattes & Astiages dimicauerunt. Tunc etiam Anaximander Milesius Physicus agnoscitur, cuius præceptor Thales Milesius fuit, qui rerum naturam scrutatus, maxime admirabilis extitit, quod astrologiæ numeris comprehensis, defectus solis & lunæ, etiam prædicere potuit: qui tamen putauit tale rerum esse principium, & hinc omnia elementa mundi, ipsumque mundum, & qui in euidenter existere, id est, ex humore.

Huic successit eius adiutor Anaximander, qui de natura rerum mutauit magistri opinionem. Non enim ex vna re, id est, ex humore sicut Thales, sed ex suis propriis principiis, qualque res nasci putauit, Infinita rerum principia singularum esse credidit, & innumerabiles mundos gignere, & quæcunque in eis oriuntur, eosque mundos modo dissolui, modo iterum gigni existimauit: quanta quisque ab Argiuis actus, post eum qui sub Archemero fuerat, Agon quippe gymnicus, quem panathene vocant tunc actus.

Cyrus Persa qualiter Medorum destruxerit imperium, & auunculum suum Astiagen bello superauit, Babyloniam subuertit, Gynden fluuium in CCCC. LX. alueos comminuit, Lydam petens Crœsum regem cepit, Demum post multa fortiter gesta in Scythia cum omni exercitu periit. Sub quo Iudæi à captiuitate relaxantur. Romanorum autem Tarquinius cognomento Superbus, illis diebus rexerat regnum. Et quod idem depulsus est propter suam tyrannidem atque insolentiam. Cum quo pariter & regiam potestatem Romani pepulerunt.

CHAP. XVIII.

Cyrus Persa Medorum destruxit imperium, quod steterat per annos circiter CCLVIII. Subuersoque rege Astiage auunculo suo: primus Persis regnauit annis scilicet xxx. Qualiter enim Medorum ad Persas venerit regnum, pandendum reor. Igitur Astiages Medorum vltimus rex virili prole vacuus, Cyrum nepotem apud Persas genitum habuit. Sed Cyrus mox vt adoleuit, congregata Persarum manu auunculo certamen indixit. Porro Astiages oblitus sceleris sui, quod in Harpalum dudum admiserat, cum filium eius vnicum & paruulum interfecit, epulandumque patri apposuit, ac ne quid infelicissimæ orbitati felix ignorantia subtraheret, infantes epulas ostensis patri eum capite manibus improperauit. Huius ergo facti immemor, ipsi Harpalo summam belli committit: qui acceptum exercitum statim Cyro per proditionem tradidit. Quo comperto Astiages raptis secum copiis, in Persas ipse proficiscitur, acriusque certamen instaurat: proposito suis metu, si quis è prælio cedere moliretur, ferro exciperetur. Qua necessitate instanter Medis pugnantibus, pulsa iterum Persarum acies, cum paulatim cederet, matres & vxores eorum obuiam occurrunt, orant vt in prælium reuertatur, cunctantibus sublata veste obscœna corporis ostendunt, quærentes num in vteros matrum vel vxorum vellent refugere. Quo facto erubescentes in prælium redeunt, & facta impressione quos fugiebant, fugere compellunt. Ibi tunc Astiages capitur, cui Cyrus nihil aliud, quam regnum abstulit: eumque maxime Hircanorum genti præposuit, in Medos vero ipse reuerti noluit.

Is finis imperij Medorum fuit. Sed ciuitates, quæ tributariæ Medorum erant, à Cyro defecerunt, quæ res Cyro multorum bellorum causa & origo extitit. Quo in tempore Iudæorum captiuitas erat, quæ per annos septuaginta durauit. Porro in Babylone prophetabant Daniel & Ezechiel. Mortuo iam Nabuchodonosor rege Babyloniorum susceperat imperium eius Euilmoradach, cui successit Balthasar frater eius. Huic enim Balthasar Daniel eam scripturam, quæ in pariete apparuerat, interpretatus est, significante imperium illius in Medos ætate sua manere potuerit. Agon Nemeacus primum & Persas transferendum, & hoc qualiter euenerit, manifestare non piget. Igitur Cyrus rex Persarum, quem superius explicandæ historiæ causa commemorauer am, qui tunc Asiam & Scythiam totumque orientem armis peruagabatur, cum Tarquinius Superbus Romam, vel rex, vel hostis, aut seruitio premebat aut bello: Cyrus, vt dixi, cunctis aduersum quos ierat perdomitis, Assyrios & Babyloniam petit gentem, vrbemque tunc cunctis opulentiorem. Sed impetum eius Gyndes fluuius secundæ post Eufratem magnitudinis intercepit. Nam vnum regiorum * equorum, (* *al. equitum*) candore formaque excellentem, transmeandi fiducia persuasum, qua per rapacem alueum offensi vado vertices attollebantur, arreptum præcipitatumque merserunt. Rex iratus, vcilsci amnem statuit, contestans eum qui hunc præclarum equitem vorauisset, fœminis vix genua vndis attingentibus permeabilem relinquendum. Hæc peragendo segnior, totis copiis perpeti anno Gynden fluuium per magnas concisum diductumque fossas in CCCCLX. alueos comminuit. Eo opere prædictis fossoribus etiam Eufratem longe validissimum & mediam Babylonem interfluentem deriuauit ac si meabilibus vadis sic eum etiam patentibus aluei partibus iter fecit, cepitque vrbem: quam vel humano opere extrui potuisse, vel humana virtute destrui posse, vtrunque pene incredibile apud mortales erat. Nam Babylonem à Nembroth gigante fundatam à Nino vel Semiramide reparatam, multi prodidere. Hæc campi planicie vndique conspicua, natura loci lætissima, castrorum facie mœnibus paribus per quadrum disposita, murorum eius vix credibilis relatu firmitas & magnitudo, id est latitudine cubitorum L. altitudine quater tanta, cæterum ambitus eius ccc. stadiis circumuenitur. Murus coctolatere atque interfuso bitumine compactus, fossa extrinsecus late patens, vice amnis circumfluita fronte murorum, c. portæ æneæ. Ipsa autem latitudo in consummationem pinnarum vtroque latere habitaculis defensorum æque dispositis media intercapedine seiunctas quadras capit. Domus intrinsecus quater geminæ habitationes minaci proceritate mirabiles. Et tamen illa magna Babylon illa prima post reparationem humani generis condita, nunc pene minima mora victa & capta & subuersa est. Ibi tunc Crœsus rex Lydorum famosus opibus, cum ad auxiliandum Babyloniis venisset, victus solicite in regnum refugit. Cyrus autem posteaquam Babylonem vt hostis inuasit, vt victor euertit, vt rex disposuit: bellum transtulit in Lydiam, vbi contritum superiore iam prælio exercitum, sine vllo negotio superauit, ipsum etiam Crœsum cepit, captumque & vita & patrimonio donauit. Hæc partim iuxta Orosii historiam relata sunt. Secundum Iosephi vero traditionem, hæc quæ sequuntur ita se habent de suis successoribus Nabuchodonosor atque destructione Babylonis. Ergo post mortem Nabuchodonosor Almilmapadachus filius eius successit in regnum. Qui regem Hierosolymitanorum Iechoniam, qui & Ioachim, soluit à vinculis, eumque inter amicos necessarios habuit, & multa ei dona concessit. Nam pater eius fidem non seruauerat Iechoniæ, qui se vtrique cum vxoribus & filiis & omni cognatione

sponte tradiderat pro ciuitate sua. Moriéte vero Amilmapadacho post annos VIII. & X. regni sui, Egesarius filius eius tenuit principatum XL. annis. Eoque mortuo, ad eius filium Nabosardachum peruenit imperium. Quod dum nouem mensibus habuisset, eo defuncto, transit ad Balthasar qui Naboar nuncupatur.

Contra hunc itaque regem castrametati sunt Cyrus Persarum rex, & Darius Medorum. Qui dum obsiderent eum in Babylonia, mirabile quoddam prodigium contigisse dignoscitur. Balthasar enim dum vasa Dei, quæ pater eius de templo Hierosolymitano asportauerat in Babyloniam & in proprio templo constituerat, vsus quidem non fuerat eis. Iste vero superbia ductus est, vt eis vteretur ad pocula dum in cœna lætus eum concubinis & regibus amicis suis æstuaret vino, & hoc modo blasphemaset Deum: tunc itaque vidit de muro venientem manum, & in pariete quasdam litteras scribentem. Et cætera, quæ ita vt habuerunt se, veraciter in libro Danielis scripta leguntur. Igitur dum obsideretur, & ipse captus est Balthasar & ciuitas à Cyro Persarum rege, qui aduersus eum fortissime dimicauit. Cum regnasset decem & octo annis idem Balthasar Nabuchodonosor regis nepos, cui talem fuisse cum Babylonia terminum percepimus. Darius autem Astyagis filius, qui Babyloniorum principatum destruxit, cum Cyro cognato suo annum agebat LX. & II. cum Babylon fuisset inuasa. Qui tamen alio nomine vocabatur à Græcis: quique Danielem prophetam sumens secum, in Mediam duxit, & omni honore † eum sublimauit. (*al. celebrauit.*) Erat enim vnus inter tres satrapas, quos Darius super CCCLX. satrapas instituerat: sub quo ea, quæ Daniel in suis reliquit scriptis, contigisse haud dubium est, id est, de his, quæ ab inuidis perpessus, ac ea, quæ de regno Græcorum, seu Persarum & cæteris, quæ domino monente præscire meruit. Igitur primo imperij anno regis Persarum Cyri, LXX. concurrebat captiuitatis Iudæorum, vt Iosephus refert. Cyrus namque dum legeret Isaiæ prophetias, & cognouisset inter illius prædicationes, quæ de eo dominus prædixerat, & miraretur nomen domini Dei, impetus quidam eum accepit, vt munificam scripturam compleret. Scriptum quippe reperit dixisse dominum: Quoniam volo Cyrum, quem multarum & magnarum gentium regem constitui, mittere populum meum ad propriam terram, & templum reædificare. Hæc Isaias prædicauerat, ante annos CLX. destructionis templi. Hic namque fere quinquaginta millia Iudæorum laxata captiuitate regredi fecit in Iudæam, qui constructo altari templi fundamenta iecerunt. Cumque à vicinis gentibus impediretur opus, vsque ad Darium remansit imperfectum: solo tantum altari consistente.

Colligitur vero omne tempus captiuitatis Iudæorum annis LXX. qui secundum quosdam à III. Eliachim, vsque ad XX. annum Cyri regis Persarum computantur. Porro secundum alios ab Iosiæ regis Iudæorum anno XIII. sub quo Hieremias prophetare cœpit, vsque ad primum annum supradicti Cyri regis. Desolationis vero templi sub Dario rege complentur anni LXX. Apud Hebræos autem, qui ascenderunt tunc ad Iudæam ex captiuitate, pontifex maximus Iesus Iosedech filius, & princeps gentis Zorobabel clari habebantur. Igitur idem Cyrus supradictus proximi temporis successibus elatus, bellum Scythis intulit, quem Thamiris regina, quæ tunc genti præerat, cum prohibere transitum Araxis fluminis posset, transire permisit, primum propter fiduciam sui, dehinc propter oportunitaté obiecti fluminis hostis inclusi. Cyrus itaque Scythiam ingressus procul à transmisso flumine castrametatus insuper astu eadem instructa vino, epulisque deseruit, quasi territus refugisset.

Hoc comperto regina tertiam partem copiarum, & filium adolescentulum ad persequendum Cyrum mittit. Barbari velut ad epulas inuitati primum ebrietate vincuntur, mox reuertente Cyro vniuersi cum adolescente obtruncantur. Thamiris exercitu & filio amisso, vel matris, vel reginæ dolorem sanguine hostium diluere potius, quam suis lachrymis parat. Simulat diffidentiam desperatione cladis illatæ: paulatimque decedendo superbum hostem in insidias vocat. Ibi quippe compositis inter montes insidiis, ducenta millia Persarum cum ipso rege deleuit, adiecta super omnia illius rei admiratione, quod ne nuntius quidem tantæ cladis superfuit. Regina caput Cyri amputari atque in vtrem humano sanguine oppletum coniici iubet, non muliebriter increpitans. Satia te, inquit, sanguine, quem sitisti: cuius per annos XXX. insatiabilis perseuerasti. Quo in tempore Carthaginenses nefandissimas hostias immolabant, homines scilicet, vnde iratum Dominum grauiter senserunt.

Ergo dum in Sicilia diu infeliciter dimicassent, translato in Sardiniam bello, iterum infelicius victi sunt. Propter quod ducem suum Mazeum, & paucos, qui superfuerant, milites exulare iusserunt. Exules veniam per legatos petentes repulsi, patriam bello & obsidione cinxerunt. Ibi tunc Mazeus dux exulum Cartalonem filium suum sacerdotem Herculis, cum sibi velut insultans purpuratus occurrerit, in crucem sub oculis patriæ, ita vt erat cum purpuris, insulisque suspendit. Post paucos dies vrbem ipsam cepit. Qui cum interfectis plurimis senatorum, cruente dominaretur, occisus est.

Cambyses Persarum secundus rex, templum reædificare in Hierosolymis prohibuit, Ægyptum bello obtinuit. Cui magni succedunt, quorum audaciam Darius redarguit, eorumque dolos detexit, & ipse regnauit. Qui templum domini ædificare præcepit. Quod sub Cyro fuerat inchoatum, eo iubente est consummatum.

CHAP. XIX.

Cambyses Cyri filius, Persarum rex secundus, annis septem. Hunc Cambysem aiunt vocari secundum Nabuchodonosor, sub quo Iudith historia conscribitur, quæ Holofernem interfecit. Is enim templum, ciuitatemque Hierosolymitarum reædificari inhibuit, quod & prius opus à vicinis gentibus impediebatur. Idem namque Cambyses deuicta Ægypto, cunctam religionem Ægypti abominatus, ceremonias eius & templa deposuit.

Post quem duo fratres magi regnauerunt annum vnum, vt Iosephus: alij vero menses septem eos regnasse ferunt. Hi namque magi regnabant sub nomine regis sui, quem occiderant. Qui ausi regnum subripere, mox si quidem deprehensi & oppressi sunt. In hoc enim prodita est eorum temeritas, quoniam auribus detruncatis inuenti sunt magi, dum in cæteris simillimi existerent filio Cambysis, quem necauerunt. Porro Cambyses dum magos odio haberet, aures eorum abscidi iusserat. His diebus Hyppicus carminum scriptor, & Xenophanes Physicus scriptor tragœdiarum agnoscuntur, Simonides vero Lyricus, & Phocilides clari habentur. Tunc Anacreon Béricus poeta clarus habetur. Hypparcus & Hyppias Athenis tyrannidem exercent. Quo in tempore Armonius & Aristoiton Hyppateum interfecerunt tyrannum. Sed dum Leuna meretrix, eorum amica tormentis cogeretur, vt socios proderet, linguam suam morsibus amputauit. Eo tempore Pythagoras Physicus & Philosophus clarus celebratur. Darius igitur vnus ex his, qui magorum audaciam ferro coercuerant, consensu omnium rex creatus est Persarum qui annis triginta sex regnauit. Cuius anno secundo captiuitas Iudæorum sicut per prophetas prædicta fuerat, cósummatur. Domesticus nāque testis est huius rei Zacharias propheta dicens: Domine omnipotens, quousque non misereberis Hierusalē & ciuitatibus Iudæ: quas dispersisti? Hic annus septuagesimus est. Ergo venia ædificādi

templi, sub Cyro exordium habuit. Causis vero existentibus impedimenti, vt prædiximus, manet imperfectum vsque ad Darij regis imperium. Cuius regni anno secūdo à Zorobabele & Iesu cōstruitur, & quarto opus ædificationis ab eis consummatur anno. Iosephus enim septem annis perfectum dicit templum, à prædictis viris, qui est nonus regni regis Darij, prophetantibus vltimis, Aggæo & Zacharia & vno ex duodecim, qui dicitur angelus apud Iudæos. Hic auté finis tertij nostri operis erit libri, qui continet in se à prima ædificatione templi sub Solomone, vsque ad secundam reædificationē sub Dario secundum quosdam quingentos duodecim annos. Iuxta vero Iosephi assertionem, quadringentos xl.

FINIS LIBRI TERTII.

FRECVLPHI
EPISC. LEXOVIENSIS, CHRONICORVM
Tomi prioris,
LIBER IV.

Darius Persarum rex IV. Scythis bellum intulit: Asiam, Macedoniamque edomuit, & in campis Marathoniis cum Atheniensibus conflixit, vbi ducenta millia sui exercitus amisit, victusque in Persas refugit.

CAP. I.

EGitur Darius Hydaspis filius qui Persis III. regnat annis xxxvI. Hic enim Antyro regi Gothorū, Scythiæ degentium, hac maxime causa bellum intulit, quod filiæ eius petitas sibi nuptias non obtinuisset. Magna scilicet necessitas, pro vnius libidine hominis, septingenta millia virorū periculo mortis exponi. Incredibili quippe apparatu cum sexcentis millibus armatorum Scythiam ingressus, non facientibus hostibus iustæ pugnæ potestaté, insuper repētinis incursibus extrema copiarū dilacerantibus, metuens ne sibi reditus interrupto pōte Histri fluminis negaretur, amissis octoginta millibus bellatorum, trepidus refugit: quamuis hunc amissorum numerū inter damna non duxerit, & quem habentū vix quisquā ambire ausus esset, perditū ille non sensit. Inde Asiam, Macedoniamq; aggressus perdomuit. Ionas quoque nauali congressione superauit. Deindé in Athenienses cum Ionas aduersum se auxilio iuuissent: impetum fecit atque arma direxit.

Porro Athenienses vbi aduētare Darium cōpererūt, quāuis auxilium à Lacedæmoniis poposcissent, tamen cū detineri Persas quatriduanæ religionis otio cōpertū haberent, spem occasione sumentes, instructis tantum decē millibus ciuium, & Plateensibus auxiliaribus mille aduersum sexcēta millia hostiū, cāpis Marathoniis proruperūt. Melchiades ei tunc bello præfuit qui celeritate magis quā virtute fretus alacri satis expeditione prius hosti cominus inhæsit, quā posset expedito sagittarū iactu propulsari. Tāta in eo bello diuersitas certādi fuit, vt ex alia parte viri ad occidendū parati, ex alia pecudes ad moriendū præparatæ putarētur. Ducēta millia Persarū, apud campos Marathonios, ea tempestate ceciderunt. Sensit Darius hoc dānum. Nā victus, fugatusque arreptis nauibus refugit in Persas. Cū autem instaurare t bellū & vlcisci in victores moliretur, in ipso apparatu concidit.

Quo regnante, Brutus & Collatinus post depulsionem regum primi consules apud Romanos constituuntur & ea qua illis diebus cum Romanis gesta sunt, & quod CCXLIII. annis sub regibus, inde CCCCLXIV. annos per consules & tribunos atque dictatores, iterumque consules, iura reipublica administrata sunt.

CAP. II.

EOdem tempore primos consules, Brutum & Collatinum, post depulsionem regum habuerunt, quibus vltionem sui moriens matrona Lucretia mandauerat. Illico imperium in eosdem libertatis suæ vindices transferunt: mutato tamen iure & nomine, & ex singulari duplex potestas constituitur, ne solitudine vel mora corrūperetur. Consulesq; appellauerunt pro regibus vt cōsulere ciuibus suis debere meminissent. Sed Romani quāta mala per ducentos quadraginta tres annos, continua illa regū dominatione pertulerunt, non solū vnius regis expulsio, verūetiam odium regij nominis & potestatis ostēdit. Igitur Brutus primus apud Romanos consul, qui primū conditorem, regemq; Romæ, non solum exæquare parricidio, sed & vincere studuit: quippe duos filios suos adolescentes, totidemq; vxoris suæ fratre, Vitellios iuuenes reuocandorū in vrbem regū placito insimulatos in conditionē protraxit, virgis cæcidit, securiq; percussit, vt plane publicus parens, in locum liberorum adoptasse sibi populum videretur.

Liber hinc populus Romanus prima aduersus exteros arma pro libertate corripuit, mox pro finibus, deinde pro sociis, demū pro gloria & imperio. Igitur Porsenna rex Hetruscorū grauissimus regij nominis suffragator, Tarquinium manu reducebat, cū ingentibus copiis vibi aderat, & in ipsis faucibus incumbebat, occupatoque Ianiculo tribus continuis annis, trepidā vrbem terruit, cōclusit, obsedit, & nisi hostem Mutius constāti vrendæ manus patientia submouisset, mox vrbem caperet, aut fugi recepto rege seruituti esset subiecta. Idē enim Mutius fortissimus Romanorū, regem per insidias in castris ipsius aggreditur. Sed vbi frustrato ictu circa caput regis tenetur, ardentibus focis intulit manum, terroremque dolo geminat: O, inquit, vt scias quem effugeris virum, idem trecenti iurauimus. Hoc nāq; facto hic interitus perseuerat. Rex vero trepidabat, quasi eius arderet manus. Si quidem & vna virginum ex obsidibus regi data, * Cloelia (*al. Clylia.*) elapsa custodia audacter flumē patrium transmeauit. Ergo tot tantisque virtutū monstris rex territus abcessit. Tarquinij tamen diu dimicauerūt, donec Aruntem filiū regis manu sua Brutus occideret, superque ipsū mutuo vulnere expirauit. Porro depulsis ab vrbe regibus, vix vsque ad quintumdecimū lapidem, Roma tenebat imperiū. Post reges nāq; cōsules à Bruto esse cœperūt: deinde tribuni plebis & dictatores, & rursum consules obtinuerunt Respublicas, per annos fere quadringētos sexaginta quatuor, vsque ad Iuliū Cæsarē, qui primus singulare arripuit imperium. Quo in tēpore Valerius Bruti collega, adeo pauper moritur, vt sumptu publico sepeliretur. Censu Romæ agitato, inuenta sunt hominū centū viginti millia. Ergo anno nono post exactos reges, noua dignitas est creata, dictatura scilicet, & magister equitum, qui dictatori obsequeretur. Dictator primus * Largius, (*al. Marcus Valerius.*) magister equitū Spiritus Cassius fuit. Tunc Hellanicus historiographus, & Democretius philosophus & Heraclitus cognomento Tenebrosus, & Anaxagoras Physicus clari habentur. Pythagoras vero moritur, Eschilus tragœdiarū scriptor agnoscitur. Tunc etiam bellū, quod in Marathonia gestū est, vt præmisi, & ea quæ de Melchiade scribuntur & Aristide, fuisse scribūtur. Tunc Romæ virgo * Pompiliæ (*al. Porphyria.*) deprehensa in stupro, viua defossa est. Igitur Anaxagoras auditor Anaxamenis, rerū omnium quas videmus, effectorem diuinum animum sensit, & dixit, ex infinita materia constare omnia: similibus inter se particulis, quibus suis propriis singula fierent, sed animo faciente diuino. Diogenes quoque illius socius aërem quidem dixit rerum esse materiam, de quo omnia fierent, sed eum esse compotem diuinæ rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset.

De Melcho rege Carthaginensium, qui infeliciter in Sicilia dimicauit, demūq; reuersus propria manu se interemit.

CAP. III.

MElcho rex Carthaginensium, cum in Sicilia bellū gereret, repente horribili peste exercitū amisit.

Nec mora, morbo populo cateruatim cadēte: cito quisque correptus, mox mortuus iā nec sepeliebatur. Cuius mali nuntius cum attonitam repentino luctu Carthaginem repleuisset: nō secus ac si capta esset, turbata ciuitas fuit. Omnia vlulatibus personabāt, clausæ vbique ianuę cunctæ, priuata, publicaque officia damnata: vniuersi ad portum decurrunt, egredientesque de nauibus paucos, qui cladi superfuerant, de suis percontantur. Postquam de clade suorum, tacentibus illis vel gementibus, miseri intelligūt, tunc toto littore plangentium voces, tunc infelicium matrum vlulatus & flebiles querelæ audiebātur. Inter hæc procedit & ipse de naui sua imperator, sordida, seruilique tunica discinctus: ad cuius conspectum plangentia iunguntur agmina. Ipse quoque manus ad cœlum tendens, nunc suam, nunc publicam infelicitatem accusat & deflet. Ad postremum vociferans per vrbem, tandem ingressus domum, cunctos qui lachrymantes prosequebantur, vltimo dimisit alloquio. Ac deinde obseratis ianuis, exclusisque etiam filiis, gladio dolorem, vitamque finiuit.

De Esdra, qualiter gratiam Xerxis regis adeptus, Hierosolymam cum magna turba Iudæorum & muneribus plurimis sit reuersus.

CAP. IV.

Xerxes Dario patri in regnum succedens annis XX. imperauit, iuxta historiam Iosephi XXV. A reædificatione vero templi Hierosolymis erat annus XXVII. Esdras autem Xerxis adeptus gratiam, cum munificentissima illius largitate atque amicorum eius dirigitur Hierosolymam, & per eum multa à rege mittuntur ad templum munera: insuper concessit rex, vt omnes quicumque vellent Iudæi in eius habitantes regno, reuerti cum eo Hierosolymam, ad patriumq; solū, nullo prohibente eos, liceret cum omnibus quæ possidere videbantur, regredi. Exemplar etiam epistolę, in qua hæc continebantur, ad Israelitas Mediā habitantes transmisit. Hi vero cognoscentes regis circa Deum pietatem, & fauorem, quem in Esdra habebat, multi siquidem facultates suas deportantes ad Babyloniam venerunt, vt ascenderēt Hierosolymam cum Esdra, pariterque sacerdotes & Leuitæ & ianitores, cātoresque ac serui sacri. Quos cōgregans de captiuitate, trans Eufratē tribus diebus moratus, ieiunia eis imposuit, vt Deo vota pro salute soluerēt, nequid in via paterentur aduersum. Hæ namq; duæ tribus, quæ per Nabuchodonosor captiuitatē sunt perpessę, sub prædictis principibus in Iudęam sunt reuersę. Ex quo videlicet tempore, à Babylone profecti sunt, & ipsi & prouincia vocitantur Iudæi. X. autem tribus, quæ prius in captiuitatem ductæ sunt, & vocabantur Israel, hactenus trans Eufraten commorari probantur. Esdras vero & qui cum eo reuertebantur, postquam vota perfecerunt, ab Eufrate surgentes, die duodecimo primi mensis, septimo imperij anno Xerxis, ad Hierosolymam peruenerunt, quinto mense eiusdem anni, ferentes secum sacras pecunias, argenti talenta sexcenta quinquaginta, vasa argentea talentorum centum, vasa aurea talentorum viginti, & vasa ærea rex & consiliarij eius & Israelitæ Babylonię habitantes donauerunt, quæ Esdras sacerdotibus ac templi custodibus tradidit. Præcepit etiam rex Esdræ, quem in lege Dei sapientissimum deprehenderat, vt Iudæos erudiret: ne in aliquo per ignorantiam in legibus paternis delinquerent.

De Neemia, qui readificauit muros Hierusalem, & in ea habitatores congregauit.

CAP. V.

Eo tempore Ioachim defuncto principe sacerdotū, filius eius Eliasippus in principatum sacerdotalem successit. Neemias etiam Xerxis pincerna auxiliāte domino meruit obtinere, vt cū honore ad patriam reuerteretur magno, & ciuitatem reædificaret dirutam. Qui veniens Hierosolymam cum multa suorum turba, muros ciuitatis restaurauit euersos, populumque in ea cōgregans, sua beneuolentia habitare fecit, vir benignus erga propriā gentem. Sub hoc tempore * Pompilia (*al. Porphyria*) virgo ob crimen stupri Romæ viua defossa est, Eschilus, Pindarus, Sophocles, & Euripides tragœdiarū scriptores celebrātur insignes, Herodotus quoque historiarum scriptor, & Zeuxis pictor agnoscuntur.

Qualiter Xerxes de regno septingēta millia armatorum, & de auxiliis CCC. rostratas etiam naues mille CC. onerarias vero tria millia habuisse in exercitu fertur, cui Leonida Spartanorum dux cum quatuor millibus obstitit, & pene eum vicit. Deinde Themistocles Atheniensium dux nauali prælio exercitum eius superauit. Xerxes victus, amissis copiis turpiter refugit in patriam.

CAP. VI.

Igitur Xerxes septingenta millia armatorū de regno & trecenta de auxiliis, rostratas etiam naues mille ducentas, onerarias autem tria millia numero habuisse narratur: vt merito inopinato exercitu immēsæq; classi vix ad potum flumina, vix terras ad ingressum, vix maria ad cursum sufficisse memoratum sit. Huic tamen incredibili temporibus nostris agmini, cuius numerū nūc difficilius est astrui, quam tunc fuit vinci: Leonida rex Spartanorum cum quatuor millibus hominum in angustiis Thermopilarum obstitit. Xerxes autem contēptu paucitatis obiectæ iniri pugnam, conferi manum imperat. Porro illi, quorum cognati & commanipulares in campis Marathoniis occubuerāt, & certaminis simul & cladis extitere principium. Deinde succedens sibi turba maior ac segnior, cum iam neque ad procurrendum libera, neque ad pugnandum expedita, neque ad fugiendum prompta, solis mortibus subigeretur, triduo continuo non duorum pugna, sed cædes vnius populi fuit. Quarto autē die cum videret Leonida vndique hostem circumfudi: hortatur auxiliares socios, vt subtraherent se pugnæ, in cacumen montis euadant, ac se ad meliora tēpora referuēt, sibi vero cum Spartanis suis aliam sortem esse subeundam, plus se patrię, quam vitæ. Dimissis sociis, Spartanos admonet de gloria plurimū, de vita nihil sperandum, neque expectandum vel hostē vel diem, sed occasione nŏctis perrumpenda castra, commiscenda arma, conturbanda agmina fore: nusquam victores honestius, quam in castris hostium esse perituros. Persuasi igitur mori malle, in vltionem futuræ mortis armātur, tanquam ipsi interitū suum & exigerent & vindicarent: mirum dictū, sexcenti viri castra sexcentorum millium irrūpūt. Tumultus totis castris oritur. Persæ quoque ipsi Spartanos adiuuant mutuis cædibus suis. Spartani quærentes regem, nec inuenientes cædunt sternūtq; omnia, castra peruagantur vniuersa, & inter densas strues corporū, raros homines vix sequuntur, victores sine dubio, nisi mori elegissent. Prælium à principio noctis in maiorem partem diei tractum, ad postremum vincendo fatigati, vbi quisque eorum deficientibus membris visus est sibi mortis suæ vltione satiatus, ibi impedimenta cadauerū, crasso & semigelato sanguine palpitādo lapsus & mortuus est. Xerxes bis victus in terra, nauale præliū parat. Sed Themistocles dux Atheniensium cum intellexisset, Ionas quibus dū auxilium superiore bello præbet, in se Persarum impetum verterat, in auxiliū Xerxis instructā classem deducere, solicitare eos parti hostique subtrahere statuit, & quia colloquēdi facultas signa negabat, locis quibus Iones accessuri nauibus videbantur proponi symbolos saxisque affigi iubet, socios quondā & participes periculorum, nunc autem iniuste desides apta increpatione corripiens, atque ad antiquorū iura & fœdera religiosa adhortatione persuadens, pręcipueque admonens vti commisso prælio, cædentium vicum inhibeāt remos, seseque bello auferant. Igitur rex partem nauium sibi detinens, spectator pugnæ in littore manet.

manet. Contra autem Artemidora regina Halicarnis, quæ in auxilia Xerxi venerat, inter primos duces acerrime bello immiſcetur, ita vt verſa vice in viro fœmineo cautela, in fœmina virilis audacia ſpectaretur. Cũ autẽ anceps pugna eſſet, Iones iuxta præceptum. Themiſtoclis paulatim ſe certamini ſubtrahere cœperunt. Quorũ defectio Perſas à parte fugere perſuaſit, in qua trepidatione, multæ naues merſæ captæq; ſũnt. Plures tamen ſæuitiam regis velut immanitatẽ hoſtis timentes, per domos dilabuntur. Ergo anxium tot malis regẽ Mardonius aggreditur, ſuadens regem in regnũ redire oportere, priuſquã aduerſa fama nouas res domi molireretur, ſe autem ſi reſiduæ ſibi copiæ traderẽtur, & vltionem ab hoſte exacturum, & ignominiam domeſticã propulſaturũ, aut ſi aduerſa belli perſeueraſſẽt, ceſſurũ ſe quidẽ hoſti, ſed tamẽ ſine regis infamia, probato conſilio exercitus Mardonio traditur. Rex Abidũ, vbi põtẽ veluti victor maris conſeruerat, cum paucis proficiſcitur. Sed cũ Pontẽ hybernis tempeſtatibus diſſolutũ offendiſſet, piſcatoria ſcapha trepidus tranſiit. Erat ſane quod ſpectare humanũ genus, & dolere debuerit, mutationes rerum hac vel maxime varietate permetiens, exiguo contentũ latere nauigio, ſub quo ipſũ pelagus ante latuiſſet, & iugũ captiuitatis ſuę vincto põte portaſſet, viliſſimo vnius ſeruuli egere miniſterio, cuius potentiæ dum mõ es exciduntur, valles replentur, amnes exhauriuntur, ipſa etiam rerũ natura ceſſiſſet. Pedeſtres quoque copiæ quæ ducibus commiſſæ fuerant, labore, fame, ac metu tabuerũt, & crudeſcente morbo tanta peſtis tantaq; fœditas morientium exorta eſt, vt viæ cadaueribus replerentur: diræ etiã alites atque improbæ beſtiæ eſcarum illecebris ſolicitatę moribundum ſequerentur exercitum. At vero Mardonius, cui reliqua bella commiſerat Xerxes, afflatus primũ ſucceſſu breui, mox in extrema deiectus eſt. Olyntũ ſiquidem Gręciæ oppidum expugnauit. Athenienſes varia ſolicitatione adducere in ſpem pacis aggreſſus: vbi inexpugnabilẽ eorum libertatem videt, inceſa vrbis parte, in Bœtiam omnem belli apparatum deducit. Illuc quoque eum centum millia Gręcorũ inſecuta ſunt, & cõmiſſo ſine mora pręlio: Mardonium deletis copiis ipſius, velut è naufragio nudũ cum paucis fugere cõpulerunt. Caſtra regiis opibus referta, ceperunt non paruo quidem antiquę induſtriæ damno. Nam poſt iſtius prędę diuiſionem aurum Perſicum prima Græciæ virtutis corruptio fuit. Vrger igitur inceptus miſeros extrema perditio. Nam forte eodẽ die, quo in Boetia Mardonij copiæ deletæ ſunt, pars Perſici exercitus in Aſia ſub mõte Micale nauali prælio dimicabat. Ibi nouus repente rumor vtriuſque claſſis & populi impleuit aures, Mardonij extinctas copias, Græcos extitiſſe victores. Mira diuini iudicij ordinatio. in Boetia oriente ſub ſole bellum fuiſſe commiſſum. in Aſia meridianis horis ſub eadem die tantis ſpatiis maris terræque interiacentibus nuntiatũ eſt.

Qui rumor vel maxime rei adſtipulatus eſt: quod Perſas audita clade ſociorum, primum dolore, dehinc deſperatione correptos, nec bello expeditos, nec fugæ habiles reddidit, atque ita conſternatos profligatoſque conſtãtior factus hoſtis ſucceſſu felicitatis, inuaſit. Xerxes bello infeliciter geſto, contemptibilis ſuis factus: per Artabanũ pręfectum ſuum in regia circumuentus occiditur. Quo in tẽpore Diogenes agnoſcitur, & ſectatores eius phyſici philoſophi. Themiſtocles autẽ in Perſas fugit, Pindarus clarus habetur, Sophocles tragœdiarũ ſcriptor, & Euripides clari habentur, Herodotus hiſtoriarum ſcriptor agnoſcitur. Bachilides & Diagoras plurimo ſermone celebrãtur.

Artaxerxe regnante libri Pythagoræ incenſi ſunt ab Athenienſibus. Et memoriale philoſophorum qui tunc fuerunt, id eſt, Mileſij, Hippocratis medici ac Socratis.

CAP. VII.

ARtaxerxes, qui Machir dicebatur, regnauit annis XL. poſt Artabanum, qui VII. menſes regnauerat: ab ædificatione vero templi annus quadrageſimus ſeptimus erat. Quo regnante, Hezdras ſacerdos clarus apud Hebræos habebatur, magiſter omnium quippe in legibus ſacris, qui regreſſi fuerant in Iudæam de captiuitate. Neemia vero muros ciuitatis Hieroſolymarum perfecit. Pontifex vero maximus templi fuit Ioachim, Eliaſippi filius, quem Ioſephus Iudam nominat. Defuncto autem & hoc, Ioannes filius eius laborem ſuſcepit ſacerdotalem. Quo etiam in tẽpore Ariſtarchus tragœdiographus, Cratinus, & Plato, comœdiarũ ſcriptores, Zenon & Heraclitus agnoſcuntur. Ferecides ſecundus hiſtoriarum ſcriptor atque Sophocles, & Ariſtophanes tragœdiarũ ſcriptores habiti ſũt.

Herodotus vero cum Athenis libros ſuos in concilio legiſſet, honoratus eſt. Pythagoræ autem ſophiſtæ libros decreto publico Athenienſes combuſſerunt: eo quod magicas artes, atque necromantiam in eis reperiſſent. Empedocles autem atque Parmenides philoſophi, Mileſius etiam Thales, vt ſucceſſores etiam propagaret, rerum naturam ſcrutatus, ſuaſque diſputationes litteris mandans emuniuit: maximeque admirabilis extitit, quod aſtrologiæ numeris comprehenſis, defectus ſolis & lunæ etiam prædicere potuit. Aquam tamẽ putauit rerum eſſe principium, & hinc omnia elementa mundi, ipſumque mundum & quæ in eo iũguntur exiſtere: nihil autem huic operi, quod mundo conſiderato, tam mirabile aſpicimus, diuinę menti præpoſuit. Zeuxis autem præclarus pictor agnoſcitur. Ex cuius nonnullis imaginibus, quas plurimas apud diuerſos fecerat, lauacrum Byzantiorum arbitrantur appellatum. Quibus diebus principium Iubilei ſeptuageſimi erat ſecundum Hebræos.

Tunc lapis è cœlo ruit, in fluuium Ægis. Hippocrates quoque medicus, ac Socrates philoſophus, inſignes habentur, Sophocles poeta tragicus, atque Democritus agnoſcuntur, Pindarus etiam tunc innotuit.

De Manilio duce Tuſculano, qui Latinos ſubegit, ac de I. Agone Romæ acto & de magna peſtilentia quæ Romanas vires fere conſumpſerat, & cætera quæ tunc geſta ſunt apud Romanos.

CAP. VIII.

QVibus diebus à Mammilio Tuſculano duce, Latini apud Regilli lacũ expugnãtur, vincuntur atq; ſubiiciuntur, extant & parta deorum ſpolia, tunc & Agon Romæ clarus habebatur primus. Romæ ergo ſuſpenſo ad modicum bello grauis peſtilentia ſubſequitur, quæ per vniuerſam ciuitatem violenter incanduit: vt merito præcedente prodigio, cœlum ardere viſum ſit: quando caput gentium, tãto morborum igni flagrauit. Nã eo anno Ebutium & Seruilium ambos Conſules peſtilentia cõſumpſit. Militares copias plurima ex parte conſecit, multos nobiles præcipueque plebem fœda tabe deleuit: quamuis iam etiam ſuperiore quarto anno oborta lues, eundem populum depopulata ſit. Proximo dehinc anno ciues exules, ſeruique fugitiui duce Herbonio viro Sabino inuaſerunt, incenderuntque Capitolium. Vbi fortiſſime quidem Valerio conſule & imperatore dimicatum eſt, ſed adeo atrox & graue diſcrimen prælii fuit, vt ipſe quoque conſul Valerius ibi fuerit occiſus, & indignam de ſeruis victoriam, inſuper etiam ſua morte fœdarit. Sequitur annus, in quo cum victo exercitu conſul obſeſſus eſt. Nam Minutium conſulem congreſſum prælio, Equi, Volſcique ſuperauerunt, & fugientem in algido fame, ferroque cinxerunt, actumque infeliciter foret, ni Quintius Cincinatus præcipuus ille dictator, artatam obſidionem oppreſſo hoſte ſoluiſſet, qui repertus in rure ab aratro acceſſitus ad faſces, ſumpto honore, inſtructoque exercitu, mox victor effectus, iugum boum equis impoſuit, victor amque quaſi ſtiuam tenens ſubiugatos hoſtes præ ſe primus egit.

De LXX. hebdomadibus à Daniele prædictis, quæ in vltimo imperij Neronis anno ſunt conſummatæ.

CAP. IX.

IGitur Neemiam, qui muros Hieruſalem cõſtruxit. conſummaſſe opus triceſimoſecũdo anno Artaxerxis regis

Persarum Esdras memorat. Si quis autem ab hoc tempore septuaginta hebdomadas à Daniele scriptas numerat, (quæ faciunt annos quadringentos nonaginta,) reperiet eas in regno Neronis expletas, sub quo obsideri Hierusalem est cœpta: secundo postea Vespasiani anno capitur.

Regnante Dario, cognomento Notho, qui sapientes tunc floruerint. Et Romani leges ab Atheniensibus tunc petiuerunt, & in XII. tabulis scripserunt Eiectis consulibus, Decemuiros constituerint, Et quantum malum ex hoc sit ortum. Et quæ illis diebus eis contigerint.

CAP. X.

DArius Persarum rex cognomento Nothus, anno decimo & nono regnauit, quem prędecesserunt secundur Xerxes & Sogdianus, qui tantum nouem mēsibus regnauerunt. Ergo à secunda dedicatione templi, anni sunt octoginta septem. Bacchides carminum scriptor, eo tempore agnoscitur, & Pherecides moritur. Eupolis autem & Aristophanes scriptores comœdiarum agnoscuntur. Quo in tempore Romani per legatos leges Solonis expetierūt ab Atheniensibus, quas in XII. tabulis scripserunt, eiicientesque consules, potestatem decemuiris tradiderunt, gratia constituendarum legum Athenicarum. Quę causa magnam Reipublicæ inuexit perniciem. Nam primis ex decemuiris, cedentibus cæteris: solus Appius Claudius sibi cōtinuauit imperium, statimque aliorum coniuratio subsecuta est, indignantes penes vnum esse imperium, quod eis erat cōmune, & nouo improbæ ordinationis incepto, emicuit agmen tyrannorū qua populus necessitatis atrocitate permotus, & periculo libertatis admonitus, mōtem Auentinum occupauit armatus: nec tueri libertatē armis destitit, nisi postquam se coniuratorum conspiratio, ipsis quoque honoribus abdicauit. Tunc etiam per totum fere annum, tam crebri, tamque etiam graues in Italia motus fuerunt, vt de innumeris quassationibus ac ruinis villarum oppidorumque assiduis Roma nuntiis fatigaretur, deinde de iugis & torrida siccitas fuit, vt spem gignendis terræ fructibus abnegarit. His denique temporib. cum Fidenates hostes, maximorum auxiliorum manu stipante, terribiles Romanis arcibus imminerent, Æmilius tertius dictator magnam mali molem, ipsis Fidenis vix captis depulit & sanauit. Tanta ipsis erat malorum animorumque contentio, vt vel domesticas clodes, superfusa forinsecus bella obliterarent, vel post damna bellorum inducias relaxatas, diuersæ pestes, cœloque terraque excādescentes, incessabili infestatione corrumperent. Quo etiam tempore Sicilia (quæ ab initio patria Cyclopum, & post eos nutrix tyrannorum fuit: quorum primi carnibus hominum, medij cruciatibus, postremi mortibus pascebantur) multa incommoda à suis atque ab externis perpessa est. Ibi enim incendia bellorum recidiua exordium sumunt, sed pene Græcorum vires consumptas, exustasque perimunt.

De discordia Siciliensium, id est, inter Catinenses & Siracusanos, quia auxilia petentes à Lacedæmoniis atque Atheniensibus, non solum hac occasione Sicilia, sed & tota Græcia grauissimis bellis attrita est.

CAP. XI.

IGitur dum discordia regni Sicilienses laborant, Catinenses contra Siracusanos, quos graues infestosque patiebantur, ab Atheniensibus auxilia poposcerunt. Athenienses autem instructā classem in Siciliam miserunt. Hi vero qui missi fuerant, cæsis hostibus prospera initia sumpserunt. Hinc maiores copias robustioremque exercitum, ducibus Micea, & Iamacho cum tantis viribus Siciliam repetunt, vt & hi suffragia sua timerent qui impetrauerāt. Athenienses duas illico pedestres pugnas secundis successibus, faciūt: confectos in vrbe hostes, & obiecta classe circumdatos, terra marique concludūt. At Siracusani fractis fessisque rebus, auxilium à Lacedæmoniis petunt, à quibus mox mittitur Gilippus, cum copiis præsidiorum. Qui mox vt venit Siciliam, duob. prœliis victus nec territus ab Atheniensibus, tertio congressu Iamachum occidit, hostes in fugam vertit: socios obsidione liberauit. Gilippus namque Miceam ac Demosthenē, in Sicilia vicit. Igitur Athenienses biennio apud Siciliam non sine Lacedæmoniorū damno conflictati sunt. Alcibiades enim dux, ab Atheniensibus fugiens Lacedæmoniam se contulit, impulitq; Spartanos, vt Atheniensibus nouo bello insisterent, cum quibus totam Græciam aduersus Athenienses excitauit. Darius etiam rex Persarum paterni auitique memor odij, aduersus hanc vrbem Partissafernem præfectum Lydiæ copias sumptusque belli direxit. Mirum dictu, Atheniensium tantas ea fuisse tempestate opes: vt cum aduersus eos hoc est aduersus vnam vrbem, Asiæ atque Græciæ totiusque Orientis viribus incursum sit: pugnando sæpe nec vnquam cedendo consumpti magis viderentur fuisse quā victi; Si quis enim plenius discordiam Atheniensium, & bella grauia quæ sunt perpessi, scire voluerit, actusque Alcibiadis & exilia, librum Orosii aduersus Paganos secundum legat. Verumtamē sapientissimi omnium Athenienses etiam suis malis satis docti, concordia minimas res crescere, discordia maximas labefactari, cunctaque vel bona vel etiam mala, quæ foris geruntur, internis esse radicata & emissa principiis, domi abstersere odia, & foris bella presserunt, reliqueruntque posteris suis, de ruina sui exemplum, de reparatione sui consilium, si tamen ob infirmissimam humanæ mentis mutabilitatem, quod afflictis rebus cōsulitur, in prosperis seruaretur. Sed adeo hoc idem placitum, inter ipsa pene placiti verba corruptum est, vt vix intercedente biennio, Socrates ille clarissimus philosophorum adactus apud eos, sibi vitam veneno extorserit.

Qualiter Artaxerxes contra fratrem suum, scilicet Cyrum dimicauerit & vicerit: & de terræ motu Siciliæ, atque æstu graui Æthnæ: de peste etiam quæ Atheniensibus contigit, laboribusque Romanorum.

CAP. XII.

ARtaxerxes, qui & Meonon cognominatus est, Darii & Parisitidis filius, annis XL. à restauratione vero templi anni erant C. V. Ipse est qui ab Hebræis Assuerus dicitur, sub quo liber Hester confectus est. Iisdem diebus bellum ciuile vix parricidio terminatum est apud Persas. Mortuo enim rege Dario, cum Artaxerxes & Cyrus filii eius de regno ambigerent: tandem magnis apparatibus, magnisque prouinciarum ac populorum ruinis, vtrinque certatum est. In hoc conflictu cum ediuerso concurrentes sibi ambos fratres mutuo casus obiectauisset, prior Artaxerxes vulneratus à fratre, equi velocitate morti exemptus euasit. Cyrus autem mox à cohorte regia oppressus, finem certamini dedit. Artaxerxes ergo, & præda fraternæ expeditionis & exercitu potitus: potestatem regni fratricidio firmauit. His deinde temporibus grauissimo terræmotu concussa Sicilia insuper exæstuantibus Æthnæ montis ignibus, fauillisque calidis, cum detrimento plurimo agrorum, villarumque vastata est. Tunc etiam Athlante ciuitas Locris adhærens terræ * congrua, (*al. contigua.*) repentino maris impetu abscissa, atque in insulam dissoluta est. Atheniensium quoque miserabiles reliquias pestis inuasit, diuque populata est. Nam eo tempore Romani repentinis sæpe hostium eruptionibus comminuti: præterea in hybernis bella sortiti, hyemare sub pellibus. Postremo famem ac frigus in conspectu hostium perpeti coacti sunt, vrbem nouissime sine vllo digno Romanæ virtutis testimonio cuniculis & clandestina obreptione ceperunt. Hanc vtilem magis quam nobilem victoriam primo dictatoris Camilli industria peregerunt de Vientibus. Dehinc irruptio Gallorum & incendium vrbis insequitur. Cui cladi audeat quisquam, si potest, aliquos motus huius temporis comparare: quamuis non æque pendeat, præteriti mali fabulam præsentis iniuriæ.

De Gallis, qui Romam incenderunt, vastauerunt ac nouissime vendiderunt. A

CAP. XIII.

Igitur Galli Senones duce Brenno, exercitu copioso & robusto nimis, cum vrbem Elusim, quæ nunc Tuscia dicitur obsiderent, legatos Romanorum, qui tunc componendæ inter eos pacis gratia venerant, in aciem aduersum se viderunt pugnantes. Qua indignatione permoti Elusini oppidi obsidione dimissa, totis viribus Romam contendunt. Hos ita irruentes Fabius cum exercitu consul excepit: nec tamen obstitit, imo potius hostilis ille impetus, quasi aridam segetem succidit, strauit & transiit. Testatur hanc Fabij cladem fluuius Hallia, sicut Cremara Fabiorum. Non enim facile aliquis similem ruinam Romanæ militiæ recensuerit, etiam si Roma insuper incensa non esset. Patentem Galli vrbem penetrant, trucidant rigentes simulacrorum modo in suis sedilibus senatores, eosque incendia domorum crematos, lapsu culminum suorum sepeliunt. Vniuersam reliquam iuuentutem, quam constat vix mille hominum tūc fuisse in arce Capitolini montis, latentem obsidione concludunt. Ibique infelices reliquias, fame, peste, desperatione, formidine terunt, subigunt, vendunt. Nā mille libris auri discessionis precium paciscuntur: non quod apud Gallos Roma parui nominis fuerit, sed quod illam sic iam ante detriuerint, vt amplius tunc valere non posset. Exeuntibus Gallis, remanserat in illo quondam vrbis ambitu, informium ruinarum obscœna congeries, & vndique per impedimenta errantium, & inter sua ignotorum offensæ vocis imago respondens, trepido suspendebat auditus. Horror quatiebat animos silentia ipsa terrebant. Siquidem materia pauoris est, raritas in spatiosis. Hinc illis mutare sedes, aliud incolere oppidum, altero etiam censeri nomine, cogitatum placitum atque tentatum est.

Quibus diebus Socrates & Plato claruerint.

CAP. XIV.

Qvibus diebus Archelaüs, Amintas, Pausanias, Argeus, item Amintas sibi inuicem succedentes, regnabant apud Macedones. In Sicilia vero Dionysius tyrannidem exercet. Socrates etiam apud Athenienses tunc claruit magister Platonis. Socrates ergo primus vniuersam philosophiam, ad corrigēdos componendosque mores flexisse memoratur: cum ante illum omnes magis Physicis, id est, naturalibus rebus perscrutandis operam maximam impenderunt, finemque bonum fieri non posse, nisi bene viuendo, docuit. Nolebat itaque immundos terrenis cupiditatibus animos extendere in diuina & conari, quandoquidem
D ab eis causas rerum videbat inquiri, quas primas atque summas, non nisi in vnius ac summi Dei voluntate esse credebat. Vnde non eas putabat, nisi munda mente posse comprehendi, & ideo purgandæ bonis moribus vitæ censebat instandum, vt deprimentibus libidinibus exoneratus animus, naturali vigore in æterna se attolleret: naturamque incorporei & incommutabilis luminis vbi causæ omnium factarum naturarum stabiliter viuunt, intelligentiæ puritate conspiceret. Imperitorum tamen inuidia excitatis Atheniensibus, calumniosa criminatione damnatus, morte multatus est.

Sed cum postea illa ipsa, quæ publice damnauerat, Atheniensium ciuitas publice luxit. In duos eius accusatores vsque adeo populi indignatio conuersa est, vt vnus eorum oppressus vi multitudinis interiret; exilio autem voluntario atque perpetuo, pœnam similem alter euaderet. Tam præclara igitur vitæ, mortisque fama Socrates reliquit plurimos suæ philosophiæ sectatores. Quorum certatim studium fuit, in quæstionum moralium disceptatione versari: vbi agitur de summo bono, sine quo fieri homo beatus non potest. Igitur Plato inter omnes Socratis discipulos gloria & fama eminentior fuit: nec immerito, cum determinasset finem boni esse secundum virtutem viuere, & ei soli euenire posse, qui notitiam vnius Dei habeat & imitationem: nec esse aliam ob causam beatum. Qui Plato cum apud suos honesto natus esset loco Athenis, ingenioque mirabili longe suos condiscipulos anteiret, Socratica non contentus disciplina, longe, lateque peregrinatus est: quaqua versum alicuius nobilitate scientiæ percipiendæ eum fama rapiebat: Itaque & in Ægypto didicit quæcunque magna illic habebantur atque docebantur, & inde in eas partes Italiæ veniens, vbi Pythagoræ fama celebrabatur, & quicquid Italicæ fuit philosophiæ facillime
B comprehendit: & quia magistrum Socratem singulariter diligebat, eum loquentem faciens fere in omnib. sermonib. suis, etiam illa quæ vel ab aliis didicerat, vel ipse quanta potuerat intelligentia viderat, cum illius lepore, & moralibus disputationibus temperauit.

Itaque cum studium sapientiæ in actione & contemplatione versetur, vna pars eius actiua, altera contemplatiua dici potest: quarum actiua ad agendam vitam, id est, ad mores instruendos pertinet, contemplatiua autem ad conspiciendas naturæ causas, & sincerissimam veritatem, Socrates in actiua excelluisse memoratur: Pythagoras vero magis contemplatiuæ, quibus potuit, intelligentiæ viribus institisse.

Proinde Plato vtrumque iungendo, philosophiam perfecisse laudatur, quam in tres partes distribuit, vnā moralem, quæ maxime in actione versatur: alteram naturalem, quæ contemplationi deputata est: tertiam rationalem, quæ verum disterminat à falso. Quæ licet
C vtrique, id est, actioni & contemplationi sit necessaria: maxime tamen contemplatio perspectionem vendicat veritatis. Ideo hæc tripartitio non est contraria illi distinctioni, qua intelligitur omne studium sapientiæ in actione & contemplatione consistere: & Athenienses vigintiquatuor literis vti cœperunt, cum ante vigintiduas tantum haberent. Xenophon & Thisias clari habentur. Diogenes cognoscitur, Eudoxus astrologus, Plato quoque & Xenophon, nec non & alij Socratici insignes habentur. Euagoras cum regnaret Cypri, in furorem versus est. Facto etiam terræmotu magno Elica & Bura, Peloponensium vrbes absorptæ sunt. Tunc etiam fuit Carthaginensium bellum illud famosissimum.

Regnante Artaxerxe, qui & Ochus dicebatur, Iohannes summus sacerdos Iudæorum Iesum fratrem suum in templo interfecit. Pro quo scelere multa passi sunt Iudæi grauia.

CAP. XV.

Artaxerxes, qui & Ochus, annis vigintisex imperauit. A reædificatione vero templi, annus centesimus quadragesimusquintus erat. Macedonum vero reges, Alexander, Ptolomæus, Perdica, Philippus, sibi inuicem per interualla succedentes breuia. Iudæorum vero sacerdos Iohannes filius Iudæ, qui fratrem suum Iesum sacerdotium ambientem, in templo interfecit. Propter quod facinus Vagosus dux regis Artaxerxis, qui Iesum diligebat, in templum ingressus violauit, & populum Iudæorum propter hanc causam in seruitutem redegit, nec hostias offerri quotidianas prius in templo permisit, quam pro vnoquoq; anno vectigal exigeret, drachmas scilicet quinquaginta. Hac vsus occasione annis septem, pro neco

Iesu sacerdotis populum afflixit dicens: quod nunquam prius nec apud Græcos, nec apud Barbaros, ita crudeliter vel scelerate factum sit. Vnde nec Deus hoc impune dimisit.

Qualiter Artaxerxes Græcis pacem indixerit, & Ægyptum euersam suo iunxerit imperio.

CAP. XVI.

Artaxerxes ergo post transactum in Ægypto maximum, diuturnumque bellum, plurimos, Iudæorum in transmigrationem duxit, atque in Hircania ad Caspium mare habitare præcepit. Interea Artaxerxes rex Persarum, vniuersis Græciæ populis per legatos, vt ab armis decederent, & paci acquiescerent, imperauit: non quia misericorditer fessis consuleret, sed ne se in Ægypto bellis occupato aliqua in regnum suum tentaretur irruptio. Cuncti igitur Græci optatissima quiete domesticoque otio resoluti sunt. Qui vtrique tam constanter contemnere poterant, quam fortiter sæpe vicerūt maximas Persarum copias, si non ipso tantum adnuntiatæ pacis sono, per corda cunctorum ægra belli tabuisset intentio. Quanta enim bella sibimet grauia, ac intolerabilia inuicem gesserint, alternisque cædibus atque miseriis se affecerint Lacedæmonij cum Atheniensibus, Arcades cum Lacedæmoniis, quomodo Conon Atheniensis dux Persici exercitus, quomodo Spartanos afflixerit, & eum Agesila pede claudo, ingenio acerrimo duce Lacedæmoniorum pugnauerit, ac demum vicerit, testis est ipsa quietis pax tam libentissime à fortibus viris suscepta, & illud iudicium, quod vix cum Lacedæmoniis centum inuenti sunt senes. Sed qui hæc plenius scire voluerit, in libro tertio Horosii contra paganos inueniet. Artaxerxes autem, qui & Ochus Sydonem subuertit, & Ægyptum suo coniunxit imperio, Necthanaph in Æthiopiam pulso, in quo Ægyptiorum regnum est destructum.

Quibus diebus pestilentia ingens Romam crudeliter vastauerit, terraque in vrbe dehiscens, Curtium virum equestrem absorbuerit viuum. Tunc etiam Galli contra Romanos conspirantes, ter deuicti sunt.

CAP. XVII.

Quo etiam tempore ingens vniuersam Romam pestilentia corripuit non (vt assolet) plus minusve solito temporum turbata temperies, hoc est, aut intempestiua siccitas hyemis, aut repentinus calor veris, aut incongruus humor æstatis, vel autumni diuitis indigesta illecebra. Insuper etiam expirata de Calabris saltibus aura corrumpens, repentinos acutarum infirmitatum afferre transcursus, sed grauis diuturnaque in nullo dispar sexus, in nulla ætate dissimilis, generali cunctos per biennium iugiter tabe confecit, vt etiam quos non egit in mortem, turpi macie exinanitos afflictosque dimiserit. Sequitur hanc miseram luē, miseriorem que eius expiationem proximo anno satis triste prodigium. Repente siquidem medio vrbis terra dissiluit, vastoque præterupto hiantia subito inferna patuerunt. Manebat diu ad spectaculum, terroremque cunctorum patenti voragine impudens specus, nefariamque viui hominis sepulturam diis interpretibus expetebat. Satisfecit improbis faucibus præcipitio sui. M. Curtius vir eques armatus, iniecitque crudeli terræ inopinam satietatem, cui parum esset quod ex tāta pestilentia mortuos per sepulchra susciperet, nisi etiam viuos scissa sorberet. Hinc iterum terribilis Gallorum inundatio iuxta Anienem fluuium ad quartum ab vrbe lapidem consedit, facile sine dubio pondere multitudinis & alacritate virtutis perturbatam, occupaturaque ciuitatē, nisi otio & lenitudine torpuisset: vbi atrocissimam pugnam Manlius Torquatus singulariter inchoauit. T. Quintius Dictator cruentissima congressione confecit, Fugati ex hoc prælio plurimi. Galli instauratis iterum copiis, in bellum ruentes à Gaio Sulpitio dictatore superati sunt. Post paulum quoque Tuscorum pugna, sub C. Martio consecuta est. Vbi coniici datur, quantus hominum numerus cæsus sit, quando octo millia sunt capta Tuscorum Tertio autem in iisdem diebus Galli se in prædam per maritima loca, subiectosque campos ab Albanis montibus diffuderunt. Aduersus quos nouo militum delectu habito, conscriptisque legionibus decem, sexaginta millia Romanorum negatis sibi Latinorum auxiliis processerunt. Confecit hanc pugnam Marcus Valerius auxiliante coruo alite, vnde postea Coruinus est dictus. Occiso enim prouocatore Gallo, hostes territi, sparsimque fugientes, grauiter trucidati sunt. Nec tamen contenti Romani suis eos mœnibus expulisse, cum per Italiam naufragia sua latius traherent, sic persecuti sūt eos, vt post aliquot annos omnes eorum reliquias in Hetruria ad lacum Vadi montis Dolabella consul deleret, ne quis extaret ex ea gente qui incensam à se Romanam vrbem gloriaretur. Manlius vero Torquatus consul, qui post stragem Gallorum Latinos deuicit, filium suum quod contra eius imperium hostes aggressus vicerat, Metiumque Tusculanum nobilissimum equitem interfecit, prouocantes atque insultantes hostes occiderat, virgis cæsum securi percussit.

De hoc, quod nox longior solito facta est, & veri lapides è cælo ruentes, terram grauiter attriuerunt. Et hoc factum est quando Magnus Alexander Macedo nascitur. Quibus diebus Aristoteles celebratur insignis, & Plato moritur.

CAP. XVIII.

Eodem etiam tempore nox vsq; ad plurimam diei partem tendi visa est, & saxea de nubibus grando descenderis, veris terram lapidibus verberauit. Quibus diebus etiam Alexander Magnus, vere ille gurges miseriarum atque atrocissimus turbo totius orientis est natus. Tunc Demosthenes orator agnoscitur, Aristoteles philosophus ore omnium celebratur, Plato moritur, post quem Academiam Speusippus tenuit.

Quod regnante Arxe, Romanorum matronæ in scelere venefico sunt deprehensæ. Philippus autem Macedonum rex, pater Alexandri Magni, bella plurima peregit, ciuitates euertit, nationes innumeras perdomuit.

CAP. XIX.

Arxes filius Ochi, annis quatuor apud Persas regnat. A reædificatione vero templi, annos centū septuaginta vnus er. r. Iaddus vero defuncto Iohanne patre illius principatum suscepit sacerdotij Iudæorum. Quibus diebus incredibili rabie, & amore scelerum Romanæ matronæ exarserunt. Erat vtrique fœdus ille ac pestilens annus, impletæque iam vndique cateruatim strages gerebantur. Et adhuc tamen penes omnes de corrupto aëre simplex crudelitas erat, cum existente quadam ancilla indice & conuincente, primum multæ matronæ vt biberent, quæ coxerant, venena compulsæ.

Deinde simul vt hausere, consumptæ sunt. Tanta autem multitudo fuit matronarum in his facinorib. consciarum vt ccclxx. damnatæ ex illis simul fuisse ferantur. Tunc Alexander rex Epirotarum, Alexandri illius magni auunculus, traiectis in Italiam copiis, cū bellum

aduersus Romanos pararet, & circa finitimas Romæ vrbes firmare vires exercitus sui, auxiliaque vel sibi acquirere, vel hostibus subtrahere studens, bellis exercetur: à Samnitibus, qui Lucanæ genti suffragabantur, maximo bello in Lucania victus atque occisus est. Hunc alij ferunt fuisse Pyrrhum, quia à Tarentinis euocatus, vt auxilia eius præberet aduersus Romanorum arma, Tarentus vero Lacedæmoniorum opus, Calabriæ quondam & Apuliæ, totiusque Lucaniæ caput, diuitijs, magnitudine, muris, portu ipsoque situ mirabilis. Igitur Pyrrhus, semi-Græcam ex Lacedæmonis conditoribus ciuitatem vindicaturus, cum totis viribus Epiri Thessaliæ, Macedoniæ incognitisque in id tempus elephantis, mari, terra, viris, equis, armis, addito insuper ferarum terrore, quarum magnitudine & deformitate, & nouo odore simul, ac stridore, Leuino consule, in prima pugna consternati Romanorum equi, cum incognitas sibi belluas, amplius quam erant suspicarentur, fugam, stragemque late dederunt. Hoc bellum in Apulia, deinde in Asculo melius dimicatum est, Curio, Fabritioque consulibus. Iam quippe terror belluarum exoleuerat, & Gaius Munitius quartæ legionis hastatus, vnius promuscide abscisa, mori posse belluas ostenderat. Itaque in ipsos pila congesta sunt, & in turres vibratæ faces, tota hostium agmina, ardentibus ruinis operuerunt: nec alius cladi finis fuit, quam eos nox dirimeret; postremusque fugientium rex ipse à satellitibus humero saucius in armis suis ruit. Lucaniæ pugna ducibus iisdem, quibus superius, sed bello & pace foris & domi omnem in partem Romana virtus tum se approbauit. Cum Pyrrhus ille terribilis post primæ pugnæ victoriam, intellecta Romanorum virtute, facto fœdere (quamuis vinceret) in amicitiam recipi voluit, sed abnegauit senatus. Nec aliam magis, quam Tarentinam ostendit populi Romani fortitudinem, senatus sapientiam, ducum magnanimitatem: nec alius pulchrior in vrbe aut speciosior triumphus intrauit.

Ante hunc diem nihil præter pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma viderunt. Tum autem si captiuos aspiceres, Molossi, Thessales, Macedones, Brutius, Apulus atque Lucanus: si pompam, aurum, purpuram, signa, tabulæ, Tarentinæque deliciæ. Sed nihil libentius populus Romanus aspexit, quam illas, quas timuerat, cum turribus suis belluas: quæ non sine sensu captiuitatis, summissis ceruicibus victores equos sequebantur.

Sed quoniam gentium diuersarum actus, partim libando recensere disposui: nunc Alexandri istius casu commonitus, de Philippo Lacedæmoniorum rege, qui Olympiadem huius Alexandri Epirotæ sororem vxorem habuit, ex qua Alexandrum Magnum genuit, paucissimis annis retro repetitis, magna paruis inquantum potero, colligam syllabis. Igitur Philippus Amintæ filius, Alexandri pater, regnum Macedonum adeptus xxv. annis tenuit: quibus hos omnes acerbitatum aceruos, cunctasque malorum moles struxit. Hic primum ab Alexandro fratre obses Thebanis datus, per triennium apud Epaminondam, strenuissimum imperatorem, & summum philosophum eruditus est.

Ipso autem Alexandro scelere Euridicis matris occiso, quamuis etiam commisso adulterio, & altero primum filio interfecto, filiaque viduata, generi nuptias, mariti morte pepigisset, compulsus à populo regnum quod paruo occisi fratris filio tuebatur suscepit qui cum foris concursu exurgentium vndique hostium, domi autem deprehensarum sæpe insidiarum metu fatigaretur, primum bellum cum Atheniensibus gessit, quibus victis, arma ad Illyrios transtulit: multisque millibus hostium trucidatis, Larissam vrbem nobilissimam cepit: Inde Thessaliam non magis amore victo-

A riæ, quam ambitione habendorum equitum Thessalorum, quorum robur vt exercitui suo admisceret, inuadit. Ita Thessalis ex improuiso præoccupatis atque in potestatem redactis, jungendo equitum peditumque fortissimas turbas & copiosas, inuictissimum fecit exercitum. Igitur victis Atheniensibus subjectisque Thessalis Olympiadem Aruchæ regis Molossorum sororem duxit vxorem. Qui Arucha cum per hoc quod societatem Macedonum affinitate regis pacisceebatur, imperium suum se dilataturum putaret: per hoc deceptus amisit, priuatusque in exilio consenuit. Deinde Philippus, cum Mothonam vrbem oppugnaret, ictu sagittæ oculum perdidit, ipsam vero vrbem mox expugnauit & cepit, exin Græciam prope totam consilijs præuentam viribus domuit. Quippe Græciæ ciuitates dum imperare singulæ cupiunt, imperium omnes perdiderunt, & dum in mutuum exitium sine modo ruunt, omnibus perire, quod singulæ amitterent, oppressæ demum seruientesque senserunt. Quarum dum insanas concertationes Philippus veluti specula obseruat, auxiliumque semper inferioribus suggerendo, contentiones bellorum fomites callidus doli artifex fouet, victos sibi pariter victoresque subiecit. Igitur quantis affecerit totam Græciam miseriis, aliosque à quibus pace susceptus hostiliter inuadit, crudeliter diripit, omnique societatis conscientia penitus abolita, conjuges, liberosque omnium sub corona vendidit, templaque vniuersa subuertit. Post hæc in Cappadociam transiit, ibique bellum pari perfidia gessit: captos per dolum finitimos reges interfecit, totamque Cappadociam suo imperio subdidit. Inde post cædes, incendia, ac prædationes, quas gesserat in vrbibus sociis, ad parricidia conuersus, fratres quos cohæredes regni verebatur, interfecit, supplicio ac neci dedit. Inde omnium vrbes finesque populatus, ciuenta præsentia effecit vt etiam absens timeretur. Igitur alios populos sedibus suis auulsos, finibus hostium opposuit: alios in extremis regni terminis statuit: quosdam æmulatione virium, ne possint quod posse creduntur, in supplementa exhaustarum vrbium diuidit. Ita gloriosissimum illud quondam florentis Græciæ corpus, in multas laceratasque particulas, extincta primum libertate concidit. Præterea cum eum duo fratres Thraciæ reges, ex consensu præoptauissent iudicem, Philippus more ingenij sui ad iudicium tanquam ad bellum cum instructo exercitu ingressus, inscios juuenes vita regnoque priuauit. Ad Scythiam quoque cum Alexandro filio prædandi intentione pertransiit: commissoque prælio, cum Scythæ & numero & virtute præstarent, Philippi fraude vincuntur. In ea pugna viginti millia puerorum ac fœminarum Scythicæ gentis capta: pecorum magna copia abducta, auri atque argenti nihil repertum. Nam & ea res primo fidem inopiæ Scythicæ dedit. Viginti millia nobilium equarum sufficiendo genere in Macedoniam missa sunt. Sed reuertenti Philippo Triballi bello obuiant, in quo ita Philippus in fœmore vulneratus est, vt per corpus eius equus interficeretur. Statim vero vt conualuit, Atheniensib. bellũ intulit, qui in tãto discrimine positi, Lacedæmonios quondã hostes, tunc socios asciscũt, totiusq; Græciæ ciuitates, legationib. fatigant, vt cõmunem hostẽ, communib. viribus petant. Itaq; aliquãtæ vrbes Atheniensib. sese conjunxere. Quasdam vero ad Philippũ belli metus traxit. Prælio commisso, cum Athenienses longe majore numero militũ præstarẽt, assiduis tamen bellis indurata Macedonũ virtute vincuntur. Quã pugnam lõge omnib. ante priorib. bellis atrociorẽ fuisse, ipse rerũ exitus docuit. Nam hic dies apud vniuersam Græciã acquisitæ dominationis gloriã & vetustissimæ libertatis statum finiuit. Postea Philippus cruentissimã victoriam in Thebanos & Lacedæmonios exercuit. Siquidem principes ciuitatum, alios securi percussit,

alios in exilium egit, omnibus bonis priuauit. Pulsos dudum à ciuibus in patriam restituit. Ex quibus trecentos exules iudices rectoresque præfecit: qui vt antiquum dolorem noua potestate curarent, pressos infelicitet populos in spem libertatis respirare non sinebant. Præterea magno delectu militum in subsidium regiæ dispositionis ex tota Græcia habito, ducenta millia peditum & quindecim millia equitum absque exercitu Macedonum, & infinita gentium barbararum Persica expeditione in Asiam missurus instruxit. Tres duces, hoc est, Parmenionem, Amintam, & Attalum, præmittendos in Persas legit. Et dum suprascriptæ copiæ de Græcia congregantur, Alexandri, qui erat Olympiadæ vxoris suæ frater, & postea à Sabinis in Lucania prostratus est, vt supra memorauimus quem Epiri regem ob mercedem stupri in eum perpetrati, constituerat, nuptias in copulando ei filiam suam Cleopatram celebrare decreuit. Qui cum pridie quam occideretur, interrogatus fuisset, quis finis homini magis esset optandus, respondisse fertur: Eum esse optimum, qui viro forti post virtutum suarum gloriam in pace regnanti sine conflictione corporis, & dedecore animæ, subitus & celer inopinato ferro potuisset accidere. Quod ipsi mox obtigit. Igitur per viginti & quinque annos, incendia ciuitatum, excidia bellorum, subjectiones prouinciarum, cædes hominum, opum rapinas, prædas pecorum, mortuorum venditiones, captiuitatesque viuorum, vnius regis fraus, ferocia & dominatus agitauit. Sufficerent ista ad exemplum miseriarum insinuata memoriæ nostræ gesta per Philippum, etiamsi Alexander ei non successisset in regnum.

De grauissimis præliis inter Samnites & Romanos, illis diebus gestis. Quibus & Romani à Samnitibus victi, & sub iugum seruitutis missi, iterumque Romani victores per Papyriam ducem suum Samnites vicerunt & iugum deposuerunt.

CAP. XX.

ROmani porro, cum jam bello viginti millia Samnitum Fabio magistro equitum, pugnam conserente, cecidissent: circumspectiore cura Samnites, ac magis instructo apparatu, apud Candinas furculas consederunt. Vbi cum Q. Veturium, & Posthumium consules, omnesque copias Romanorum angustiis locorum, armisque clausissent, Pontius dux eorum intantum abusus est victoriæ securitate, vt Herennium patrem consulendum putaret, vtrum occideret clausos, an parceret subjugatis. Vt viuos tamen dedecori reseruaret, elegit. Romanos etiam antea sæpissime vinci & occidi: nunquam autem capi, aut ad deditionem cogi potuisse, constabat. Itaque Samnites victoria potiti, vniuersum exercitum Romanum turpiter captum, armis, etiam vestimentisque nudatum, tantum singulis vilioribus operimentis, ob verecunda corporum tegenda concessis, sub jugum missum, seruitioque subjectum, longum agere Pompæ ordinem, præceperunt. D. C. autem equitibus Romanis, in obsidatum receptis, oneratos ignominia cæteris rebus vacuos consules remiserunt. Posteriore anno, infringunt Romani firmatam cum Samnitibus pactionem, eosque in bellum cogunt. Quod Papyrio consule insistente commissum, magnas strages vtriusque populi dedit, inde gloria proximæ victoriæ pugnantes instimularet. Tandem Romani pertinacitet moriendo vicerunt: nec cædi pariter vel cædere destiterunt, nisi postquam victis Samnitibus & capto duce eorum, jugum reposuerunt seruitutis. Idem deinde Papyrius Sutricum expulso inde Samnitico præsidio, expugnauit & cepit. Hic autem Papyrius adeo tunc apud Romanos bellicosissimus ac strenuissimus habebatur, vt cum Alexander Magnus, disponere diceretur ab Oriente discedens, obtinere viribus Africam, atque inde Italiam transuehi. Romani inter cæteros duces tunc in Republica sua optimos, hunc præcipuum fore, qui Alexandri impetum sustinere posset, meditarentur. Quibus diebus quidam Hanno nomine priuatis opibus Reipublicæ vires superans, inuadendæ dominationis hausit cupiditatem, cui rei consilium vtile ratus est, vt simulatis vnicæ filiæ nuptiis, omnes senatores quorum dignitatem obstaturam incœptis suis arbitrabatur, inter pocula veneno necaret. Quę res per ministros prodita, sine vltione vitata est: ne in viro potenti, plus negotij faceret res cognita, quam cogitata. Hoc consilio elusus Hanno, alio machinamento facinus aggredi parat, seruitia concitat, quibus repente incautam vrbem opprimeret. Sed cum ante statutam cædibus diem, proditum se præuentumque intellexisset, castellum quoddam cum viginti millibus seruorum armatis occupauit. Ibi dum Afros, regemque Maurorum concitat, captus est: ac primo virgis cæsus, deinde effossis oculis, & manibus cruribusque fractis, velut à singulis membris pœna exigeretur, in conspectu populi necatus est. Corpus verberibus lacerum cruci suffixum est: filij cognatique omnes supplicio traditi nequis, eum eiusdem familiæ vnquam aut imitari, aut vlcisci meditaretur. Hæc temporibus Philippi gesta sunt. Quo in tempore Xenocrates philosophus illustris habetur.

Regnante Dario, quem Alexander occidit, Iaddus princeps & sacerdos Iudæorum depulit fratrem suum Manassem à sacerdotio, quia duxerat vxorem filiam Satrapæ Samariæ. Qua occasione ædificatum est templum in monte Garzarim, ad instar Hierosolymitani.

CAP. XXI.

DArius Arsami filius annis * v. (*al.* vi.) à reædificatione vero templi anni sunt CLXXVI. Iaddus princeps sacerdotum erat Iudæorum. Erat autem huius frater Manasses, cui suam filiam delegauit vxorem Sanabalath missus à Dario ad Samariam satrapa genere Cutheus, ex quibus & Samaritæ descendunt: Principes quoque sacerdotum cum populo hoc indigne ferebant. Nam extitisse etiam priorem captiuitatem per hæc conjugia mala putabant: quod multi in his peccassent, dum non vxores prouinciales ducerent. Iubebant ergo Manasse disiungi ab vxore, aut non introire sacrarium. Manasses autem prohibitus à fratre accedere ad altare, ad socerum Sanabalath peruenit. Itaque Sanabalath non ei solum sacerdotium, sed etiam principatum sacerdotij, & potentiam ac honorem omnium locorum sibi subiectorum dare promisit. Qua de re templum ei accepta occasione opportuni temporis ædificauit, ad instar Hierosolymorum super montem Garzirim, qui latior omnibus Samariæ montibus apparebat, quoniam Alexandrum aduersus principem sacerdotum Sanabalath ira commotum nouit, dum non venalia exercitui, & ea quæ prius Dario conferre solebat, mitteret Alexandro, dum obsideret Tyrum. Sanabalath namque iam desperato Dario, eligens de suis octo millia, profectus est ad Alexandrum. Cuius adeptus est gratiam: & ab eo impetrauit vt templum ædificaret iam prædictum. Hoc autem & rei profuturum visum est: vt in duas partes potentia Iudæorum esset diuisa, ne gens conjuncta rebellaret. Permansit autem templum illud, & si quis culpam habuisset apud Hierosolymitas, aut de cibo inlicito seu de transgressione legis, ad Sychemitas recedebat: in his constituti Hierosolymitæ degebant.

Quibus diebus Alexander regnum adeptus Macedonum, defuncto patre quanta & qualia intra suam egerit gentem, Parthosque primum bello superauerit, inde autem Ægyptum Syriamque subiugando Hierosolymam peruenit, intactumque templum reliquit muneribus honoratum, iterumque duobus prœliis copias Parthorum delens, demum interemit Darium, in alienos crudelißimus, in proximos impius existens.

CAP. XXII.

ALexander vero rex Macedonum, patri Philippo successit in regnum, qui primam experientiam animi & virtutis suæ compressis celeriter Græcorum motibus dedit. Quibus author vt ab imperio Macedonum deficerent, Demosthenes orator auro Persarum corruptus extiterat. Itaque Atheniensibus bellum deprecantibus remisit, quos insuper etiam multo metu soluit. Thebanos cum diruta ciuitate deleuit, reliquos sub corona vendidit. Cæteras vrbes Achaiæ & Thessaliæ vectigales fecit. Illyrios & Thracas translato mox abhinc bello domuit. Inde profecturus ad Persicum bellum, omnes cognatos ac proximos suos interfecit. In exercitu eius fuerunt peditum xxxii. millia, equitum iiii. millia D. naues. CLXXX. ac tam parua cum manu, vniuersum terrarum orbem, vtrum mirabilius sit quia vicerit, an quia aggredi ausus fuerit, incertum est. Primo eius cum Dario rege congressu, sexcenta millia Persarum in acie fuere, quæ non minus arte Alexandri superata quam virtute Macedonum terga verterunt. Magna igitur cædes Persarum fuit. In exercitu vero Alexandri centum viginti equites & nouem tantum pedites defuere. Deinde Gordien Phrigiæ ciuitatem, quæ nunc Sardis vocitatur, obsessam expugnatamque cepit, ac direptioni dedit. Inde nunciatur ei Darii cum magnis copiis aduentus. Qui timens angustias locorum quibus inerat, Taurum montem mira celeritate transcendit: & quingentis stadiis sub vna die cursu transmissis Tharsum venit. Ibique cum sudans in Cidnum præfrigidũ amnem descendisset, obriguit: contractuque neruorum proximus fuit morti. Interea Darius cum trecentis millibus peditum, & centum millibus equitum in aciem procedit. Mouebat hæc multitudo hostium etiam Alexandrum: maxime respectu paucitatis suæ: quamuis iam pridem, sexcentis millibus hostium eadem paucitate superatis, non solum non timere pugnam, sed etiam victoriam sperare didicisset. Itaque cum intra iactum teli vterque constitisset exercitus, & intentos ad signum belli populos discurrentes principes, variis incitamentis acuerent, ingentibus vtrinque animis pugna committitur, in qua ambo reges, & Alexander scilicet & Darius, vulnerantur, ac tamdiu certamen anceps fuit, quoadusque fugeret Darius. Exinde cædes Persarum subsecuta est. Ibi tunc peditum octoginta millia, equitum x. millia cæsa, capta xl. millia fuere. Ex Macedonibus vero cecidere pedites cxxx. equites cl. In castris Persarum multum auri, cæterarumque opum est repertum, inter captiuos castrorum mater & vxor eademque soror, & filiæ duæ Darii fuere, quarum redemptionem Darius, cum etiam oblata regni dimidia parte non impetrasset, tertio cunctis Persarum viribus sociorumque auxiliis contractis bellum instaurat. Sed dum hæc Darius agit, Alexander Parmenionem ad inuadendam Persicam classem, cum copiis mittit: ipse in Syriam proficiscitur: vbi ex multis sibi regibus cum insulis vltro occurrentibus, alios allegit, alios mutauit, alios perdidit. Inde ad Iudæam tendens Hierosolymam ascendit, cui Iaddus princeps sacerdotum cum hyacinthina & aurea stola, habens etiam super caput cidarim, ac laminam auream: cæteri vero sacerdotes cum byssinis stolis, reliqua multitudo cum vestibus albis occurrunt. Sic enim principi sacerdotum consu-
A lenti, dominus per somnium ostenderat indignationem posse regis effugere. Alexander autem solus adiit, & nomen Dei quod in aurea lamina erat scriptum, adorauit: principemque sacerdotum primus veneratus est. Omnibus vero Iudæis vna voce Alexandrum salutantibus & circumstantibus regibus Syriæ & reliquis, hoc facientem stupuerunt, corruptamque regis mentem putauerunt. Parmenius vero solus eum interrogauit dicens: cur eum omnibus adorantibus, ipse adorasset principem sacerdotum gentis Iudææ. Cui ille: Non hunc, inquit, adoraui, sed Deum, cuius Principatu sacerdotij functus est. Nam per somnium in huiusmodi eum habitu conspexi: adhuc in Dio ciuitate Macedoniæ constitutus. Dumque mecum cogitassem an possem Asiam vincere: incitauit me nequaquam negligere, sed confidenter transire, Nam se perducturum meum dicebat exercitum, & Persarum tra-
B diturum potentiam: ideoque neminem alium in tali stola videns, cum hunc animaduertissem habens visionis & probationis nocturnæ memoriam salutaui: Exinde arbitror me diuino iuuamine delectum, Dariumque vicisse, virtutemque soluisse Persarum. Præterea & omnia quæ meo corde sperantur, prouentura confido. Postquam Parmenioni locutus est: principem sacerdotum honorans, accurrentibus reliquis sacerdotibus ad ciuitatem vsque peruenit. Ad templum ascendens sacrificauit Deo, secundum sacerdotis ostẽsionem: ipsi autem principi sacerdotum, & reliquis sacerdotibus munificenter multa donauit. Oblato vero ei volumine Danielis, in quo scriptum erat quendam Græcorum perditurum Persarum potentiam, arbitratus seipsum esse quem scriptura significabat, conuocans Iudæos iussit petere, quas vellent accipere donationes. Principe ergo petente, vt liceret patriis vti legibus & septimum annum sine tributis esse manda-
C ret: omnia concessit. Inde ad alias vrbes profectus, Tyrum vrbem antiquissimam & florentissimam fiducia Carthaginensium sibi cognatorum obsistentem oppressit & cepit. Exin Syriam, Rhodum atque Ægyptum, pertinaci furore peruadit. Inde ad templum Iouis Hammonis pergit: vt mendacio ad tempus composito, ignominiam sibi patris incerti, & infamiam adulteræ matris aboleret. Nam accersitum ad se phani ipsius antistitem, ex occulto monuit, quid sibi tanquam consulenti responderi velit, sicut historici eorum dicunt. Ita certus Alexander fuit, nobisque prodidit diis ipsis surdis & mutis, vel in potestate esse antistitis, quid velit fingere: vel in voluntate cõsulentis, quid malit audire. Reuertens ab Hammone ad tertium bellum Persicum, Alexandriam in Ægypto condidit. Darius vero spe pacis amissa, quadraginta quatuor peditum, & centum millia equitum, Alexandro ab Ægypto reuertenti, apud Tharsum bello opponit. Nec pugnæ mora, omnes cæca rabie in ferrum ruunt. Macedones toties à se victis hostibus animosi: Persæ nisi
D vincant, mori præoptantes: raro in vllo prælio tantum sanguinis fusum est. Sed Darius cum vinci suos videret, mori in bello paratur, persuasu suorum fugere compulsus est. Hoc prælio Asiæ vires, & regna conciderunt, totusque oriens, in potestatem Macedonici cessit imperij, atque ita attrita est in hoc bello Persarum omnis fiducia, vt post hoc nullus rebellare ausus sit. Patienterque Persæ post imperium cor annorum iugum seruitutis acceperunt. Alexander trigintaquatuor continuis diebus castrorum prædam percensuit, Persepolim caput Persici regni, famosissimam & confertissimam opibus totius orbis inuasit. Darium vero cum à propinquis suis vinctum compedibus aureis teneri comperisset, persequi statuit. Itaque iusso vt subsequeretur exercitus, ipse cum vi. millibus equitum profectus, inuenit in itinere solum relictum multis confossum vulneribus Darium, extrema vitæ per vul-

nera efflantem. Hunc mortuum, inani misericordia referri in sepulchra maiorum, sepelirique præcepit. Cuius non dicam matrem, vel vxorem, sed etiam partulas filias crudeli captiuitate retinebat. In tanta malorum multitudine difficillima dictis fides, tribus prælijs, totidemque annis, quinquies decies centena millia equitum consumpta, & hæc quidem ex eo regno, illisque populis, vnde iam ante annos non multo plures, decies nouies centena millia profligata referuntur: quanquam extra has clades, per eosdem tres annos, & Asiæ ciuitates plurimæ oppressæ sint, & Syria tota vastata, Tyrus excisa, Cicilia exinanita, Cappadocia subacta, Ægyptus addicta sit, Rhodus quoque insula vltro ad seruitutem tremefacta successent, plurimęque subiectæ Tauro prouinciæ, atque ipse mons Taurus diu detrectatum iugum domitus & victus acceperit; & ne forte tunc quisquam opinetur vel orientem solum Alexandri viribus subactum, vel Italiam tantummodo Romana inquietudine fatigatam, tunc etiam bellum Hagidis Spartanorum regis in Græcia, Alexandri regis Epiri in Lucania, Zophyrionis præfecti in Scythia gerebatur. Quorum Hagidis Lacedæmoniis excitata rebellante secum vniuersa Græcia cum Antipatre, fortissimis copiis congressus, inter magnas vtrorumque strages & ipse procubuit. Alexander autem in Italia affectans occidentis imperium, æmulans Alexandrum Magnum, post numerosa & grauia bella ibidem gesta à Brutis Lucretiisque superatus est, corpusque eius ad sepulturam venditum, vt supra memini. Zophyrion vero præfectus Ponti, adunato triginta millium exercitu, Scythis bellum inferre ausus, & vsque ad internecionem cæsus, funditus cum omnibus copiis suis abrasus est. Occiso namque Dario, vt præmisimus, Persarum regnum concidit. Alexandrinorum autem nascitur, quod regnum est Ægypti. Alexander Macedo annis quinque. Huius enim quinque anni postremi, in ordine numerantur, quibus monarchiam obtinuit orbis. Nam septem eius priores, sub regno Persarum supputantur. A reædificatione vero templi, annus centesimus octogesimusprimus erat.

Constructa Alexandria in Ægypto, destructoque Persarum imperio, per quinquennium Alexander monarchiam obtinuit orbis, plurimas deuincens gentes, Indiam petens subiugauit, ceterasque nationes inaccessibiles circa Oceani littora sitas bello oppressit & cepit. Demum Babyloniam rediens, hausto veneno interiit.

CAP. XXIII.

IGitur Alexander Magnus post Darii mortem, Hircanos & Mardos subegit. Vbi etiam illum adhuc bello intentum, Halestris siue Minothea excitata suscipiendæ ab eo sobolis gratia, cum ccc. mulieribus procax Amazon inuenit. Post hæc Parthorum pugnam aggressus, quos diu obnitentes, deleuit propemodum antequam vicit. Inde Traneas. Euergetas, Parimas, Parapemenos aggressus, Adarpios, exterosque populos, qui in radice Caucasi morabantur, subegit: vrbem ibi fecit Alexandriam, super amnem Danaim constitutam. Sed nec minor eius in suos crudelitas, quam in hostem rabies fuit. Docet hoc Amintas consobrinus occisus, nouerca, fratresque eius necati, Parmenio & Philotas trucidati, Attalus Eurilochus, Pausanias, multique Macedoniæ principes extincti. Clitus quoque annis grauis, amicitia vetus, nefarie interfectus. Qui cum in conuiuio fiducia amicitiæ regiæ aduersus regem sua opera patri Philippo præponentem, memoriam patris tueretur: ab offenso frustra rege venabulo transfossus, commune conuiuium cruentauit. Sed Alexander humani sanguinis inexaturabilis, siue hostium, siue etiam sociorum, recentem tamen semper sitiebat eruorem. Itaque pertinaci impetu in bella procurrens, Chorasmos & Dachas, indomitam gentem in deditionem accepit, Challisthenem philosophum, sibique apud Aristotelem condiscipulum, cum plurimis, aliis principibus, cum eum deposito salutandi more, vt Deum non adoraret occidit. Post hæc Indiam petit, vt Oceano, vltimoque oriente finiret imperium, Nisam vrbem adiit, Dædalos montes, regnaque Cleophilis reginæ expugnauit. Quæ cum se dedisset, concubitu regnum redemit. Peragrata, perdomitaque Alexander India, cum ad saxum miræ asperitatis & altitudinis, in quo multi populi confugerant, peruenisset, cognoscit Herculem ab expugnatione eiusdem saxi terræ motu prohibitum. Aemulatione permotus, vt Herculis acta superaret, cum summo labore ac periculo saxo potitus, omnes loci eius gentes in deditionem accepit. Cum Poro fortissimo Indorum rege cruentissimum bellum gessit, in quo Alexander, cum ipso Poro singulariter congressus, occisoque deiectus equo, concursu satellitum præsentiam mortis euasit, Porus multis vulneribus confossus & captus est. Quo ob testimonium virtutis regno restituto, duas ibi condidit ciuitates Niceam & Bucifalem, quam de nomine equi sui ita vocari præcepit. Qui vero plenius scire voluerit quæ in India Alexander pertulerit in inuiis locis, cum immanissimis belluis ac serpentibus auream domum etiam Pori regis prædicti, quæ aureis fulciebatur columnis, miræ magnitudinis, & cæteris mirabilibus ibi repertis, epistolam Alexandri ad matrem & ad magistrum directam, legendo percurrat. Inde Adrestas, Carthenos, Persidas, & Candaridas, cæsis eorum exercitibus Macedones expugnauere. Cum ad Chosides ventum esset, ibi contra cc. millia equitum hostium pugnam conseruerunt, & cum iam fessa ætate detriti, animo ægri, viribus lassi, difficile vicissent: castra ob memoriam plus solito magnifica condiderunt. Exin Alexander ad amnem Agesinem pergit, per hunc in Oceanum deuehitur, vbi Gressonas, Sibosque, quos Hercules condidit, oppressit. Hinc Mandros, & Subagras nauigat. Quæ gentes cum armatis LXXX. millibus peditum, & LX. millibus equitum excipiunt, commissoque prælio diu anceps, & cruenta pugna, tandem tristem pene victoriam Macedonibus dedit. Nam fusis hostium copiis, Alexander exercitum ad vrbem duxit, & cum murum prius ascendisset, vacuam ciuitatem ratus, solus introrsus desiliuit. Quem cum vndique infensi hostes circumdedissent, incredibile dictu est, vt eum non multitudo hostium, non vis magna telorum, non tantum lacessentium clamor terruerit, solus tot millia ceciderit ac fugarit.

At vbi se obrui à circumfusa multitudine persensit, muri obice posteriora tutatus, contrarios facilius eousque sustinuit, donec ad periculum eius, clamoremque hostium perfractis muris exercitus omnis irrumperet. In eo prælio sagitta sub mamma traiectus, fixo genu eatenus pugnauit, donec eum à quo vulneratus esset, occideret. Inde conscensis nauibus, cum Oceani littora peragraret; ad vrbem quandam, cui Ambira rex præerat, peruenit, sed in expugnatione ciuitatis, magnam partem exercitus, sagittis hostium veneno illitis amisit, ac post herbam per somnium sibi ostensam & in potum sauciis datam, cum reliquis subueniretur; vrbem expugnauit & cepit. Post quasi circumactam, & de Oceano Indum flumen ingressus, Babyloniam celeriter rediit, vbi eum exercitarum totius orbis prouinciarum legati operiebātur, hoc est, Carthaginensium, totiusque Africæ ciuitatum. Sed & Hispanorum, Gallorū, Siciliæ, Sardiniæque plurimæ. Preterea partis Italiæ tantus timor in summo oriente constituti ducis, populos vltimi occidentis inuaserat, vt inde peregrinam cerneres toto mundo legationem, quo vix crederes peruenisse rumorem. Alexander vero apud Babyloniam, cum adhuc sanguinem sitiens, ma-

le castigata auiditate, ministri insidiis venenum potasset, interiit.

De bellis inter Romanos & Samnites atque Gallos, eo tempore gestis, quo Alexander vastabat orientem, & de multimodis vtrinque confligendo miseriis.

CAP. XXIV.

PEr idem tempus apud Romanos gerebantur hæc: Fabio Maximo. Q. Decio Mure consulibus, quatuor fortissimi, florentissimique Italiæ populi, in vnum agmen, fœdusque coierunt. Namque Hetrusci, Vmbri, Samnites & Galli, vno agmine conspirantes, Romanos delere conati sunt, Tremefacti hoc bello Romanorum animi, & labefactata fiducia est, nec ausi totum sperare de viribus, dolo diuisere hostes: satius pluribus rati, se bellis implicare quam grauibus. Ita cum quibusdam suis ad populandos hostiles agros in B Vmbriam, Hetrusciamque præmissis, Vmbrorum, Hetruscorumque exercitum redire ad tuitionem suorum coegissent: cum Samnitibus & Gallis bellum inire properarunt. In quo bello cum Gallorum impetu Romani premerentur. Decius consul occisus est, Fabius tamen post magnam Decianæ partis stragem, tandem vicit. Eo prælio XL. millia Samnitum, siue Gallorum cæsa sunt: Romanorum vero VII. millia, & Decii tantummodo, qui occisus est, extincta referuntur. Fuisse autem absque Hetruscis & Vmbris, quos illo Romani bello euocauerunt, Gallorum & Samnitum peditum CL. millia, eccxxx. Equitum vero XLVII. millia Liuius refert & Carpentarios mille in armis contra aciem stetisse Romanam. Hanc cruentam, tristemque victoriam pestilentia ciuitatis onerauit, & triumphales pompas, obuiæ mortuorum exequiæ polluerunt. Nec erat cui de triumpho gaudium suaderetur: cum tota ciuitas, aut ægris suspiraret, aut mortuis. Sequitur annus, quo Romani instaurato à Samnitibus C bello victi sunt, atque in castra fugerunt. Postea vero Samnites nouum habitum, animumque sumentes, hoc est, deargentatis armis ac vestibus, paratoque animo ni vincant mori, bello sese offerunt. Aduersum quos Papyrius consul cum exercitu missus, cum à popularis auguribus vana coniectantibus congredi prohiberetur: irridens eos, tam feliciter confecit bellum quam constanter arripuit. Nam in hoc prælio XII. millia hostium cæsa, III. millia capta referuntur. Altero abhinc anno, Fabius Gurges consul, male aduersum Samnites pugnauit. Namque amisso exercitu victus in vrbem refugit. Itaque cum senatus de summouendo eum deliberaret, & pater eius Fabius Maximus ignominiam filij deprecatus, legatum se filio iturum obtulit: si illi depellendæ ignominiæ & gerendi iterum belli facultas daretur. Qua impetrata, prælioque conserto, cum subito pugnantem filium consulem, insistente Pontio Samnitum duce: & infestis hostium telis conclusum videret, in medium se agmen pius senex D equo vectus ingessit. Quo facto permoti Romani, tota ibi incubuere acie, donec ipsum ducem Pontium deleto hostili exercitu victum, oppressumque ceperunt: Cæsa sunt in eo prælio Samnitum † XXX. (*al.* XXXV.) millia: capta autem IIII. millia cum rege suo. Tandemque Samniticum bellum, quod per XL & IX. annos, multa Romanorum clade trahebatur capti ducis destitutione finitum est. An. subsequente cum Sabinis, Curio consule bellum gestum est: vbi quot millia hominum interfecta, quot capta sunt, ipse consul ostendit. Qui cum in senatu magnitudinem acquisiti agri Sabini, & multitudinem † populi (*al. capti populi*) referre vellet, numerum explicare non potuit. Hinc Dolabella & Domitio consulibus, Lucani * Brutii (*al. Bruti i*) Samnites quoque cum Hetruscis & Senonibus Gallis facta societate, cum rediuiuum contra A Romanos bellum molirentur, Romani ad exorandos Gallos misere legatos. Quos cum Galli interfecissent, Cecilius prætor ob vlciscendam legatorum necem, & comprimendum tumultum hostium, cum exercitu missus, ab Hetruscis Gallisque oppressus, periit. VII. prætere a tribuni militum, in ea pugna occisi, multi nobiles trucidati † x. & VIII. (*al.* VIII. millia etiam militum Romanorum in illo bello prostrata sunt. Itaque quotiescunque Galli exarserunt, cum totis opibus suis Roma detrita est.

Qualiter Alexander monarchiam obtinuerit, & inter quos regnum crudeliter adeptum, diuiserit: qua etiam pars vnicuique obuenerit.

CAP. XXV.

IGitur Alexander tribus præliis, quinquagies centena millia ex copiis Persarum fudit, vt fugerent. Interfectoque Dario, Asiam obtinuit, Hircanos, cæterasque gentes subiugauit. Ornem petram capit, Indum etiam fluuium transgreditur. Cum Porro & Axile Indorum regibus fortissimis conserto prælio dimicat. superiorque factus, vicit: Indiamque subiugauit: Postquam vero dominus gentium diuersarum nuncupatus est, anno ætatis suæ XXXII. apud Babylonem moritur. Per XII. nanque annos trementem sub se orbem ferro pressit. Mortuoque Alexandro, Macedonum duces diuersas sortiti sunt prouincias mutuisque bellis se consumpserunt. Ita per totum Macedoniæ regnum, hoc est per vniuersam Asiam & plurimam Europæ partem, vel maxime Libyæ, horrendi subito bellorum globi confluxerunt. Qui cum ea præcipua loca, in quibus exarsere, populati sint: reliqua omnia terroris, rumoris, quasi fumi caligine turbauerunt. Ergo ab Alexandro orbem celeriter ac fortiter acquisitum, dilaniauerunt XIIII. annis eius principes, & veluti opimam prædam, à magno leone prostratam, auidi discerpsere catuli, seque ipsos inuicem in rixam irritatos, prædæ æmulatione fregerunt Quamuis etiam Alexandrinorum regum, id est, Ægyptiorum persequi annorum numerum, regumque successiones, huc iam vsque ad Cæsaris Octauiani monarchiam decreuerim: tamen quas principes Alexandri partes obtinuerunt, vt innotescat, curabo. Itaque prima Ptholomæo, Ægyptus & Africa, Arabiæque pars sorte euenit. Confinem huic prouinciæ Syriam, Laomedon Mitilenus, Ciliciam Philotas, Philo Illyrios, accipiunt. Mediæ maiori Acroparus, minori socer Perdicæ præponitur: Susisaniana gens Scynophrygia maior, Antigono Philippi filio assignatur. Liciam & Pamphiliam Nearchus, Cariam Cassander, Lydiam Menander sortiuntur. Leonnatus minorem Phrygiam accepit: Thracia & regiones Pontici maris Lysimacho, Cappadocia cum Paflagonia Eumeni data. Summa castrorum Seleucho Antiochi filio cessit. Stipatoribus regis, satellitibusque Cassander filius Antipatri præficitur. In Bactriana vlteriore & Indiæ regionibus: præfecti priores, qui sub Alexandro esse ceperunt, permanserunt. Series inter duos amnes Hydaspen & Indum constitutos, Taxiles habuit: In colonias in Syriis conditas, Phytagon Agenoris filius mittitur, Parapame nos fine Caucasi montis, Oxyarches accepit, Arachossi Chedrosique Sybitri decernuntur. Dranceheos & Areos Statanor, Atrianos Amintas sortitur, Sogdianos Scytheus, Itacanos Parthos, Philippus Hircanios, Fratrafernes Armenios Thlepotemus Persas, Peucestes Babylonios, Archoas Pelassus, Archelaus Mesopotamiam, adepti sunt.

Mortuo Alexandro rege Macedonum, duces eius mutuis ſe bellis conſumpſerunt.

CAP. XXVI.

IGitur cauſa & origo bellorum epiſtola Alexādri regis fuit, qua iuſſit omnes exules patriæ, libertatique reſtitui. Potentes enim ciuitatum Græciæ timentes, ne exules recepta libertate, vltionem meditarentur, à regno Macedonum defecerunt. Primi Athenienſes contracto xxx. millium exercitu & cc. nauibus, bellū cum Antipatro, cui Græcia ſorte venerat, geſſerunt. Poſt hæc bellum inter Antigonum & Perdicam oritur grauiſſimum. Multis prouinciis & inſulis, ob auxilia vel negata vel præſtita dilaceratis: diu deliberatum vtrum in Macedoniam bellum transferretur, an in Aſia gereretur. Nouiſſime ipſe Perdica Ægyptum cum ingenti exercitu petiit: ſicque Macedonia in duas partes diſcurrentibus ducibus, in ſua viſcera armatur. Ptholomæus Ægypti viribus & Cyrenenſibus copiis inſtructus, occurrere bello Perdicæ parat. Perdica cū Ptholomæo acerbiſſime congreſſus, amiſſis copiis, ipſe quoq; interfectus eſt. Olympias vero Alexandri mater, poſt plurimas principū cædes, per Caſſandrū, qui Macedoniam obtinuerat, interfecta eſt. Hercules Alexandri filius, cum matre Roxa, in cuſtodia poſitus, cum iam xiiii. eſſet annorum, ab eodem Caſſandro occiſus eſt. Antigonus autem cum filio Demetrio congreſſus contra Ptholomæum & Caſſandrum, atque Lyſimachum, qui Seleuci ſocietate fulti erant, prælio victus eſt. Ptholomæus iterum cum Demetrio nauali prælio conflixit: & cum omnē pene claſſem atque exercitum perdidiſſet, victus in Ægyptum refugit. Hac victoria elatus Antigonus, regem ſe cum Demetrio filio appellari iubet. Quod exemplum omnes ſecuti, regium ſibi nomen, dignitatemque ſumpſerunt. Igitur Ptholomæus & Caſſander, cæterique alterius factionis duces, cum decipi ſe ab Antigono ſingillatim viderent, per epiſtolas ſe inuicem confirmantes, coeundi in vnum tempus, locumque condicunt, & bellum aduerſus Antigonum communibus viribus inſtruūt. Caſſander finitimorum bellis implicitus, Lyſimachum clariſſimum inter omnes ducem, cum ingenti manu, pro ſe ſociis in auxilium miſit. Seleucus quoque ex Aſia maiore deſcendens, nouus Antigono hoſtis acceſſit. Hic ſiquidem Seleucus plurima per orientem inter ſocios regni Macedonici bella geſſit. Principio Babyloniam bello expugnauit, & cepit. Bactriantes nouis motibus aſſurgentes, perdomuit: tranſitum deinde in Indiam fecit, quæ poſt mortem Alexandri veluti detracto, excuſſoque à ceruicibus iugo præfectos eius occiderat. Adunatis itaque copiis Ptholomæi, ſociorumque eius pugna committitur. Cuius quando potentior apparatus, tanto ruina grauior fuit. Nam in eam tunc totius pene Macedonici regni vires conciderunt. In ipſo bello Antigonus occiſus eſt. Sed finis belli huius initium alterius fuit. Nam cum victoribus de præda non conueniret, iterum in duas pactiones deducuntur: Seleucus Demetrio, Ptholomæus Lyſimacho iungitur. Caſſandro defuncto, filius Philippus ſuccedit: ſic quaſi ex integro noua Macedoniæ bella naſcuntur. Antigoni filius Demetrius, augmento Græciæ, & totius Macedoniæ elatus, in Aſiam tranſire diſponit. Ptholomæus autem & Seleucus & Lyſimachus experti priore certamine, quantæ vires eſſent concordiæ, iterum ſocietate pacta, adunatiſque exercitibus bellum in Europā transferunt, aduerſus Demetrium. His ſe comitem & belli ſocium, Pyrrhus rex Epiri iungit, ſperans Demetrium Macedonia poſſe depelli. Nec ſpes fruſtra fuit: quippe exercitu eius corrupto, ipſoque in fugam acto, regnū Macedoniæ Pyrrhus inuaſit. Liſimachus autem, qui Helleſpontum regebat, poſt interfectionem generi ſui, & necem filii, aſſiduis parricidiis cruentatus à A militibus propriis deſeritur. Qui ad Seleucum tráſeuntes, hortati ſunt eum, vt Lyſimacho bellum inferret. Res nāque fœdiſſimi ſpectaculi erat, duos reges, quorum Lyſimachus annos natus lxxiv. Seleucus autem lxxvii. de eripiendis alterutrum regnis concurrere, in acie ſtare, arma gerere, vltimum hoc quidem bellum Alexandri commilitonum fuiſſe, quod ad exemplum humanæ miſeriæ fuerit reſeruatum: quippe cum orbem terrarum, extinctis iam xxxiv. Alexandri ducibus, ſoli poſſiderent, anguſtiſſimos ſenectutis ac vitæ ſuæ terminos non aſpicientes, anguſtos eſſe imperio ſuo totius mundi terminos arbitrabantur. In eo bello Lyſimachus, vel amiſſis vel interfectis prius ante hanc pugnam quindecim liberis: poſtremus occiſus eſt. Sic Lyſimachi ſolutio finis pugnæ Macedoniæ fuit, ſed nec Seleucus quidem tanta victoria impune lætatus eſt. Nam neque ipſe poſt ſeptuaginta ſeptem annos quietem naturalis mortis inuenit, ſed exortam ſibi infeliciter B vitam, velut immatura morte finiuit: quippe inſiſtente Ptholomæo, cuius ſororem Lyſimachus in matrimonio habuerat, inſidiis circumuentus occiſus eſt. Hæc ſunt inter parentes, filios, fratres, ac ſocios conſanguinitatis, ſocietatiſque commercia. Iiſdem etiam diebus cum Carthaginenſes aſſidua nec vnquam ſatis proſpera aduerſus Siculos bella gererent, & Syracuſas vrbem Siciliæ, tunc florentiſſimam obſidione cinxiſſent, per Agathoclem Siciliæ regem, miro circumuenti ingenio, vſque ad extrema deſperationis adducti ſunt. Namque Agathocles, cum apud Syracuſas à Carthaginenſibus obſideretur, ac ſe neque bello parem inſtructu copiarum, neque obſidionis patientem, ſtipendiorum ſufficiētia videret: bene prouiſo ac melius diſſimulato conſilio, in Africam cum exercitu tranſiit, ibi finis, quid moliatur, aperit: Deinde quid facto opus ſit, docet. Illico vnanimiter naues primum in quibus venere ſuccedunt, ne qua ſpes refugiendi, foret: deinceum omnia, quæ direxiſſet, proſterneret: villas caſtellaque C incenderet: Hannonem quendam cum triginta millibus Pœnorum obuium habuit, quem cum duobus millibus ſuorum interfecit: Ipſe autem duos tantum in eo bello perdidit, Qua pugna & Afrorum animis incredibiliter fractis, & ſuorum in immenſum auctis, vrbes caſtellaque expugnat: prædas ingentes agit, hoſtium multa millia trucidat. Caſtra deinde ad quintum lapidem à Carthagine ſtatuit: vt damna rerum opulentiſſimarum vaſtationemque agrorum, & incendia villarum, de muris ipſius vrbis ſpecularētur. Adiicitur præſentibus malis triſtior fama. Nam & apud Siciliam deletus cum imperatore Afrorum exercitus nunciatur. Quem reuera incautum ac pene otioſum Andro Agathoclis frater oppreſſerat. Hoc per totam Africam rumore diſperſo, non tributariæ tantum vrbes ab his, verum etiam ſocii reges deficiebant. Inter quos rex quoque Cyrenarum Aſellas pactus eſt cum Agathocle communionem belli, dum regnum Africæ ardenter D affectat: ſed poſtquam in vnum exercitus & caſtra iunxerunt, per Agathoclem blandimentis & inſidiis circumuentus occiſus eſt.

Carthaginenſes contractis vndique copiis in bellum exarſere: quibus Agathocles habens ſecum Aſellæ copias, congreditur, eoſque magno vtrique exercitus ſanguine, & graui prælio ſuperat. Hoc certaminis diſcrimine tanta deſperatio illata eſt Pœnis, vt niſi in exercitu Agathoclis orta ſeditio fuiſſet, transfugiturus ad eum Hamilcar dux Pœnorum cum exercitu fuerit. Ob quam noxam in medio foro, iuſſu Carthaginenſium patibulo ſuffixus, crudele ſpectaculum ſuis præbuit. Deinde cum poſt mortem Agathoclis Carthaginenſes Siciliam inſtructa claſſe vaſtarent, à Pyrrho rege Epiri ab Italia accerſito terreſtri naualique certamine ſæpe ſuperati, nouiſſime ad Romani bella conuerſi ſunt.

Qualiter Ptholomæus Alexandri successor, Hierosolymam dolo ceperit, multosque Iudæorum secum captiuos in Ægyptum deduxerit.

CAP. XXVII.

POst Alexandrum Ptholomæus Lagi filius Alexandriæ regnat, vt præmisimus annis xl. Namque hic etiam Hierosolymam expugnauit, fraudibus & dolis ciuitatem die sabbatorum ingressus sub specie sacrificij, nequaquam Iudæis resistentibus, quoniam nihil hostile existimauerunt & ideo otiosi & insuspecti segnes erant. Qui cũ sine labore ciuitatem adprehendisset, crudeliter eis dominabatur. Testis est orationis meæ Ouidius Sabataceides, qui successorum Alexandri facta conscribens, superstitionem Iudæorum, pro qua libertatem amisissent exprobrauit, cum hæc diceret: Est gens, quæ Iudæa dicitur, ciuitatem munitam & magnã Hierosolymam detinens, quæ contra Ptholomæum regem arma sumere tentauit, & propter superfluã superstitionem sæuissimum dominum pertulit habere. Sabatarcides quidem hæc de gente Iudæorum conscripsit. Ptholomæus vero multos captiuos à montanis Iudææ, vel à vicinis locis Hierosolymorum, id est, à Samaria vel Agarizin trahens, ad Ægyptum commigrauit: sed cum cognouisset eos quos ab Hierosolymis abstraxerat, firmos iurisiurandi, & Dei cultores existere, cum Alexander ad eos legationem mitteret, sic respondissent, Dario viuente contra eum arma nequaquam sumere. Vnde post Darij expugnationem multos ad castella deputauit, & partes cum Macedonibus Alexãdriæ ciues statuit fidemq; ab ipsis recepit, vt nepotib. suis societatem custodirent: cum & alij non pauci Iudæi sponte ad Ægyptum peruenissent, opulentia locorum, Ptholomæique munificentia inuitati. Quorum nepotes seditiones contra Samaritas, dum suæ gentis patriam oblationem seruare festinarent, excitabant. Nã Hierosolymitæ defendebant, dicentes suum templum sanctum existere, & immolationes illuc transmitti oportere. Sychimitæ vero, ad Garizin montem destinari iubebant. Princeps vero sacerdotũ in Hierosolymis Ionias, Ioaddi filius erat: cuius filius eo mortuo, Simon successor extitit.

De prælijs, quæ Tarentini contra Romanos, vna cum Pyrrho Epirotarum rege, qui primus elephantes in Italiam secum duxit, gesserunt, & à Romanis victi atque edomiti; & de portentis diuersimodis, quæ eo tempore contigerunt. Et quod Italia tunc vniuersa sit Romanis subiecta.

CAP. XXVIII.

EOdem etiam tempore, Tarentinis Romanam forte classem prætereuntem, ex spectaculo theatri videntibus, retracta & profligata est ab eis. Nam in portum afflictam pertraxerunt. Præfecti nauium trucidati sunt: omnes bello vtiles cæsi, reliqui pretio venditi sunt. His namque causis bellum ingens exortum est, inter Romanos atque Tarentinos. Vltima hæc necessitas adegit Romanos, proletarios quoque in arma cogere, hoc est, eos, qui in vrbe semper sufficiendæ prolis causa vacabant, militiæ adscribere: quippe cum frustra de prole cura est, nisi rebus præsentibus consulatur. Itaque irruit in vniuersos Tarentinorum fines cum Æmilio consule Romanus exercitus, igni ferroque vastat omnia, plurima expugnat oppida, iniuriam insolenter acceptam crudeliter vindicat.

Continuo Tarentinos plurimis finitimorum præsidiis fultos, maxime Pyrrhus auxit: qui etiam in se ob magnitudinem virium consiliorumque summam belli nomenque transduxit. Tarentum vero Lacędemoniorũ opus fuit, Calabriæ quondam & Apuliæ totiusque Lucaniæ caput, diuitijs, magnitudine, muris, portu, ipso-A que situ mirabile. Igitur Pyrrhus semigræcam ex Lacedæmoniis conditoribus ciuitatem vindicaturus venit cum totis viribus Epiri, Thessaliæ, Macedoniæ: incognitisque in id tẽpus elephantis, mari, terra, viris, equis, armis addito insuper feratum terrore. Quarum magnitudine ac deformitate & nouo odore simul ac stridore, Leuino consule, in prima pugna consternati Romanorum equi: cum incognitas sibi belluas, amplius quam erant horrendas suspicarentur, fugam stragemq; late dederunt.

Hoc bellum in Apulia, deinde in Asculo melius dimicatum est, Curio Fabricioque consulibus. Iam quippe terror belluarum exoleuerat: & Gaius Numitius quartæ legionis hastatus, vnius promuscide abscisa, mori posse belluas ostenderat. Itaque in ipsa pila congesta sunt, & in turres vibratæ faces, tot hostium agmina, ardentibus ruinis operuerunt, nec alius cladis finis fuit, quam nox dirimeret, postremusque fugientium, rex ipse à satellitibus humero saucius in armis suis ruit. Lucaniæ pugnæ ducibus hisdem quibus superius, B sed bello & pace, foris & domi omnem in partem Romana virtus tũ se approbauit. Cum Pyrrhus ille terribilis postremæ pugnæ victoriam intellecta Romanorum virtute, facto fœdere quamuis vinceret, in amicitiam recipi voluit, sed abnegauit senatus. Nec alia magis quam Tarentina victoria ostendit, populi Romani fortitudinem, senatus sapientiam, ducum magnitudinem: nec alius pulchrior in vrbem, aut speciosior triumphus intrauit. Ante hunc diem nihil præter pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum fracta Samnitum arma viderunt. Tum autem si captiuos, Molossi, Thessales, Macedones, Brutius, Apulus, Lucanus: si pompam, aurum, purpura, signa, tabulæ, Tarentinæque deliciæ.

Sed nihil libentius populus Romanus aspexit, quam illas quas timuerat cum turribus suis belluas, quæ non sine sensu captiuitatis, summissis ceruicibus victores equos sequebantur. Pyrrhus igitur quarto demum anno, quo venerat, ab Italia victus refugit: qui apud Ar-C gos Achaiæ vrbem florentissimam Spartani regni auiditate seductus, ictu saxi in prælio occubuit. Tarentini Pyrrhi morte comperta, iterum noua aduersus Romanos arma sollicitant. Carthaginensium auxilia poscunt per legatos, atque accipiunt. Conserto prælio vicerunt Romani. Vbi iam tunc Carthaginenses, quamuis nondum hostes adiudicati, vinci tamen à Romanis se posse senserunt. Quæ res occasiones tribuit bellorum atque certaminum, inter Aphricanos atque Romanos. Quæ bella diu protracta, ac nimium sæuissima vtrique experti sunt populi, quamuis demum Romani, cum nimio sudore victores existerent.

Post Tarentinam vero cladem, Picentes victi Sempronio consule, Sallentini vero Picentibus additi victi sunt. Postremi Italorum in fidem Volsci opulentissimi Hetruscorum hac necessitate peruenerunt, im-D plorantes opem à Romanis, aduersus seruos quondam suos: qui libertate à Dominis data, contra ipsos se erexerant, translataque in se Republica dominabantur. Sed hi quoque ex consultu senatus, duce Fabio Gurgite pœnas dederunt debitas. Sic demum subiecta, atque à Romanis domita est Italia. Licet enim dum foris gererentur hæc, quæ præmisimus, intus diuturnis morbis, ac variis cladibus populus affligebatur Romanus: prodigiis etiam eo tempore diuersis terrebantur. Nam & sanguis tunc è terra scaturiens emanauit, & de fontibus cruor fluxit. De cœlo vero lac in modum pluuiæ cecidit: terra etiam tremuit, Cum Romani aduersus Picentes in acie, quantum iactus est teli, constitissent. Quo etiam in tempore, censu Romæ agitato, inuenta sunt ciuium Romanorum ducenta septuaginta millia. Legati Alexandrinorum à Ptholomæo primum Romam missi, amicitiam impetrauerunt. Ariminus etiam & Beneuentus ciuitates à Romanis conditæ sunt.

Appius Claudius Cæcus Romæ clatus habetur, qui aquam Claudiam induxit in vrbem,& viam Apiam strauit. Serapis ingressus est Alexandriam. Sostratus Enidius forum etiam in Alexandria construxit. Seleucus Antiochiam, Laodiciam, Seleuciam, Apamiam, Edissam, Berœam,& Pelam vrbes condidit : quarum Antiochiam, duodecimo anno regni sui extruxit. Igitur postquam Alexandria condita est, quæ caput est regni Ægyptiorũ, Alexander Magnus Macedo, annis quinque regnauit, ex quo monarchiam orbis obtinuit. Anni vero præcedentes septem, quibus regnauerat, antequam Persarum solueret potentiam, non computantur in ordine.

Hic vero vbi Persarum regni finem ostendimus, Italiamque Romanorum seruitio subiectam, finem præsenti statui imponere libro. Qui continet in se à reædificatione templi vsque ad interitum Alexandri Magni, annos circiter CLXXXVI.

LIBRI IV. FINIS.

B

FRECVLPHI

EPISC. LEXOVIENSIS,

CHRONICORVM

Tomi prioris,

LIBER V.

Textus narratiuus, qualiter Ptholomæus Philadephus Eleazarum summum sacerdotem Iudæorum honorauit muneribus & templum. Captiuos etiam Iudæorum vltra centum millia relaxauit. LXX. quoque ex senioribus sapientissimis ad se venire fecit, & diuinas leges interpretari iussit.

CAP. I.

PTHOLOMÆVS qui & Philadelphus, annis XXXVIII. A reædificatione vero templi anni erant transacti CC. XXVI. Pontifex vero Iudæorum Eleazarus erat, qui pro tali principatus honorem suscepit causa. Defuncto principe sacerdotum Onia, filius eius Simon successor extitit: qui iustus est appellatus propter pietatem quam in Deum,& fauorem quem erga regem habuisse videbatur. Quo mortuo & filium infantulum relinquente nomine Oniam, frater eius Elzearius principatum sacerdotij accepit. Quem Ptholomæus liberaliter muneribus honorauit : quod ex huiusmodi causa contigit. Demetrius Falerius, super bibliothecam constitutus regis, dum studeret omnia per vniuersam terram inuenta volumina congregare & acquirere, si quid audisset dignũ industria vel voluntate regis, quem erga collectionem codicum munificenter accendi cognouerat: interrogatus à Ptholomæo, quot millia codicum haberet, cũ viginti millia iam respondisset, sed pauco post tempore vsque quinquaginta millia posse peruenire, & nunciatum sibi diceret, multa apud Iudæos legum eorũ esse cõscripta, studio & bibliotheca regali digna. Nihil, inquit, Prohibet tuarum pecuniarum sumptu eas interpretari, vt in bibliotheca tua illorum quoq; leges contineantur. Igitur rex optima Demetrij sententia delectatus, scripsit ad principem sacerdotum gentis Iudææ, hoc fieri demandans. Aristeus autem amicus regis necessarius, qui propter humilitatem morum ab eo dilectus est: cũ sæpius ante nisus esset petere Ptholomæum, quatinus dimittere captiuos Iudæos, qui sub imperio

A eius essent: tempus hoc petitionis prosperũ arbitratus, ante loquitur primatibus custodum regis corporis, Sosibio, Tarentino, & Andreæ: quorum sententia confirmatus adiit regem dicens: Minime rex, oportet vana nos ipse negligenter decipi, sed veritatem intimare. Nam si legem Iudæorum non tantum transcribere, sed etiam interpretari pro tua gratia studemus: habes qua ratione possit hoc fieri, tot Iudæos in regno tuo seruientibus, quos benignitatem tuæ magnificentiæ decet à præsenti iugo seruitutis absoluere, ac Deo qui leges eis posuit, pro tui regni tutela mittere. Nam cum multa sæpius indagassem, cognoui factorem eos omniũ Deum colere: quem nos Zena, id est, Iouem nominamus, quod omnibus indulget zen, id est, viuere. Quapropter ad honorem Dei, quem maxima religione placant, liberos eos patriæ moribusque suis restituere. Cognosce tamen princeps, me nec affinem eis esse, nec ab eadem genitum natione, vt pro illis hoc suggeram : sed dum omnium hominum factorem Deum scirem, suauiter vos benefactores amplecti, ad hanc petitionem perueni. B Postquam hoc Aristeus locutus est,& rex in eum hilari & ridenti vultu conspexit: Quanta, inquit, arbitraris millia posse dimitti? Tunc Andreas respondit, cum interesset, & dixit: Paulo plus quam C. millia possunt. Non paruam, inquit, à nobis Aristee donationem poscis. Sosibio vero cum præsentibus dicente, dignum esse munificentia sua, si Deo qui regnum ei donauit, has gratiarum vices offerret : propterea iussit vt militibus merces annonæ præstaretur & pro singulo captiuo apud eos constituto, darentur dragmæ CXX. De quibus etiam præcepta proponere promisit: per quæ munificentiam suam, & Aristei petitione confirmaret.

Præterea voluntas Dei affuit, per quam non tantum illos qui à patre eius vel exercitu eius translati fuissent, verum etiam illos qui sub regno eius erant, absolutionẽ donaret : vel si qui postea superuenissent, pro quorum redemptione plus CCCC. talenta sunt à rege largita. Ex captiuis vero & seruientibus amplius C. millia remisit C in Iudæam. Vigentes vero corpore ac ætate numeris militaribus designauit: multos etiam qui fidẽ aulæ seruare potuissent, in palatio constituit. Ergo Andream primatem custodum sui corporis,& Aristeum dilectissimos, Hierosolymam direxit, per quos primitias votorum ad templum Domini porrexit: id est, pateras aureas XX. argenteas XXX. crateras V. mensam vero mirabiliter fabricatam, gemmis preciosissimis insertam. Deo offerenda hæc misit vasa, insuper talenta C. pro immolationibus, & aliis rebus templo necessariis: Mandant Eleazaro principi sacerdotum, eligi viros seniores ex omni tribu sapientia ac moribus ornatos VI. qui legem sibi afferrent Dei, eamque caute ac prudenter interpretando, in Græcam transferrent linguam. Ergo cum regis epistola Eleazaro fuisse porrecta, nimium liberaliter de beneuola voluntate gauisus est : electis senioribus viris LXX. legem ferentes, festinanter misit eos ad regem: postulans, vt post transcriptionem legis eam caute cum portitoribus remitteret. Igitur Alexandriam D peruentum est, & vt Ptholomæus præsentiam eorum, quos miserat cum LXX senioribus, audiuit: statim Andream & Aristeum legatos introducere iussit. Qui venientes, epistolas quas à principe sacerdotum deportabant obtulerunt: & ea quæ verbis eos dicere iusserat, edixerunt. Dumque seniores cum donis, quæ regi deportanda princeps sacerdotum eis dederat, aduenissent in præsentiam Ptholomæi cum voluminibus, in quibus litteris aureis conscriptæ leges continebantur: rex eos de codicibus percontatus est. Cum reuelarent & ostenderent tenuitatem membranæ, vel incomprehensibilem eorum compaginem: rex miratus est, quod ita fuissent compacti. Dumque hoc diutius fecisset. Gratias ago, inquit vobis quidem quod venistis, maiores vero illi, qui vos destinauit: sed ante omnes Deo, cuius hæ leges venerandæ probantur.

Cumque

Cumque clamassent seniores, & hi, qui in præsenti erant, orantes prospera regi diuinitus euenire: nimium delectatus, prorupit in lachrymas. Nam sæpius natura hoc pro summo gaudio patitur, quod etiam dolentibus solet accidere. Et tunc iussit codices primatibus officij designari. Viros autem osculatus, æquum dixit esse primum ad eos facere sermonem de his, pro quibus essent vocati. Imo & diem, quo ad eum fuissent deducti, clarum singulis annis per totum vitæ suæ tempus se celebrare promisit. Nam euenit eundem esse præsentiæ illorum & victoriæ diem quo Antigonum nauali prælio vicerat. Epulari etiam secum eos præcepit hospitiaque in arce denuntiauit eis omnia deputari. Nicanor autem, super susceptionem peregrinorum constitutus, Dorotheum vocans, qui de his curam habebat: iussit singulis necessaria præparare. Nam ita dispositum à rege fuerat, vt alimenta, quibus singulæ ciuitates vtuntur, exhiberentur indulgentia consuetudini peregrinorum ad eos venientium, & eis omnia pararentur, quatenus cibis solitis, magis delectarentur, ne forsan corrupti extraneis grauarentur.

Quod & circa istos effectum est. Dorotheo vero, quem pro synceritate vitæ super hoc rex constituerat, per quem & pręparauerat omnia quę ad huiusmodi conuiuia conuenirent, hoc implente: in duas partes eos discumbere pręcepit, Partem quidem mediam eorum ad dexteram suam, reliquos autem post eius accubitum: nihil prętermittens, quod ad eorum honorificentiam pertineret. Postquam autem ita discubuerunt, iussit Dorotheo solita ministrare, quibus omnes Iudęi ad eum venientes vtebantur. Tunc itaque sacros pręcones & immolatores & alios, qui vota faciunt, recusauit: & vnum à senioribus nomine Helisęum sacerdotem existentem repetiuit facere orationem. Qui in medio stans, regi bona & subiectis eius optauit, & plausus cum gaudio & clamore omnium surrexerunt, & desidentes ad epulationem & delitias, pariter secum epulari iussit. Pręterea autem rex, quantum satis ei visum est, cœpit philosophari, & vnumquemque eorum naturales percontari sermones, & ad contemplationem quęstionis accendere, Caute illis ad omnia respondentibus, quę eis obiecta essent & explanantibus: gauisus, per duodecim dies hoc conuiuium construxit. Et qui vult singula cognoscere, quę in conuiuio pręparata sunt, legat volumina Aristæi, quę propter hæc conscripserat, & agnoscet. Mirante vero eo non tantum rege, sed etiam Menedimo philosopho, destitit. Dicebat autem rex maxima bona sibi præsentia eorum fieri. Nam profuisse ei, quod didicisset ab illis, quemadmodum deberet.

Iussit autem singulis dari talenta, ac deputauit illis, qui eos perducere ad diuersorium deberent. Postquam vero tres excesserunt dies; congregans eos Demetrius & transiens pontem, abiit in partes Aquiloni coniunctas, conciliumque fecit in domo prope littus stante & apta secretis ad cogitationem negotiorum. Vbi eos perducens, petebat omnia, quæ opus habebant ad legis interpretationem ipsis præsentibus, vt incessanter opus implerent. Cumque illi munificenter & laboriose cautam Interpretationem facerent, vsque ad horam nonam in hoc sedentes ad curam corporis vertebantur. Ita eos inuitante Dorotheo & opulenter conuersationis salubria præbente, multaque etiam ex his, quæ regi parabantur, mane ad aulam venientes, Ptholomæum salutabant: & rursus ad eundem locum redibant, & manus in mari lauantes, & seipsos purificantes: ita legis interpretationi vacabant. Itaque transcripta lege, & opera interpretationis ad effectum per septuaginta duos dies transacta, congregans Demetrius Iudæos omnes, ad locum in quo translatæ leges fuerant: præsentibus etiam interpretibus legit eas.

Cumque multitudo amplexa legem & seniores eius interpretes, Demetrium eo quod magnarum rerum inuentor esse videretur, laudasset: rogauit etiam vt præsidibus suis daretur legenda. Et petierunt omnes sacerdotes, interpretes, seniores, & præpositi gentis: vt bene interpretata permaneret immobilis. Cumque sententiam laudassent omnes, iusserunt si quid, aut superfluum, aut nimis aliquid scriptum viderent in lege, hoc respicerent, & manifestum facientes emendarent: hoc castigantes, vt quod semel iudicatum fuerat, bene se habere, sempiterna memoria permaneret. Gauisus ergo rex, & videns voluntatem suam ad vtilem rem esse perfectam, & delectatus relictis legibus, & sensum & sapientiam & legis labores obstupescés, ad Demetrium sermones facere cœpit: quod tam mira existente legislatione, nemo neque historiographus, nec poeta meminisset eius. Cui Demetrius respondit, neminem ausum fuisse harum legum tangere conscriptionem: quod diuinæ & venerabiles essent. Significabat vero, qualiter Theopompus volens in historia aliquid de his conscribere, sit mente turbatus plus triginta diebus: & cum humilitate à Deo veniam supplicabat, dum inde clementiam sibi factam suspicatus esset. Nec non & in somnis vidit, quod ei hoc ideo accidisset, quia diuinas scrutatus esset leges & proferre eas ad homines impuros vellet. Cumque conscribere quieuisset, recepisset sensum. Referebat autem de Theotecto, tragœdiarum poeta, dicens: quia cum nisus fuisset in aliquo dramate horum meminisse, quæ in diuino volumine continentur oculis obscuratis, recognouit causam suæ cæcitatis, & ita liberatus est à passione, Deo veniam indulgente. Hæc ergo rex pure suscipiens, petiuit interpretes frequenter ad se de Iudæa proficisci. Hoc enim honorem & donationem ab eo profuturum. Nunc vero iustum esse dimitti eos dicebat. Sponte autem ad eum venientes, omnia quæ æquum esset sapientiam eorum impetrare, & pro sua maiestate digne largiri promisit. Et tunc quidem remisit eos rex, donans vnicuique optimas stolas, & auri talenta duo, & calicem vnius talenti, totumque conuiuij thorum. Principi autem sacerdotum Eleazaro destinauit per eos lectos cum argenteis pedibus decem, & conuenientem eis supellectilem, & calicem talentorum triginta: insuper stolas decem, & purpuram, & coronam decoram, & lineas de bysso centum, Præterea & pateras, & trullam, & libatoria, & crateras aureas duas, Deo vouendas. Petiuit autem eum & per epistolas, vt si quis ex his viris voluisset reuerti ad se, eum permitteret, eo quod nimium delectaretur cum eruditis semper habere sermonem, & diuitias suas libenter talibus impartiri. Huiusmodi quidem regiam magnificentiam ad honorem & gloriam Iudæorum, à Ptholomæo nomine Philadelpho fieri contigit. Impetrauerunt autem & à regibus Asiæ honorem: quoniam cum eis castrametati sunt. Nam Seleucus nomine Nicanor, in ciuitatibus quas per Asiam ædificauerat, & in inferiore Syria & ipsa metropoli Antiochia Republica sua dignos eos effecit, & æquum eis honorem, cum habitatoribus Macedonibus & Gręcis deputauit.

De diuersis inter Romanos & Carthaginenses terra, marique prœliis, & innumera multitudine ex vtrisque partibus hominum interfecta, quæ continua miserorum bella per annos vigintiquinque durauerunt.

CAP. II.

Cum hæc, quæ præmisimus, sub Ptholomæo in Iudæa atque Ægypto ita se haberent. Romani Appium Claudium consulem, Mamertinis auxilia deposcentibus, contra Ieronem Syracusanum regem potentissimum, & Pœnorum copias, quas ipse rex conduxerat, miserunt. Qui tamen celeriter Syracusanos, Pœnosque superauit, vt ipse quoque rex, rerum magnitudine perterritus, ante se victum, quam congressum fuisse, prodiderit. Qui cum viribus infractis pacem rogaret, multatus

argenti talentis ducentis accepit. Consules vero Hannibalem Pœnorum imperatorem, dum in Agrigento Siciliæ ciuitate, obsidione cinxissent, ad summam egestatem eum perductum, inopia consumpsisset: nisi Hanno nouus imperator Carthaginensium, cum equitibus mille quingentis, & triginta millibus peditum, & triginta elephantis, ex improuiso intercessisset, expugnationemque ciuitas paulisper distulisset. Sed continuo ciuitas capta est, Pœni maximo bello victi & profligati, vndecim elephanti in potestatem redacti, Agrigentini sub corona omnes venditi sunt. Hannibal senior cum paucis effugit. Qui cum iterum oram Italiæ maritimam instructa classe septuaginta nauium vastaret, Romani & ipsi classem fabricari atque instrui præceperunt, quod Diulus consul celeriter impleuit. Nam intra quadraginta dies, quam arbores cæsæ erant, centum triginta nauium classis deducta, in ancoris stetit. Asina Cornelius consul, fraude Punica, dum ad Lipparam insulam perueniret, ab Hannibale captus in vinculis necatus est. Quem mox Diulus alter consul, vt occisum audiuit, commisso nauali prælio vindicauit. Nam Hannibal cum perditionem sui exercitus cerneret, amissa naui qua vehebatur, scapha subductus ausugit. Hanno vero, qui in loco eius subrogatus fuerat, à Scipione consule de hinc interfectus est.

Hinc enim Calatinus consul Romanorum, dum Camarinam Siciliæ vrbem peteret, temere in angustias deduxit exercitum, quas Pœnorum copiæ iam dudum præstruxerant. Qui cum resistere vel euadere non posset, Calpu nij Flammæ virtute liberatus est. Siciliæ namque vrbes Romanis subiectæ sunt, Consules vero dum in Aphricam bellum transferre niterentur, cum trecentis triginta nauibus Siciliam petierunt. Quibus Hamilcar Pœnorum imperator & Hanno classi præfectus occurrit. Conferto nauali prælio, Carthaginenses in fugam versi, sexaginta & quatuor naues perdiderunt, Victores consules, in Aphricam transuecti sunt, primamque omnium Clupeam vrbem in deditionem receperunt.

Inde CARTHAGINEM petens, trecenta aut eo amplius castella populati sunt, Infesta Carthagini signa circumtulerũt. Manlius consul Aphrica cum victrici classe decedens, septem & viginti millia captiuorum, cum ingentibus spoliis Romam reuexit. Regulus bellum Carthaginense sortitus, iter cum exercitu faciens, haud procul à flumine BAGRADA, castra constituit. Vbi cum plurimos militum, aquandi necessitate ad flumen descendentes, serpens miræ magnitudinis deuoraret, Regulus ad expugnandam bestiam cum exercitu profectus est. Sed nil in tergo eius proficientibus iaculis, atque omnium telorum ictu irrito, quæ per horrendam squamarum cratem, quasi per obliquam scutorum testudinem, labebantur: mirumque in modum ne corpus læderetur, ipso corpore pellebantur, cum insuper magnam multitudinem morsu communi, impetu proteri, halitu etiam pestifero exanimari videret, balistas auferri imperat, per quas murale saxum, spinæ eius incussum, compagem totius corporis soluit. Bestia ergo, quæ tam diu tot iaculis inuulnerabilis obstitit, ad vnius saxi ictum debilis cessit, & mox circumuenta telis, facile oppressa est. Corium autem eius ROMAM deuectum, quod fuisse centum viginti pedum ferunt, aliquamdiu cunctis miraculo fuit.

Regulus aduersum tres imperatores, id est, HASDRVBALES duos, & accitum ex Sicilia Hamilcarem, atrocissimum bellum gessit: in quo cæsa sunt Carthaginensium decem & septem millia, capta autem quinque millia, octo & decem elephanti adducti: oppida octogintaduo in deditionem cessere Romanis. Carthaginenses fracti bellis, & cladibus exinaniti, pacem à Regulo poposcerunt. Sed cum intolerabiles & duras conditiones pacis audissent, tutius rati sese armatos mori, quam miseros viuere, precio non solum Hispanorum vel Gallorum auxilia, quæ iam dudum plurima habebant, sed etiam Græcorum comparanda duxerunt. Itaque Xantippum Lacedæmoniorum regem cum auxiliis accitum, ducem bello præfecerunt. Xantippus inspectis Pœnorum copiis atque in campum deductis, longè in melius mutato apparatu, pugnam cum Romanis conseruit. Ingens ibi ruina Romanarum virium fuit. Nam triginta millia militum Romanorum in illa tunc congressione prostrata sunt. Regulus ille dux vir nobilis, cum quingentis viris captus est, & in catenas coniectus. Decimo demum anno Punici belli nobilis triumphum Carthaginensibus præbuit. Xantippus tam audacis facti conscius, rerum instabilium mutationem timens: illico ex Aphrica migrauit in Græciam. Igitur Æmilius Paulus & Fuluius nobilior consules, audita captiuitate Reguli & clade exercitus Romani, transire in Aphricam cum classe trecentarum nauium iussi, Clupeam petunt. Eo confestim Carthaginenses cum pari classe venerunt. Nec differri potuit nauale certamen. Centum & quatuor naues Carthaginensium demersæ, triginta cum pugnatoribus captæ: præterea triginta & quinque millia militum ex ipsis cæsa sunt. Romanorum autem nouem nauibus depressis, mille centum periere milites: consules apud Clupeam castra posuerunt. Duo Hannones imperatores Pœnorum, eo rursus cum magno exercitu conuenerunt, prælioque commisso nouem millia militum perdiderunt.

Sed vt tunc apud Romanos, numquam diuturna felicitas erat: nam qualescumque successus, magnis continuo malorum molibus obruebantur. Cum Romana classis ad Italiam prædis onusta remearet, infando naufragio euersa est. Nam de trecentis nauibus ducentæ viginti perierunt, octogiuta vix abiectis oneribus liberatæ sunt. Hinc Hasdrubal nouus Carthaginensium imperator cum elephantis centum triginta, & equitum, peditumque amplius triginta millibus, Libeum venit ex Aphrica, & continuo cum Metello consule apud Panhormum pugnam conseruit. Sed Metellus vim magnam beluarum timens, prius eas magno vsus consilio, vel in fugam vel in mortem egit, & sic facile quamuis magnam vim hostium superauit. Viginti millia Carthaginensium in eo prælio cæsa sunt. Elephanti quoque sex & viginti interfecti, centum & quatuor capti, & per Italiam ducti: maximum Italicis gentibus spectaculum præbuerunt. Hasdrubal cum paucis Lilibeum profugit: atque absens à Pœnis capite damnatus est. Post hæc fessi tot malis Carthaginenses, petendam esse pacem à Romanis decreuerunt. Ad quam rem Attilium Regulum ducem Romanorum, quem jam per quinque annos captiuum detinebant, inter cæteros legatos præcipue mittendum putauerunt, quem non impetrata pace Italia reuersum, resectis palpebris illigatum in machina, iugulando necauerunt. Interea Lutatius cum classe trecentarum nauium in Siciliam transuectus, dum apud Drepanum ciuitatem, pugnam conseruisset: transfixo fœmore acerrime, cum iam obiueretur, ereptus est. Porro autem Pœni cum cccc. nauibus, magnisque copiis, ad Siciliam duce Hannone concurrunt: nec tamen Lutatius segnior, imo consilia Pœnorum mira celeritate præuenit. Postquam proximæ sibi vtrorumque classes apud Ægades insulas, per totam noctem interiectis propemodum ancoris constiterunt, orta luce, prior Lutatius signum bello dedit. Crudescente pugna victus Hanno nauem auertit, & dux fugæ primus fuit: aliquanta cum eo pars exercitus sui Aphricam petiit, alij confugere Lilibeum. LXIII. Punicæ naues captæ sunt, CXXV. demersæ, XXXII. millia hominum capta, cæsa XIIII. millia fuere. Romanorum autem XII. naues demersæ sunt. Lutatius deinde ad Ericinã ciuitatem, quã Pœni tenebant, venit: ibique multos * al. II. M. Car-

thaginensium consetta pugna interfecit. Tunc Carthaginenses præcipiti festinatione ad Lutatium consulem, ac deinde Romam mittunt, orant pacem. Quam conditionibus ante propositis, illico consequuntur. Conditiones autem erant, vt Sicilia, Sardiniaque decederent, proque impensis bellicis puri argenti tria millia talentorum Euboicorum, æquis pensionibus per annos viginti penderent. Huius pacis conditio habita est, post annum tertium & vicesimum: ex quo bellum Punicum primum fuerat inchoatum.

Quo tempore ignis & inundatio aquarum insolita pene vrbem deleuerunt.

CAP. III.

QVo etiam tempore diuersæ ignium, aquarumque clades pene consumpserunt vrbem. Nam Tyberis insolitis auctus imbribus & vltra opinionem, vel diuturnitate vel magnitudine redundans: omnia Romæ ædificia in plano posita deleuit. Ignis etiam incertum vnde surrexerit: plurimas ciuitatis partes peruagatus, hominum domorumque miserabilem stragem fecit. Dehinc cum omnia in circuitu fori depopularetur, ædem Vestæ corripuit: ignem illum, qui æternus putabatur, temporarios ignis oppressit. Quibus diebus argenteus nummus primum in vrbe est figuratus. Antiochus vero, qui & Soter, post Seleucum in Syria & Asia regnabat: quoniam Seleucus Demetrio capto, in Sicilia destructo regno Asiæ, ex vtroque regno, id est, Asiæ & Syriæ, vnum fecerat imperium.

Regnante Ptholom. et Euergete, Iesus librum Sapientiæ composuit, Iosephus autem Iudæ regis gratiam intantum promeruit, vt dux non solum Iudææ, & Samariæ, sed etiam Syriæ & Phœnicis constitueretur.

CAP. IV.

PTholomæus Euergetes annis viginti sex. A reædificatione vero templi, anni erant transacti ducenti sexagintaquatuor, sub quo Iesus filius Sirach Sapientiæ librum composuit. Principatum vero sacerdotii, defuncto Eleazaro patruus eius Manasses suscepit. Cuius post vitæ finem Onias successit: filius existens Simonis, cognomine iusti. Qui Simon, frater Eleazari, sicut prædiximus, erat. Qui Onias paruulus mente, & pecuniis auarus existens, pro populo regibus vectigal, quod patres eius ex propriis dabant expensis, id est viginti talenta pecuniarum non reddens: ad iram regem Ptholomæum commouit. Qui per legatum Oniam culpans non reddentem tributa, interminabatur ad iugera terram Iudæorum metiri, & milites illuc ad habitandũ, mittere velle, si non illico eius consueta redderentur tributa. Quæ res Iudæis maximum incussit pauorem, quamuis Oniam auaritiæ deditum, minime flecteret. Sed dum hæc eius sororis filius Iosephus cognouisset, vltro se legatum ad Ptholomæum populi necessitate obtulit, vir sagacissimus, & inter suos nobiles. Qui apud Ptholomæum tantam promeruit ob plurima familiaritatem obsequia, vt non solum populum suum ab imminenti liberaret periculo, sed etiam dux Iudææ atque humilis Syriæ seu finitimarum regionum constitueretur: Is namque viginti & duobus annis Syriæ tributa & Phœnicis atque Samariæ dispensauit. Qui populum Iudæorum à paupertate & debilitate ad clarissimarum rerum causas vsque perduxit. Defuncto autem Iosepho, populum contigit Iudæorum seditionem pati propter filios eius. Nam maiores natu, liuore excitati, inuidiæ aduersus Hircanum, vltimum Iosephi filiotum propter sagacitatem atque animi agilitatem, seu

A gratiam quam apud Ptholomæum regem adeptus fuerat: bellum gerentibus dissensit ab inuicem multitudo. Plures quidem maioribus auxilium ferebant cum principe sacerdotum Simone, qui cognatus eorum & affinis erat. Hic enim Simon principatum sacerdotii defuncto eius patre Onia susceperat. Igitur Hircanus descendens ab Hierosolyma trans Iordanem, vbi turrim ædificauit fortissimam ex lapide albo construens eam, & totam vsque ad terram sculpsit, animalibus diuersis, & reliquis mirabilibus ædificiis locum muniuit, quem Tyrum nuncupauit.

Eodem tempore Parthi à iugo Macedonum recedunt, Romani per anni vnius spacium pacifice sine bello degerunt: quod eis non contigerat per annorum spacium quadringentorum quinquaginta, id est, à tempore Numæ regis. Hinc sequuntur ingentia & grauia bella, quæ inter Romanos & Gallos atque Histros, Illyriosque gesta sunt.

CAP. V.

B PArthi vero eo tempore ab imperio Macedonum recesserunt, quibus regnauit primus Arsaces, vnde & Arsacides dicti. Macedoniæ vero Demetrius, post Antigonum regnauit. Apud Romanos vero, post primum Punicum bellum, Romani per anni spatium, sine bellicis conflictationibus quieuerunt, portæque Iani clausæ sunt: post annos scilicet quadringentos quinquaginta id est, à Numa successore Romuli, sub quo pacifice degerant vsque ad prædictum tempus. Hinc sequenti anno Romanorum legati, ab Illyricis interfecti sunt post cum ipsis atrocissimum bellum gestum est: in quo multis oppidis populisq; deletis, reliqui se Fuluio & Posthumio cõsulibus dediderũt. Hinc Senatus magna fortitudine consternatus, defectione Cisalpinæ Galliæ, cum etiam ex vlteriori Gallia ingens aduentare exercitus nuntiaretur, maxime Gessatorum, quod nomen non gentis, sed mercenariorum Gallorum est. Itaque permoti

C consules totius Italiæ ad præsidium imperii contraxere vires. Quo facto, in vtriusque consulis exercitu octingenta millia armatorum fuisse referuntur, sicut Fabius historicus, qui eidem bello interfuit, scripsit, ex quibus Romanorum & Campanorum fuerunt peditum trecenta quadraginta octo millia ducenti: equitum vero viginti sex millia sexcenti, & cætera multitudo sociorum fuit. Commisso prælio apud Aretium, Attilius consul occisus est octingenti (*al. septingentis*) octoginta millia Romanorum. Nec saltem tanta, quanta eos terrere debuit, cæsa sui parte fugerunt. Nam tria millia eorum tunc interfecta historici tradunt. Quod ideo ignominiosius turpiusque est, tam paucis amissis, tanta agmina diffugisse: quia se in aliis victoriis, non viribus animorum præualuisse, sed bellorum experientia prouentibus prodiderant. Quis enim crediderit in exercitu Romanorum numerum illum fuisse saltem, non dico fugisse? Post hæc secundum cum Gallis prælium gestum est: in quo plane qua-

D draginta millia Gallorum trucidata sunt. Sequenti anno Manlius Torquatus, & Fuluius Flaccus consules: primi trans Padum Romanas duxere legiones. Pugnatum est ibi cum Insubribus Gallis, quorum interfecta sunt viginti tria millia, quinque millia capta sunt. Eo deinde anno qui huic proximus fuit: dira miseram vrbem terruere prodigia. Misera vtique quæ hinc fremitu hostium, inde nequitia dæmonum terrebatur. Namque in Piceno, flumen sanguine effluxit, & apud Tuscos cœlum ardere visum est, & Arimini nocte multã lucem claram effulsisse, ac tres lunas distantibus cœli regionibus exortas apparuisse. Tunc quoque magno terræ motu Caria & Rodus insulæ adeo concussæ sunt, vt labentibus vulgo tectis, ingens quoque ille colossus rueret. Eodem anno Flaminius consul contemptis auspiciis, quibus pugnare

prohibebatur, aduersum Gallos conflixit & vicit. In quo bello nouem millia Gallorum cæsa, septem & decem millia capta sunt. Post hæc Claudius consul Gestatorum triginta millia deleuit, vbi etiam ipse Iudomàtum regem in primam aciem progressus occidit: & inter multa Insubrium, quæ ad deditionem coëgerat oppida, Mediolanum quoque vrbem florentissimam cepit. Deinde Histri noui hostes excitati sunt: quos Cornelius Minutiusque consules multo quidem Romanorum sanguine subegerunt. Quibus diebus Q. Ennius poeta claruit: qui Romam translatus habitauit in monte Auentino, parco admodum sumptu, & vnius ancillæ ministerio contentus, Zeno stoicus moritur, Antigonus vero successor Demetrij Macedonum rex Atheniensibus libertatem reddidit.

Ptholomæo Philopatre regnante, Iudæorum sexaginta millia ab Antiocho sunt interfecta, & ea ab eo passi sunt, quæ in tertio continentur Macchabæorum libro.

CAP. VI.

PTholomæus Philopater, annis septem & decem. A reædificatione vero templi, anni ducenti nonaginta erant. Sub hoc item principe victi Iudæi, & sexaginta millia eorum cæsa. Ab Antiocho rege Syriæ, & ea, quæ in tertio Macchabæorum libro scripta sunt, euenisse referuntur. Igitur Iudæos eo in tempore, ab Antiocho Magno Asiam regente, multa contigit tolerasse mala: dum terra eorum diuersis calamitatibus subiaceret, cum illis, qui humilem Syriam habitare videbantur. Nam cum Antiochus pugnasset contra Eupatorem Ptholomæum, & eius filium Ptholomæum cognomine Epiphanem, laborare contigit. Iudæos Antiocho vincente eadem pati, vt pares existerent naui turbatæ, & tempestatibus fluctuanti dum inter felicitatem & calamitatem Antiochi fuissent communiter constituti. Cumque vicisset Ptholomæum Antiochus, Iudæam capiens crudeliter eam afflixit. Pontifex vero Iudæorum Onias erat, existens filius Simonis, ad quem rex Spartanorum, (id est, Lacedæmoniorum) Arius nomine legationem direxit, & epistolas, in quibus continebatur, Iudæos & Lacedæmones ex vno extitisse genere, & familiaritatem cum Abraham socialiter habuisse: iustum ergo esse, vt fratres existerent, & per legatos quæ necessaria adiudicarent, peterent: eorumque propria reputarent communia. Rex vero Macedonum Philippus erat.

Quibus diebus infestissimus Romanorum hostis Hannibal, cum copioso exercitu de Hispania profectus, in Italiam venit. In qua decem & tres annos continuo perseuerans, quam grauia & quanta cum Romanis gesserit bella, Romanosque attriuerit, vsque ad vltimam pene desperationem: Et qualiter ab Italia reuocatus in Aphricam, & in ea victus sit à Scipione, cum ante victor frequentissime extitisset. Et dum à domestico Romani premerentur hoste quem in patria ferre nequibant, cum quibus externis populis susceperit bella.

CAP. VII.

IGitur Romani infestissimum atque intolerabilem hostem Hannibalem eo tempore perpessi sunt. Quod eo modo contigit, Carthaginenses namque grauiter ferebant, quod dudum Domini gentium, insularumque tributa darent, quæ prius accipere solebant. Vrebat nobilem populum ablatum mare, insulæ raptæ. Hinc vltionem puer Hannibal ad aram iurauerat patris sui Hamilcaris. Igitur in causam belli Saguntus Hispaniæ nobilis, & opulenta ciuitas amica Romani populi electa est. Quam Hannibal causas no-

A uorum motuum quærens, primum bello petiit, deinde obsidione cinxit: fame excruciauit, octauo demum mense deleuit. Legatos etiam quos Romani propter sociam ciuitatem direxerant: à suo iniuriosissime conspectu absterruit. Inde Pyrineum montem transgressus, inter ferocissimas Gallorum gentes, ferro viam aperuit, & nono demum die à Pyrineo ad Alpes peruenit, Vbi dum montanos Gallos repellere eum ab ascensu obnitentes bello superat, atque inuias rupes igni, ferroque rescindit, ibi triduo commoratus, quinto demum die, cum maximo labore ad plana peruenit. Fuisse tunc exercitum eius in centum millibus peditum, & viginti millibus equitum, definiunt. Scipio consul Hannibali primus occurrit, commissoque prælio apud Ticinum, ipse Scipio grauiter vulneratus, per Scipionem filium admodum prætextatum (qui post Aphricanus cognominatus est,) ab ipsa morte Pœnorum dux liberatus euasit. Cæsus est ibi omnis pene Romanus exercitus.

B Pugnatum deinde eodem consule, ad flumen Trebiam, iterumque Romani pari clade superati sunt. Sempronius consul cognito collegæ casu, à Sicilia cum exercitu rediit. Qui similiter apud eundem fluuium congressus, amisso exercitu pene solus euasit. In eo tamen bello etiam Hannibal sauciatus est. Qui postea cum in Hetruriam primo vere transiret, in summo Apennino tempestate correptus, biduo continuo immobiliter cum exercitu niuibus conclusus & onustus obriguit: Vbi magnus hominum numerus, iumenta complurima, Elephanti autem pene omnes frigoris acerbitate perierunt. At vero alter tunc Scipio, frater consulis Scipionis, in Hispania plurima bella gessit. Magonem quoque Pœnorum ducem bello vicit & cepit. Diris tunc etiam Romani prodigiis territi sunt. Nam & solis orbis minui visus est, & apud Arpos parmæ in cœlo visæ, sol quoque pugnasse cum luna apud Capemenas, interdiu duas lunas ortas, in Sardinia sanguine duo scuta sudasse, apud Falices cœlum scindi velut
C magno hiatu visum; apud Antium metentibus cruentas spicas in corbem decidisse. Igitur Hannibal sciens Flaminium consulem solum in castris esse, quo celerius imparatum obrueret, primo vere progressus, arripuit propiorem, sed palustrem viam, & tum forte Sarnus late redundans, pendulos & dissolutos campos reliquerat. De quibus dictum est: & quæ rigat æquora Sarnus. In quos cum exercitu progressus Hannibal, nebulis maxime quæ de palude exhalabantur, prospectum auferentibus magnam partem sociorum iumentorumque perdidit. Ipse autem vni Elephanti qui solus superfuerat supersedens, vix difficultatem itineris euasit. Sed oculum (quo iamdudum ægrerat) violentia frigoris vigiliarum, ac laboris, amisit. Vbi vero proximus castris Flaminij consulis fuit, vastatione circumiacentium locorum Flaminium in bellum excitauit. Hæc pugna ad Transimennum lacum facta est, vbi exercitus Romanus infeli-
D cissimè arte circumuentus Hannibalis, funditus trucidatus est.

Ipse quoque consul occisus est, vigintiquinque millia Romanorum in eo prælio cæsa, sex millia capta referuntur. De exercitu Hannibalis duo millia ceciderunt.

Famosum hoc apud Transimennum lacum certamen fuit, tanta clade Romana, maxime cum ita intentus * pugnantium (*alias, pugnantium animus.*) extiterit, vt grauissimum terræmotum, qui tunc forte tam vehemens factus est, vt vrbes diruisse, montes transtulisse, discidisse rupes, & flumina retrorsum coegisse referatur, pugnantes omnino non senserint. Hinc consules Lucius Æmilius, Terentius Varro contra Hannibalem missi sunt.

Sed impatientia Varronis consulis infelicissime apud Cannas Apuliæ vicum, omnes pene Romanæ spei vires perierunt. Nam in ea pugna quadraginta

quatuor millia Romanorum interfecta sunt. Quamquam de exercitu Hannibalis magna pars cæsa est, nullo tamen Punico bello Romani adeo ad extremam internecionem adducti sunt. Periit enim in eo bello consul Æmilius Paulus, consulares autem prætorij viri viginti interfecti sunt: senatores vel capti vel occisi sunt triginta: nobiles viri trecenti: pedestrium militum quadraginta millia: equitum tria millia quingenti. Varro consul cum quinquaginta equitibus Venusium fugit. Nec dubium est vltimum illum diem Romani status futurum fuisse, si Hannibal mox post victoriam ad peruadendam vrbem contendisset. Hannibal in testimonium victoriæ suæ tres modios anulorum aureorum Carthaginem misit: quos ex manibus interfectorum equitum Romanorum, senatorumque detraxerat.

Vsque adeo autem vltima desperatio Reipublicæ apud residuos Romanos fuit: vt senatores de relinquenda Italia, sedibusque quærendis, consilium ineundum putarent. Quod authore Cecilio Metello confirmatum fuisset, nisi Cornelius Scipio, tribunus tunc militum, idem qui post Aphricanus, districto gladio eum deterruisset: ac potius pro patriæ defensione in sua verba iurare coegisset. Romani ad spem vitæ quasi ab inferis respirare ausi dictatorem decimum Iunium creant. Qui delecto habitu ab annis decem & septem, immaturæ inordinatæque militiæ, quatuor legiones vndecumque contraxit.

Tunc etiam seruos spectati roboris, ac voluntatis * *al. additur oblatos.* vel si ita opus fuit, publico precio emptos sub titulo libertatis, sacramento militiæ adegit, & arma quæ deerant, templis detraxerunt, egenti ærario priuatæ opes refusæ sunt. Ita equester ordo, ita plebs trepida, oblita studiorum in commune consuluit. Iunius itaque dictator antiquum quoque Romanæ miseriæ factum recolens, per supplementa exercitus edicto, velut asylo patefacto, homines quicumque sceleribus, ac debitis obnoxij essent, impunitate promissa, militiæ mancipauit. Quorum numerum ad sex millia virorum fuit. Campania vero, vel potius omnis Italia, ad Hannibalem desperata penitus Romani status reparatione defecit. Post hoc Lucius Posthumus prætor aduersus Gallos pugnare missus, cum exercitu cæsus est. Deinde Sempronio Graccho, Q. Fabio Maximo consulibus, Claudius Marcellus ex prætore proconsul designatus, Hannibalis exercitum prælio fudit primusque post tantas Reipublicæ ruinas, spem fecit Hannibalem posse superari. Scipiones autem in Hispania Hasdrubalem Pœnorum imperatorem ad Italiam exercitum comparantem, grauissimo bello oppresserunt. Nam XXXV. millia militum de exercitu eius, vel cæde, vel captione minuerunt. Celtiberos milites quam prima externam manum Romani in castris habere cœperunt, pretio solicitatos ab hostium societate in sua castra duxerunt.

Sempronius Gracchus proconsul ab hospite suo Lucano quodam in insidias inductus occisus est. Centenimus Pænula centurio decerni sibi vltro bellum aduersum Hannibalem petiit, à quo cum VIII. millibus militum, quos in aciem adduxerat cæsus est. Post hunc Gneus Fuluius prætor ab Hannibale victus, amisso exercitu vix euasit. Eo tempore cum vnum domesticũ, vt diximus, bellum ferre nullo modo possent, tria insuper transmarina bella fuisse suscepta, vnum in Macedonia contra Philippum potentissimum Macedoniæ regem: alterum in Hispania contra Hasdrubalem Hannibalis fratrem: tertium in Sardinia contra Sardos, & alterum Hasdrubalem Carthaginensium ducem: extra hoc quartum Hannibalis, quo in Italia premebantur, & tamen fortis in alterutrum desperatione in meliora profecit. Nam in his omnibus desperando pugnarunt: pugnando vicerunt. Decimo anno postquam Hannibal in Italiam venerat, Gneo Fuluio Publio consule, Hannibal de Campania mouit exercitum, & cum ingenti

A clade omnium, per Sedecinum Suessanumque agrum via latina profectus ad Anianum fluuium tribus milliaribus ab vrbe consedit, incredibili totius ciuitatis metu. Cum senatus populusque curis trepidus, matronæ quoque amentes pauore, per propugnacula currerent, & conueherent in muros saxa, primæque pro muris pugnare gestirent. Ipse autem Hannibal cum expeditis equitibus vsque ad portam Collatinam infestus accessit. Deinde omnes copias in aciem direxit. Sed & consules Fuluius cum proconsule non detrectauere pugnam. At vbi expositæ vtrinque acies constiterunt in conspectu Romæ præmium victoris futuræ: tantus subito se imber è nubibus grandine mixtus effudit, vt turbata agmina, vix armis retentis, in sua se castra colligerent. Deinde cum sereni:ate reddita, in campum copiæ atque aciem redissent, rursum violentia fusa tempestas, maiore metu mortalium audaciam coercuit, territosque exercitus refugere in tentoria coëgit. Tunc conuersus in regionem Hannibal dixisse fertur: Potiundæ sibi Romæ, modo voluntatem non dari, modo potestatem. At vero in Hispania, ambo Scipiones, à fratre

B Hasdrubalis interfecti sunt. In Campania Capua capta est à Q. Fuluio proconsule Principes Campanorum, veneno mortem sibi consciuerunt; senatum omnem Capuæ etiam prohibente Senatu Romano. Fuluius Sulpicius necauit. Interfectis in Hispania Scipionibus, cũ omnibus incusso pauore cunctantibus Scipio se admodum adolescens vltra obtulisset, & pecuniæ penuria esset ærarij, Claudio Marcello & Valerio Leuino authoribus qui tunc consules erant, aurum argentumque signatum ad quæstores palam omnes senatores in publicum contulerunt: ita vt nihil præter anulos singulos, bullasque, sibi ac filiis, & deinde per filias vxoresque suas singulas tantum auri vncias & argenti non amplius quam singulas libras relinquerent. Scipio Aphricanus annis natus XXIII. imperium in Hispaniam proconsulare sortitus, vltionem præcipue patris & patrui animo intendens, Pyrrhineum transgressus,

C primo impetu Carthaginem nouam cepit: vbi stipendia maxima præsidiaque valida, copiæ auri argentique Pœnorum habebantur. Ibi etiam Magonem fratrem Hannibalis captum cum cæteris Romam misit. Deuinus consul ex Macedonia rediens, Agrigentum vrbem Siciliæ expugnauit, ibique Hannonem Aphrorum ducem cepit: XL. ciuitates in deditionem accepit XX. & VI. expugnauit. Hannibal in Italia Gneum Fuluium proconsulem: XI. præterea tribunos, & XIV. millia militum interfecit. Marcellus consul cum Hannibale triduo continuo dimicauit. Prima die pari pugna discessum est, sequenti victus consul, tertio victor, VIII. millia hostium interfecit: ipsum Hannibalem cum reliquis fugere in castra compulit. Fabius Maximus consul Tarentum, quæ à Romanis desciuerat, iterum & expugnauit & cepit, ibique ingentes copias Hannibalis cum ipso duce eius Carthalone deleuit, XXX. millia hominum captiuorum vendidit, & pretia in fiscum retulit. Sequenti

D anno in Italia Claudius Marcellus consul ab Hannibale cum exercitu occisus est. Scipio in Hispania Pœnorum ducem Hasdrubalem vicit, & castris exuit. Præterea LXXX. ciuitates, aut deditione, aut bello in potestatem redegit. Aphris sub corona venditis sine precio dimisit Hispanos. Hannibal vtrumque consulem Marcellum & Crispinum insidiis circumuentos, interfecit. Claudio Nerone & Marco Libio Salinatore consulibus: cum Hasdrubal Hannibalis frater ab Hispaniis per Gallias ad Italiam veniret, iussusque à Carthaginensibus, vt fratri eum copiis iungeretur, magna secum auxilia Hispanorũ, Gallorumq; deduceret, & cum maturato aduentu descendisse iam ex Alpibus consulibus proditus fuisset, ab exercitu Romano ignorante Hannibale præuentus, cum omni exercitu suo interfectus est. Nã LVIII. millia de exercitu Hasdrubalis ibi occisa sunt, capta sunt

v. millia cccc. Tria millia autem Romanorum ciuium inter eos reperta atque reuocata sunt. Quod victoribus consulibus solatio fuit. Nam & ab exercitu eorum viii. millia ceciderunt, Hannibali caput fratris sui Hasdrubalis ante castra proiectum est. Quo viso & simul clade Pœnorum cognita, anno 13. quum in Italiam venerat, refugit in Brutios. Post hæc anno continuo inter Hannibalem & Romanos quies à tumultu bellorum intercessisse visa est: quia inquietudo morborum in castris erat, & grauissima pestilentia vterque exercitus agebatur. Interea Scipio vniuersa Hispania à Pyreneo vsque Oceanum in prouinciam redacta, romam venit. Consul cum L. Crasso creatus, in Aphricam transiit, Hannonem Hamilcaris filium ducem Pœnorum interfecit, exercitum eius partim cæde, partim captiuitate disperdidit. Nam xi. millia Pœnorum eo prælio occidit. Sempronius consul cum Hannibale congressus & victus refugit, Scipio in Aphrica aggressus hyberna Pœnorum atque alia Numidarum, quæ vtraque haud procul ab Vtica erant, nocte concubia fecit incendi.

Pœni trepidi cum casu accidisse ignem putarent, inermes ad extinguendum concurrerunt: quare ab armatis facile oppressi sunt. In vtrisque xl. millia hominum, igni ferroque consumpta sunt: capta v. millia, duces ipsi miserabiliter ambusti ægre effugerunt: Hasdrubal Imperator, Carthaginem profugus venit. Itaque Sifax & Hasdrubal, mox plurimum reparauere exercitum: atque iterum cum Scipione congressi sunt, victique fugerunt. Sifacem fugientem, Lelius & Masinissa ceperunt: cætera multitudo Cirtam fugit. Quam Masinissa oppugnatam in deditionem recepit: Sifacem ad Scipionem vinctum catenis deduxit. Quem Scipio cum ingentibus spoliis, plurimisque captiuis perducendum Lelio tradidit. Hannibal redire in Aphricam missus, vt fessis Carthaginensibus subueniret, flens reliquit Italiam, omnibus Italici generis militibus, qui sequi nollent, interfectis, cum ad Aphricanum littus propinquaret, iussus quidam è nauticis ascendere in arborem nauis, atque inde speculari quam regionem teneret, sepulchrum dirutum se prospexisse respondit. Abominatus dictum Hannibal, deflexo cursu ad Leptim oppidum copias exposuit. Qui continuo refecta multitudine Carthaginem venit. Deinde colloquium Scipionis petiit. Vbi cum se diu attoniti, admiratione mutua, duo clarissimi duces suspexissét, infecto pacis negotio, prælium consertum est. Quod diu magnis ducum artibus dispositum, magnis copiarum molibus gestum, magnis militum viribus consummatum, Romanis victoriam contulit. Octoginta ibi elephanti vel capti, vel occisi sunt, Carthaginensium interfecta sunt xx. M. D. Hannibal ante omnia prælium & in prælio expertus cum paucis hoc est vix iv. equitibus inter tumultum elapsus ad Rumetum confugit, Postea Carthaginem post vi. & xxx. annos, quam inde paruus cum patre exierat, venit: consultantique Senatui, nullam esse residuam spem, nisi petendam pacem, persuasit. Gaio Cornelio Lentulo Publio, Eliopeto consulibus Carthaginensibus pax per Scipionem voluntate senatus, populique concessa est. Naues tamen plus quam quingentæ in altum productæ, in conspectu ciuitatis incensæ sunt. Scipio iam tunc cognomento Aphricanus, triumphans vrbem ingressus est. Quem Terentius, qui postea comicus, ex nobilibus Carthaginensium captiuus pileatus (quod insigne insigne indultæ sibi libertatis fuit) triumphantem post currum secutus est. Neuius comicus Vticæ moritur, pulsus Roma factione nobilium, ac maxime Metelli. Plautus Romæ moritur; qui propter annonę difficultatem, ad molas manuarias pistori se locauerat. Vbi quoties ab opere vacasset, scribere fabulas solitus erat, ac vendere.

A *Rex Ptholemaus Epiphanes per ducem suum, nomine Scopam, humilem Syriam, Iudæam, atque Samariam in suam recepit ditionem, quas Antiochus nuper ab eius abstulerat potestate: Iterumque Antiochus deuicto Scopa, suæ easdem regiones ditioni subiecit.*

CAP. VIII.

PTholomæus, qui & Epiphanes, annos xxiv. Sub Ptholomæo Macchabæorum martyres coronantur. Sub huius tempore gesta sunt, quæ historia ii. libri Macchabæorum continet. A reædificatione vero templi anni sunt ccc. vii. Pontifex Iudæorum Onias, qui & supra Ptholomæum; ergo Epiphanes, defuncto patre Philopatore, magnam virtutem militum misit cum duce nomine Scopa contra humilem Syriam, multasque eorum ciuitates cepit. Inter quas gentem Iudæorum bello vi-
B ctam recepit, quam nuper Antiochus sibi sociauerat, victo Ptholomæo Philopatore. Et non post multum, Antiochus Scopam vicit, confligens contra eum iuxta fontem Iordanis, multosque de exercitu eius strauit. Postea vero Antiocho capiente Samariam & ciuitates Syriæ, ibidem quas Scopa tenuerat, sponte gens Iudæorum ad eum transiens, in ciuitatem omnem eius exercitum suscepit, & Elephantis abundanter alimenta prębuit, & obsidentes eos, qui ab Scopa in arce Hierosolymorum relicti sunt, custodes prono animo auxilium præstiterunt. Igitur Antiochus iustum arbitratus Iudæorum erga se studium liberaliter remunerandum, scripsit magistratibus, & amicis, testimonium exhibes, quod ab eis bene tractatus est. Sed & donationes, quas eis pro gratia retribuere cogitauit, manifeste illis innotuit, id est, vt ciuitatem destructam reficerent, & in eam habitatores congregarent dispersos. Ad immolationes vero victimarum vini & olei, & libani precium, argenteorum xx. millia. Ad similam autem tritici modios M.
C cccc. lxxv. præbere iussit. Ad porticus vero templi, seu ad alia quæ delapsa erant ædificia, materiem ex Libano concessit. Omne genus Iudæorum secundum proprias leges conuersari permisit. Sacerdotes & scribas templi atque cantores sacros à tributis quæ pro suo capite dabant relaxauit. Eos vero, qui ex ipsa ciuitate seruitio addicti erant, eorumque genitos libertati donauit, & substantias eis reddi præcepit. Edictum autem per omne suum misit imperium causa ornatus templi, in quo continebatur, neminem alienigenarum intra muros templi ingrediendi habere licentiam: Nec Iudæos, nisi purificatos secundum patriam legem, neque inferri in ciuitatem carnes animalium, quæ Iudæis interdictæ sunt, sed solitis patriæ vti permissum est, quibus Deo sacrificandum lex diuina censuit. De his ita eo tempore apud Iudæos rebus gestis: Polybius Megalopolitanus in xi. historiæ suæ libro ita dicit: Ptholomęi dux Scopa ad superiora vadens loca, imperauit hyemis
D tempore gentem Iudæorum, Dicit namque & in eodem volumine, qualiter Scopam Antiochus deuincens, Bathaniam & Samariam, & Abella & Cedar cepisset. Paulo post vero tradiderunt se ei Iudæi, qui circa templum habitabant. Postea vero vt amicitiam & fœdus Ptholomæus cum Antiocho composuit, dedit ei filiam suam Cleopatram ad nuptum, concedens ei humilem Syriam & Samariam, & Iudæam & Phœnicen dotis nomine.

A

Relatio qualiter Philippus Macedonum rex à Romanis victus, Demetrium filium suum obsidem dederit, similiter Nauides Atheniensium dux à Romanis victus, filium suum, Armenem obsidem tribuit. Cum quibus diuersæ nationes sunt Romanis subiectæ. Antiochus etiam rex Syriæ cum omnibus suis copiis bis victus, terra marique, vectigal soluere coactus.

CAP. IX.

APud Romanos vero iisdem diebus bellum Punicum II. finitum est. Cui Macedonicum continuo successit, quod Q. Flaminius consul sortitus, post multa & grauissima prælia quibus Macedones victi sunt, pacem Philippo regi eorum dedit. Deinde eum Lacedæmoniis pugnauit, victo Nauide duce eorum, nobilissimos obsides, Demetrium Philippi filium & Armenem Nauidis filium ante currum duxit. Romani captiui, qui sub Hannibale per Græciam venditi fuerant, B vniuersi recepti, capitibus rasis ob detersam seruitutem, currum triumphantis secuti sunt. Eo tempore Insubres Boi atque Caenomanni, contractis in vnum viribus cum Hamilcare Pœnorum duce, qui in Italia remanserat, Cremonam, Placentiamque vastantes, difficillimo bello, à Lucio Fuluio prætore superati sunt. Postea Flaminius proconsul Philippum regem, & cum eo Thracas, Macedones, Illyricos, multasque præterea gentes, quæ in auxilium eius venerant, bello subegit. Victi Macedones castra amiserunt, VIII. M. hostium eo die cæsa, V. M. capta Lybus scribit. Valerius dicit XL. M. trucidata, Cladius vero XXXII. M. interfecta commemorat. Igitur Antiochus rex Syriæ, bellum contra populum Romanum struens in Europam transiit ex Asia. Tunc etiam Hannibal, propter excitandi belli rumores, qui de eo apud Romanos ferebantur, exhiberi Romano senatu iussus, clam ex Aphrica profectus, ad Antiochum migrauit. C Quem cum apud Ephesum inuenisset, cunctantem mox ad bellum impulit Scipio Aphricanus inter cæteros legatos ad Antiochum missus, etiã cum Hannibale colloquium familiare habuit. Sed infecto pacis negotio, ab Antiocho discessit. In vtraque Hispania per Flaminium, Fuluiumque prætores, bella multum horrida, cruentaque populis gesta sunt. P. Cornelio Scipione. M. Acilio Glabrione consule, Antiochus, quamuis Thermopilas occupasset, quarum munimine tutior, propter dubios belli euentus fieret: tamen commisso bello, à consule Glabrione superatus, vix cum paucis fugit è prælio, Ephesumque peruenit. Is habuisse fertur armatorum LX. M. Ex quibus XL. M. cæsa, capta plus quam V. M. fuisse referuntur. Alter consul Scipio cum Boiorum gente conflixit, in quo prælio XX. M. hostium interfecit. Sequenti anno Scipio Aphricanus habens in auxilio Eumenen, Attali filium aduersus Hannibalem, qui tunc Antiochi classi præerat, bellum nauale gessit. Antiochus victo Hannibale atque in fugam acto, simulque omni exercitu amisso, pacem rogauit, D eoque iure eam obtinuit, vt annis singulis M. talenta Romanis vectigalis nomine persolueret, filiumque Aphricani, quem vtramexplorantem, an in prælio cepisset, incertum est, vltro remisit. Eodem tempore Aphricanus ab ingrata sibi vrbe diu exulans, apud Amitternum oppidum morbo periit. Iisdem etiam diebus Hannibal apud Brisiam Bythiniæ regem, cum à Romanis reposceretur, veneno se necauit. In Sicilia tunc Vulcani insula, quæ ante non fuerat, repente mari edita cum miraculo omnium vsque nunc manet. T. Liuius tragœdiarum scriptor clarus eo tempore habebatur. Qui ob ingenij meritum, à Liuio Salinatore cuius liberos erudiebat, libertati donatus est.

Qualiter Antiochus Ægyptum occupauerit, Romanis denuntiantibus timore perculsus, ab ea discesserit, Hierosolymam petens, templum spoliauit, & aram in eo statuens, immundis sacrificiis polluit, ciuitatemque vastando destruxit, & arcem ob custodiam Macedonum in eadem ædificauit, partem populi captiuam duxit, & partem in ore gladij consumpsit: reliquos ritu gentium viuere instituit, contra dicentes diuersis pœnis affici iussit. Et vnde hoc malum exordium sumpsisse credebatur.

CAP. X.

PTholomæus philomitor, annis XXXV. A reædificatione vero templi, anni sunt, CCC.XXXI. Macedonum rex Perseus erat, Defuncto itaque Seleuco rege Syriæ, Antiochus frater eius gubernacula regni susceperat, qui Epiphanes nuncupabatur. Moritur etiam Ptholomæus rex Ægyptiorum, qui similiter Epiphanes dicebatur, relinquens duos filios minores ætate. Quorum vnus, qui & maior, de quo nunc mentionem fecimus, Philomitor dicebatur: minor vero Fiscon. Antiochus pro suo feliciter imperio, exercitum ducere deliberauit ad Ægyptum, tractus desiderio eius & contemnens filios Ptholomæi, vt debiles ac nequaquam tanta negotia regere præualentes. Perueniens igitur cum magna virtute ad Pelusium, & dolo Philomitorem Ptholomæum circumueniens, Ægyptũ occupauit. Et cum adisset loca Mempbiticæ ciuitatis, eam capiens contra Alexãdriam vt obsidendo Ptholomæum caperet, ambulauit. Expulsus vero est non ab Alexandria tantum, sed etiam à tota Ægypto, Romanis sibi denuntiantibus, vt discederet à prouincia. Per idem tempus defuncto Onia principe sacerdotum, fratri eius Antiochus sacerdotij contulit principatum. Nam filius quem Onias reliquerat, adhuc infans erat. Iesu vero, qui frater erat Oniæ, principatum sacerdotij rex abstulit iratus, & dedit eum iuniori fratri eorum nomine Oniæ. Sic namque ad tres filios Simonis principatus sacerdotij, sicut prædiximus, peruenit. Et Iesus quidem Iasonem se nominauit. Onias autem Menelaus est nuncupatus, Seditionem itaque princeps sacerdotum Iesus, aduersus Menelaum concitauit, & diuisa in vtrumque populi multitudine, pars plurima Iasonem adiuuabat. Vnde laborantes Menelaus & qui ei consenserant ad Antiochum discesserunt. Ad notitiam etiam eius perducentes, quod vellent patrias relinquere leges, & conuersationem & mores obseruare Græcorum, rogauerunt eum, vt permitteret eis ædificare gymnasium Hierosolymis. Cumque concessisset, circumcisionem suam velauerunt, vt non appareret in denudatione Græcis esse dissimiles. Cęteraque omnia relinquentes, quę illis mos patrius imponebat, aliarum facta gentium, ritusque sequebantur. Igitur hæ seditiones quæ propter ambitionem atque dignitatem summi sacerdotij inter prædictos turpiter gerebantur fratres, atque dissensiones quæ inter Hircanum Iosephi filium (de quo supra meminimus) eiusque fratres crudeliter actæ sunt, maxima pullularunt calamitatum semina in populo Iudæorum dum aduersum se alienigenarum arma prouocantes, propria dilaniauerunt viscera, dum aliqui Seleucum eiusq; principes, alij vero Antiochum, illius successorem, ad desolationem templi destitutionemque populi euocauerunt, vt præmisimus. Igitur reuersus rex Antiochus ab Ægypto propter Romanorum timorem, ad Hierosolymorum ciuitatem duxit exercitum. Quo perueniens, cepit eam conflictatione cuiuspiam, aperientibus ei portas his, qui voluntati eius consentiebant. Ingressusque ciuitatem Hierosolymorum multos interemit, sibi contraria sapientes, necnon & eos, qui portas ei aperientes ciuitatem tradiderunt, propter templi diuitias interfecit, multasque ab eo templo auferens pecunias, ad Antiochiam reuersus est. Postquam autem expoliauit templum, ita vt vasa Dei as-

portaret, & lucernas aureas & aram auream, & mensam, & sacrarium: neque de velis abstinuit, quæ ex bysso, & purpura, & cocco erant. Exhauriens autem & thesauros, nihilque penitus relinquens, ad maximum Iudæos propter huiusmodi causam luctum vsque perduxit. Nam & quotidianas immolationes, quas Deo secundum leges offerebant, celebrari prohibuit. Deprædans autem totam ciuitatem, quosdam interfecit, alios captiuos cum vxoribus & filiis deduxit, ita vt numerus multitudinis captiuorum, vsque x. M. existere videretur. Incendit etiam optima eius loca, & deponens muros, arcem ædificauit in interiori parte ciuitatis. Nam alta & eminentior erat prius templo, & propter hoc muniens eam muris altis & turribus, custodiam Macedonum ibi disposuit. Manebant in arce etiam nihilominus homines impij, & moribus malignis, à quibus ciues multa & acerba subinde patiebantur. Ædificans vero & in sacrario aram, super eam porcos immolauit, hostias non legitimas nec patriæ religioni Iudæorum congruas. Coegitque etiam eos relinquere religionem patriam, idolum venerari, ædificare etiam in vnaquaque ciuitate & vico templa Iudæorum, & aras collocantes, immolare super eas porcos omni die præcepit, & ne quis circumcideretur, inhibuit. Interminatus est etiam tormenta grauissima, si quis propter hæc facere inueniretur. Constituit itaque præpositos, qui cogerent eos imperialia mandata perficere. Et multi quidem Iudæorum sponte, alij vero propter timorem, imminentis regis præcepta sequebantur. Probatissimi & generosissimi detestabile facinus execrantes, patriis legibus adhæserunt, propterea diebus singulis pœnis afflicti, & amare passi tormenta, trucidabantur. Nam & verberati, & diuersis cruciatib. fatigati, adhuc viuentes crucis patibulo figebantur. Vxores vero pariter & filios quos circumciderunt, propter voluntatem regis laqueis suffocabant, parentum eos ceruicibus inligantes. Insuper & si apud aliquem volumen inuentum fuisset sacrum, aut lex, is crudeli sorte moriebatur.

Quibus diebus Romani innumeras multitudines hominum in Hispania trucidauerunt, oppida vltra CCC. destruentes, euerterunt. Bellum etiam Macedonicum merito, inter maxima computandum, tunc gestum est. Punicum etiam bellum exortum est tertium. Quo confecto, igni, ferroque Carthago penitus est euersa, anno postquam condita est DC.

CAP. XI.

QVo in tempore apud Romanos Fuluius Flaccus prætor in citeriore Hispania maximo prælio, XXIII. M. hominum fudit, IIII. M. cepit. Hinc Gracchus Sempronius in Hispania vlteriore C.V. oppida vacuata, quassataque bellis ad deditionem coegit. Hinc Lucius Posthumius in citeriore Hispania. XL. M. hostium bello interfecit Gracchus prætor ibidem iterum CC. oppida expugnauit & cepit. Quibus etiam diebus bellum Macedonicum gestum est, merito inter maxima bella referendum. Nam Perseus Philippi filius, quem Macedones secuti sunt, auxiliarios habuit Thraces, cum rege eorum Coti, & vniuersos Illyrios cum rege Gentio. Gens namque Basternarum, quæ prædarum spe spoliata in auxilium eius properabat, sine vlla pugna vel aliquo hoste deleta est. Dum Danubium cum toto agmine super glaciem transiret, gelu concrepans enormitate ponderis, glacialis crusta dissiliuit, vniuersumque agmen quod diu sustinuerat mediis gurgitibus victa tandem & comminuta destituit, atque eadem rursus fragmentis impedientibus superducta submersit. Pauci ex omni populo per vtramque ripam vix concisis euasere visceribus. Cæterum in auxilio Romanorum tota primum Italia, dein-

A de Ptholomæus rex Ægypti, & Ariarates Capadociæ, Eumenes Asiæ, Masinissa Numidiæ fuerunt. Itaque aduenienti Crasso consuli, Perseus occurrit: commissoque prælio, miserabiliter victi fugere Romani. Sequenti pugna, pene pari clade partis vtriusque in hyberna discessum est. Deinde Perseus profligato multis præliis exercitu Romano, in Illyricum transgressus, Sulcanium oppidum defensum à præsidiis Romanis, pugnando cepit, vbi magnam Romanorum præsidiorum multitudinem partim occidit, partim sub corona vendidit, partim secum in Macedoniam duxit, postea cum eo Æmilius Paulus consul dimicauit & vicit. Nam XX. M. peditum in eo bello interfecit. Rex cum equitum subterfugit. Sed continuo captus; atque in triumpho cum filiis ante currum actus est, & post apud Albam in custodia defecit. Filius eius iunior fabricam ærariam ob tolerandam inopiam Romæ didicit, ibique consumptus est. Plurima præterea & satis diuersis prouentibus bella multarum vbique gentium gesta sunt, quæ breuitatis causa prætermisi. Igitur cum omnes Romanos ingens Celtiberorum metus inuasisset, &
B ex omnibus non esset qui ire in Hispaniam vel miles, vel legatus auderet. P. Scipio, (qui postea Aphricanus erat,) vltro sese militaturum in Hispaniam obtulit, cum tamen in Macedoniam sorte iam deputatus esset. Itaque profectus in Hispaniam, magnas strages gentium dedit. Sæpius etiam militis quam ducis vsus est officio. Nam & barbarum prouocantem singulariter congressus, occidit. Sergius autem Galba prætor, à Lusitanis magno prælio victus est, vniuersoque exercitu amisso, ipse cum paucis vix elapsus, euasit. Eo tempore censores theatrum lapideum in vrbe construi censuerunt. Quod ne tunc fieret, Scipio Nasica, grauissima oratione obstitit dicens: inimicissimum hoc fore bellatori populo, ad nutriendam desidiam, lasciuiæque commentum, adeoque mouit senatum, vt non solum vendi omnia theatro comparata iusserit, sed etiam subsellia ludis poni prohibuerit. III. hinc
C Punicum bellum exortum est. Igitur cum senatus delendam Carthaginem censuisset, profecti in Aphricam consules, & Scipio tunc tribunus militum, filius, vt ferunt, maioris Aphricani, prope Vticam castra tenuerunt. Ibi Carthaginensibus euocatis, iussit vt arma & naues traderent. Nec mora, tanta vis armorum repente tradita est, vt facile tota ex his Aphrica potuisset armari. Sed Carthaginenses postquam arma tradiderunt, & relicta vrbe secedere procul à mari X.M. passuum iussi sunt, dolorem ad desperationem contulerunt, aut defensuri ciuitatem, aut cum ipsa per ipsam sepeliendi, ducesque sibi duos Hasdrubales creauerũt, Arma primum facere aggressi æris ferrique inopiam auri & argenti metallis suppleuerunt. Consules oppugnare Carthaginem statuunt, cuius situs fuisse huiusmodi dicitur. XXII. M. passuum muro amplexa, tota pene mari cingebatur, absque faucibus qui tribus milli-
D bus passuum aperiebantur. Is locum murum XXX. pedum latum habuit, saxo quadrato in altitudine cubitorum XL. Arx, cui Brisæ nomen erat, paulo amplius quam duo millia passuum tenebat. Ex vna parte murus imminens mari, quod mare stagnum vocant, quoniam obiectu protentæ linguæ strangulatur. Consules igitur quamuis aliquantam muri partem quassatam machinis diruissent, tamen à Carthaginensibus victi & repulsi sunt. Quos fugientes, Scipio repulso intra muros hoste, defendit. Censorinus in vrbem rediit, Manilius omissa Carthagine, ad Hasdrubalem arma conuertit. Scipio Masinissa mortuo, inter Masinissæ filios tres, Numidiæ regnum diuisit. Quocirca Carthaginem reuersus Manilius Degazam vrbem expugnauit, atque diripuit, Duodecim millia ibi Aphrorum cæsa, VI. capta sunt. Hasdrubal Pœnorum imperator Masinissæ nepos subselliorum fragmentis incutia à suis propter suspicionem proditio-

nis occisus est. Iuuentius prætor in Macedonia aduersus Pseudophilippum congressus, cum maxima clade totius Romani exercitus interfectus est. Anno ab vrbe condita DC. Post bellum Punicum secundum Gneo Cornelio Lentulo, Lucio Mummio consulibus, Scipio superioris anni consul, delere Carthaginem supremá forte molitus, Cuothonem ingreditur. Vbi cum VI. continuis diebus noctibusque pugnatur, vltima Carthaginenses desperatio ad deditionem traxit: petentes, vt quos belli clades, reliquos fecit, saltem seruire liceat. Primum agmen mulierum satis miserabile, post virorum magis deforme ascendit. Nam fuisse mulierum XXV. millia: virorum XXX. millia memoriæ traditum est. Rex Hasdrubal se vltro dedit. Transfugæ, qui Æsculapij templum occupauerant, voluntario præcipitio igne consumpti sunt. Vxor Hasdrubalis se duosque filios secum, virili dolore & furore fœmineo, in mediú iecit incendium: eundem nunc mortis exitum faciens nouissima regina Carthaginis, quem quondam prima fecisset. Ipsa autem ciuitas X. & VII. continuis diebus arsit: miserumque spectaculum de varietate conditionis humanæ victoribus suis præbuit. Diruta est autem Chartago omni murali lapide in puluerem comminuto, DCC. annó postquam condita erat. Multitudo omnis captiuorum, exceptis paucis principibus, venundata est. Ita IIII. quam cæptum fuit anno, bellum Prunicum III. terminatum est. Quæ tunc etiam bella in citeriore Hispania gesta sunt, & qualiter Bebius à Liguribus circumuentus cum omni exercitu periit, quomodo etiam Fuluius consul, cum Gallogræcis acerbissimum bellum gessit circa Olympum montem, & cætera bella quæ tunc Romani per diuersa gerebant loca, qui latius scire voluerit, Orosij exterorumque historiographorum libros legere curabit. Statius Cecilius comædiarum scriptor, clarus iisdem habetur diebus; Qui natione Gallus erat, alij Mediolanensem eum fuisse ferunt: Primum Ennij contubernalem, & anno sequenti post eius mortem & ipse mortuus est, & post Ianiculum sepultus. Ennius vero poeta LXX. ætatis suæ anno, articulari morbo periit, sepultusque est in Scipionis monumento: in via Appia intra primum ab vrbe milliarium. Tunc etiam Lucius poeta nascitur. Romæ descriptione facta, inuenta sunt hominum CCCXXXIIII. millia. Quo in tempore Aristobolus Philosophus commentarios scripsit in libros Mosi, & regi obtulit Ptholomæo. Romani interfecto Pseudophilippo Macedones gentium dominos tributarios faciunt: regnumque Macedonum deficit, Carthago námque, vt præmisimus, igni ferroque funditus est euersa. Antiochus, sicut superius meminimus, templum Domini polluit: & in eo Iouis Olympiaci simulachrum posuit. In Samaria autem super verticem montis Gaziri, vbi templum Sanabalath quondam ædificauerat ad instar Hierosolymorum in nomine summi Dei, delubrum Iouis Peregrini Antiochus consecrari in eo iussit: ipsis Samaritanis vt id faceret precantibus. Nunc vero vbi contaminationem atque vastationem templi ostendimus, duoque regna potentissima, Macedonicum scilicet atque Carthaginense, defecisse, finem etiam huius voluminis imponere decreuimus.

FINIS LIBRI QVINTI.

A

FRECVLPHI EPISC. LEXOVIENSIS,

CHRONICORVM

Tomi prioris,

LIBER VI.

Qualiter Matathias resistens Antiochi edictis leges patrias vendicauerit, Iudam ducem populo præfecerit, & ipse Iudas quomodo ad principatum sacerdotij peruenerit.

B

CAP. I.

EODEM autem tempore, quo Ptholomæus Fiscon in Alexandria regnabat, Antiochus vero crudeliter sæuiendo Iudæos diuersis afficiebat pœnis (vt in præcedenti libro succincto commemorauimus sermone) erat habitans atque in Modin vico Iudææ Matathias filius Ioannis, sacerdos ab Hierosolymitis, habens filios V. quorum nomina sunt hæc: Ioannes, qui & Gaddis: Simon vero, qui dictus est Matathias: & Iudas, qui vocabatur Machabæus: & Eleazarus, qui dictus est Apphus: Abraham, qui & Ionatha. Iste ergo Matathias plangebat apud filios rapinam ciuitatis, & templi nuditatem, seu calamitates plebis, deputans melius esse pro patriis mori legibus, quam sine gloria viuere. Venientibus autem ad Modin villam à rege Antiocho di-
C rectis, vt cogerent Iudæos facere quæ præcepta erant à rege, & iubentibus illic constitutis immolare idolis, secundum regis iussionem: & primum Matathiam, qui doctrina vel fama gloriæ reliquos anteibat, qui non solum se temperauit à sacrilegio regalique edicto, verumetiam immolantem simulachris hostias de popularibus suis nactus, gladio transuerberauit. Et congregata manu ipse cum filiis suis, temerantes vsum patrium, & iustitias legis, alios necauit, plerosque expulit, bellique sabbatho adoriendi author fuit, ne simili arte ipsi quoque deciperentur, sicut plerique iam eorum, dum sabbatho bellum suscipere detrectant, irruentibus in sese hostibus multi occubuere. Et perseuerauit in vero vsque ad exitum vitæ, habens studium defensionis & pietatis. Sed cum sibi supremum diem adesse intelligeret, vocatis ciuibus atque assistentibus liberis, hortatus est, vt tuerentur patriam, templique religionem ducemque Iudam Machabæum curæ ac solicitudinis suæ successorem reliquit. Qui bello strenuus, consilio
D bonus, ac præ cæteris fide promptus, quam frequenter innumeras hostiú copias parua manu fuderit: persequi non est præsentis negotij. Qui principatum sacerdotij propter excellentia meritá populo sibi contradicente obtinuit: tribusque annis pontificatum rexit: & hoc ita contigit. Onias princeps sacerdotum, qui & Menelaus vocabatur, filius Simonis, qui Antiochum Epiphanem, aduersus Iudæos excitauerat, & suæ legis proditor extiterat: sicuti præmisimus in præcedenti libro, ab Antiocho iuniore occisus est: persuadente Lysia atque dicente, hunc fuisse initium malorum, qui flexerat patrem illius, cogere Iudæos religionem patriam, relinquere: & ipse cum principatum obtineret, impulit Iudæos proprias transgredi leges. Post cuius interitum Achimus, qui & Ioacbim ex familia existens alia, dolo sacerdotium obtinuit, ob quam causam Onias filius principis sacerdotis Oniæ, de quo

prædiximus, quod adhuc puerulus defuncto patre esset relictus, videns quod patruum suum Menelaum rex interfecisset & principatum sacerdotij Alchimo dedisset, non existenti de genere sacerdotum, fugit ad Pholomæum Ægypti & honorem meruit ab ipso & vxore eius Cleopatra: locumque petit in regione Heliopolitana, vbi simile Hierosolymorum ædificauit templum. Ioachim vero post multa quæ contra leges in suos egerat ciues, nolens deponere murum sanctuarij veterem, & constructum ab antiquis prophetis, plaga quidem Dei repentina percussus est, ex qua mutus in terram cecidit, & tortus per multos dies detestabiliter expirauit, principatum sacerdotij tenens annis IV. Quo defuncto, sacerdotium populus Iudæ contradidit. Is namque Iudas templum ab Antiocho destructum nobiliter renouauit, & à sordibus idolorum mundauit, quod annis III. pollutum fuerat atque desolatum, pro renouatione templi Deum laudibus & psalmis glorificans cum suis ciuibus sacrificia per dies VIII. celebrauit. Audiens etiam Romanorum virtutem, cum eis amicitias fœderauit, atque societatem. Demum post multa prælia feliciter gesta contra Bacchidem dimicans, à sociis destitutus propriis: minime fugere volens, circumseptus ab hostibus multos interficiens aduersariorum, & ipse percussus interiit.

Regnante Ptholomæo Euergete, Simon post obitum Ionathæ, principatum sacerdotij adeptus.

CAP. II.

PTholomæus, qui & Euergetes annis XXIX. A reædificatione templi CCCLXVI. erat annus. Pontifex vero Iudæorum Ionathas erat, qui post fratris Iudæ necem successerat, non minus virtutis similitudine par, quam natura germanitatis. Qui post multa in bellicis rebus opera, & sacris officia quæ circa templi purificationem spectata ac probata sunt, suâ quoque potentiam Romanorum amicitia corroborauit. Antiochi quidem filio reconciliatur: non tamen horum ei quicquam profuit ad periculum euitandum. Namque Tryphon tyrannus Antiochi quidem filii tutor, insidiis eum captans, & propter hoc amicis nudare cupiens, Ionathan cum ad Antiochum paucis comitatus Ptholemaidem venisset, dolo comprehendit: eoque vincto, contra Iudæam mouit exercitum. Vnde repulsus à Simone Ionathæ fratre, quodque ab eo superatus esset, iratus tunc eundem Ionathan interfecit. Simon autem fortiter regendis rebus intentus, non rudis sed etiam probatus fraternæ societatis, triumphis, vtinam & ipse tam perspicax ad fraudes cauendas quam manu validus, bellandique actibus satis spectatus: equidē Gazam & Ioppem & Ianiam cepit & euertit. Aduersus etiam Triphonem Antiocho auxilium præbuit, sed regis auiditatem satiare non potuit, quamuis neci Triphonis, suam quoque operam adhibuisset, non multo etiam post Antiochus Cendebeum ex ducibus suis ad vastandam Iudęam, opprimendumque seruitio Simonem, cum exercitu misit. Ille autem quamquam senior esset, bellum tamen iuueniliter amministrat: & filios quidem suos, cum validissimis præmittit viris, parte vero multitudinis comitatus, alio latere aggreditur, multisque per multa loca insidiis etiam in montana dispositis, in omnibus superat, clarissimaque potitus victoria, Pontifex declaratur, & post C. LXX. annos Iudæos liberat à dominatione Macedonum. Et hic autem moritur in conuiuio, captus insidiis Ptholomæi generi sui. Qui eius coniuge duobusque filiis in custodiam conclusis, certos misit nuntios, vt Ioannem III. cui etiam Hircanus fuit nomen, interficerent. Cognita autem nece, quæ parabatur, adolescens in ciuitatem properabat, multisque populis fretus, & propter memoriam fraternæ virtutis, & quod iniquitas Ptholomæi cunctis esset inuisa. Voluit autem etiam Ptholomæus alia porta ciuitatem ingredi, sed à populo reiectus est, quam maturius Hircanum susceperat. Et is quidem statim recessit, in aliquod vltra Hiericunta castellum, quod Dagon vocatur. Hircanus autem paternum honorem pontificatus mox assecutus est.

De euersione Tyri opulentissimæ ciuitatis, & qualiter Achaia per Metellum Consulem, Romanis sit subiecta. Quibus temporibus, Androgeus Romæ visus, quod portentum ingens pestilentia subsecuta est. Viriatus etiam vir pastoralis Lusitanus, diuersis præliis Romanos vicit & fugauit. Demum à suis interfectus est.

CAP. III.

QVo etiam tempore ruinam Carthaginis, Corinthi euersio subsecuta est, duarumque potentissimarum vrbium, paruo vnius temporis interuallo, per diuersas mundi partes, miserabile conluxit incendium. Nam cum Metellus prætor Achæos, Boetiosque coniunctos duobus bellis, hoc est, primum apud Thermopilas, iterum in focis deuicisset, quorum priore bello, occisa esse XX. M. secundo, VII. M. cæsa referuntur. Igitur post extincta totius Achaiæ præsidia, destitutarum euersionem vrbium Metello prætore meditante, consul Numius repentinus ad eum cum paucis venit in castra: qui demisso statim Metello, Corinthum sine mora expugnauit vrbem, toto tunc orbe longe omnium opulentissimam: quippe, quæ velut officina omnium artificum; atque artificiosa, & emporium cōmune Asiæ, atque Europę, post multa retro sęcula fuit. Permissa crudeliter etiam captiuis prædandi licentia, sic omnia cædibus, ignibusque completa sunt, vt de murorum ambitu, quasi è camino in vnū apicem coarctatum, exundaret incendium. Itaque plurima pars populi ferro, flammisque consumpta: reliqua sub corona vendita est. Vrbe incensa, muri funditus diruti sunt: muralis lapis in puluerem redactus, præda ingens erepta est, sane cum propter multitudinem & varietatem statuarum, simulachrorumque in illo ciuitatis incendio permixta, in vnum auri, argenti atque æris, omniaque simul metalla fluxissent, nouum genus metalli factum est. Vnde vsque in hodiernum diem, siue ex ipso, siue ex imitatione eius, æs Corinthium, sicut memoriæ tanditum est, & Corinthia vasa dicuntur. Iisdem consulibus Viriatus in Hispania genere Lusitanus, homo pastoralis & latro primum infestando vias, deinde vastando prouincias. Postremo exercitus prætorum & Romanorum consulum, vincendo, fugando, subigendo, maximo terrori Romanis omnibus fuit. Qui prætorem Vitellium bello superauit, deinde Plautium prætorem: idem Viriatus multis præliis fractum fugauit. Post etiā Claudius cum magno æstu belli cōtra Viriatum missus, quasi pro abolenda superiore macula turpiorem ipse auxit infamiam. Nam congressus cum Viriato, vniuersas quas secum duxerat copias, maximasque vires Romani amisit exercitus. Viriatus trabeas, fasces, cæteraque insignia Romana in montibus suis trophea præfixit. Quo etiam tempore Androgenus Romę visus, iussu aruspicum in mare mersus est. Quam sacrilegam expiationem, tanta lues hominum subsecuta est: vt magnę domus vacuæ viuis, plenę mortuis remanerent. Denique iam non solum in vrbe viuendi, sed etiam appropinquandi negabatur facultas, propter fęuos cadauerum putores. Igitur Pompeius consul, fines Numantinorum ingressus accepta maxima clade discessit. Viriatus autem cum per XIV. annos Romanorum duces, atque exercitus protriuisset: insidiis suorum interfectus est. Deinde Mancinus consul, postquam à Popilio apud Numantiam suscepit exercitum, adeo infeliciter prælia cuncta gessit: atque in id supremæ despe-

ratione perductus est: vt turpissimum fœdus, cum Numantinis facere cogeretur, quamuis & Pompeius iam aliud æque infame fœdus cum iisdem Numantinis paulo ante pepegisset. Senatus dissolui fœdus & Mancinum dedi Numantinis præcepit. Qui nudato corpore manibusque post tergum reuinctis ante portas Numantinorum expositis ibique vsque in noctem manens, à suis desertus, ab hostibus autem non susceptus, lachrymabile vtrisque spectaculum præbuit.

Qualiter rex Parthorum Babyloniam diuersasque nationes suo subiecit imperio. Et tunc Brutus in citeriore Hispania Gallicanis Lusitanis auxilia ferentes bello oppressit. Et Lepidus proconsul Vacceos in Hispania innoxios, dum expugnare conatur, ab eis amisso exercitu victus est: quando etiam Romæ serui conspirantes, mox interfecti sunt.

CAP. IV.

TVnc siquidem in Oriente ex Parthorum sextus à Barsace, victo Demetrij præfecto, Babyloniam vrbem finesque eius vniuersos victor inuasit. Omnesque præterea gentes, quæ inter Hidaspen fluuium & Indum iacent, subegit. Ad Indiam quoque cruentum extendit imperium. Demetrium ipsum secundo sibi bello occurrentem vicit & cepit. Quo pacto Diodotus quidam, cum Alexandro filio regnum eius, & regium nomen eius vsurpauit. Postea ipsum Alexandrum filium, quem participem periculi, in peruadendo regno habuerat: ne in obtinendo consortem haberet, occidit. Interea Brutus in citeriore Hispania LX. millia Callecorum, qui Lusitanis in auxilium venerant, asperrimo & difficili bello, quamuis incautos, circumuenisset, oppressit. Quorum in eo prælio L. millia occisa, VI. millia capta referuntur, pauci fuga euaserunt. In citeriore Hispania Lepidus proconsul Vacceos innoxiam gentem & supplicem, etiam Senatu prohibente, pertinaciter expugnare tentauit. Sed mox accepta clade grauissima improbæ pertinaciæ pœnas luit. Sex millia quippe Romanorum in hoc iniusto bello iustissime cæsa sunt: reliqui exuti castris, armis etiam perditis, euaserunt. Tunc etiam Romæ puer ex ancilla natus est quadripes, quadrimanus; oculis quatuor, auribus totidem, natura viri duplex. In Sicilia mons Æthna vastos ignes eructauit ac fudit. Igitur in Sicilia bellum seruile ortum est, quod graue & atrox multitudine seruorum, instructu copiarum, magnitudine virium fuit, vt non dicam prætores Romanos, quos penitus profligauit, sed consules quoque terruerit. Nam LXX. millia seruorum tunc in arma conspirantium fuisse refertur.

Quibus diebus per Scipionem Aphricanum Numantia deleta est, & Attalus rex Asiæ per testamentum sibi succedere populum Romanum fecit, quam eiusdem frater inuasit, ad cladem populi Romani, suamque interneciouem.

CAP. V.

SCipio Aphricanus consensu omnium consul creatus, ab obtergendam infamiam fœderis, quod Mancinus cum Numantinis pepigerat, dirigitur in Hispaniam. Qui non confestim adgressus est Numantinos quasi incautos, quos semper nouerat esse paratos, sed prius exercuit militem suum in castris, velut in scholis, quod tamen aliquid profuit. Conserto namque prælio, quamuis prius impetum Romani non ferentes Numantinorum, fugere cœpissent, industria ducis atque

A audacia, acerrime repressi, quos fugerant, fugere coegerunt. Qua inopinata victoria lætatus Scipio, fossa vrbem muniuit, vallum sudibus præstruxit, & sic obsidione Numantinos contriuit. Igitur conclusi diu Numantini, & fame cruciati, deditionem sui obtulerunt, si tolerabilia iuberentur. Sæpe etiam orantes iustæ pugnæ facultatem, vt tanquam viri mori liceret, vltimo omnes duabus subito portis eruperunt, larga prius potione vsi, non, vim cuius ferax is locus non est, sed succo tritici per artem confecto, quem succum à calefaciendo celiam vocant. Hac igitur potione post longam famem recalescentes bello sese obtulerunt. Atrox diu certamen, & vsque ad periculum Romanorum fuit, iterumque Romani pugnare se aduersus Numantinos fugiendo probauissent, nisi sub Scipione pugnassent Numantinis interfectis suorum fortissimis, bello cedunt. Compositis tamen ordinibus non fuperantes, nec sic ut fugientes in vrbem reuertuntur. Corpora interfectorum ad sepulturam oblata, accipere noluerunt.

B Nouissima se desperatione in mortem omnes destinati, clausam vrbem ipsi introrsum succenderunt, cunctique pariter ferro, veneno, atque igni consumpti sunt. Romani nihil ex his penitus habuere victis, præter securitatem suam, neque etiam euersa Numantia, vicisse se magis Numantinos, quam euasisse dixerunt. Vnum Numantinum non victoris catena tenuit captiuum, vnde triumphum dederit, non vidit Roma aurum vel argentum quod igni superesse potuisset, quia apud pauperes non fuit, arma & vestem ignis absumpsit. Igitur deleta Numantia, cum Scipio pacem componeret cæteris Hispaniæ ciuitatibus, quendam Celticum principem Tyresum nomine consuluit, quo opere Numantia prius fortiter repugnans durarct, dum quatuor millia Numantinorum aduersus XL. millia Romanorum diu dimicarent, ac sæpius vincerent. Qui respondit: Inuicta concordia hoc egit: Quo etiam tem-

C pore Attalus Humenis filius moriens, per testamētum populum Romanum imperio Asiæ succedere hæredem iusserat. Hinc itaque Licinius Crassus Consul & Pontifex maximus aduersus Aristonicum Attali fratrem, traditam per testamentum Romanis Asiam peruaserat, cum instructissimo missus exercitu, præterea magnis regibus, hoc est, Nicomediæ, Bythiniæ, Mitridate, Ponti & Armeniæ, Ariarate, Cappadociæ, Philomenæ, Paflagoniæ, eorumque maximis copiis adiutus, conserto tamen bello victus est, & cum exercitu post plurimam cædem in fugam acto: ipse iam circumuentus ab hostibus & pene captus esset, virgam qua erat vsus ad equum in oculum Thracis impegit. Barbarus autem cum ira & dolore exarsisset, latus Crassi gladio transuerberauit. Ita ille excogitato genere mortis effugit dedecus & seruitutem. Perpenna consul, qui Crasso successerat, audita morte Crassi, & clade exercitus Romani, raptim in Asiam peruolauit, Aristonicum recenti victoria feriatum improuisum bello adortus, nudatumque omnibus copiis, in fugam vertit. Cumque

D Stonicem vrbem, ad quam ille fugerat, obsidione cinxisset, cruciatum fame ad deditionem coëgit. Perpenna consul apud Pergamum correptus morbo diem obiit. Aristonicus Romæ iussu Senatus in carcere strangulatus est.

Quo in tempore conspiratio seruorum longe, lateque efferbuit, & mox à dominis seu Romanorum consulibus pœnis adacti, deleti sunt. Quo in tempore Æthna vltra modum insolitos euomuit ignes, & in Aphrica locustarum magnitudo mari immersa ad littusque reuoluta, nimiam corrupto aere pestilentiam mortalibus incussit.

CAP. VI.

IGitur conspiratio seruorum in Sicilia longe lateque non modicam excitauit tempestatem. In Sicilia quidem, dum quadam insolentia dominium obtinerent, male adeptum serui, Piso consul VIII. M. eorum patibulis affixit. Cui succedens Rutilius, vltra XX. M. ex rebellantibus seruis trucidauit. Qui tamen prius obsidione cincti, tanta necessitate compulsi sunt, vt cadauera suorum deuorarent sociorum. Nam & Minternis CCCC. L. serui in crucem acti: & Sinuessa ad IV. M. seruorum à Q. Metello oppressa sunt. In metallis quoque Atheniensium idem tumultus seruilis à Periclito prætore discussus est. Apud Delon etiam serui nouo motu intumescentes, ab oppidanis prouenientibus pressi sunt. Iisdem temporibus Cicero nascitur, matre Eluia, patre equestris ordinis, ex regio Vulscorum genere. Turpilius comicus senex moritur. Quibus etiam diebus Æthna vasto concussa tremore exundault igneis globis. Rursusque alio die Lippara Insula, & vicinum circa eam mare in tantum efferbuit, vt vastas quoque rupes dissoluerit, tabulata nauium liquefactis ceris extorruerit, exanimatos pisces supernatantesque excoxerit, homines quoque nisi qui longius potuerunt diffugere, reciprocato anhelitu calidi aeris adustis introrsum vitalibus suffocauerit. Locustarum etiam in Aphrica tanta vis efferbuit, vt non solum virentia quæque consumerent, verumetiam amaros cortices atque arida ligna prororderent. Sed repentino arreptæ vento, atque in globos coactæ, portatæque diu per aëra, Aphricano pelago immersæ sunt. Harum cum immensos aceruos longe vndis vrgentibus fluctus per extenta late littora propulissent, iterum nimis atque vltra opinionem pestiferum odorem tabida & putrefacta congeries exhalauit. Vnde omnia pariter animantium tanta pestilentia consecuta est, vt auium, pecudum, ac bestiarum corruptione aeris dissoluta est, & putrefacta passim cadauera vitium corruptionis augerent. At vero quanta fuerit hominum lues, ego ipse dum refero toto corpore perhorresco. Siquidem in Numidia, in qua tunc Micipsa rex erat D. CCC. millia hominum, mortua sunt, circa oram vero maritimam, quæ maxime Carthaginensi atque Vticensi littori adiacet, plusquam CC. millia militum, quæ ad præsidium totius Aphricæ ordinata fuerant, extincta atque abrasa sunt. Quæ clades tam repentina ac tam violenta institit, vt tunc apud Vticam sub vna die per vnam portam ex illis iunioribus plusquam M. D. mortuos elatos fuisse narretur. Iisdem temporibus Antiochus non contentus Babylonia atque Ecbactana, totoque Mediæ imperio, aduersus Phratatem Parthorum regem congressus & victus est. Qui cum in exercitu suo C. M. armatorum habere videretur, CC. M. amplius calonum atque lixarum immixta cohortibus, scortis & histrionibus trahebat. Itaque facile ab vniuerso exercitu suo Parthorum viribus compressus interiit. Eodem tempore Ptholomæi Alexandrinorum regis misera vita miseriorem vitæ exitum dedit. Is etiam sororem suam stupro cognitam ac deinde in matrimonium receptam: nouissime turpius, quam duxit, abiecit. Priuignam vero suam, hoc est, filiam sororis & coniugis, coniugem asciuit, Filium suum, quem ex sorore susceperat, necnon & filium fratris occidit. Quam ob rem tantis infertus A parricidiis, factus execrabilis ab Alexandrinis regno pulsus est.

De Ioanne filio Simonis, qui Hircanus est nuncupatus: qualiter plures ciuitates Syriæ, atque Samaritanorum, Idumæorumque ceperit, bellis etiam prospere gestis, summa cum pace, felicitateque consenuit. Quomodo etiam filius eius Aristobolus, qui primus post reuersionem Iudaici populi de Babylonia nomen regium vsurpauit, matrem, fratremque Antigonum occiderit, & ipse vix anno expleto, in regno detestabiliter mortuus sit.

CAP. VII.

PTholomæus Phison, qui & Soter, annis X. & VII. A reædificatione vero templi, annis CCC. LXVII. Ioannes vero filius Simonis Iudæorum dux & pontifex erat. Qui aduersum Hircanos bellum gerens, Hircanus est nuncupatus. Is namque vt paterno B potitus est honore, & Deo sacrificia reddidit, velociter Ptholomæum petit, qui matrem, fratresque vinctos secum retinebat, & patrem eius Simonem neci dolo in conuiuio tradiderat. Dumque aggressus esset castellum, in aliis quidem rebus superior erat, iusto autem dolori cedebat. Ptholomæus etiam quoties premeretur, matrem eius fratresque in murum productos, palam vt possent conspici, verberauit, eosque se præcipitaturum, nisi quam primum recederet, minitabatur. Vnde Hircanum quidem plus timor ac misericordia quam iracundia commouebat. Mater vero eius nihil plagis aut intenta nece perterrita, manus prætendens filium precabatur ne vel suis fractus iniuriis parceret impio. Siquidem ipsa mortem sibi à Ptholomæo propositam, immortalitate duceret, meliorem dummodo ille pœnas eorum, quæ in domo sua contra fas admisisset, expenderet. Ioannes autem nunc obstinariam matris cogitans ac preces eius audiens, ad irruen- C dum impellebatur. Modo verberari eam, lacerarique conspiciens, effœminabatur totusque dolore plenus erat. Ob hæc autem diu tracta obsidione, feriatus annus aduenit. Quem septimo quoque orbe apud Iudæos cessare moris erat, exemplo septimorum dierum: & ob hoc Ptholomæus obsidionis requiem nactus, fratribus Ioannis vna cum matribus occisis, ad Zenonem confugit, qui Cotyla cognominatus est Philadelphiæ tyrannum. Antiochus autem ob ea, quæ per Simonem passus fuerat, iratus, in Iudæam ducit exercitum. Ibique adsidens Hierosolymis Hircanum obsidebat. Ille autem patefacto sepulchro Dauid, qui regum ditissimus fuerat, ablatisque inde pecuniæ plusquam tribus millibus talentorum, Antiocho persuasit, trecentis ei talentis datis, ab obsidione discedere. Atque vt facti inuidiam leuaret, fertur hac pecunia Hircanus instituisse primus xenodochia, quibus aduentum susciperet pauperum peregrinorum. Rursumque tamen quando D Antiochus contra Medos bello suscepto, tempus ei vindictæ præbuit, confestim aduersus ciuitates Syriæ perrexit, vacuas propugnatoribus esse ratus, quod erat verum Medabam quidem & Samagam cum proximis, nec non & Sicimam, & Angariaam ipse capit: & insuper hic Cuthæorum genus, adiacentia phano loca incolentium, exemplo eius quod est Hierosolymis ædificato capit. Idumææ quoque non paucas alias ciuitates, & præterea Adoreon & Maresan. In Samariam vero vsque progressus, vbi nunc est Sebaste ciuitas ab Herode rege condita, ex omni eam parte conclusit, filiosque suos Aristobolum & Antigonum obsidioni præfecit. Quibus nihil remittentibus, ad hoc famis penuria, qui erant intra ciuitatem venerunt, vt etiam suam carnem cogerentur attingere. Igitur Antiochum adiutorem sibi aduocant, Spondium cognominatum. Qui cum prompta eius voluntate paruisset, ab Aristobolo & Antigono

fuge-

superatur, & ille quidem ad Scythopolim vsque persequentibus eum, memoratis fratribus effugit. Hi vero in Samariam reuersi, & multitudinem iterum intra murum compellunt, & expugnata ciuitate, ipsam diruunt, & habitatores eius captos abducunt. Prospere autem gestis ita cedentibus alacritate refrigescere non sinebant, sed cũ exercitu Scytopolim vsq; progressi & ipsam peruaserunt, & agros intra Carmelum omnes inter se partiti sunt. Secundarũ autẽ rerum Iohannis & filiorum eius inuidia seditionem gentilium concitauit. Multiq; aduersus eos collecti sunt, nec quiescebant, donec aperto bello deuicti sunt. Reliquum vero tempus Iohannis cũ fortunatissime viueret, optime rebus per annos XXXII. administratis, & V. relictis filiis moritur, vt plane beatissimus, & qui nullam dedisset occasionem, cur eius causa de fortuna quispiam quereretur. Denique tria maxime præcipua solus habebat, quia princeps & pontifex: præterea & propheta, cum quo Deus ita colloquebatur, vt futurorum nihil penitus ignoraret. Quinetiam de duobus maioribus filiis suis, quod rerum Domini permansuti non essent, ante vidit & prædixit. Quorum vitæ qui fuerit exitus, narrare non indignum videtur. quantumcunque à paterna felicitate diuerterint, Patre namque mortuo, natu maior Aristobolus translato in regnum principatu, diadema sibi primus imposuit, CCCCLXXV. annis ac tribus mensibus, postquam populus in eam terram aduenit, seruitio, quod apud Babylonas sustinuit, liberatus. Fratrem vero à se secundũ Antigonum, (namque illum diligere videbatur,) in honore pari producebat. Alios autem vinctos custodiæ tradidit, matremque itidem colligauit, ausum aliquid de potestate contendere, namque hanc rerum Dominam Iohannes reliquerat, eoque crudelitatis processit modo, vt victam fame necaret. Horum autem facinorum pœnas Antigoni fratris morte persoluit, quem plurimum amabat, quemque habebat regni participem. Nam & hunc interemit, adductus criminationibus per maleuolos regni compositis. Aristobolus vero post necem matris atque Antigoni fratris dignissimo ac crudelissimo viscerum dolore tortus, detestabiliter moritur, cum non plus anno regnasset. Vxor vero eius fratrum vinculis dissolutis, regem constituit Alexandrum, qui ætate maior erat, & modestia præstare videbatur.

De reædificatione Carthaginis, & de seditione seruorum orta Romæ spe libertatis, qualiter etiam Galli Allobrogenses, & Galli Aluernorum à Romanis victi atque deleti sunt. Tuncque incendium Æthnæ Catinenses afflixit.

CAP. VIII.

QVibus etiam temporibus iubente senatu, Carthago iterum reædificatur, anno XXII. postquam fuerat reuersa, deductis illuc Romanorum ciuibus cũ familiis repleta ac restituta est. Romæ etiam seditio orta est, quam Gracchus & Flaccus excitauerant tribuni, seruis libertatem, agrosque publicos diuidere, promittentes. Quo tumultu amplius tria millia necata sunt in vrbe, cum authoribus seditionum. Quibus diebus Metellus bellando peruagatus Baleares insulas edomuit. Tunc etiam Domitius proconsul Allobrogas Gallos iuxta oppidum Vindalium grauissimo bello vicit: maxime cum elephantorum noua forma, equi hostium hostesque conterriti diffugissent, XX. M. ibi Allobrogum cæsa referuntur, III. M. capta sunt. Eo tempore Æthna mons vltra solitũ exarsit, & torrentibus igneis, superfusis, lateque circumfluentibus Catinam vrbem, finesque eius oppressit: ita vt tecta ædium cladis cineribus perusta, & pergrauata corruerent. Cuius ...andæ cladis causa, senatus X. annorum vectigalia Catinensibus remisit. Interea Fabius consul Bituito

A regi Aluernorum Galliæ ciuitatis, bellum maximo instructu comparanti, adeo cum paruo exercitu occurrit, vt Bituitus paucitatem Romanorum vix ad escam canibus, quos in agmine habebat, sufficere posse, iactaret. Qui cum sibi ad transferendas copias vnum pontem Rhodani fluminis paruum esse intelligeret, alium compactis lintribus, catenisque connexum superstratis consixus tabulis struxit. Conserta pugna & diu grauiter agitata, victi Galli, conuersique in fugam: dum quisque sibi timet, coaceruatis inconsulte agminibus præpropero transitu pontis vincula ruperunt, ac mox cum ipsis lintribus mersi sunt. C. L. XXX. M. armatorum, in exercitu Bituiti fuisse traduntur, ex quibus C. L. M. vel cæsa vel mersa sunt. Victus Martius consul, Gallorum gentem sub radice Alpium sitam, bello adgressus est. Qui cum se Romanis copiis circumseptos viderent, belloque impares fore intelligerent, occisis coniugibus ac liberis, in flammas se proiecerunt. Qui vero præoccupantibus Romanis peragendæ tunc mortis suæ copiam non habuerant, captique
B fuerant, alij ferro. alij suspendio, alij abnegato cibo, sese consumpserunt. Nullusque omnino vel paruulus superfuit, qui seruitutis conditionem, vitæ amore tolerarit. His ita se habentibus senatus Iugurthæ regi Numidarum bellum indixit.

De Iugurtha Numidarum rege, & de consulibus, qui contra eum pugnauerunt, atque vicerunt.

CAP. IX.

IGitur Iugurtha, Micipsæ Numidarum regis adoptiuus, hæresque inter naturales eius filios factus, primum hæredes suos, id est, Hiemsalem occidit, Atherbalem bello victum Aphrica expulit. Calpurnium deinde consulem. aduersus se missum pecunia corrupit, atque ad turpissimas conditiones pacis ad-
C duxit. Præterea cum Romam ipse venisset, omnibus pecunia corruptis aut attentatis, seditiones, dissensionesque permiscuit. Quam cum egrederetur, infami satis notauit elogio, dicens: O VRBEM VENALEM, ET MATVRE PERITVRAM SI EMPTOREM INVENERIT. Qui anno sequenti Aulum Posthumium Posthumij consulis fratrem, quem is XL. millium armatorum exercitui præfecerat, interemit, ac pene totam Aphricam à Romanis deficientem, suo iunxit regno. Deinde Metelli disciplina coercitus, duobusque prælijs victus, tria millia perfugarum reddidit, trecentosque obsides dedit. Conditionem pacis non custodiens, iterum Mariani consulis (qui non illo minori astutia præditus erat) deuictus, dum de propriis diffideret viribus, Bocchum Maurorum regem ad sua conduxit auxilia. Cuius copiis auctus, Marianum sæpius afflixit exercitum. Postremo apud Circam vrbem antiquam, aduersus Romanos, cum qua-
D dringentis militibus equitum instructus occurrit. Quos tribus diebus pariter bellando ita contriuit, vt omnibus desperatis Romani telis plurimi occisi, vndique pressi siti ac ingenti feruore Solis, puluereque defecti, nullam deinceps sibi sperarent salutem: dum omnia paterentur intolerabilia. Equites vero Numidarum atque Maurorum, velut sine labore pene captos, atque circumseptos trucidabant Romanos. Subito suffragium est Romanis cœlo missum. Nimbus enim vehemens ruit, ac tempestas valida orta est, quæ Romanos refrigerans conualescere fecit, Mauros vero atque Numidas inermes pene reddidit: dum hostilia eorum, quæ sine amento erant lubrica, scuta vero quæ ex coriis elephantorum, velut spongia aquam ebibentia inhabilia facta sunt, qua fortuna Marius superior factus vicit. Bocchus atque Iugurtha fugientes, nonaginta millia suorum amiserit. Ergo

Bocchus cum Romanis pugnare diffidens, pacem petiit: Iugurtham dolo captum, conditione pacis catenatum ad Marium misit, quem ante currum suum triumphator abegit, & in carcere positum strangulari iussit. Praeterea Iugurthini temporibus belli, Cassius consul in Gallia Tigurinos vsque Oceanum persecutus, rursusque ab iisdem insidiis circumuentus occisus est.

De consulibus Romanorum, qui contra Gallos infeliciter dimicantes victi atque interempti sunt. Contra quos Gallos ob vindictam consulum & fines tuendos Marius consul quarto & quinto creatus, dirigitur. Gallorum CCCCXL. *millia interfecit: prater mulieres & paruulos, qui sese necauerunt, in Asia vero & Syria, qui etiam tunc regnabant.*

CAP. X.

Hinc Mallius consul & Cipio proconsul, aduersum Cimbros & Teutonas, & Tigurinos, & Ambronas, Gallorum & Germanorum gentes (quae tunc vt imperium Romanum extinguerent, conspirauerant) missi, prouincias sibi Rhodano fluuio medio diuiserunt. Vbi dum inter se grauissima inuidia & contentione decertant, cum magna ignominia, & periculo Romani nominis victi sunt. Siquidem in ea pugna Marcus Aemilius consularis captus atque interfectus est, duo filij consulis caesi: LXXX. millia Romanorum sociorumque ea tempestate trucidata XL. millia Calonum atque Lixarum interfecta: Athias scribit. Ita ex omni pene exercitu, x. tantummodo homines qui miserum nuntium ad augendas miserias reportarent, superfuisse referuntur. Hostes binis castris atque xx. praeda potiti: noua quadam atque insolita execratione cuncta quae ceperant, perdiderunt. Vestis discissa & proiecta est: aurum argentumque in flumen proiectum: loricae virorum concisae, phalerae, equorum disperditae, equi ipsi gurgitibus immersi, homines laqueis collo inditis, ex arboribus suspensi sunt: ita vt nihil praedae victor, nihilque victus agnosceret. Maximus tunc Romae non solum luctus verum etiam metus fuit: ne confestim Cimbri Alpes transgrederentur, Italiamque delerent. Igitur Marius quarto consul, contra Gallos dirigitur: qui cum Tigurinis & Allobrogibus duobus praeliis dimicans non sine magno suorum discrimine vicit. Ex quibus CC. millia armatorum bello interfecta sunt, LXXX. millia capta: vix III. millia effugisse feruntur. Mulieres itaque eorum paruulis suis ad saxa conlisis: cunctae sese ferro ac suspendio peremerunt. Tutones autem & Cimbri integri, Alpium niues emensi, in Italiae plana peruasetunt. Ibique cum poculis, cibis, ac lauacris emollirentur, Marius quinto consul, & Catullus aduersum eos missi sunt. Qui Hannibalis ingenium secuti, in nebula deposuerunt pugnam & in sole disposuerunt. Sol namque cum vento ortus, ex aduerso emicuit: visus inimicorum puluis oppleuit: & splendo hebetauit. Ita factum est, vt tanta ac terribilis multitudo, minima Romanorum clade, sua autem vltima internetione caederetur, CXL. eorum tunc in bello caesa, LX. millia capta referuntur. Mulieres autem eorum per multa miserabilia mortis genera sese cum paruulis suos neci dederunt. Ita in his duob. praeliis, CCCC. & XL. millia perempta sunt: absque innumera mulierum multitudine: quae se suosque paruulos foemineo furore, virtute autem virili dilaniauerunt. Quibus etiam diebus Publicius Malleolus Romanis incognitum antea facinus perpetrauit. Siquidem matrem suam interfecit, seruis adnitentibus. Quam ob causam damnatus parricidij, insutusque in culeum, & in mare proiectus est. Eo quidem tempore in Syria & Asia Antiochus, qui & Orsus, regnabat, cui successit Antiochus Crippus, qui ab Antiocho Cytino regno pulsus ac rursus Crippus Antiochus, superato Cytino, regnū recepit. Ita ex successione aduersum se dimicantes, regnabant Syriae & Asiae. Quibus diebus Marcus Terentius Varro philosophus. & Cicero nascuntur. Marcus Furius poeta, cognomento Babylus, nascitur Cremonae.

De diuersis praeliis atque seditionibus, seu de parricidiis, quae Alexander secundus rex & sacerdos Iudaeorum cum externis nationibus seu propria gente gessit.

CAP. XI.

Ptolomeus, qui & Alexander, pulso regno Fiscone Ptolomaeo per matrem Cleopatram, & in Cyprum secedente, regnauit annis X. Iterumque Ptolomaeus, qui à matre fuerat eiectus, regressus de fuga, regnum obtinuit, & regnauit annis VIII. quoniam, Alexandrum, qui ante eum fuerat, ob interfectionem natos ciues pepulerant. A reaedificatione vero templi anni sunt CCCCXII. Iudaeorum vero pontificatum & regnum, vt praemisimus, post mortem Iohannis, Aristobolus susceperat. Quo etiam mortuo, vt supra meminimus, Ianneus (qui & Alexander) eius frater regnum pariter & sacerdotium Iudaeorum obtinuit: & in ciues suos crudelissime regnauit. Dum enim vinculis, quibus iussu fratris alligatus fuerat, est solutus, quoniam aetate maior erat caeteris fratribus suis, & modestia praestare videbatur: rex pariter Iudaeorum & pontifex est declaratus. Sed ille potestate adepta, fratrem quidem alterum regnum appetentem occidit: alterum autem vita contentum, ablatis rebus, substantiis nudatum, secum habuit. Praelium etiam cum Ptolomaeo committit: multos quidem hostium peremit: sed victoria in Ptolomaei parte propensior fuit. Cum Theodoro autem filio Zenonis saepius dimicauit: & superior factus, de possessionibus illius castella & loca munita suo regno adiunxit: quamuis à Theodoro eius exercitus vsque ad X. millia caesus referatur. Is namque cum Gazam & Rafiam atque Antidonē perdomuisset: seditiones Iudaeorum perpessus, quodam die festo concitatur in eum populus. Namque plerunque epulae seditiones accendunt: nec videbatur insidias posse comprimere, nisi peregrinos haberet auxilio. Igitur crebris cum propria gente praeliis gestis, superior factus, nō minus L. millibus Iudaeorū per VI. annos interfecit. Nec tamen victoriis laetabatur, quoniam regni sui vires consumpserat. Vnde cum Iudaeis conabatur reconciliari. Illi autem inconstantiam eius morumq; varietatem in tantū oderant, vt per cunctāti causam, quonā pacto eos sedare posset: dicerent. Si moreretur. Nam vix etiam mortuo daturos veniam, cū multa scelerate fecisset. Pugnauit etiā cū Demetrio, quē Iudaei euocauerant sibi in auxilium. A quo victus recessit in montes. Immutata quippe fortuna, sui qui eum prius deseruerant, misericordia moti, relinquentes Demetriū, ad Alexandrum vsque ad VI. millia se contulerunt. Quorum virtute actus, se bello reparauit. Demetrius huius inclinationis destitutione fractus, mox inde egressus est, non tamen reliqua multitudo ob abscessum auxiliorum simultates deposuit: Sed cum Alexandro tandiu bello assiduo decertauit, donec plerisque interfectis victor Alexander caeteros captos Hierosolymam adduxit. Verum immoderata fecit iracundia, vt crudelitas eius ad impietatem vsque procederet D.CCC. enim eorum in media ciuitate cruci affixos, mulieres eorum atque filios in conspectu ipsorum necauit, atque hoc potans, & cum suis concubinis tecubans prospectabat. Tantus autem populū terror inuasit, vt etiā diuersae partis studiosi, proxima nocte VI I. millia extra totam Iudaeam profugerint. Quorum exilio mors Alexandri finis fuit. Cum eiusmodi factis tandem aegre otium regni

quæsisset, ab armis requieuit. Ergo qui latius eius actus scire voluerit, tertium decimum Iosephi librum antiquitatis historiæ legere curabit. Belli autem requiem secutum est morbi principium. Qui XXX. & VII. regni anno moritur. Coniugi suæ Alexandræ regni reliquit gubernacula, Iudæos ei vel maxime audientes fore non dubitans, quod longe ab eius crudelitate discrepans, & iniquitati resistens, beneuolentiam sibi populi comparasset, neque spes eum fefellit.

De bellis socialibus, quæ Romani perpessi, quando tota Italia ab eis defecit, & de portentis duris atque mirabilibus, quæ hæc mala præcesserunt.

CAP. XII.

QVibus etiam diebus Romanos multiplices perturbauerunt calamitates, quamuis iam domini B multarum vocitarentur gentium, quas succinctæ breuitatis gratia transcurrere statui. Sed si quis eas plenius scire voluerit, quintum librum Orosij legat. Igitur Saturnius tribunus plebis, excitati tumultus in vrbe author extitit, qui cum Mario consule sexto & Glaucia prætore conspirauit. Primum Metellum Numidicum, virum acerrimum, innocentem, per scelus iudicum, qui eiusdem factionis erant, in exilium cum totius vrbis dolore miserunt. Idem Saturninus Memmium, virum acrem & integrum, fieri consulem timens occidit, ac deinde contentionem agens in domo sua, ab aliis imperator, ab aliis vero rex est appellatus. Quam temeritatem indignantes Romani, authore Mario consule Saturninum & eius factionis authores interfecerunt. Quorum bona omnium publicanda decreuerunt. Itaque interfectis tantæ coniurationis seditiosis, quies populo fuit. Inde Rutilius vir integerrimus, periurio iudicum condemnatus est. Qui Smirnam commigrans, litterarum studiis intentus consenuit. Igitur IVLIO CÆSARE & Marco Philippo consulibus, intestinis C causis, sociale bellum totam commouit Italiam. Siquidem Liuius Drusus tribunus plebis Latinos omnes spe libertatis illectos, cum placitum explere non posset, in arma excitauit. Quibus malis Anexius domi suæ, incerto quidem authore interfectus est. Igitur Picentes, Vestini, Peligni, Marrucini, Samnites, Lucani, cum adhuc occultam defectionem meditarëtur, Gaium Seruilium prætorem legatum ad se missum, apud Asculum occiderunt. Statimque clausa ciuitate, omnes ciues Romanos indicta cæde, iugularunt. Continuo atrocissimam perniciem infamissima præcessere prodigia. Namque omnium generum animalia, quæ manus hominum blande perpeti atque inter homines viuere solita erant, relictis pabulis, pascuisque, cum balatu, hinnitu, mugituque miserabili, ad syluas montesque fugerunt. Canes quoque, quorum natura est extra homines esse non posse, lachrymosis vlulatibus vagi luporum ritu oberrarunt. Tunc etiam sub ortu solis globus D igneus à regione septentrionis, cum maximo cœli fragore emicuit. Apud Arentinos cum panes per conuiuia frangerentur, cruor mediis panibus fluxit. Præterea per septem continuos dies, grando lapidum, immixtis etiam testarum fragmentis, terram latissime verberauit. In Samnitibus vastissimo hiatu terræ flamma prorupit: & vsque in cœlum extendi visa est. Complures præterea in itinere videre Romani globum, coloris aurei, cœlo ad terram deuolui: maioremque factum, rursus à terra in sublime ad orientem ferri, ac magnitudine sua ipsum solem obtexisse. Igitur Gneius Pompeius prætor cum Picentibus iussu Senatus bellum gessit, & victus est. Postquam sibi Samnites Papium Mutilium imperatorem præfecerant: Marsi autem Agamemnonem archypiratam præoptauerant, Iulius Cæsar Samnitum pugna victus, cæso fugit exercitu. Rutilius consul Marium propinquum suum legatum sibi legit, quem

A assidue submonentem, moram bello vtilem fore, & paulisper in castris exerceri militem oportere tyronem: dolo id agere ratus, contempsit, seseque in insidias Marsorum, & vniuersum agmen exercitus sui incautus iniecit. Vbi & ipse consul occisus & multi nobiles interfecti: & VIII. millia Romanorum militum cæsa sunt. Arma & corpora interfectorum in conspectu Marij legati Tolenus Fuluius pertulit, atque in testimonium cladis euexit. Marius raptis continuo copiis, victores insperatus oppressit: & VIII. millia ipse Marsorum interfecit. Cepio autem a Vestinis & Marsis deductus in insidias, cum exercitu trucidatus est. Lucius vero Iulius Cæsar, postquam apud Eserniam victus aufugerat, contractis vndique copiis aduersus Samnites & Lucanos dimicans: multa hostium millia interfecit. Cumque ab exercitu Imperator appellatus esset, Romamque nuntios de victoria misisset: senatus saga, hoc est, vestem mœroris, quam extorto sociali bello sumpserat, hac spe arridente deposuit: atque antiquum togæ decorem recuperauit. Marius deinde VI. millia Marsorum cæcidit, VII. millia armis exuit. Sylla cum XX. & IV. cohortibus Eserinam missus, vbi artissima obsidione Romani ciues & milites premebantur, maximo bello & plurima cæde hostium vrbem sociosque seruauit Gneius Pompeius Picentes graui prælio fudit, qua victoria Senatus laticlauia, & cætera dignitatis insignia recepit: cum togas tantummodo de victoria Cæsaris, primum respirante, sumpsisset. Portius Cato prætor: & rursus Plotius legatus, Vmbros plurimo sanguine impenso, & difficillimo labore vicerunt: Gneio Pompeio, L. Portio Catone consulibus. Pompeius diu obsedit Asculum ciuitatem: nec tamen expugnasset, nisi populum in campum prorumpentem, grauissima oppressione vicisset. X. & VIII. millia Marsorum in ca pugna cum Franco imperatore suo cæsa sunt. Eadem die Picentes congressi, & victi sunt. Quo etiam tempore Sylla Samnites bello superauit & vicit: quo prælio X. VIII. millia Samnitum cæsa sunt. Ergo Marrucini Vestini à Sulpicio legato Pompeii persecuti atque vastati sunt. Ab eodem etiam Sulpicio imperatores Italici horribili prælio oppressi sunt & occisi. Pompeius Asculum ingressus, præfectos, centuriones, cunctosque principes eorum virgis cæcidit, securique percussit: seruos prædamque omnem sub hasta vendidit: reliquos liberos quidem, sed nudos & egentes abire præcepit.

De Ciuilibus bellis, quæ inter Syllam & Marianos gesta sunt, & vsque ad decimum annum protracta: quibus lectissimorum C. L. millia cæsa sunt.

CAP. XIII.

IGitur nondum finito sociali bello, Romæ primum bellum Ciuile motum est. Eodemque anno Mitridaticum bellum, & si minus infame, non tamen minus graue cœptum est. Itaque Marius septimum consulatum, & bellum suscipere Mitridaticum affectauit. Dum Syllæ consuli contra Mitridatem in Asiam cum exercitu profecturo, in Campania hæc res innotuisset: confestim ira indignationeque permotus, Romam reuersus est. Siquidem ante vrbem Marij legatum, quasi primam victimam Ciuilis belli occidit; mox vrbem irrupit. Marius vero cum permouere nobilitatem, inflammare plebem, ordinem equestrem perarmare aduersus Syllam frustra tentasset: tandem in Capitolium concessit. Sed partibus Syllanis ibi grauiter contritis, ab eo diffugit magna suorum cæde, ibique tunc Sulpicius Marij collega occisus est. Marius quoque fugiens, cum persequentum instantia circum septus esset: in Minturnensium paludibus sese abdidit, E quibus infeliciter luto oblitus ignominioseque protractus, turpi autem spectaculo Minturnas deductus, contrususque in carcerem percussorem ad se missum, solo

vultu exterruit. Deinde lapsus à vinculis in Aphricam transfugit: solutoque ex Vtica filio, vbi is in custodia obseruabatur, continuo Romam regressus, Cinnæ consuli societate scelerum coniunctus est. Igitur ad profligandam vniuersam Rempublicam, exercitum sibi in quatuor partes diuiserunt. Tres siquidem legiones Mario datæ; parti copiarum G. Carbo præpositus est, partem Sertorius accepit: Ille, scilicet Sertorius, iam hic Ciuilis belli incentor & particeps. Qui etiam hoc finito, aliud post Hispaniæ bellum excitauit, quod per multos annos maximis Romanorum cladibus traxit. Cætera vero exercitus portio Cinnam secuta est. Porro Gneius Pompeius, quia Senatu cum exercitu accersitus, vt Reipublicæ opitularetur, & diu sese nouarum rerum occupatione suspenderat, contemptus à Mario, vel Cinna, ad Octauium alterum consulem sese contulit, & mox cum Sertorio conflixit. Infelicem pugnam interueniens noctis diremit: DC. ex vtraque parte milites trucidati sunt. Igitur Marius Coloniam Ostiensem ingressus, omnia ibi genera libidinis, auaritiæ, & crudelitatis exercuit. Pompeius fulmine afflatus interiit. Exercitus vero eius pestilentia correptus, pene totus absumptus est. Nam XI. millia virorum de castris Pompei mortua. VI. millia autem de parte Octauij consulis desiderata sunt. Marius Antium & Aritiam ciuitates hostiliter irrupit, cunctosque in his præter proditores interfecit, bona suis diripienda permisit. Post Cinna consul cum legionibus, & Marius cum fugitiuis ingressi vrbem, nobilissimos quosque è senatu, & plurimos consulares viros interfecit. Sed quota hæc portio ostentatæ miseriæ est, vno verbo diffinisse cædem bonorum, cuius fuit tanta numerositas, tanta diuturnitas, tanta crudelitas, tanta quoque diuersitas? De quibus etiam auditis posteri perhorrescant. Igitur Marius cum interfectorum ciuium capita conuiuiis, oblata Capitoliis, collata Rostris, ad spectaculum congereret, ac septimũ consulatum cum Cinna tertio consule peruasisset, in exordio consulatus imperij fera tandem morte præreptus est. Cinna bonorum neces, malorum cæde suppleuit. Nam cum introducta per Marium fugitiuorum manus insatiabilis prædandi esset, nullamque partem authoribus prædæ consulibus ministraret, in forum quasi stipendij causa solicitata militibusque circumdata, inermis extincta est. Cæsa sunt illa die in foro vrbis VIII. millia fugitiuorum: idemque Cinna quarto consul, ab exercitu suo interfectus est. Interea residui senatorum qui potentiam Cinnæ, Marij crudelitatem, insaniam Fimbriæ, Sertoriique audaciam fuga euaserant, transuecti in Græciam, coegere precibus Syllam, vt periclitanti imo iam plane perditæ patriæ opem ferret. Igitur Sylla mox vt Campanium litus attigit, Norcanum consulem prælio oppressit, VI. millia tunc Romanorum Romani interfecerunt, VI. millia eorundem ab iisdem capta sunt: CXX. & IV. de Sillana parte ceciderunt. Fabius vero Hadrianus, cui imperium pro prætore erat, regnum Aphricæ seruorum manu affectans apud Vticam congestis sarmentis, cum omni familia viuus incensus est. Damasippus prætor, incentore Mario consule. Q. Scæuolam, G. Carbonem L. Domitium, P. Antistium, in curiam quasi ad consultandum vocatos, crudelissime occidit, corpora interfectorum carnificis vnco tracta, atque in Tyberim missa sunt. Eodem tempore Syllæ duces, plura prælia aduersus Marianas partes, infelicissima felicitate gesserunt. Nam & Qu. Metellus Catinatas copias excidit, & castra peruasit: & G. Pompeius Carbonis equitatum grauiter trucidauit. Syllæ etiam & Marij adolescentis, maximum tunc prælium apud sacri portum fuit. In quo de exercitu Marij cæsa sunt XXV. millia: sicut Claudius scribit. Pompeius Carbonem etiam castris exuit, fugientemque insecutus, nunc cædendo, nunc ad deditionem cogendo, plurima exercitus parte priuauit. Metellus Norbuani agmen oppressit: vbi IX. millia Marianæ partis occi-

A sa sunt. Lucullus cum Quinto obsideretur, erupit: & repentina pugna obsessorem deleuit exercitus. Nam plus quam X. millia ibi tunc cæsa referuntur. Sylla deinde cum Campanio Samnitum duce, & Carrinatis reliquis copiis, ante ipsam vrbem portamque Collatinam ad horam diei nonam signa contulit, grauissimoque prælio tandem vicit, LXXX. millia hominum ibi fusa dicuntur, XII. M. sese dediderunt, reliquam multitudinem in fugam versam, insatiabilis victorum ciuium ita consumit. Sylla mox vrbem victor intrauit. III. M. hominum, qua se per legatos dediderant contra fas, contraque fidem datam, inermes securosque interfecit, Plurimi tunc quoque vt non dicam innocentes, sed etiam ipsius Syllanæ partis occisi sunt: quos fuisse plusquam IX. M. ferunt, Ita liberè per vrbem cædes, percussoribus passim vagantibus vt quocumque vel ira, vel præda solicitabat, agitabantur. Igitur cunctis iam quod singuli timebant, apertè frementibus, Qu. Catulus palam Syllæ dixit: Cum quibus tandem victori fumus, si in bello armatos, in pace inermes occidimus? Postquam vero in vrbe viri consulares, prætores, senatores,
B passim sine consideratione deleti sunt, quos in tabulis cruentissime descripserant: inde Sylla Præneste profectus est, omnes Marianæ militiæ principes, hoc est, legatos, quæstores, præfectos & tribunos, iussit occidi. Pompeius Carbonem Marianum ducem, in Ægyptum fugere conantem, comprehendit & occidit. Idem Pompeius in Aphricam transgressus, eruptione circa Vticam facta, X. & VIII. M. hominum interfecit. Eo bello Domitius dux Marianus, dum inter priores pugnat, occisus est. Hirtam Numidiæ regem persecutus, fugientemque omnibus copiis nudatum interfecit. Sylla demum dictator creatus est, vt damnationis & crudelitatis libido, honesti nominis reuerentia & armaretur & velaretur. Nouissime Sylla potestate priuatus est. Hoc fine conclusa sunt duo bella funestissima, sociale Italicum & ciuile Syllanum. Hæc per annos X. tracta, plusquam C. L. M. Romanorum consumpserunt, tantumque lectissi-
C morum virorum, vernaculorumque militum Roma hoc ciuili bello perdidit: quantum in ea superiore tempore cum se iam aduersus Alexandrum Magnum circumspiceret, indiscretis ætatibus census inuenit. Præterea viros consulares, XXX. & IV. prætorianos XXXVI. LX. senatores fere, absque innumeris totius Italiæ populis, qui passim sine consideratione delecti sunt. Igitur Sylla mortuo, Lepidus Marianæ partis assertor, aduersus Catulum Syllanum ducem surgens, rediuiuos bellorum ciuilium cineres suscitauit. Bis tunc certatum est. Plurimi Romanorum iam ipsa paucitate miserorum & adhuc illo furore insanientium cæsi sunt: Albanorum ciuitas obsidione oppugnata, atque excruciata fame, vltima miserabilium reliquiarum deditione seruata est. Ibi tunc Scipio, Lepidi filius captus atque occisus est. Brutus in Cisalpinam Galliam fugiens, persequente Pompeio, apud Regium interfectus est. Ita hoc bellum ciuile, non magis dementia Catuli, quam tædio Syllanę crudelitatis, vt ignis in stipula eadẽ celeritate, qua exar-
D sit euanuit. Quibus etiam diebus Terentius Varro in prouincia Narbonensi nascitur, qui postea trigesimum quintum annum agens, Græcas litteras summo studio didicit. Cicero namque Athenas succedit Rustico, defenso contra Chrysogonum. Deide post triennium Romam regreditur, qui XXVI. ætatis suę anno etiam Quintium defendit, quo in tempore Plotius Gallus Romę, Latinam Rhetoricam primus docuit De quo Cicero sic refert: Memoria teneo nobis pueris, primum Latinam edocere cœpisse Plotium quendam. Tunc Lucius Pomponius Bononiensis, Catillanorum scriptor, clarus habebatur. Lucretius etiam poeta nascitur. Qui amatorio poculo hausto, in furorem versus, aliquos libros per interualla insaniæ scripsit, quos postea Cicero emendauit.

Regnante Ptholomeo, Dionysio, Alexandra Salina Alexandri regis uxor Iudaeorum rexit populum. Et ea quae ibi illis contigerunt diebus.

CAP. XIV.

PTholomæus Dionyſius annis XXX. à reædificatione vero templi, anni erant CCCC. X^X. Regnũ vero Iudæorum Alexandra Salina Alexandri regis vxor, vt præmiſimus, habebat: Quæ cum duos filios ab Alexandro generatos haberet, natu quidem maximum Hircanum, propter ætatem declarauit pontificem: & propter modeſtiam regem conſtituit; minorem autẽ Ariſtobolum priuatum viuere maluit, quod feruentioris eſſet ingenii. Ipſa vero Alexandra, qui ſacras temeraſſent leges, ab initio deteſtabatur: religioni tamen diuinæ ſuperſtitioſe deſeruiens. Qua de re iungunt ſe eidem mulieri Phariſæi, quoddam Iudæorum collegium, qui præter alios pietatem colere putarentur, & peritius leges exponebant. Ob eam cauſam propius eos aſpiciebat. Illi autem paulatim fœminæ ſimplicitatem deſpicientes, omnes pro ſua libidine ſubmouendo ac deponendo, vinciendo ac ſoluendo quos vellent, ordines Reipublicæ confundebant prorſus, vt ipſi quidem regiis commodis fruerentur, expenſas ac difficultates Alexandra perferret. Sed eadem mire callebat res adminiſtrare maiores. Itaque augendis copiis ſemper intenta, duplicem conflauit exercitum. Neque pauca peregrinorum parauit auxilia, quibus non modo ſtatum gentis ſuæ roborauit, ſed etiam metuendam ſe reddidit externæ potentiæ. Imperabat autem aliis: verum Phariſæis ipſa vltro parebat. Denique Diogenem quendam inſignem virum, qui Alexandro fuiſſet amiciſſimus, interficiunt, eius conſilio criminantes: vt DCCC. quos ſupra memoraui, regis iuſſu tollerentur in crucem. Nihilominus autem Alexandro ſuadebant, vt & alios, quib. authoribus in illos fuiſſet Alexander excitatus, occideret. Cũque his nimia ſuperſtitione nihil abnuẽdũ putaret quos ſibi libuiſſet, ea ſpecie trucidabant: donec optimatũ quiſq; ad Ariſtobolum cõfugerent, quorum periculum agebatur, atq; ille matri perſuaſit, vt his propter dignitatem parceret, ciuitate autem pelleret quos nocentes exiſtimaret. Illi quidem data ſibi copia, per agros diſperſi ſunt. Inter hos Alexandra, morbo laborante, minor eius filius Ariſtobolus, cum ſeruis ſuis, quos multos habebat, omneſq; fidiſſimos, vniuerſa caſtella obtinuit, & pecunia quam ibi reperit conductis auxiliis regem ſe declarauit. Ob hæc miſerata querelis Hircani mater, coniugem Ariſtoboli cum filiis includit, apud caſtellum, quod à ſeptentrione phano adiacens, Baris antea vocabatur, vt diximus: poſtea vero Antonium cognominatum eſt, imperante Antonio, quemadmodum de Auguſti & Agrippæ nomine, Sebaſte & Agrippas & aliæ ciuitates appellatæ ſunt. Ante tamen Alexandra moritur, quam in Ariſtobolum Hircani fratrem illius contumelias vindicaret, quem deiici regno curauerat, quod ipſa nouem per annos adminiſtrauit, & hæres quidẽ omnium fit Hircanus cui regnum etiam viua commiſerat.

De diuersis fragoribus bellorum, quibus Roma perterrita est. Quorum vnum fuit in Hispania, aliud in Macedonia, tertium in Pamphilia, quartum in Dalmatia.

CAP. XV.

INterea apud Romanos hæc gerebantur. Sonantibus vndique bellorum fragoribus, quorum vnum in Hiſpania erat, aliud in Pamphilia, in Macedonia tertium, quartum in Dalmatia. Exanguis adhuc atque

A exhauſta inteſtina pernicie, tanquam febribus, Romana Reſpublica, propulſare armis occidentis, Septentrioniſque fortiſſimas gentes cogebatur. Sertorius ſi quidem vir dolo atque audacia potens, cum partium Marianarum fuiſſet, Syllam fugiens ex Aphrica dilapſus in Hiſpanias, bellicoſiſſimas, ferociſſimaſq; gentes in arma excitauit. Aduerſus hunc vt breuiter diffiniam, duo duces miſſi, Metellus & Domitius. Quorum Domitius ab Hirtulegio Sertorii duce, cũ exercitu oppreſſus eſt: Manilius proconſul Galliæ in Hiſpaniam cum tribus legionibus, & M. D. equitibus tranſgreſſus, iniquam cum Hirtulegio pugnam conſeruit. A quo caſtris, copiiſque nudatus, in oppidum Hilerdã pene ſolus refugit. Metellus multis præliis fatigatus, per deuia oberrans hoſtem mora fatigabat, donec Pompeii caſtris conſociaretur. Pompeius contracto apud Palantiã exercitu, Lauronem ciuitatem, quã tunc Sertorius oppugnabat, fruſtra conatus defendere, victus aufugit. Sertorius ſuperato, fugatoque Pompeio,
B Lauronem ciuitatem cruentiſſime depopulatus eſt. Reliquum agmen Lauronenſium, quod cædib. ſuperfuerat, miſerabili in Luſitaniam captiuitate tranſduxit. Pompeium autem, hoc eſt, illum Romanorum ducem, à ſe victum fuiſſe, gloriatus eſt, quẽ magna præditum fiducia, ad hoc bellum non pro conſule, ſed pro proconſulib. Roma miſiſſet. Fuiſſe tunc Põpeio xxx. M. peditum, M. equites Galba ſcribit: Sertorium autẽ LX. M. peditum, viii. M. equitũ habuiſſe cõmemorat. Poſtea vero Hirtulegius cũ Metello congreſſus, apud Italicam Beticæ vrbem, xx. M. militum perdidit, victuſque in Luſitaniam cum paucis refugit. Pompeius Belgidam nobilem Celtiberiæ vrbem cepit; Sertorius deinde cum Põpeio congreſſus. X. M. militum eius interfecit: ex alio cornu vincente Pompeio tantundem pene ipſe perdidit. Multa præterea inter eos prælia geſta ſunt. Memmius quæſtor Pompei, idemq; vir ſororis eius occiſus eſt, Hirtulegii fratres interfecti. Perpẽna, qui ſe Sertorio iunxerat, cõmunitus eſt. Poſtremo ipſe
C Sertorius X. demum anno belli inchoati, iiſdem quibus & Viriatus ſuorum dolis interfectus, finem bello fecit, Romaniſque victoriam ſine gloria dedit, quamuis Perpennam poſtea pars exercitus eius ſecuta ſit, qui à Pompeio victus, cum vniuerſo exercitu ſuo interfectus eſt, ciuitates vero, cunctas in Hiſpania vltro Pompeius ac ſine mora per deditionem recepit ac euertit. Interea Macedonicum bellum Claudius ſortitus, varias gentes, quæ Rhodopeis montibus circumfuſæ ſunt, ac tunc Macedoniam crudeliſſime populabantur, ſubegit. Nam inter cætera dictu, audituque horrida, quæ in captiuos agebant, raptis cum poculo opus eſſet humanorum capitum oſſibus cruentis, capillatiſque, adhuc ac per interiores cauernas male effoſſo cerebro, oblitis auide ac ſine horrore tanquam veris poculis vtebantur. Quarum cruentiſſimi atque immaniſſimi ſcordici erant. Has itaque vt dixi, Claudius pellere Macedoniæ finibus bello attentauit, ma-
D gniſque ſe malorũ molibus obiecit. Vnde cum animo æger, & cutis circumſeptus, morbo inſuper correptus eſſet, interiit. Huius ſucceſſor Scribonius attentatum ſuperiori bello loco gentium declinans vim, in Darnaniam arma conuertit, eamque ſuperauit. P. vero Seruilius exconſul Cyciliam & Pamphiliam crudeliſſime adortus: dum ſubdere ſtudet, pene deleuit. Liciam & vrbes eius obſeſſas, oppreſſaſque cepit. Præterea Olympum montem peruagatus, Phaſidem euertit, Coricium diruit, Tauri quoque montis latera in Cyliciam vergentia perſcrutatus, Eſauros bello fractos, in deditionem redegit. Primus Romanorum per Taurum duxit exercitum, ac limitem itineris fecit. Triẽnio emenſo quo bellum geſtum eſt, Iſaurici nomen aſſumpſit. Colconius proconſul ſortitus Illyricum, protrita, ſubactaque Dalmatia, Salonas vrbem florentiſſimam poſt biennium tandem expugnauit & cepit.

De gladiatoribus, qui è ludo effugientes, multa & perniciosissima bella contra Romanos dominos suos excitauerunt.

CAP. XVI.

LVcullo itaque & Cassio consulibus, gladiatores LXX. & IV. Capuæ à ludo Gnei Lentuli diffugerunt. Qui continuo ducibus Crixo & Inomao Gallis, & Spartago Thrace, Vesubium montem occupauerunt. Vnde erumpendum aduerterunt: inde per Consentiam, & Metapontum circumducti, ingentia breui agmina collegerunt. Nam Crixo decem millium multitudo, Spartago autem triplex tunc numerus fuisse fertur. Inomaus enim iam in superiore bello fuerat occisus. Itaque cum cædibus, incendiis, rapinis, stuprisque omnia miscerent, in exequiis captiuæ matronæ, quæ se dolore violati pudoris necauerat, munus gladiatorium ex CCCC. captiuis, scilicet, quod expectandi fuerant, expectaturi, vt pote lanistæ gladiatorum potius quam militum principes ediderunt. Deinde consules Gellius & Lentulus aduersus eos cū exercitu missi sunt. Quorum Gellius Crixum acerrime pugnantem prælio oppressit, Lentulus à Spartago superatus aufugit. Post etiam collatis frustra ambo consiles copiis, accepta graui clade, fugerunt. Dehinc G. Cassium [proconsulem idem Spartagus oppressum bello interfecit. Itaque exterrita ciuitate non minore propemodum metu, quam sub Hannibale circa portas fremente trepidauerat: Senatus Crassum cum legionibus consulem nouo supplemēto militum misit. Is mox vt fugitiuorum pugnam iniit. VI. M. eorū interfecit, D. CCCC. vero cœpit. Inde priusquam ipsum Spartagum ad caput Silari fluminis castrametātem, bello aggrederetur, Gallos auxiliatores eius, Germanosq; superauit: E quibus XXXIII. M. hominum, cum ipsis ducibus occidit. Nouissime ipsum Spartagū deposita acie congressum, maximasque cum eo fugitiuorum copias perculit. Nam LX. M. eorum cæsa, VI. M. capta referuntur: III. M Romanorum recepta sunt: cæteri, qui ex hoc bello lapsi, oberrabant, per complures duces frequenti indagine contriti sunt.

De diuersis præliis in Oriente gestis, id est, quæ Mitridates primo prospere, demum infeliciter gessit. Et de his, quæ Sylla & Lucullus & cæteri eo tempore Romani exercitus duces peregerunt.

CAP. XVII.

IGitur Mitridates rex Ponti atque Armeniæ, postquam Nicomedem Bythyniæ regem amicum P. R. regno priuare molitus est, atque à senatu monitus, si id facere tentaret, bellum sibi à P. R. inferendum fore: iratus Cappadociam continuo peruasit, atque expulso ab ea Ariobarzane rege cunctam prouinciam igni, D ferroque vastauit. Bythiniam deinde pari clade corripuit. Paflagoniam simili exitu afflixit pulsis ex ea Philomene & Nicomede regibus. Cum venisset Ephesum, crudeli præcepit edicto: vt per totam Asiam, quicunque inuenti essent ciues Romani, sub vna die omnes necarentur. Et factum est. Nec explicari aut comprehendi vllo modo verbis potest, quæ tunc multitudo Romanorum ciuium cæsa sit. Quis mœror plurimarum prouinciarum, quis gemitus occidendorum pariter atque occidentium fuerit, cum singuli quique aut prodere innocentes hospites & amicos, aut ipsi periclitari pœna hospitum cogerentur. Archelaus quoque dux Mitridatis, cum C. XX. M. peditū equitum in Achaiam præmissus, Athenas, cunctamq; Græciā, partī vi, partī per deditionē obtinuit. Sylla cui post consulatum, Mitridaticum bellum obuenerat, Arche-

A laum apud Pyreum Atheniensium portum septemplici muro communitum, diu obsedit, ipsamque Atheniensium vrbem vi cœpit. Postea iusto prælio cum Archelao conflixit, C. X. M. de exercitu Archelai interfecta: vix X. M. superfuisse referuntur. Comperta clade Mitridates, lectissima LXX. M. militum Archelao in subsidium misit ex Asia. Secundo prælio L. M. ex his interfecta sunt, ibique Diogenes Archelai filius trucidatus est. Tertio bello omnes copiæ, quas Archelaus habebat, extinctæ sunt. Nam XX. M. militum eius in paludem pulsa, cum Syllæ fidem implorarent, insatiabili ira victoris interfecta sunt: totidemque alia in flumen coacta ac necata, reliqui miserorum passim trucidati sunt. Porro Mitridates in Asia nobilissimarum vrbium principes occidere, bonaque eorum publicare animo intenderat. Cumque iam M. D. C. ita interfecisset, Ephesini exemplum verentes, excluso præsidio eius, portas obiecerunt. Similiter Smirnei, Sardi, Colophonii, Tralliani, q; fecerunt. Perturbatus B Mithridates per Archelaum ducem suum, cum Sylla pacem pepigit. Interea Fimbria Marianorum scelerum satelles, homo omnium audacissimus, Flaccum consulem, cuius legatus erat apud Nicomediam occidit, ac mox arrepto exercitu Mitridatis filium ex Asia ad Militopolim fugat, stationemque regis inuadit, ipsumque Pergamo pellit, fugientemque insecutus, apud Phitanam obsedit, Et profecto cepisset, si Lucius Lucullus ciuilibus discordiis curam Reipublicæ prætulisset, eūque mari coartare obiecta classe voluisset. Inde Fimbria Iliensibus iratus, à quibus pro Syllanæ partis studio, obiectu portarū repulsus videbatur, ipsam vrbem Ilium, antiquam ille Romæ parentem, funditus cæde, incendioque deleuit: sed eam Sylla continuo reformauit. Idem Fimbria apud Thiathiram cum exercitu Syllæ obsideretur, desperatione adactus, in templo Aesculapii manu sua interfectus est. Fannius & Maius de exercitu Fimbriæ profugi, Mitridati sese adiunxerunt. Quorum hortatu Mitridates cum Sertorio C per legatos in Hispaniam missos, fœdus pepigit. Sertorius ad eum M. Marium, firmandi fœderis causa misit; Quem rex apud se retentum, breui ducem fecit in locum Archelai, qui se ad Syllam cum vxore liberisque contulerat. Marius & Eumachus duces, à Mitridate aduersus Lucullum missi, magno exercitu breui congregato, cum P. Rutilio apud Chalcedonam congressi sunt, eumque cum plurima exercitus ipsius parte ceciderunt. Lucullus Mitridatem Cizicenos obsidentem fossa cinxit, eumque quod faciebat pati compulit. Itaque ad ipsos Cizicenos, vt bono animo essent nuntium misit, vnum ex militibus, nandi peritum. Qui duobus vtribus suspensus mediam ipse regulam tenens, plantis subremigans, VII. M. passuum transmeauit. Mitridates inopia laborans, partem copiarum instructam armis, domum abire præcepit. Quam Lucullus excipiens, vniuersam disperdidit. Nam amplius quam XV. M. hominum tunc interfecisse narratur. Tunc etiam Fannius, qui se Mitridati iunxerat, & Metrofanes regius prætor, à Mamerco victi, cum duobus millibus equitum in Mesiam profugerunt: atque inde Mæoniam digressi, in colles, camposque atenosos inciderunt: vbi non solum montes vsti vel laxa quasi quadam fuligine offuscata cernuntur: verum etiam campi ambusto solo squalidi per * L. M. (*alias D. M.*) passuum sine vllo ignis vel fornacis indicio, & pendulo in profundum cinere putres iacēt. Tribus etiam locis torridæ voragines ostenduntur, quas Græci phisas vocant. In quibus diu oberrantes, inopinatis tandem periculis exempti sunt, & clam in regis castra venerunt. Deiotarus rex Gallogræciæ præfectos regis bello trucidauit. Interea Mitridates apud Cizicū eadē mora, qua obsidebat obsessus, in magnam penuriam, pestilētiamque exercitum suum coartauit. Nam plusquam CCC. M. hominum fame & morbo

in eadem obsidione amisisse fertur, ipse cum paucis arrepta naui, clam fugit è castris. Lucullus incruento milite spectator cladis alienæ, nouum genus victoriæ adeptus est. Mox Marium adortus, vicit, fugauitque, in quo prælio plusquam XI. M. Marianorum militum interfecta referuntur. Lucullus postea cum eodem Mario nauali prælio congressus XXXII. naues regias & complures onerarias, aut demersit, aut cepit. Multi ibi ex his, quos Sylla proscripserat, interempti sunt. Marius postera die de spelunca, vbi latebat, extractus, meritas hostilis animi pœnas luit. Eodem vero Lucullus impetu Apamiam vastauit, & sub monte Olympo, Priusam munitissimam ciuitatem captam, expugnatamque diripuit: Mitridates aduersus Bizantium instructa classe nauigans, tempestate correptus, lxxx. rostratas naues perdidit. Ipse cum quassa iam naui mergeretur, in Meoparonem Seleuci pyratæ, ipso pyrata iubente transiliuit. Inde Senopem, ac post Amison cum magna difficultate peruenit. Lucullus Senopem expugnaturus obsedebat. Hanc Seleucus Archipyrata & Cleoclates Spado, qui præsidij causa præerat, expilatam atque incensam reliquerũt. Lucullus miserorum hostium intestina clade permotus, celeri occursu immissum restinxit incendium. Ita misera ciuitas versa vice hostium, sociorumque vnde defendenda, disperdita: & vnde disperdenda, seruata est. At vero M. Lucullus, qui Curioni in Macedonia successerat: totam Bessorum gentem bello appetitam, in deditionem recepit. Præterea Lucullus transgressus Eufraten & Tigrim, apud Tigranocertam vrbem cum Mitridate & Tigrane congressus, paruissima suorum manu magnũ hostium numerum occidit. Nam XXX. millia hominum in eo bello cæsa, referuntur. Tigranes vix CL. equitibus comitatus aufugit: diademate & thiara ne agnosceretur abiectis. Tunc ad Lucullum totius pene Orientis, supplices venere legati. Ille imminente hyeme per Armeniam in Mesopotamiam egressus, Lusibin vrbem illis tunc locis inclytam, expugnauit & cepit. Iisdem diebus pyratæ per omnia sparsi maria, & iam non tantum intercipientes nauium commeatus, sed etiam insulas, prouinciasq; vastantes, impunitate scelelis, & auiditate prædæ, vulgo sese adsociantibus in immensum augebantur. Quos G. Pompeius post multam quidem vastationem, quam terra, marique diu egerant, mira tamen celeritate compressit. Eodem tempore Cretam insulam per biennium Metellus euertit, diuturnoque bello domitam, in potestatem redegit, legesque Minoïs Romanis legibus permutauit. Quibus etiam diebus à Lucullo victa Armenia ac Mesopotamia, ac Nisibin capta, Syria in Romanam ditionem cessit: quæ hucusque per reges Macedonum ab Alexandro possessa fuerat. Quo tempore Horatius Flaccus satyricus poeta libertino patre Venusi nascitur. Appollodorus vero Pergamenus Græcus orator, præceptor Calidij & Augusti clarus habetur. Igitur quæ de Catilina & Lentulo, siue Cicerone, Salustius scribit, hoc gesta sunt tempore. Marcus etiam Callidus orator clarus habetur, qui bello ciuili postea Cæsarianas partes secutus, cum togatam Galliam regeret, Placentiæ obiit. Nunc sexto volumini finem imponere decreui, vt bella tam Romanorum ciuilia, & externis vbique permixta, quam etiam Iudæorum, quæ dicta sunt, vel etiam quæ sequuntur, quia sic sibi continuatim serie temporum, & malis sequacibus conserunt: libri saltem termino separentur.

Finis Libri sexti.

FRECVLPHI
EPISC. LEXOVIENSIS, CHRONICORVM

Tomi prioris,

LIBER VII.

Cum Hircanus atque eius frater Aristobolus de regni potestate confligunt, Pompeium iudicem prouocant. Ex quo Romanis subduntur.

CAP. I.

Igitur Hircanus, qui pontifex Iudæorum erat, etiam regni gubernacula matre ei contradicente (vt præmisimus) susceperat. Veruntamen frater eius Aristobolus, viribus atque authoritate præstabat. Habito autẽ inter eos circa Hiericunta de rerum summa conflictu, plerique Hircano relicto, transeunt ad Aristobolum. Hircanus autem cum reliquis fuga præuenit castellum Antonium, ibique salutis obsides nactus est. Erat itaque ibi in custodia (vt præmisimus) coniux Aristoboli cum filiis. Sed priusquam graue aliquid fieret, ea lege in concordiam redit: vt regnum quidem Aristobolus haberet, Hircanus vero excederet quasi regis frater, aliisque contentus honoribus. Hoc modo in fano reconciliati, cum in conspectu circunstantis populi benignissime alter alterum valere iussissent, domos permutant: & Aristobulus quidem recedit in regiam. Hircanus autem in Aristoboli domum. Metus vero & alios eius inimicos præter spem dominantis occupat: & maxime Antipatrum, jam dudum inuisum Aristobolo. Erat autẽ genere Idumæus, & nobilitate ac diuitiis aliarumque rerum copia gentis suæ princeps. Is ergo & Hircanum, vt ad Aretem regem Arabiæ confugeret, eiusque auxilio regnum reperteret hortabatur, & ipse Aretæ vt Hircanum susciperet, atq; in regnum deduceret, suadebat, multa detrahens Aristoboli moribus multisque Hircanum laudibus prædicans. Simulque ammonebat, quod cum deceret regno clarissimo præsidentem, iniquitate oppressis manum porrigere: Hircanum autem iniuriam pati, qui principatu iure successionis sibi debito caruisset. Sic instructis & præparatis ambobus, noctu cum Hircano ex ciuitate profugit: citatoque cursu in oppidum, quod Petra dicitur, saluus euadit, quod regni sedes esset Arabiæ. Ibique postquam Hircanum in manum regis Aretæ tradidit: multis dictis multisque muneribus, vt auxilium ei præberet, quo in regnum deduceretur, effecit. Igitur rex collectum vndique exercitum, in Iudæam direxit. Erant autem peditum equitumq; millia L. Quibus nequaquam restitit Aristobolus, sed primo impetu superatus, in Hierosolymam fugere cogitur. Atque omnino captus esset, nisi dux Romanorum Scaurus, horum imminentem soluisset obsidionem. Namque is ex Armenia quidem in Syria missus erat à Pompeio Magno: qui cum Tigrane bellum gerebat. Sed vbi Damascum venit, quam retentam à Metello & Lollio consulibus & captam repperit, his inde summotis, cognito in Iudæa quid ageretur, illuc velut ad quæstum cucurrit. Denique vt ingressus est fines Iudæorum, legati ad eum veniunt à fratre vtroque vt sibi potius adiumento esset orantes. Sed CCC. talentis, quæ Aristobolus miserat, iustitia posthabita

est. Tot etiam acceptis Scaurus ad Hircanum & Arabas legatos dirigit: Romanorum eis & Pompei nomen intentans, nisi ab obsidione desisterent. Itaque & Aretha ex Iudæa in Philadelphiam recedit metu perculsus, & Scaurus Damascum redit. Hircanus vero & Antipater Arabum priuati auxilio, spem in aduersarios contulerunt. Et cum Pompeius Syriam transgressus Damascum peruenisset, ad ipsum confugiunt: multisque muneribus ei datis, illa tantum quib. apud Aretham vsi fuerant, allegantes magnopere prædicabant, vt Aristoboli violentiam odio dignam putaret, regnoque Hircanum restitueret: cui tam ætate quam moribus deberetur. Itaque Aristobolus auxilio Scauri fretus, Pompeio nec defuit. Sed dum ipsius gratiam minime adeptum se cognosceret, in Hierosolymam cum indignatione discessit: belloque iam congredi cum Pompeio cogitabat. Pompeius autem nec ei tempus apparatui dandum putauit, sed statim eum sequitur, multum quippe alacritati eius addiderat circa Hiericunta mors Mitridatis nuntiata. Cumque illic pernoctasset: mane in Hierosolimam properabat. Itaque hoc eius impetu perterritus Aristobolus, supplex occurrit, pecuniamque pollicitus, quodque se metipsum ei cum ciuitate promitteret. Pompeium mitigat sæuientem, nec tamen quicquam eorum quæ promisit, effectum est. Gabinium, etiam, qui ad suscipiendam pecuniam missus fuerat, nec in oppidum quidem Aristoboli socij receperunt. His commotus Pompeius Aristobolum in custodiam collocat. Ad ciuitatem vero profectus dum lustrando eam circumiret, vt exploraret qua ex parte facilior esse ascensus: seditio in ciuitate exorta est. Aristoboli quidem sociis bellum geri potius regemque liberare dignum esse affirmantibus, qui vero cum Hircano sentiebant, Pompeio portas aperiri. Denique victa pars Aristoboli, concessit in templum: & ponte qui ciuitati iungebatur absciso, vt ad vltimū vsque resisterent, instruebatur. Cum autem alij Romanos in ciuitatem recepissent, hisque domum regiam tradidissent, ad hæc obtinenda Pompeius vnum ex ducibus sibi obedientib. Pisonem cum militibus intromittit. Isque presidiis in ciuitate dispositis, quia nemini eorum, qui in templum confugerant, pacem persuadere potuit, omnia quæ circumstant expugnationi parabat: Hircano eiusque amicis ad consilia conferenda, & ad efficienda quæ juberet, alacriter animatis. Ipse vero templum obsidione cingit, turribus impositis, admotisque machinis, mœnia tentabat irrumpere: sed lapidibus repellebantur & vi repugnantium. Mense namque obsidionis tertio, vix vna turri deiecta, fanum irruptum est. Primus autem murum transcendere ausus est Syllæ filius Faustus Cornelius, & post eum centuriones duo, Furius & Fabius cum suis agminibus. Et circumsepto vndiq; fano: alios confugientes vel etiam paulisper repugnantes interficiunt. Multos autem suos gentiles aduersæ partes studiosi trucidabant, plurimi D semetipsos in rupes præcipitabant: nonnulli furibundi cunctis quæ circa murum erant in desperatione succensis pariter conflagrabant. Itaque Iudæorum quidem XII. millia occubuerunt, Romanorum vero perpauci, sed plures sauciati sunt. Nil autem grauius in illa clade Iudæorum genti visum est, quam sanctum illud arcanum nulli cuiquam prius visum, alienis esse detectum. Denique Pompeius vna cum suis comitibus in templum ingressus, vbi neminem præter pontificem adesse fas erat, quæ intus erant candelabra cum lychnis, & mensas ex quibus libare atque adolere moris erat, & vascula ex auro cuncta perspexit: congestamque pigmentorum molem, ac sacræ pecuniæ prope ad duo millia talentorum. Nec tamen vel hæc, vel aliud quicquam de sacro sanctis opibus siue instrumentis attigit. Sed postera die post excidium curare templum æditues, ne quid sordium haberet, A iussit: & solemnia sacra celebrare. Ipse autem Hircanus pontifice declarato, quod se & in aliis rebus alacrem præbuisset, promptamque ad bellum agrestium multitudinem ab Aristobolo reuocasset, per quæ sicut imperatorem bonum docuit, beneuolentia potius, quam timore plebem sibi conciliauit. Inter captiuos autem comprehensus Aristoboli socer, idemque patruus, tenebatur. Et illos quidem, qui maxime belli causa fuissent, securi percussit: Faustum vero, & qui vna fortiter fecerant, præclaris præmiis donat, & Hierosolymis tributum indicit. Pompeius vero à flumine Eufrate vsque ad fines Ægyptios, Scauro summa regionum negotia, cum duabus commisit: Romamque ipse per Ciliciam properauit, captiuum ducens Aristobolum cum familia. Erant autem illi filiæ duæ totidemque filij, quorum vnus Alexander ex itinere fugit: minor autem Antigonus cum sororibus Romam vectus est. Interea Alexander congregata manu Hircano grauius imminebat, Iudæamque populabatur: B Hircanem quidem mature debellare posse credebat, villasque opportunas muris, hoc est, Alexandrium, Hircanum, & Macheruinta, non longe ab Arabiæ montibus muniebat. Exercitum hinc inde colligere curauit: donec facta sunt ei decem millia peditum, & mille quingenti equites. Igitur Gabinius qui in Syriam missus, Scauro successerat: aduersus Alexandrū cum valida manu militum, atque multitudine processit Iudæorum. Quo prælio victus Alexander, amissis VI. millibus, quorum tria viua capta sunt, tria vero prostrata: ipse in Alexandrium confugit castellum. Quo obsidione cinctus, dum vehementius vrgeri se ab hostibus cerneret, territus Alexander omnibus desperatis, legatos ad Gabinium mittit: & ignosci delictis orans, & quæ sibi parent castella Macherunta, & Hircanium tradere non dubitans, quin etiam Alexandrium eiusdem potestati permisit. Quæ omnia pridem Gabinius consilio matris C Alexandri, funditus eruit. Posthęc vero Gabinius Hircano Hierosolymam deducto, ei Fani curam commendauit, cæteris Reipublicæ partibus optimates præfecit, omnemque Iudæorum gentem in conuentus quinque diuisit: vnum Hierosolymis, alterum Doris, itemque tertium apud Amathunta, quartum Hierico, & quintum Sessoti ciuitate Galilææ disposuit. Singulari autem vnius dominatione Iudæi liberati libenter ab optimatibus regebantur.

Qualiter Crassus spoliauerit templum, & Parthico bello mox est extinctus. De patre etiam matreque Herodis, & fratribus atque sorore. Et quod aliter Aphricanus Historiographus, quam Iosephus de eius patre Herodis sentiret. De Cucullo, qui Mitridatem & Tigranem bello vicit. Et de Pompeio eius successore: qui maxima ex parte orientem ditioni subdidit Romanorum.

CAP. II.

Igitur his atque aliis ita gestis, interea Crassus Gabinij successor, ducatum Syriæ suscepit, qui profecturus ad Parthicum bellum, omne quod erat Hierosolymis in templo abstulit aurum, & pręterea duo millia talenta detrahi iussit de interiore templi, quæ Pompeius intacta reliquerat. Nec longum lętatus, vbi transiuit Eufratem, exercitum amisit maximum: & ipse à copiis Persarum extinctus est. Eo successu Parthi elatiores, transcendum in Syriam crediderunt. Quos strenue insidiis excepit Cassius, & commissæ sibi prouinciæ finibus repulit, non signe graui detrimēto hostium cum effuse venientes, quod neminem sibi obsistere ausurum arbitrarentur, loca præuentus angustia occupauisset. Denique fusis fortium plurimis, bellum deseruere Parthi. Cassius repulso hoste securus prouincia, in Iudæam irruit, & Taricheis deletis

XXX. millia Iudæorum in ſeruitutem vendidit: Phitalaum quoque ſuſpectum doli, quod partes Ariſtoboli fulciret, iugulari iuſſit. Neque expers conſilij eius Antipater fuit, vt æmulum potentiæ quam maxime excluderet. Igitur Antipater is cognouit vxorem: cui nomen Cypris, ſplendidiſſimo inter Arabiæ fœminas loco ortam, atq; ex ea ſuſcepit liberos IV. ſexus virilis, & vnam fœminam. Virorum huiuſmodi vocabula erant: Primus Phaſelus, ſequens Herodes vocati, tertius Ioſephus, quartus Ferora, & Salome filia vnica. Qui cum Gabini fauorem muneribus atque obſequiis maxime promeruiſſet, Caſſij etiam familiaritatem adeptus eſt. Cauſa quippe tantorum filiorum, vir egregius eſt factus, ad emerendam muneribus atque amicitia ſocietatem potentium. Præ cæteris vero regis ſibi Arabum conciliauerat gratiam: quia de locis Arabiæ vxoris acceptæ prætendebat neceſſitudinem: Hæc de Ioſephi excerpſimus dictis. Aphricanus vero, qui & ipſe præcipuus in hiſtoriographis habetur: Aiunt, inquit, qui de eo diligentius explorarunt, Antipatrum quendam patrem eſſe Herodis Aſcalonitæ, qui & ipſe fuerit Herodis cuiuſdam filius, templi Apollinis æditui. Hic antipater ab Idumæis latronibus captus admodum puer permanſit cum prædonibus, pro eo quod pater eius familiaris inopia filium redimere non valeret. Verum puer latronum vita & moribus inſtitutus, poſtmodum Hircano cuidam Iudæorum pontifici familiaris efficitur. Ex quo naſcitur Herodes hic, qui Saluatoris temporibus fuit. Hæc Aphricanus.

De Lucullo, qui Mitridatem & Tigranem bello vicit. Et de Pompeio eius ſucceſſore qui maxima ex parte Orientem ditioni ſubdidit Romanæ.

CAP. III.

IGitur eo tempore apud Romanos hæc agebantur. Lucullus poſtquam Mitridatem & Tigranem reges vicerat, maximamque partem Orientis Romanæ ditioni ſubegerat, ſucceſſorem habuit Pompeium. Ergo Pompeius in minore Armenia, iuxta montem Daſtracum caſtra regis Mitridatis obſidione concludit. Rex cum omnibus copiis eruptione per noctem facta, inſuper etiam perſequentem bello repellere ſtatuit. Pompeius fugientes perſequi intendit. Itaque bellum nocte commiſſum eſt. Luna tunc orta à tergo Romanis erat. Regiam longitudinem vmbrarum proximitatem hoſtium rati, cuncta in irritum tela fuderunt. Romani velut inermos poſtea aggreſſi ſine labore vicerunt. Namque de exercitu regio quadraginta millia cæſa vel capta ſunt: Romani vulnerati mille, vix autem XL. interfecti. Rex inter tumultus belli fuga elapſus, adiutus autem beneficio ſubluſtris noctis euaſit: relictuſque ab omnibus amicis, philoſophis, ſcriptoribus rerum vel carminum ac medicis ſolus per deuia equum manu trahens, atque ad omnes nocturnos ſtrepitus trepidans, in quoddam caſtellum diuertit, atque inde in Armeniam perrexit. Pompeius regem inſecuturus, inter duo flumina, quæ ab vno monte diuerſis ſpecubus exoriuntur: hoc eſt Euſtatrem & Araxen, orbem Nicopolim ſenibus, lixis, & ægris volentibus condidit: oranti Tigrani veniam dedit. Exercitum Herodi Albanorum regis, præfectoſque eius ter prælio vicit. Poſtea epiſtolas Herodis [illegible] munera pro inſtauranda cum Albanis ſocietate libe[illegible]ra accepit. Artacem regem Hiberiæ bello fudit, totam[illegible]e Hiberiam in deditionem accepit. Inde cum Arme[illegible]am, Colchos, Cappadociam, & Syriam ordinatis re[illegible]s compoſuiſſet: promouens de ponto in Parthiam, & [illegible]ſt hæc Bathanam vrbem caput Parthici regni quin[illegible]ageſimo die venit. Tunc in Boſphoro Mitridate Ce[illegible]lia ſacra celebrante, terræ motus adeo granis repen[illegible]xortus eſt vt magna clades ex eo vrbium atque agro[illegible]n ſecutura narraretur. Eodem tempore Caſtor Mitridatis præfectus, qui Panagorio præerat, interfectis amicis regiis, arcem occupauit: & quatuor Mitridatis filios ad præſidia Romana tranſmiſit. Mitridates accenſus ira in ſcelera exarſit. Nam complures tunc amicos ſuos, & Exipodram filium ſuum interfecit: cum ante iam Aliomacharem parricidio trucidaſſet. Pharnaces alter filius eius exemplo fratrum territus, exercitum ad perſequendum ſeſe miſſum ſibi conciliauit: & mox aduerſus patrem duxit. Mitridates diu ex altiſſimo muro filium fruſtra precatus, vbi inexorabilem vidit: moriturus exclamaſſe fertur: Quoniam Pharnaces, inquit, mori iubet: vos ſi eſtis dij patrij precor, vt quandoque & ipſe hanc vocem à liberis ſuis audiat. Statimque deſcendens ad vxores, pellices, ac filias ſuas: venenum omnibus dedit. Quod cum ipſe nouiſſimus hauſiſſet, nec tamen propter remedia, quibus vitalia ſua aduerſus noxios ſuccos ſæpe obſtruxerat, veneno confici poſſet: Gallum quendam militem iam fracto muro diſcurrentem inuitauit, eique iugulum præbuit. Hunc exitum vitæ Mitridates habuit. Pompeius namque occiſi Mitridatis nuntio accepto, Syriam Celen, & Phœnicem bello aggreſſus, Itureos primum Arabaſque perdomuit: vrbemque eorum, quam Petram nominant, cepit. Hinc, vt præmiſimus, ad Iudæos properauit. Hieroſolymam euerti ſoloque coæquari imperauit. Et cum aliquantos principes Iudæorum ſecuri percuſſiſſet, Hircano ſacerdotium reſtituit, Ariſtobolum captiuum Romam duxit. Hoc bellum orientis cum viginti & duobus regibus ſeſe geſſiſſe ipſe Pompeius pro concione narrauit.

Qualiter Cæſari Galliarum prouinciæ à Senatu ſint diſtributæ. Et de præliis diuerſis in Gallia geſtis.

CAP. IV.

INterea C. Cæſari conſuli tres prouinciæ cum legionibus ſeptem in quinquennium datæ: Gallia Tranſalpina & Ciſalpina & Illyricus. Galliam vero comatam poſtea ſenatus adiecit. Eluitiorum ergo animos fortiſſimæ Gallorum omnium gentis, ea vel maxime cauſa, quod perpetuo pene cum Germanis bello altercabantur, à quibus Rheno tantum flumine dirimuntur. Orgeto rex quidam princeps gentis ſpe totas inuadendi Gallias, in arma accenderat. Quem cæteri optimates correptum & ad mortem coactum cohibere tamen ſemel animatas in prędam plebes ne quiuerunt. Qui coniuratione facta, ac die dicta, exuſtis vicis ac domibus ſuis: ne quod deſiderium ex ſpe reuertendi foret, profecti ſunt. Quos cum apud Rhodanum flumen obuios Cęſar habuiſſet, magno, difficilique bello bis vix vicit, victoſque ad deditionem coegit. Horum fuit cum primum progreſſa eſt omnis multitudo Eluitiorũ, Tulingorum, Latobroiorum, Rauracorum & Boiorum vtriuſque ſexus ad C. L. & VII. M. hominum. Ex his, XL & VII. M. in bello ceciderunt: cætera in terras proprias remiſſa ſunt. Poſtea Cæſar Ariobiſtum regem excitantem, Inuehentemque ſecum incredibiles Germanorum copias, quibus nuper vniuerſos Galliarum populos ſe ſubegiſſe iactabat: apud Sequanas vicit. Cum diu exercitus Cæſaris Germanorum multitudine & virtute perterritus, pugnam detrectaſſet: Ariobiſtus in Germaniam, arrepta nauicula, Rhenum tranſuectus effugit. Vxores duæ, totidemque filiæ captæ ſunt. Fuerunt autẽ in exercitu Ariobiſti, Arudes, Murcomannes, Triboci, Vvangiones, Nemetes, Edures & Sueui. Pugna maxima grauis Phalangæ Germanorum fuit, quam coacto in vnum agmine, ſcutiſque ſupra capita contextis, ad irrumpendam Romanorum aciem tuti vndique præſtruxerant. Sed poſtquam aliqui Romanorum militum agilitate, audaciaque inſignes ſupra obductam ſalire teſtudinem, ſcutiſque ſigillatim velut ſquammis reuulſis

desuper nudos deprehensorum, detectorumque humeros persoderunt: territi hostes nouo mortis periculo, terribilem dissoluere compagem. Exinde in fugam versi per L. M. passuum insatiabiliter cæsi sunt. Neque conuici numerus potuit. Germanorum, vel quantus pugnæ affuerit, vel quantus fuerit occisorum. Post hæc Belgatum gens, quæ tertia pars Galliarum est, aduersus Cæsarem exarsit, quorum distributim hæc copia suit Bellouagi, qui cæteris numero & virtute præstare viderentur: habuere lectissima * *X L. M. (al. LX. M.)* armatorum. Successiones ex XII. oppidis L. M. Neruij, quorum adeo indomita seritas prædicabatur, vt numquam in id tèmporis mercatores ad se admiserint, vina, cæteraque venalia deferre, quibus inducta iucunditas torporem virtutis afferret. Habuerunt similiter L. M. Trebates etiam, & Ambiani X. millia, Morini XXV. millia, Menapij IX. millia, Caleti X. millia, Buloccasses & Veromandi æque X. millia. Atruatij X. & VIII. millia, Condurses, Eborones, Cætosi, Cemanni, qui vno nomine Germani vocantur XL. millia. Ita fuisse referuntur. CCLXXII. millia, armatorum lectissima. His repente sylua erumpentibus exercitus Cæsatis perturbatus atque in fugam actus, plurimis suorum amissis, tandem hortatu ducis restitit, victoresque aggressus vsque ad internecionem pene deleuit.

Qualiter Iulius Cæsar postquam Galliam in deditionem subiectam credidit, & in Italiam redire voluit, impetu Gallorum retractus, præliis diuersis infestus, à Galliis in Britanniam transiit, & eam subiugauit, non sine magno discrimine suorum.

CAP. V.

IGitur Cæsar magnis in Gallia rebus gestis, cum Italiam proficisci decreuisset: Galbam cum legione duodecima ad Veragros Sedunosque misit. Qui cum hyemandi causa, in vico Veragrorum, cui nomen erat Octodorus, consedisset, mediamque oppidi partem, quę torrente distinguebatur, accolis concessisset, quadam die eosdem discessisse per noctem ac proximo insedisse colli vider. Quippe illi paucitatem vix mediæ legionis despectui habentes, vltroneam sibi prædam nullo cessuram negotio arbitrabantur, finitimosque suos in hanc cædis & prædę societatem vocauerunt. Igitur cum Galba tam præsentibus periculis circumseptus ac trepidus, atque inter varias consultationes certi consilij incertus esset, repente Galli descensu montis effusi, castra imperfecta circumdant: raros per vallum propugnatores saxis, tęlisque onerant. Cumque iam castra irrumperentur, Pacuuij primipilaris & Volusini tribuni consilio cuncti Romani portis eruperunt, incautosque subito aggressi hostes, primum perturbauerunt: deinde in fugam versos miserabili cæde fuderunt. Nam amplius XXX. M. Batbarorum tunc cæsa referuntur. Igitur Cæsar cum iam pacatas vniuersas Galliarum gentes putaret, ad nouum & maximum bellum retractus est. Namque dum P. Crassus adolescens cum legione septima Oceano tenus apud Andicauos hyemasset, Veneti, cæterique confines, repente in arma coniurant, legatos Romanorum vinciunt, eosque ita demum se reddituros si obsides suos recipiant, Romanis indicant. Socios sibi ad id bellum Ossismos, Lixonios, Nanneles, Ambiuaritas, Motinos, Menapios & Diabluttes asciscunt: Auxilia quoque à Britanoia ar cessunt. Cæsar per Crassū de rebellione prædictarum gentium certior factus, quāuis intelligeret, quanta incundi belli difficultas esset, tamen rem tanti negotij non negligendam ratus, ne cæteris exemplo eiusmodi audendi licentia laxaretur: Itaque terrestri prælio persequi hostes frustra aggressus, quippe cum hostes per intersusa ex Oceano æstuaria, atque inaccessos recessus, tutis terrarum finibus munirentur: naues longas ædificari in Ligero flumine iubet, per quem in Oceanum deductæ, mox vt hostibus A visæ sunt, continuo CC. XX. naues eorum paratæ atque omni genere armorum instructissimę progressæ portu, ex aduerso constiterunt. Bruto circumspicienti imparem longe nauium esse conflictum, quia Barbarorum naues solido robore intextę, cauernisque pręualidis obduratę, saxorum modo adactos rostratarum ictus retundebant. Hoc primum auxilio fuit quod falces acutissimas non pertinaciter contis pręfixas, funibus autem subnexas parauerat, quibus cum opus esset, apprehensos eminus rudentes subductis hastilibus per funem falcem retrahendo succiderent, His celeriter expeditis, disrumpi hostium antemnarum armamenta pręcepit. Ita antemnis ruentibus complures illico naues velut captas immobiles reddidit. Alij hoc periculo territi, suspēsis velis, qua ventus intenderet fugere conati, cessante mox vento destituti, ludibrio fuere Romanis. Itaque incensis omnibus nauibus interfectisque his, qui pugnauerant, Galli reliqui sese omnes dediderunt. Sed B Cæsar maxime ob iniuriam legatorum, & vt genti ad omnia consilia mobili terribilis exempli notam inureret: cunctis principibus per tormenta interfectis, reliquos sub corona vendidit, iisdem diebus. Titurius Sabinus Aluercos, Eburouices, Lixouiosque qui primates suos cum authores belli resuscitandi esse nollent, interfecerunt: eruptione facta incredibili cæde deleuit. P. vero Crassus cum in Aquitaniam perueniret bello exceptus est. Namque Sociates magno equiratu pedestribusque copiis præualidis Romanos adorti, diu grauiter turbauerunt. Post victi atque in oppidum Sociatum coacti, obsessique cum se expugnari viderent, armis traditis in deditionē recepti sunt. Aquitani clade hac permoti, vndique exercitum contrahunt, de interiore quoque Hispania auxilia accersetunt: duces bello maxime eos præficiunt, qui cum Sertorio militauerant. Hi omnes dum obsidionem Crasso parant: in castris suis Crasso obruente deleti sunt. Nam ex Aquitanis & Cantabris, quorum L. millia cæsa referuntur. Cæsar Germanos, C qui Rhenum cum immensis copiis transmiserant, simul & totas Gallias subiicere sibi parabant, bello adortus, vsque ad internetionem excidit. Quorum fuisse numerum CCCC. XL. M. ferunt. Tunc Cæsar in Germaniam facto ponte transgreditur, Sicambros & Vtubios obsidione liberat, Sueuos maximam & ferocissimam gentem, quorum esse C. pagos & populos, multi prodidere, totamque Germaniam aduentu suo terret. Mox in Galliam rescisso ponte concedit, ad Morinos inde venit: vnde in Britanniam proximus & breuissimus transitus est. Nauibus onerariis atque actuariis circiter LXXX. pręparatis, in Britanniam trāsuehitur: vbi acerba primum pugna fatigatus: deinde aduersa tempestate correptus, plurimam partem classis, & non paruum numerum militum, equitatum vero pene omnem disperdidit. Regressus in Galliam legiones in hyberna dimisit, ac DC. naues vtriusque commodi fieri imperauit. Quibus iterū in Britanniam primo vere transuectus, dū ipse D in hostem cum exercitu pergit, naues in ancoris stantes, tempestate correptæ, vel collisæ inter se, vel arenis illisæ, dissolutæ sunt: ex quibus XL. perierunt, cæteræ cum magna difficultate reparatæ sunt. Cæsatis equitatus primo congressu à Britānis victus est: ibique Labienus tribunus occisus est, Secundo prælio cum magno suorum discrimine victos Britānos in fugā vertit. Inde ad flumē Tamensim profectus est: quem vno tantum loco vadis transmeabilem ferunt. In huius vlteriote ripa cum Cassoblauno duce, immensa hostiū multitudo consederat, ripamque fluminis ac pene totum sub aqua vadū acutissimis sudibus perstruxerat. Quod vbi Romanis deprehensum ac vitatum est, Barbari legionum impetus non fetētes syluis sese abdidere. Vnde crebris eruptionibus Romanos grauiter ac sæpe lacerabant. Interea Trinouantum firmissima ciuitas cum Adrogorio duce, datis XL. obsidibus. Cæsari sese dedit. Quod exemplum

secutæ vrbes aliæ complures, in fœdus Romanorum venerunt, iisdemque demonstrantib. Cæsar oppidum Cassobelauno inter duas paludes situm, obtentu insuper syluarum munitum, omnibusque rebus confertissimum, tandem graui pugna cepit. Exhinc Cæsar à Britannis reuersus in Galliam, postquam legiones in hyberna misit, repentinis bellorum tumultibus vndique circumuentus, & conflictatus est. Namque Ambiorix cum Eburonatibus & Attuaticis conspirans, animatus Treuirorum consilio Cottam, & Sabinum legatos apud Eburonas cum tota funditus legione insidiis circumuentos, interfecit. Ambiorix hac victoria elatus, Atuatos & Neruios, plurimosque alios raptim in arma contrahit, atque ad Ciceronem legatum, qui similiter tunc legioni in hybernis præerat, contendit. Multitudo hostium ex hoc colligi potuit: quia cum in obsidione castrorum vallum circumdandum esse à captiuis Romanis docerentur & instrumenta ruralia non haberent, gladiis concidendo terram & sarculis exportando, vix trib. horis vallum pedum X. & fossam pedum XV. per M. passuum XV. in circuitu perfecerunt. Præterea C. XX. turres miræ altitudinis extruxerunt. Et cum iam VII. dies, noctesque succidui hostium cunei pugnarent, ac ventus subito plurimus exortus esset, testas feruentes intorsere fundis, flammataque tela focis: ac mox concepto igne rutilantia intra castra iecerunt. Quo facto, per culmina rapti ventus insistens, sparsum animauit incendium. Sed nec sic quidem Romani cum vndique obruerentur vulneribus laboribus, vigiliis, ieiuniis, incendiisve cesserunt. Tandem Cæsari nuntiatum est, vnam deletam esse legionem, alteram iam pene confectam. Aduentante cum duabus legionibus Cæsare, deserunt hostes obsidionem, atque in eum cuncti raptis copiis ruunt. Cæsar se paruissimis castris consulto condidit, equitibusque præmissis, vt fugam fingerent, imperauit: vt ad transitum vallis, quæ in medio erat, sibique periculosa videbatur, hostes contemptu sui inuitaret. Quibus aduentantibus insuper obstrui portas præcepit. Quo viso Galli, quasi iam vicissent ad obducendum extrinsecus vallum conuersi sunt. Cæsar totis repente portis paratum effudit exercitum, versosque in fugam Gallos, vastissima cæde cõfecit. Nam LX. M. [illegible] fuisse referuntur, è quib. pauci per paludes [illegible] euaserunt. Inducionarus Treuirorum [illegible], magnas armatorum copias habens, postqua[illegible] consensu totius Galliæ certior redditus est, L[illegible] castra, legionemque cui ius præerat, quod facil[illegible] factu arbitrabatur, delere statuit, ac deinde Eburonib. Neruisque coniunctus, ad opprimendum Cæsarem pergere. Labienus, quibus poterat artibus timorem simular, atque ita Inducionarum negligentiorem cum insultantibus copiis pro vallo oberrantem, repentina eruptione prostrauit. Hac victoria Labieni reliqui Gallorum conatus repressi sunt, & Cęsar paulo quietior reliqua parte hyemis fuit. Sed intelligens sibi maiora belli superesse negotia: maxime, quia plurima parte exercitus amissa, aliisque grauiter saucijs, ne ad sustinendum quidem sibi idoneus, non dicam ad comprimendum Gallorum impetum videretur, à Gn. Pompeio proconsule conscribi legiones, sibique mitti in auxilium petit. Itaque ante exactam hyemem, tres ad eum legiones in castra venerunt. Igitur Cæsar priusquam in vnum hostium copiæ coïret, [illegible] aggredi trepidos, & opprimere sparsos [illegible] suis finibus parat. Primum itaque Neruorum fines [illegible]ripit, prædam vero, quæ copiosissima erat, exercitui [illegible]misit. Deinde Menapios, qui sibi propter immen[illegible] paludes atque impeditissimas syluas munitissimi [illegible]debantur, tribus agminibus inuadit: nimiaque ex[illegible] vulgo agitata, residuos supplices in deditionem cepit. Labienus sequenti prælio omnes copias Tre[illegible]rum interfecit: arte in bellum prouocatas priusquã Germanis aduentantibus jungerentur, & continuo ipsam ciuitatem cepit: Cæsar vlcisci mortem Sabini & Cottæ legatorum volens, Ambiorigem & Eburones deletæ legionis authores, postquam in Arduennam syluam refugisse comperit, quæ sylua totius Galliæ maxima est, atque à ripis Rheni finibusque Treuirorum ad Neruios vsque pertingit, & in longitudine plusquam L. M. passuum patet, permetiens rem suis maximi periculi fore, si per obstructas spatiosasque syluas ignoti diuiderentur, hostemque locis notissimum quærerent, omnem Galliam per nuntios inuitat, vt quisque secundum placitum suum, reconditas in Arduensa sylua prædas quærant, diripiantque. Quo facto, Gallis vtrinque morientibus maximas Romanorum iniurias sine cuiusquam Romani discrimine vindicauit. Ita hoc tutissimo vincendi genere securus in Italiam rediit.

Reuerso Cæsare in Italiam iterum Galli in arma coniurant, Ad quos cito C. Cæsar reuertitur, quos diuersis prælijs conterit, & æternæ seruituti tradidit.

CAP. VI.

IGitur Cæsare in Italiam reuerso, Gallia rursus in arma coniurat, multique simul populi coeunt. Dux his Nergingitorix fuit. Cuius consilio statim omnes Galli ciuitates suas vltro incenderunt, prima à suis incensa Byturico: inde ad Cæsarem, qui magnis itineribus per Narbonensem prouinciam clam ad exercitum recurrerat, impetum faciunt. Cæsar tunc oppidum nomine Cænapum obsidione concluserat. Quod diu oppugnatum tandem post multas Romanorum clades, plurima die cum hostilium machinarum augmenta, neruique elanguerent, applicitis turribus raptum atque deletum est. XL. M. hominum ibi fuisse referuntur, ex quibus vix LXXX. per fugam lapsi, ad proxima Gallorum castra venerunt. Præterea Arueni, cæterique confines, sollicitatis etiam ad se Eduis multis aduersum Cæsarem prælijs bellauerunt. Qui cum se pugnando fatigati in quoddam castellum recepissent, milites prædæ inhiantes, ad expugnationem oppidi animum intendunt: frustra Cæsare de loci iniquitate causante. Itaque ibi Cæsar erumpentibus de super hostibus pressus, multa exercitus sui parte perdita, victus aufugit. Dum hæc ad Halestam geruntur, Vergigintorix, quem omnes consensu pari regem præoptauerant suadet, vt ex tota Gallia omnes, qui arma ferre possint, huic bello præsto sint. Hoc etiam esse vnum bellum, quo aut perpetua libertas, aut æterna seruitus, aut mors omnium consequatur. Itaque absque eo numero, quem infinitum ante contraxerat, equitum circiter VIII. M. peditum, CC. L. M. contracta sunt. De hinc duos colles sibi inuicem obuersos, Romani, Gallique ceperunt. Vnde multis sæpe eruptionibus & variis prouentibus prælantes, tandem Romani, præcipue Germanorum equitum, quos sibi iamdudum amicos, nunc etiam in auxilium acciuerant, virtute vicerunt. Vergingitorix alia die congregatis omnibus, qui fuga euaserant, dixit se authorem bona fide defendendæ libertatis, atq; irrumpendi fœderis fuisse: & nunc siue Romanis sese ad mortem omnes offerant, siue solum pro omnibus dedant, paratum animo fore. Itaque Galli voluntatem quam pudore aliquandiu texerant, quasi ex consilio regis assumerent, ilico sibi veniam precantes, eum solum velut authorem magni sceleris dederunt. Bellouagi omnibus Gallorum gentibus ipsorum opinione fortiores habebantur. Hi Chorreo duce bellum instaurant, sibique in hanc suscepti belli societatem Ambianos, Aluercos, Saletos, Beliocasses, Atrebatesque coniungunt, & locum quendam cinctum atque impeditum, vndique

paludibus capiunt commissoque prælio, magnam Remorum manum, quæ auxilio Romanis erat, trucidant. Deinde cum opportunum ipsi locum insidiis prouisum occupauissent, atque hoc comperto Romani ad insidiarum locum instructi, ordinatique venissent, cōmisso prælio, Romani Gallos fugientes iisdem locorum munitionibus, quibus clausi fuerant, incluserunt, eunctosque ad internecionem ceciderunt. Ibi Chorreus vel fugam vel deditionem detrectans, Romanos vt viuus caperetur, instantes, occidendo vt occideretur coëgit. Igitur cum pacatam esse vniuersam Galliam Cæsar, neque ausuram fore ad aliquos aspirare motus arbitraretur, legiones in hyberna dimisit. Ipse tamen Ambiorigis fines, qui tot bella excitauerat, horrenda hominum strage vastauit. At vero G. Caninius legatus bellum apud Pictonas inuenit: vbi magna hostium multitudo impeditam itinere legionem circumdedit: atque ad extremum discrimen adduxit. Porto autem Fabius acceptis Caninij legati literis, in Pictonas proficiscitur, ibique à captiuis de opportunitate locorum certior factus, inopinantes hostes opprimit, magnisque stragibus factis, plurimas prædas agit. Deinde cum Caninio signum aduentus sui dedisset, Caninius totis castris subito exiliuit, seseque iniecit hostibus. Itaque Fabio ex alia parte & Caninio ex altera insistente, maximo & diuturno bello innumeræ Gallorum copiæ trucidatæ sunt. Inde Fabius in Carnutes profectus est. Sciebat etiam Domnacum ducem antiquissimum rebellionis totius incentorem ab hoc bello elapsum: si Aremoricis gentibus adiunctus esset, maxime iterum in Gallia tumultus esse moturum. Sed eas adhuc ipsa nouitate trepidantes, mira virtute & celeritate perdomuit. Interea Draptes vnaque Lucterius cum adesse Caninium & legiones in finibus suis videret, vndique collectis copiis, oppidum vel ad vnum occupant. Hoc oppidum in editissima montis arce pendebat, duabus partibus per abrupta latera non paruo flumine cingebatur: medio deinde descensu largissimo fonte securum, plurimaque introrsum copia frumenti tutum, irritos procul discursus hostium despiciebat. Caninius, quod solum Romana prouisione potuit, ambos duces cum parte copiarum plurima in campo euocatos maximo prælio superauit. Nam vno è ducibus interfecto: alter cum paucissimis fugit, nullus in oppidum redit, sed ad id oppugnandum Cæsare opus fuit. Itaque certior per nuntios factus fuit. Cæsar accurrit, circumspectisque omnibus, videt si expugnare vi moliatur, ludo & spectaculo hostium delendum esse exercitum suum. vnum solum esse præsidium, si quo quomodo hostes aqua arceantur, sed & hoc quoque nisi Cæsar non potuisset, Siquidem, fons, quo ad potum vtebantur, medio deuexi montis latere fundebatur. Cæsar ad proximum fontis admoueri vineas, turtidemque extrui iubet. Fit magnus vndique concursus ex oppido: quibus sine periculo prælianti bus. Romani quamuis pertinaciter obsisterent, crebriusque succederent, complures tamen trucidabantur. Igitur extruitur agger, & turris pedum LX. cuius vertex æquari ad fontis locum possit, vt ex æquo tela conici queant, vel præcipitata desuper saxorum volumina non timeri. Oppidani autem vbi exanimari siti non solum pecora sua, verum etiam infirmiores hominum ętates vident, cupas, pice, seuo, & sindulis repleras ac deinde immisso igne in prona præcipitant, easque ipsi toto oppido effusi subsequuntur. Ardentibus machinis cum graue prælium suis Cæsar ac periculosum videret, cohortes in circuitu oppidi ire velociter per occultum imperat atque vndique subdito vastum clamorem attollere. Quo facto consternati oppidani dum recurrere ad muniendum oppidum volunt, ab oppugnatione turris vel demolitione aggeris recesserunt. Illi tamen qui ad incidendas fontis venas sub obtentu aggeris tuti cuniculos perfodiebant, repertos in abstruso aquarum meatus, per multa diuidendo tenuari in semetipsis consumique fecerunt. Oppidani fonte siccato vltima desperatione correpti, deditionem sui faciunt. Cæsar autem omnibus qui arma tulerant, manus sustulit, & vitam reliquit, quo restatior esset etiam posteris pœna improborum. Multum n. ad coercendam audaciam valet propositum punitionis exemplum, cum ipsa miseri præsens forma viuentis, & ad recordationem admonet conscios: & ad sciscitationem cogit ignaros. Exhaustis atque demolitis Gallis, securus Cæsar cum legionibus in Italiam rediit: nullos post se Gallorum motus pertimescens, pro certo esse sciens minime aliquos, qui vel moueri audeant, vel si moueantur, timendi sint.

De nece Crassi & Romani exercitus apud Parthos.

CAP. VII.

IAm victorem Cæsarem de Gallia reuersum, Ciuilia bella comitata sunt, aliaque grauissima mala interfecti apud Parthos Crassi, & trucidati exercitus præcesserunt. Crassus itaque in consulatu collega Pompei prouinciam sortitus in Parthos, homo inexplebilis cupiditatis: audita in Hierosolymis templi opulentia, quam Pompeius intactam reliquerat, in Palestinam diuertit, Hierosolymam adit: templum peruadit, opes diripit, vt supra meminimus Inde per Mesopotamiam tendens in Parthiam, quacunque iter habuit sociis ciuitatibus auxilia indixit, precia exegit, Moxque vt Eufraten transiit, ilico Baiesen legatum ab Horode rege Parthorum ad se missum obuium habuit. A quo vehementer increpatus est, cur contra fœdus Luculli & Pompei, auaritia inductus, Eufraten transiret. Quamobrem sine mora futurum, vt pro auro Parthico Sytico ferro oneraretur, Itaque cum prope Charras ventum esset, Parthi subito ingruentes, cum Surena & Silacia præfectis, sagittis oppressere Romanos. Cecidere ibi plurimi senatores, aliqui etiam consulares aut prætorij viri. Crassus quoque filius Crassi, lectissimus iuuenis in acie occisus est. Præterea IV. cohortes cum Barganteio legato mediis deprehensæ campis interfectæ sunt. Surenas præ rapto equitatu Crassum persequi intendit: eumque circumuentum ac frustra colloquium eius petentem interfecit: quamuis viuum auferre maluisset. Pauci beneficio noctis liberati, Charras confugerunt. Auaritia etiam vnius nefas exoleuit, vt legiones XII. Romanorum aut captæ paucis elapsis, aut cæsæ cum ducibus suis sint. Caput vero Crassi cum dextera manu ad regem delatum est. Quod ludibrium fuit spectatoribus. Rex itaque aurum in ore eius relictum iussit infundere, aiens: Vrat nunc te Parthicum, quod te viuum vrebat aurum. Igitur clade Romanorum cognita, cum multæ orientis prouinciæ à societate vel fide populi Romani defecissent, Vicasius collectis ex fuga militibus paucis, intumescentem Syriam egregia animi virtute, ac moderatione pressit. Qui & Antiochum copiasque eius ingentes prælio vicit, & interfecit. Parthos quoque ab Herode in Syriam missos, iamque ingressos Antiochiam bello expulit, ducemque eorum Osagen interfecit, Interea Roma repentino correpta incendio concrematur: incertum vnde concretus, plurimam vrbis partem ignis inuasit nec vnquam antea tanto incendio corruptam ac vastatam ciuitatem ferunt. Nam XIV. vicos cum vico Iugario consumptos fuisse memoriæ proditum est.

Ocle hinc Ciuilia bella inter Cæsarem & Pompeium exorta sunt: quia Pompeius instigauit senatum, vt negarent iterum consulatum Cæsari.

CAP. VII.

HIc iam bellum Ciuile committitur, quod magnis iam dudum dissensionibus ac molitionibus parabatur. Nam rediens Cæsar victor ex Gallia, decerni sibi absenti iterum consulatum poposcit. Contradictum est à Marcello consule, annitente Pompeio. Deinde decretum est à Senatu, vt in vrbem Cęsar non nisi dimisso exercitu veniret. Et ex Marcelli consulis authoritate ad legiones, quæ apud Luceriam erant, Pompeius cum imperio missus est. Cęsar Rauennam sese contulit, Marcus Antonius, & P. Cassius tribuni plebis, pro Cæsare intercedentes, Lentulo consule curia foroque prohibiti, ad Cęsarem profecti sunt, Curione simul Celioque comitantibus. Cæsar Rubicone flumine transueato, mox vt Ariminum venit, V. cohortes, quas tunc solas habebat cum quibus (vt ait Liuius) orbem terrarum adortus est, quid facto opus esset, edocuit: deplorans iniurias suas, causam belli Ciuilis pro restituendis in patriam tribunis esse testatus est. Inde per Antonium VII. cohortes quæ apud Sulmonem morabantur, à Lucretio recepit III. legiones, quæ cum Domitio apud Cornificium morabantur, ad suas partes transduxit. Pompeius atque omnis Senatus crescentibus Cæsaris viribus trepidi, tanquam Italia pulsi, in Græciam transuecti, Durachium gerendi belli sedem delegerunt. Cæsar Romam venit, negatamque sibi ex ærario pecuniam fractis foribus inuasit, protulitque ex eo auri pondo IV. millia, CXXX. & VI. Argenti pondo prope DCCCC. millia. Inde digressus Ariminum ad legiones mox Alpes transuectus, Massiliam venit, ad quam oppugnandam cum receptus non esset, Trebonium cum IV. legionib. relinquens, ad Hispanias contendit. Quas Lucius Aphranius, & M. Petreius, & M. Varro Pompeiani duces, cum legionibus obtinebant. Ibi multis prœliis Petreium, Afraniumque superatos, composita pactione dimisit. In vlteriore vero Hispania, II. legiones à M. Varrone suscepit: Similiter & duces eius, hoc est, Curio Catonem Sicilia expulit, Valerius Cottam Sardinia, Tuberonem Aphrica Varus eiecit. Cæsar Massiliam rediens obsidione domitam, vita tamen & libertate concessa, cæteris rebus abrasit. At vero Dolabella partium Cæsaris in Illyrico per Octauium & Libionem victus, copiisque exutus, ad Antonium fugit. Basilius & Salustius cum singulis legionibus quibus pręerant, similiter & Antonius Hortensius quoque ab infimo mari cum classe concurrentes, omnesque pariter aduersus Octauium & Bibulonem profecti & victi sunt. Antonius cum se Octauio, cum XV. cohortibus dedisset, omnes ad Pompeium à Libione deducti sunt. Curio ex Sicilia in Aphricam cum exercitu transgressus est, quem Iuba rex continuo exceptum, cum omnibus copiis trucidauit, Octauius Solonas oppugnare conatur, omnes pene copias, quas duxit, amisit. Celius desciuit à Cæsare, ac se Miloni exuli iunxit. Cumque ambo seruorum manu Capuam oppugnare molirentur, extincti sunt.

De prœliis inter Cæsarem & Pompeium gestis, ac de victoria Cæsaris & nece Pompeii. De reliquis etiam bellis ciuilibus, per IV. annos gestis, ac demum de interfectione Iulii Cæsaris.

CAP. IX.

INterea apud Dirachium multi Orientis reges ad Pompeium cum auxiliis conuenerunt. Quo cum Cæsar venisset, Pompeium obsidione frustra cinxit A ipse terram quindecim millia passuũ fossa præstruens, cum illi maria paterent. Pompeius castellũ quoddam propinquum mari, quod Marcellinus tuebatur, euertit, præsidiaque Cæsaris, quæ ibidem morabantur, occidit. Cæsar itaque Torquatum, legionemque vnam, vt expugnaret, aggressus est. Hoc periculo sociorum Pompeius cognito, omnes eo copias traxit. In quem se ilico Cæsar omissa obsidione conuertit. Torquatus è vestigio erumpens, auersum insecutus est. Ita Cæsaris milites ancipiti periculo territi, ipso Cæsare frustra obsistente fugerunt. Pompeius vero Cæsaris quoque testimonio victor persequentem reuocauit exercitum. Quatuor millia militũ Cæsaris, centuriones xxii. equites Romani cõplures in eo prælio cæsi sunt. Cæsar inde citato agmine, per Epirum in Thessaliam perrexit. Põpeius cum maximis copiis secutus, bellumq; commissum est. Itaque instruitur vtrinque acies. Pompeius B lxxx. & viii. cohortes triplici ordine locauit, fuerunt autem peditum xl. M. equites in sinistro cornu DC. in dextro D. Præterea reges multi, senatores, equitesque plurimi Romani, absq; leuium armaturarũ magna copia. Cæsar similiter lxxx. cohortes triplici ordine disposuit. Cui fuerunt non minus quam xxx. M peditum, equites mille. Videre ibi & gemere erat, cõtractas Romanorum vires in campis Pharsalicis ad decisionem mutuam constitisse, quas si concordia texisset, nulli populi, nulli reges ferre potuissent. Prima congressione equitatus Pompei pulsus, sinistra latera nudauit. Deinde cum diu vtrinque dubia sorte cæderentur, atque ex alia parte Pompeius inter hortandum diceret: Parce ciuibus, nec tamen faceret: ex alia vero Cæsar hoc faceret, quod vrgeret dicens, ô miles faciem feri intuere: tandem vniuersus Pompei fugit exercitus, castraque direpta sunt. Cæsa sunt in eo prælio Pompeianorum XV. millia centuriones XXX. C & III. Hic exitus pugnæ ad Paleopharsalum fuit. Pompeius fugiens, in ostio Penei amnis onerariam nauem nactus, in Asiam transiit. Inde per Cyprum in Ægyptum venit, ibique mox vt littus attigit, iussu Ptholomæi adolescentis in gratiam Cæsaris victoris occisus est. Pompei vxor filiique fugerunt: cætera Pompeianæ classis direpta sunt, omnibus qui in ea erant crudelissime trucidatis: ibique & Pompeius Bythinicus occisus est. Lentulus vero vir consularis apud Pelusium interfectus est. Cæsar compositis apud Thessaliam rebus Alexandriam venit, perlatoque ad se ac viso Pompei capite anuloque fleuit. Cumque se in regiam recepisset, eludebatur à tutoribus, quo minus pecuniam acciperet: templa sua astu spoliantibus vt & regios thesauros vacuos esse ostenderent, & in inuidiam Cæsaris populum concitarent. Prætor Achillas dux regius, imbutus semel Pompei sanguine, Cæsaris quoque necem meditabatur. Nam iussus exercitum dimittere cui præerat XX. millibus armatorum: non modo spreuit imperium, verum & aciem D direxit. In ipso prælio regia classis forte subducta, iubetur incendi. Ea flamma cum partem quoque vrbis inuasisset CCCC. millia librorum proximis forte ædibus condita exussit: singulare profecto monumentum studii curæque maiorum, quia tot tantaque illustrium ingeniorum opera congesserant. Cæsar postea insulam, vbi Pharus erat, cepit: eo Achillas cum Gabinianis militibus venit: Ingens pugna commissa est: magna ibi Cęsarianorum militum multitudo cecidit, omnes etiam interfectores Pompei interfecti sunt. Cæsar vi insistentium hostium pressus scapham ascendit: quæ mox pondere grauata, ac mersa subsequentium per ec passus ad nauem vna manu eleuata qua chartas tenebat, nando peruenit. Mox nauali certamine pulsatus, magna felicitate classem regiam, aut depressit aut accepit. Alexandrinis regem petentibus reddidit monitum magis amicitiam quam arma

experiri studere. Qui tamen ilico vt liber fuit bellum mouit, sed continuo cum toto exercitu suo & ipse deletus est. Nam XX. millia hominum in eo bello cæsa referuntur. Duodecim millia cum LXX. longis nauibus dedita. Quinquaginta ex victoribus cecidisse dicuntur. Rex ipse adolescens, scapha exceptus vt fugeret, multis in eam insilientibus mersus necatusque est, & corpus eius ad littus deuolutum indicio loricæ aureæ cognitum fuit. Qua Cæsar Alexandriam præmissa, Alexandrinos omnes ad deditionem desperatione compulit, regnũq; Ægypti Cleopatræ dedit. Inde Syriam peruagatus Pharnacem in põte vicit. Postea vero quam Romam venit, dictator & consul creatus in Aphricam transiit, & apud Thapsum cum Iuba & Scipione pugnauit; maximamque ibi hominum multitudinem interficit, & castra vtriusque direpta sunt. LX. elephanti capti Cato sese apud Vticam occidit, Iuba percussori iugulum precio dato præbuit. Petrei⁹ eodem se gladio perfodit. Scipio in naui qua ad Hispaniam fugere contendens vento coactus in Aphricã redierat, semetipsum iugulauit. In eadem naui etiam Titus Torquatus occisus est. Cæsar Pompei Magni nepotes, filiam Pompeiam simulque cum his Faustum & Syllam, & Aphranium & Petreium, iussit occidi. Inde quatuor triumphis vrbem ingressus, disposito recuperatoque Reipublicæ statu, continuo in Hispaniã contra Pompeios Pompei filios profectus: septima decima qua egressus fuerat ab vrbe die, Sagũtum peruenit. Statimque aduersus Pompeios, duos & Labienum, atque Attium Varum multa bella & varia sorte gessit. Vltimum bellum apud Mundam flumen gestũ est. Vbi tantis viribus dimicatum, tantaque cędes est acta, vt Cæsar quoque veteranis etiam suis cedere non erubescentibus, cum cædi cogique aciem suam cerneret, præuenire morte futurũ victi dedecus cogitaret, cum subito versus in fugam Pompeiorum cessit exercitus. Et quidem eo die hoc bellum actum est, quo Põpeius pater ab vrbe bellum gesturus aufugerat, quatuorq; annis hoc bellum ciuile indesinenter toto orbe tonuit. Titus Labienus, & Attius Varus in acie cæsi sunt. G. Pompeius cum centesimo equite aufugit: frater eius Sextus Pompeius contracta celeriter non parua Lusitanorum manu, cum Cesonio congressus & victus fugiensque interfectus est. Munda ciuitas cum immensa hominum cæde, Cæsare oppugnante vix capta est. Cæsar Romam rediit. Vbi dum Reipublicæ statum contra maiorum exempla clementer instaurat, authoribus Bruto & Cassio, conscio etiam plurimo senatu, in curia XX. & III. vulneribus confossus interiit. In qua coniuratione fuisse amplius LX. conscios ferunt. Duo Bruti, & G. Cassius, aliique socii strictis pugionibus in Capitolium secesserunt. Diu deliberatum est, vtrum Capitoliũ cum authoribus cædis oporteret incendi. Corpus eius raptum populus dolore stimulatus, in foro fragmentis tribunalium ac subselliorum cremauit. Sed quæ pręmisimus dum apud Romanos gererentur, hæc interim in Iudæa acta sunt quæ sequuntur.

Qualiter Antipater gratiam Cæsaris sit adeptus: cui etiam nudato corpore vulnera quæ pro eo acceperat ostendit, dum ab Antigono accusaretur: & acceptam potestatem Iudææ inter filios suos Herodem & Faselum diuisit.

CAP. X.

IVlius ergo Cæsar (vt paulisper repetamus quæ gesta sunt prius) Aristobolum Romæ vinctum reperit, eũmq; mox absoluit. Leuatũ autem à custodia, tributis militarib. etiam munerans, in Syriam direxit, vt Iudæam sibi adiungeret, Pompeiumq; à tergo vrgeret. Sed in exordio tentamentorum vbi ad locum peruenit, veneno interemptus infectum reliquit negotiũ.

A Quo comperto Pompeius, quod Aristobolus in Iudæa rediuiua sibi bella præparare tentauerat, etiam filium eius Alexandrũ iugulari iussit. Postea vero ex Pompei plerisq, familiarib. amicitiam Cæsaris expetentib. præcipueq; incredibilem in modum Antipatro amicitiam suam affectando tribuit: & hoc ita contigit. Etenim Ptholomæus Ægypti rex fidem læserat promissam: & ab ipso Cæsare bellis grauissimis premebatur. Vt præmisimus Pergamenus Mitridates cũ omni manu quam secum duxerat vt auxilia Cęsari præberet, à Pelusiasis repulsus obstaculis, in vrbe Ascale resederat, desperato transitu & conatu irrito. Nec iam se committere bello audebat, locis iniquiorib. & impar viribus. Cui Antipater Arabas primo in auxilium asciuit: deinde tria millia Iudæorũ cum valida manu & munita armis secum perduxit. Commouit etiam Syriæ potentes in adiumentũ ipsius, quorũ freti societate etiam alij populi ad bellum accensi sunt. Quibus adiunctis viribus fretus Mitridates, Pelusium accessit. Et cum transitu B prohiberetur, obsidionem adorsus est. Quo loco Antipater præclarũ militiæ documentum dedit. Siquidẽ resistentibus oppidanis cum summa vi vtrimque decertaretur, primus cum suis dirupta mox murorũ parte, in qua ipse præliabatur, vrbem irrupit, eamque cepit. Nec tamen hic finis laborum adiumentiq; fuit: sed etiam cum introrsum exercitus pergeret, & circa eam quæ appellatur Oniæ regio Ægyptij vellent resistere quo intercluderent iter: rursus Antipater non solũ remouit prælium, sed etiam ad exercitum iuuandũ, quæ necessaria forent vsui, ab ipsis qui arma contra parauerant, ministrari fecit. Vnde Memphitæ quoque à prælio reuocati sunt, & se Mitridatis societati volentes dedere. Qui prætergressus suspectiora, cũ reliquis Ægyptiis conserendum prælium ratus, liberiorib. quidem locis, sed validiorib. viris regionis ipsius, cuius incolatus Iudæorum exercitus appellabatur, strenue decertauit: adeo vt prærupto sese periculo daret, ac pene C extinctus foret, nisi Antipater videns totum, in quo Mitridates erat, dextrum cornu à cohorte vrgeri, ex alia quoque parte includi flumine, nec vllum effugium fore, viriliter irruens à cornu sinistro, super eos qui Mitridatem cedentem persequebantur, quos eousq; insectatus est, donec omnis hostiũ populus extinguerêtur. Eo prælio LXXX. Antipater viros de suis amisit, supra DCCC. Mitridates: ita vt ipse pręter spem euaserit. Atque hæc vno momento clades secuta est. Antipater multis vulnerib. corporis exceptis, egregiũ virtutis suæ testimonium apud Cæsarem inuenit, Mitridate, vt præsertim non solum suæ absolutionis interprete, sed etiam fortitudinis prædicatore. Quib. egregie Cæsar delectatus, in honorẽ Antipatrũ, vt oportebat, inter amicos recepit, Romanæ eũ Reipublicę honorib. affecit, cæteraq; vt probato sibi viro, gratiæ suæ pignora impertiuit. Hircano etiam summũ sacerdotiũ per sententiã Antipatri volens firmauit. Qui etiam ab Antigono Aristoboli filio apud Cæsarẽ cũ accusaretur, D quod plus partib. Põpei faueret, non verborũ Antipater referẽs vicem, sed verborũ assertionem scidit vestẽ, & nud⁹ indumentorũ, plenus vulnerũ, diloricato amictu, oculis circũstantiũ inditia virtutis: En inquit, maliuolẽtiæ meæ in Cæsarẽ testimonia defendãt reũ, quæ tãquam lumina animi micant. Has ergo cicatrices tibi Cæsar volũtatis internæ obsides tribuo. Hæc ego fidei meæ depono pignora, & inscriptos apices gero. Si ciuib. non creditur: hostes interrogẽtur pro quo vulnera illa susceperim. Quid in me aliud nisi fidem quam tibi deferebam persequebantur. At obiectat mihi Pompei gratiam. Et fateor Cæsar me non homini, sed nomini Romano amicum fuisse, idque studuisse egregie, vt vestræ reipublicæ mea officia impenderentur. Militaui itaq; non vni, sed omnibus. Fuerit mihi charus Põpeius, sed ante mihi cœpit ille esse amicus, quã Cæsari esset inimicus. Tuus ille gener erat, & tu socer illius.

Cum esset in partibus Iudææ iuui, vt Romanum imperatorem, non tamen ea pro illo, quæ pro te excepi vulnera. Tibi impendi vades mortis, & ictus telorum excepi hostilium. Vbi Antipater finem dicendi fecit, Cæsar pronuntiat dignum magis sacerdotio Hircanum videri: Antipatro autem detulit potestatis electionem. Tum ille eundem arbitrum honoris & moderatorem expetens atque in eum, qui honorem daret, ponens mensuram honoris, astute satis & verecunde decens retulit, & incrementum potentiæ. Totius etiam Iudææ procurator factus est. Sane poposcit, vt muros Iudææ, qui bello diruti erant, reædificaret, tantumq; negotium datæ fidei, securus & postulauit, & impetrauit, eaque vt moris erat, Romanis imperatoribus arbitrio Cæsaris in Capitolio scripta sunt: quæ insignia honoris Antipatro conferendi cæsar æstimauisset, vt suæ iustitiæ & meritorum viri, posteritatis quoq; cognitioni indicia extarent. Antipater vero in Iudæam reuersus, primo murum, quem Pompeius destruxerat, in veterem statũ reformauit. Deinde Iudæorum tumultus repressit: filiis vero suis negotia prouinciæ commisit. Itaq; Faselum seniorem ex liberis præsulem Hierosolymis & ducem militiæ constituit. Herodem quoque minorem natu, atque admodum adolescentem pari honore Galilææ præfecit. Qui vbi potestatem adeptus est natura acrior, ad obeunda negotia, statim ingenio suo materiam inuenit. Laborabat enim Syria à Zechiæ latronis incursionibus, quibus illæ prædatorie manus princeps totam infestabat prouinciam, atq; omnibus locis infensus aderat. Quem correptum iugulari iussit, multosq; prædonum interemit, quod ei maximam virtutis gloriam peperit, & vberem apud Syros gratiam.

De nece Antipatri genitoris Herodis. Et qualiter gratiam Antonii sint adepti Herodes & Faselus frater eius.

CAP. XI.

EOdem tempore bellum inter Romanos conflatur, dolo Cassij & Bruti, cæsare interfecto qui priuatum habitum supergressus fuerat, in senatu graues pœnas dedit. Itaque Cassius Syriam petit occupaturus, cæsare vero adolescente & Antonio cum Bruto & cassio bellum gerentibus, Marcus & cassius exercitu de Syria conflato, cuius magna pars vbi vsus poposcit, Herodes fuit, ipsum quidem totius Syriæ procuratorem præficiunt. Si autem bellum desisset, regnũ quoque Iudææ cassius eidem se delaturum pollicitus est. Euenit autem vt Antipatro spes & fortitudo filij causa interitus fieret, Malichus namque qui regnandi cupiditate aspirauerat, timens Antipatri potentiam, quę virtute Herodis cumulabatur ne impedimento eius fieret conatui quodam regio iuuene pecunia corrupto, mixtum ei veneno poculum dari persuadet. Atq; ille quidem post conuiuium mortuus est, vir ad alia strenuus, rebusq; administrandis idoneus, & qui regnum recuperatum conseruauit Hircano. Herodes autem postquam clarissimas paterno funeri celebrauit exequias, Malichum, quem authorem paternæ mortis fore ratus est, & Iudæorum gentem contra Romanos excitaturum, deiectoque Hircano facillime regnaturum, timebat: vsus consilio cassij, eiusque auxilio fretus, Malichum dolo circumuentum multis vulneribus perfossum, interemit. Hircanus vero dum assisteret, eo terrore consternatus sensum amisit, atque omni solutus vigore mentis & corporis torpuit. Paulisper tamen vbi sese recepit interrogauit Herodem, quis præcepisset Malichũ occidi. Vbi cognouit expposito cassij Romani imperatoris iussu necatũ, ilico respondit: Cassius ergo & mihi & patriæ meę saluti fuit: qui vtriusq; insidiatorem peremit. Sed hoc siue metu

A tu dixerit, siue ita senserit, haud liquido patet. Igitur Antigonus, cuius supra mentionem fecimus, Aristoboli filius, qui è custodia Romæ aufugerat, ac sæpius in Iudæa nouas res excitare molitus est, quia Ptolomæi viribus suffragabatur: socer namque eius Ptolomæus Manci filius, qui apud Calcidam sub Libano habitabat, cuncta ei subministrat, dumq; aliquas idem Antigonus occupasset Iudæorum munitiones, Herodes illi occurrit, instructus in aditu Iudææ: postquam Malichũ interfecerat, eiusq; fratrem Felicem ex finib. Iudææ pepulerat, commisso prælio superauit Antigonũ. Hinc Herodes fugato Antigono, redit in Hierusalem. Pro merito itaq; gestæ rei omnibus charus erat, ita vt etiam, quib. antea despectus fuerat, tunc in eius familiaritatem sese dederint, & propter Hircani affinitatẽ. Namq; is Herodes iam pridem ex indigenis habebat vxorem non ignobilem, quæ Dosis vocabatur, & Antipatrum ex ea susceperat filium. Tum autem duxerat Alexandri, cui⁹ pater fuit Aristobolus, filiam Mariam-

B nem, Hircani neptem ex filia, atq; inde regi Hircano familiaris erat. Nec tamen sic Herodes inuidiam declinauit. Nam vbi cæsar & Antonius cassium Brutosque bello Macedonico oppressere victores, Cæsar in Italiam regredi maturauit, Antonius in Syriam properauit. Cuius conspectui confestim Herodes affuit, multisq; munerib. oblatis eius gratiam promeruit, intantum vt Herodem & Faselum, Tetrarchas ordinaret, totiusque Iudææ procurationem eis contraderet, quamuis frustra plures Iudæorum legati apud Antonium eos accusarent.

Antigonus paruum Hircanum patri tradidit, & sacerdotium dolo suscepit, & qualiter à Romanis & Herode capta Hierosolyma comprehenditur atque securi occiditur, Herodesque rex compeditur.

CAP. XII.

C IGitur Brazafanes Parthorum satrapa, cũm regis filio Pacoro, Syriam post biennium occupauit. Ad quem Antigonus accedens M. talenta est pollicitus, & mulieres D. vt Hircanum deponeret, & ei regnum traderet. Quibus munerib. Parthi allecti, dolo Hircanum circumueniunt, Herodisq; fratrem Faselum. Qui dum Hierosolyma profecti regis colloquia petentes, mox Parthi iusiurandũ violant: Hircanum vinciunt, atque Faselum. Vastata Hierosolyma atque proximis ciuitatibus Antigonum regem constituunt. Nec solum hoc, verumetiam Faselum & Hircanum vinctos ei tradiderunt verberandos. Antigonus autem Hircani quidem auriculas dentib. truncat, ne solutus rebus mutatis vnquam pontificatum recipiat. Ab integris etiam celebrari sacra oportet. Faseli vero virtute præuentus est Antigonus. Qui cum nec ferri copiam, nec manus liberas haberet, ad saxũ fracto capite interiit, atque ita

D probauit, quod verus Herodis frater esset. Parthi autem quanquam mulierib. caruerint, quas cupiebant: reb. tamen Antigono, apud Hierosolymam cõpositis, vinctũ in Parthiam Hircanũ ducũt. Herodes namque Barbarorũ insidias præcauens & in nullo eis credens, matrem fratresq; suos desponsamq; puellam, cũ matre arripiens, noctu fuga elapsus, Masadam castellũ citato itinere petiit. Et tũc quidem cũ fugeret, multi ad se applicabant. Postea vero quam Didimeam regionem venit, occurrit ei frater Iosephus, turbamq; sequentiũ diminui persuadet: nec etiam capacem esse tantæ multitudinis Masadam, erat autem supra quam IX. milliũ multitudo. Itaq; paruit Herodes eius consilio, & impares quidem necessitati per Didimeam dimisit cum viatico. Valentissimos autem, maximeq; necessarios tenuit, atq; ita in castellum receptus est. Deinde decc. ibi relictis, qui mulieres defenderent, itemq; comitatu, qui satis esset obsessis disposito, ipse in Petram ciui-

tatem Arabiæ perrexit, nec tamen apud Arabas saluam esse amicitiam reperit. Deniq; Malichus rex eorũ rei ssis qui hoc ammonerent, quam primũ eum reuerti ex finib. suis iubet. Deinde Herodes vbi Arabas sibi hostes esse deprehendit, quos amicissimos existimabat, Ægyptum petiit. Ergo vt peruenit ad Alexandriam ciuitatem honorifice à Cleoparra susceptus est, ducem sibi militum eum fore, ad ea quæ parabat, existimante. Instigatus autem reginæ precibus, neq; hyemis asperitatem, neq; marina discrimina, quo minus Romam nauigaret, extimuit. Itaque inde continuo Romam profectus, familiaritatis paternæ gratia primum conuenit Antonium, eiq; tam suas, quam totius generis clades, exponit: atque suis in castello relictis & obsidione cinctis, supplex ad eũ nauigasse hyeme. Itaque tantæ miserationis casum miseratus Antonius: & memoria quidem iunctæ cũ Antipatro dextræ. Ergo ipsius qui aderat contemplatione virtutis etiam tunc eum regem cõstituere proposuit Iudæorum, quem ipse Tetrarcham antea fecerat. Non minus autem quam Herodis fauore odio ducebatur Antigoni. Hunc enim & seditiosum, & Romanis inimicum esse arbitrabatur. Cæsari quidem Herodem commendabat, multo quam ipse paratius renouans Antipatris expeditiones, quas in Ægypto cum eius patre pertulerat, & hospitia & in rebus cũctis beneuolentiam. Cum præter hæc ipsius quoque Herodis efficaciã cerneret, verũtamen & senatum conuocabat: vbi Messala, & posteũ Atratinus astante Herode, patris eius merita, & ipsius circa populũ Romanũ fidem prosequebantur: quo simul hostem Antigonũ demonstrarent, non solum quod intra breue temp⁹ is diffidere cœpisset, verumetiam quod antea quoque P. R. despecto Parthorum suffragio regnũ curauisset accipere. His autem commoto senatu, cũ Antoni⁹ bellũ contra Parthos vtile esse diceret, Herodem regem creari omnes assentiunt. Dimissoque concilio Antoni⁹ quidem & Cæsar egrediebantur, medium stipantes Herodem, consules autem cũ aliis magistratib. antecedebant, Cæsari hostias, decretumque senatus in Capitolio reposituri. Primo autem die regni Herodis apud Antoniũ cœnatũ est. Inde vero naui ex Italia in Ptolomaidem deuectus Herodes, haud parua manu coacta extremorũ atq; gentilium, per Galilæam aduersus Antigonũ properabat, Ventidij & Cylonis fultus auxilio. Quibus ab Antonio missus Dellius, vt Herodem deducerent, persuasit: inde ad Masidam festinabat Herodes cum valida manu, tam indigenarũ quam Romanorũ militum, & ex Masida facile suis pignorib. & rebus à castello receptis, Hierosolymam perrexit, cui se tam Solonis milites, quam cæteri ex ciuitate junxerũt, virium eius timore perculsi. Castris autem compositis circa ciuitatem, eũ sagittis & iaculis impetebant. Sed dũ minime eam infringere valerent, Iudæis ex ciuitate resistentibus, qui partib. Antigoni fauebant: quamuis adeo pugnatum sit, vt sagittis & jaculis cũctos ex turribus in fugam verterent: attamen murorũ defensores fortiter restiterũt. Hinc superueniente hyeme, obsidio soluta est: ad loca milites opportuna hybernandi gratia discedũt. Eodem tempore Antonius Samosatam juxta Eufratem validissimam ciuitatem acrius oppugnabat, quo Herodes profectus est, vt suam demonstraret virtutem, & vt magis, magisq; placeret Antonio. Deniq; mox vt ad eum venit, finem attulit obsidioni, multis Barbaris interfectis. Ergo dum hæc agũtur apud Antonium, Herodis in Iudæa res fractæ sũt. Reliquerat enim Iosephum fratrem, qui omnia procuraret, cum mandatis huiusmodi, vt nequaquam ante reuersionem suam aduersus Antigonum bellum moueret. Verum Iosephus vbi fratrem procul abesse cognouit, immemor præceptorum, Hierieunta cum quinque cohortibus, à duce Romano Machera secum missis petit, vt matura messiũ tempore frumenta diripiat. Incursu autem hostiũ per montana atque aspera loca oppressus, ipse cadit: & magnam viri fortis in ea pugna gloriam consecutus est, cum quo omnes Romani milites pereunt, quoniam recentes de Syria cohortes lectæ erant, nec veterum militum quenquam permixtum habebant, qui posset rudibus opitulari. Antigonus autem minime hac victoria content⁹ fuit, sed adeo iracundia permotus est, vt mortuum quoque Iosephũ verberaret, & eis caput abscinderet. Igitur Herodi quippe degenti apud Daphnem Antiochiæ mortem fratris somnia manifesta significabant. Cum turbatus prosiluisset stratis, ecce nũtij cladis intrabant. Quare præ dolore paululum questus maxima luctus parte dilata: in hostes properabat, vltra vires iter accelerans. In dies autem singulos magna ei multitudo Iudæorum accedebat, cum hos odium moueret Antigoni, alios mutationis cupiditas impellebat. Sed antequam Hierosolymam perueniret, sæpius cum Antigonianis militibus fortiter dimicauit & vicit. Ac postremo bello Pappum, quidem Antigoni militum ducem absciso capite obtruncat, idque Ferori magistro exercitus fratri suo mittit, in peremptí fratris vltionem. Namque Pappus erat, qui Iosephum interfecerat. Vbi autem rigor hyemis cessit, in Hierosolymam profectus est, murisque admoto milite, annus namque agebatur tertius, ex quo rex Romæ fuerat declaratus: exercitu quippe in opere distributo, suburbanisque clausis, vniuerso autem exercitu congregato ad peditum legiones XI. equitum VI. M. præter auxilia Syrorum, prope septentrionali muro castra collocauerunt. Tres quidem leuare aggeres & super eos turres ædificare iubet. Ipse quidem Herodes senatusconsulto fretus, quibus rex fuerat declaratus, hilariter cuncta disponebat. Antonius vero Sossium ducem militum, cum valida manu in Herodis auxilium miserat. Bellatores autem qui infra murum erant constantiores facti, oppositos è muris aggeres prohibebant, & contra instrumenta oppugnantium semper nonum aliquod obstaculum moliebantur, in nulla re quidem sicut in cuniculis superabant. Prorsus neque manibus neque machinis deficiebant: quoniam vsque ad vltimum repugnare decreuerant. Denique tanto exercitu circumsedente, per quinque menses obsidiũ tolerauerunt: donec quidam ex his quos lectos habebat Herodes, ausi murum transgredi ciuitatem irruperunt & post eos socij centuriones. Igitur ante omnia phano proxima capiebantur, & in fuso exercitu plurima vbique mors erat, Romanis quidem propter obsidionis moras iratis, Herodis vero manu summo intenta studio, ne quis penitus ex aduersariis resideret. Mactabantur autem quam plurimi, & per angustiores vicos ac oppida & in domos compulsi, vel si ad templum etiam confugissent, nec vlla erat, aut senectutis, aut muliebris infirmitatis miseratio. Denique licet rex vbique dimittens rogaret vt parcerent, nemo tamen dexteram continuit, sed veluti furentes omnem persequebantur ætatem. Ibi tum etiam Antigonus, neque priorem neque præsentem fortunam cogitans, domo descendit, & ad pedes Sossij prosternitur. Ille autem nihil eum tantæ mutationis causa miseratus, & intemperanter derisit, & Antigonam appellauit: neque tamen etiam custodiæ liberum dimisit, vt fœminam. Itaque ille quidem vinctus adseruabatur. Herodes autem quoniam hostes vicit, vt externa quoque auxilia sub jugum mitteret prouidebat, de suis facultatibus mercedem singulis distributurum se esse firmauit. Nam & militum quenque liberaliter, & pro merito ducem ipsum quoque Sossium regia largitate donauit, vt nemo egens pecuniis abiret. Post hæc Sossius aurea corona Deo dicata ex Hierosolymis remeauit, Antonio vinctum Antigonum ducens: & illum quidem vna spe vitæ cupidum, vsque ad vltimum diem ignauia digna securis excepit. Rex autem Herodes discreta

multitudine ciuitatis, suarum quidem partium studiosos, quo magis beneuolos sibi faceret, honorifice tractabat. Antigonianos autem nece tradebat. Iam enim Antonius Cleopatræ amore corruptus, omni se cupidini concesserat. Si quis plenius scire voluerit, in Iosephi XIII. libro requirat.

Herode alienigena rege facto, prophetiæ completa sunt, quæ Christum tunc venturum prædixerant, & Iudæorum regnum destruendum.

CAP. XIII.

HIrcanus vero, vt supra diximus, à Parthis captus, ac deinde Antigono eius successore, quem Parthi sacerdotem fecerant, à Romanis comprehenso atque interempto, Iudæorum defecit regnum & sacerdotium. Siquidem Herodes alienigena, & nihil omnino pertinens ad Iudæam, Antipatri videlicet Ascalonitis Idumææ regionis, & matris Cypridis Arabicæ B
filius, contradentibus Romanis, Iudæorum suscepit principatum, regnum & sacerdotium Iudæ: quod prius per successiones tenebatur, id est, iudicum, regum, sacerdotum: iterumque regum & sacerdotum, quod eo tempore destructum est. Completa namque est prophetia, quæ ita per Moysen loquitur: Non deficiet ex Iuda princeps, neque dux de fœmoribus eius, donec veniet, cui repromissum est, & ipse est expectatio gentium. Nam vsque ad Herodem, iudices, sacerdotes, reges, per successiones populo præfuerunt Iudæorum: inde vero nequaquam ex successione generis sacerdotalis, pontifices constituti sunt: neque perpetuitate vitæ secundum legem Mosi seruientes Deo electi sunt, sed ignobiles quidem, & alio tempore alij, & nonnulli per vnius anni spatium siue modico amplius, à Romanis imperatoribus sacerdotium emebant. Itaque Herodes Analium quemdam de Ba- C
bylonia accitum pontificem Iudæorum constituit. Post exiguum vero temporis, Aristobolum fratrem vxoris suæ Mariamnem, nepotem Hircani successorem dedit. Quo post annum interfecto, rursum Analio reddidit sacerdotium. Quæ omnia ita se habentia, lõge prius prophetando designauit Daniel propheta dicens: Et post hebdomadas VII. & LXII. interibit Chrisma, & non erit iudicium, & templum & sanctũ corrumpet populus, duce veniente. Et in consequentibus: templum, inquit, erit abominatio desolationum, & vsque ad consummationem temporis, consummatio dabitur super desolationem. Igitur VII. & LXII. hebdomadæ, quæ fiunt simul LXIX. & faciunt annos CCCCLXXXIV. in quibus Christi, id est, sacerdotes per vnctionem consecrati regnauerunt, ab instauratione templi sub Dario vsque ad Hircanum, in quo nouissimum Chrisma & sacerdotium defecit Iudæorum. Ergo regnante Herode apud Iudæam, & Augusto apud Romanos, Christus filius Dei natus est, qui confirmauit veri Dei cultum, in multis apo- D
stolis & credentibus. Quicquid etiam post Domini passionem in templo factum est, non fuit sacrificium Dei: sed cultus diaboli, cunctis in commune clamantibus: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Et, Non habemus regem nisi Cæsarem. Quod autem à perfectione templi, vsque ad X. Augusti imperatoris annum, quando interfecto Hircano Herodes Iudæam obtinuit VII. & LXII. hebdomades, id est, CCCCLXIV. supputantur anni: sic possumus approbare. LXVI. Olympiadis anno III. id est, Augusti X. Herodes in Iudæis suscepit imperium, qui faciunt annos CCCCLXXXIV. per singulas Olympiades, quadriennio supputato. Quo in tempore Vergilius sumpta toga Mediolanum transgreditur: & post breue tempus Romam pergit. Cicero in Forminione suo ab Herennio & Publio occiditur, LXIV. ætatis suæ

A anno. Caput eius cum manu dextera pro rostris positum est, iuxta coronatam Publij militis imaginem, qui eum occiderat. Quibus diebus III. Romæ simul soles exorti sunt, sed paulatim in eundem orbem coïerunt (vt supra diximus) ex taberna meritoria trans Tyberim oleum erupit, fluxitque tota die sine intermissione. Inter cætera vero portenta, quæ tunc facta sunt toto orbe, bos loquutus est, in suburbano Romæ dicens ad arantem: Frustra se vrgeri, non frumenta, sed homines in breui defuturos. Ouidius Naso in Pelignis nascitur, Cornificius vero poeta à militibus desertus interiit, quos sæpe fugientes galeatos lepores esse dicebat. Huius enim soror fuit Cornificia, cuius insignia extant epigrammata. Cornelius Nepos scriptor historicus, clarus habetur. Salustius diem obiit, quadriennio ante Acciacum bellum. M. Vanius poeta, quem Vergilius in Bucolicis notat, in Cappadocia moritur.

De Octauiano, qui nomen auunculi & regnum suscipiens, qualiter ciuilia bella & externa gerendo ad hoc peruenerit, vt à senatu decretum sit, quod in perpetuum tribunitiæ potestatis esset.

CAP. XIV.

IGitur dum in Iudæa res ita gererentur, vt partim retulimus, ordo deposcit vt ad seriem rei gestæ Romanorum reuertamur. Ergo Iulio Cæsare in curia Romæ interfecto, magna continuo malorum incrementa subsequuntur. In eius vero cædem trahuntur agmina consciorum. Certum enim erat, quia Cæsar indigne peremptus, plures habere posset vltores. Ergo Octauianus, qui testamento Iulij Cæsaris auunculi hæreditatem & nomen assumpserat, idemque qui postea Augustinus est dictus, simul vt Romam adolescens ex Apollonia rediens, indolem suam bellis ciuilibus vouit. Nam vt breuiter coarceruationem malorum explicem, bella ciuilia quinque gessit, Mutinense, Philippense, Perusinum, Siculum, Acciacum. E quibus duo, hoc est, primum ac nouissimum, aduersus Marcum Antonium, secundum aduersus Brutum & Cassium, tertium aduersus Lucium Antonium, quartum aduersus Sextum Pompeium Gn. Pompei filium confecit. Antonius à senatu hostis pronuntiatur, Decium Brutum apud Mutinam obsidione concluserat. Consules Hircius & Pansa, & cum his Cæsar ad liberandum Brutum expugnandumque Antonium missi, Pansa primo veniens exceptus insidiis, inter suorum clades ipse quoque pilo grauiter vulneratus, ab eodem vulnere interpositis diebus est mortuus. Hircius auxiliũ collegæ ferens, magnas Antonij copias vasta strage deleuit, Cæsar eatenus castra custodiuit. Secunda aduersus Antonium pugna, magnæ vtrinque strages actæ sunt. Namque tunc ibi Hircius consul occisus est: victus fugit Antonius, cæsar victoria potitus est: cui Decius Brutus de coniuratione occisi Iulij Cæsaris confessus, preces pœnitentiæ fudit. Dolabella Trebonium vnũ ex interfectoribus Cæsaris Symrnę interfecit. Dolabellam senatus hostem pronuntiauit. Consulum occisorum vterque exercitus Cæsari paruit. Postea Decius Brutus in Gallia à Sequanis captus & occisus est. Vasillus eques vnus de percussorib. manu suorũ seruorum necatus est. Lepido satis agente, Cæsar Antoniũ recepit in gratiam, atq; ob fidem reconciliatæ gratiæ filiam eius matrimonio sortitus est. Inde cũ ad vrbem accessissent, ac rumor de futura proscriptione ortus esset, G. Thoranius vir prætorius, nihil tale metuens, incursu militũ domi suæ interfectus est. Alij quoq; complures trucidati sunt. Itaq; ne latius atq; effrenatius incircumscripta cædes ageretur cxxx. & duorũ senatorum nomina in tabula

proposita sunt. Primum Lepidi præcepto ex nomine, **A** deinde Antonij, tertio Cæsaris. Ibi Antonius T. Ciceronem inimicum suum, ibi L. Cæsarem auunculum suum, & quod exaggerando sceleri accessit, viua matre proscripserat: ibi Lepidus L. Paulum fratrem suũ in eundem proscriptorum gregem coniecerat. Adiecti sunt postea ad numerũ proscriptorum XXX. equites Romani, & multæ diu & variæ cædes actæ sunt: domus proscriptorum direptis omnibus dirutæ sunt. At Dolabella in Syria multa cum Cassio bella gessit: à quo victus ipse se interfecit. Brutus & Cassius, magnis exercitibus comparatis, apud Athenas conuenerunt, totamque Græciam depopulati sunt. Rhodios Cassius terra marique oppugnatos, ad deditionem coegit: quibus præter vitam nihil reliquit. Igitur Cæsar & Antonius, eosdem in Macedoniam magnis bellorum apparatibus persequuti ad mortem compulerunt: quamuis manifestissime illa tunc pugna, non virtute patris Antonij, sed felicitate Cæsaris confecta sit. **B** Cæsar enim tunc æger, cum se in castris capiendæ quietis causa tenere statuisset, hortatu & precibus medici, qui per somnum ammonitum sese fatebatur, vt ea die castris Cæsarem salutis ipsius causa educeret, in campum æger inter copias egressus est: ac mox castra eius ab hostibus capta sunt. Sed rursus Cæsariani milites Cassij castra ceperunt. Quare ad desperationem adacti Brutus & Cassius: immaturam sibi mortem ante belli terminum coegerunt: Nam inuitatis percussoribus, Cassius caput, Brutus latus præbuit. At Romæ Fulina vxor Antonij: socrus Cæsaris, dominatum vt mulier agitabat. Nam & Cæsarem reuersum apud Brundusium contumeliis, factionibus, insidiisque petiit. A quo propulsata, ad Antonium concessit in Græciam. Sextus Pompeius, postquam se in in proscriptorum numero relatum comperit, conuersus in latrocinia, omnem oram Italiæ cædibus rapinisque vastauit, Sicilia intercepta commeatibusque impeditis, Romam fame affecit. Mox cum eo pacem **C** triumviri, ne dicam tyranni, id est Lepidus, Cæsar Antoniusque fecerunt, Sed continuo eum contra pactum Pompeius fugitiuos allegeret, vt hostis habitus est: Mena libertus Pompei cum LX. nauium classe ad Cæsarem defecit, eidemque classi ipsi iussu Cæsaris præfuit. Idemque continuo cum Statilio Tauro aduersus Menecratum Pompeianum ducem, nauale bellum gessit. Deinde ipse Cæsar aduersus eosdem Pompeianos, cruentissimum nauale bellum confecit. Sed continuo victricem classem pene vniuersam apud Sycillaceum naufragio amisit. Ventidius Persas & Parthos in Syriam irrumpentes, tribus bellis maximis fudit, regemque eorum Pacorum in acie interfecit, ea scilicet die, qua Crassus à Parthis fuerat occisus. Antonius vix in castello expugnato pacem cum Antiocho fecit: vt ipse tantam rem consummasse videretur. Ventidium Syriæ præfecit, iussitque vt Antigono bellum inferret, qui Iudæos tunc forte debellauerat, ca**D**prisque Hierosolymis, templum expoliauerat, regnũque Herodi dederat: quem continuo victum in deditionem recepit. Mena libertus cum VI. nauibus ad Pompeium rediit, à quo clementer receptus, Cæsaris classem incendit, quamuis nuper Cæsar alteram secundo naufragio perdidisset. Idemque Mena postea ab Agrippa nauali prælio circumuentus, cum sex triremibus ad Cæsarem transiit. Sed hunc Cæsar tertio transfugam, indulta tantũ vita segnem reliquit. Deinde Agrippa inter Milas & Liparas, aduersus Democham & Pompeium nauale prælium gessit, ac vicit. Ibiq; tunc naues 30. aut demersit, aut cepit, reliquis laceratis: Pompeius Messanam confugit. Cæsar interea Tauromenum traiecerat, quem repentino impetu Põpeius afflixit. Vnde multis demersis nauibus suis, ac magna multitudine suorum militum perdita, in Italiam Cæsar aufugit. Nec interueniente mora, in Siciliam, rediit, ibiq; Lepidũ ex Aphrica aduentantem obuiũ habuit, summas sibi partes, terrore, minis, ac superbia vendicantem. Post dies paucos Agrippa iussu Cæsaris, à littore cũ acie instructa prospectans atrocissimo nauali prælio aduersus Pompeium conflixit & vicit. Nam clx. & III. naues aut demersit, aut cepit. Pompeius cum x. & VII. nauibus vix elapsus euasit. Lepidus magna xx. legionum insolentia tumens, cum Messanam militibus permissam diripuisset: ipsum Cæsarem ad se venientem semel atq; iterum spreuit, ac potius telis appeti iussit. Quæ ille collecta in læuum brachium lacerna repellendo vitauit. Mox immisso equo ad suos reuersus, instructo exercitu aduersus Lepidũ veniens, plurimas legiones Lepidi paucis interfectis transire in suam partem compulit. Lepidus tandem intelligens, quo vanitas sua tenderet, deposito paludamento assumptaque veste pulla supplexque Cæsari factus, vitam & bona impetrauit: perpetuo quidẽ emendatus exilio. Taurus Cæsaris præfectus totam pene Siciliam ferro pertentatam contritamq; in fidem recepit. XL. & IV. legiones sub vnius tunc imperio Cæsaris erant. Milites multitudine ferociores, quosdã pro accipiendis agris tumultus excitauerunt. Sed Cæsar, animo ingens xx. millia militũ exauthorauit, xxx. millia seruorum Dominis restituit, VI. millia quorum Domini non extabant, in crucem egit. Ouans vrbem ingressus, vt in perpetuũ tribunitiæ potestatis esset, à Senatu decretum est. His diebus trans Tyberim è taberna meritoria fons olei terra exundauit, ac per totũ diem largissimo riuo fluxit. Antonius vero postquam Araxim transmisit, omnibus vndique malis circumuentus, vix tandem Antiochiam cum paucis rediit. Nam cum multitudine equitum & sagittariorum ab omnibus præliis, quæ plura tentauit, victus, semper effugeret, tum præterea incertis & ignotis regionũ locis impeditus grauissima fame ad nefandos cibos coactus est, plurimi militum sese hostibus dediderunt, in Græciam transiit, iussitq; Pompeium qui victus à Cæsare exercitum bellumq; reparabat, cum paucis ad se venire. Pompeius fugiens, à Tito & Furino Antonianis ducib. sæpe terrestri naualique bello victus & captus, ac post paululum interfectus est. Cæsar Illyricum, Pannoniam, partemq; Italiæ, bellis subegit & domuit.

Antonius pro quibusdam successibus elatus, Octauiano Cæsari bellum denuntiat. A quo ter victus, ac demum captus & occisus est.

CAP. XV.

IGitur Antonius Arthabanem Armenię regem proditione & dolo cepit, quem argentea catena vinctum ad confessionem thesaurorum regiorum coegit, expugnatoq; oppido in quo conditos esse prodiderat, magnam vim auri argentiq; abstulit. Qua elatus pecunia, denuntiari bellum Cæsari atque Octauiæ sorori cęsaris vxori suę repudium indici iussit, & Cleopatram sibi ex Alexandria occurrere imperauit: ipse Accium vbi classem construxerat profectus, cum prope tertiam partem remigum fame absumptam offendisset, nil motus: Remi, inquit, salui sint: nam remiges non deerunt, quoad Græcia homines habuerit. Cæsar ccxxx. rostratis nauibus, à Brundusio in Epirum profectus est. Agrippa vero, præmissus à Cęsare onerarias naues frumento atque armis graues ab Ægypto, Syria, Asiaque ad subsidium Antonio venientes cepit: peragratoque Peloponensium sinu Monam vrbem validissimam Antoniano munitam præsidio expugnauit. Inde Corcyram cepit, fugientes nauali prelio persequutus profligauit: multisq; rebus cruentissime gestis, ad cæsarem venit. Antonius defectu & fame militum suorum permotus, bellum maturare instituit, ac repente instructis copiis, ad cęsaris

castra processit & victus est. Tertio post pugnam die Antonius castra ad Accium transtulit, nauali prælio decernere paratus. ccxxx. fuere rostratæ Cæsaris naues, & xxx. sine rostris triremes, velocitate Luburnicis pares, & VIII. legiones classi superpositæ, absque cohortibus v. prætoriis. Classis Antonij CLXX. nauium fuit: quantum numero cedens, tamen magnitudine præcellens. Nam x. pedum altitudine à mari aderant; famosum & magnum hoc bellum apud Accium fuit, ab hora v. vsque in septimam: incerta vincendi spe, grauissime vtrinque cædes actæ. Reliquum diei, cum subsequente nocte in victoriam Cæsaris declinauit. Priorum regina Cleopatra, cum LX velocissimis nauibus fugit. Antonius quoque detracto insigni prætoriæ nauis, fugientem sequutus vxorem est. Illucescente iam die, victoriam Cæsar consummauit, ex victis XII. millia cecidisse referuntur, VI. millia vulnerata sunt, è quibus M. inter curandum defecerunt. Antonius & Cleopatra communes liberos cum parte regiæ gazę ad rubrum mare præmittendos censuerunt, ipsi præsidiis circa duo Aegypti, cornua, Pelusium, Parethoniumque dispositis classem & copias instaurando bello parauerunt. Cæsar sexto imperatorum appellatus, & quarto ipse cum M. Licinio Crasso consul Brundusium venit. Ibi orbis terrarum præsidia diuisis legionibus composuit. Inde in Syriam prouectus, mox Pelusium adiit, vbi ab Antonianis præsidiis vltro susceptus est. Interea Cornelius Gallus præmissus à Cæsare, IV. legiones, quas Antonius apud Cirenas præsidij loco constituerat, suscepit in fidem, atque inde Parethonium prima Ægypti ac Libyæ parte ciuitatem victo Antonio cepit: ipsumque continuo apud Tharum vicit Antonius equestre aduersus Cæsarem bellum iniit, in eo quoque miserabiliter victus aufugit. Kalendis sextilibus prima luce Antonius cum adinstruendam classem in portum descenderet: subito vniuersæ naues ad Cæsarem transierunt. Cumque vnico præsidio spoliatus esset, trepidus se cum paucis recepit in regiam. Regina ad pedes Augusti prouoluta: tentauit oculos ducis, frustra quidem: Nam pulchritudo intra pudicitiam principis fuit. Nec illa de vita quæ auferebatur, sed de parte regni laborabat. Quod vbi desperauit à principe, seruarique se triumpho cognouit, incautiorem nacta custodiam in Mausolæum se regum recepit, ibique maximos, vt solebat induta cultus, in referto odoribus solio iuxta suum se collocauit Antonium, admotisque ad venas serpentibus, sic morte quasi somno soluta est. Cæsar Alexandria vrbe omnium longe opulentissima & maxima victor potitus est. Nam & Roma intantum opibus eius aucta est, vt propter abundantiam pecuniarum, duplicia quam vsque ad id fuerant possessionum, aliarumque rerum venalium precia statuerentur. Occisi sunt iussu Cæsaris, maior Antonij filius & P. Canidius, infestissimus quidem semper Cæsari, sed Antonio infidus, & Cassius Palmensis, vltima violatæ partis Cæsaris victima, & Quintinus Ouinius, ob eam maxime notam, quod obscœnissime lanificio, textrinoque reginæ senatorum primus Romanus præesse non erubuerat. Dehinc Cæsar pedestribus copiis in Syriam venit. Deinde in Asiam ad hyberna concessit, ac post per Græciam Brundusium profectus est.

De eo quod Cæsar Octauianus totam Hispaniam per se subiugauit. Vbi & gloria Magni Alexandri in eo refusa est per legatos Indorum & cæterarum gentium Orientis, Et qualiter tam per se, quam etiam per suos legatos vniuersum sibi subiecit orbem.

CAP. XVI.

CÆsar victor ab Oriente rediens, VII. Idus Ianuarias, vrbem triplici triumpho ingressus est, ac

tunc primum ipse Iani portas, sopitis finitisque omnibus bellis ciuilibus, clausit, Hoc die primum Augustus consalutatus est, quod nomen cunctis antea inuiolatum, & vsque ad hunc cæteris inausum, Dominis tamen orbis licite vsurpatum, apicem declarat imperii. Atque ex eodem die summa rerum ac potestatum penes vnum esse cœpit & mansit: quod Græci monarchiam vocant. Porro autem hunc esse eundem diem, hoc est, VIII. Idus Ianuarias, quem nos Epiphaniam, hoc est, apparitionem siue manifestationem dominici sacramenti obseruamus. Hinc vero Cæsar parum in Hispania per cc. annos actum intelligens: aperuit Iani portas, atque in Hispanias ipse cum exercitu profectus est. Cantabri & Astures Galleciæ prouinciæ portio sunt, qua extentum Pyrenei iugum, haud procul secundo Oceano sub septentrione deducitur. Hi non solum propriam libertatem tueri parati: verumetiam finitimorum præripere ausi. Quod Cæsar dū sæpius aggressus frustra propter Pyrenei difficultatem tandem ab Aquitanico sinu per Oceanum, incautis hostibus admoueri classem atque exponi copias iubet, quos ita improuisus debellauit & cepit. Post victoriam vero Cantabriæ atque Galleciæ, totiusque Hispaniæ, Claudius Drusus, priuignus Cæsaris, Galliā, Rhetiamque sortitus, maximas fortissimasque gentes Germaniæ armis subegerat. Nam tunc veluti ad constitutum pacis diem festinarent, ita omnes ad experientiam belli, decisionemue fœderis, vndatim gentes commouebantur, aut suscepturæ pacis conditiones, si vincerentur, aut vsuræ quieta libertate, si vincerent. Norici, Illyrij, Pannonij, Dalmatæ, Moesi, Thracæ, & Daci, Sarmatæ, plurimique & maximi Germaniæ populi, per diuersos duces, vel superati, vel repressi, vel etiam obiectu maximorum fluminum, Rheni, Danubiique seclusi sunt. Drusus in Germania primum Sosipetes, deinde Thenteres, Acathos perdomuit, Marcomannos pene ad internecionē cæcidit, Postea fortissimas nationes, & quibus natura vires, consuetudo experientiam virium dabat, Cheruscos, Suebos, & Sicambros, pariter vno bello, sed etiam Susas, Persas superauit. Quorum ex eo considerari virtus ac feritas potest, quod mulieres quoque eorum, si quando præuentu Romanorum inter plaustra sua concludebantur, deficientibus telis, vel qualibet re, qua velut telo vti furor posset, paruos filios collisos humi, in hostium ora iaciebant: in singulis filiorum necibus bis parricidæ. Tunc etiam per Aphricam Mansulanos & Getulos, latius vagantes Cossus dux Cæsaris, artatis finibus coercuit, atque Romanis limitibus abstinere metu compulit: & vt altius repetendo gentium feritatem demonstrem, vnus Moesiæ ducum ante aciem postulato silentio: qui vos estis? inquit. Responsum est: Romani gentium domini. At ille: Ita fiet, inquit, si nos viceritis. Sed mox victi sunt à Romanis. Traces vero qui à Pisone sunt perdomiti, in ipsa captiuitate sua rabiem ostendebant. Nam catenas, quibus ligati erant, morsibus vellicantes, feritatem suam ipsi puniebant. Dacīam quoque vltra Danubium Lentulus vicit, expulit, atque subegit. Sarmatas quoque Lentulus vltra Danubium pepulit, qui præ nimia barbarie, nec quid pax sit intelligunt: Marmarides vero & Caramantes in orientali plaga, per Quirinum Cæsar subegit, Germanos videlicet, Gallos, Britones, Hispanos, Hyberes, Austeres, Cantabros, occiduo sub axe iacentes: per se Augustus ad eos veniens, Romanis legibus seruire coëgit. Interea Cæsarem apud Tarraconem citerioris Hispaniæ vrbem legati Indorum & Scytharum toto orbe transmisso, tandem ibi inuenerunt vltra quod iam quærere non possent, refuderuntque in Cæsarem Alexandri magni gloriam: quem sicut Hispanorum Gallorumque legatio medio Oriente apud Babyloniam contemplatione pacis adiit, ita hunc apud Hi-

paniam in occidentis, vltimo supplex eum gentilibus munere, Eous, Indus, & Scytha Boreus orauit, Cantabrico bello per quinque annos acto, totaque Hispania in æternam pacem, eum quadam respiratione lassitudinis reclinata ac reposita. Cæsar Romam rediit. Quibus etiam diebus multa per se, multaque per duces & legaros bella gessir. Nam inter cæteros, & ipse aduersum Vindelicos missus est. Quibus subactis, victor ad Cæsarem Lugdunum venit. Pannonios nouo motu intumescentes, Tyberius priuignus Cæsaris, cruentissima cæde deleuit. Idemque continuo Germanos bello arripuit: è quibus XL. millia captiuorum victor abduxir. Quæ reuera bellum maximum & formidolosum XV. legionibus per triennium gestũ est: nec fere vllum maius bellum (sicut Suetonius attestatur) post Punicum fuit. Eodem vero tempore, Quintillius Varus cum III. legionibus à Germanis rebellantibus, mira superbia atque auaritia in subiectos agens, funditus deletus est. Quam reipublicæ cladem Cæsar Augustus adeo grauiter tulir, vt sæpe per vim doloris caput parieti collidens, clamaret: Quintilli Vare redde legiones. Bosphoranos vero Agrippa superauit, & signis Romanis, quæ illi quondam sub Mitridate sustulerant bello recuperatis, victos ad deditionem coegit. Parthi, quasi toto terratum orbe vel domito vel pacato omnium oculis signarentur, atque in se solos omnis vigor Romani imperij vertendus esset: quippe, quos pristina vlciscendæ Crassianæ cædis conscientia mordebat, vltro signa quæ Crassö interfecto abstulerant, ad Cæsarem remiserunt, regisque obsidibus traditis firmum fœdus fideli supplicatione meruerunt. Itaque anno ab Vrbe condita DCCLII. Cæsar Augustus, ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem, ac per totum Oceani circulum cunctis gentibus vna pace compositis, Iani portas tertio ipse tunc clausit. Quas ex eo per XII. ferme annos, quietissimo semper obseratas otio, ipsa etiam rubigo consignauit: nec prius vnquam nisi sub extrema senectute Augusti pulsatæ Atheniensium seditione & Draconum commotione patuerunt. Clausis igitur Iani portis, Rempublicam quam bello quæsierat, pace nutriuit, atque amplificare studens, leges plurimas statuir, per quas humanum genus, libera reuerentia disciplinæ morem gereret, domini appellationem vt homo declinauit. Nam cum eodem spectante ludos, pronuntiatum esset in Mimo: O dominum æquum & bonum! vniuersique quasi de ipso dictum esset, exultantes approbauissent, & statim quidem manu vultuque indecoras adulationes repressit, & sequenti die grauissimo corripuit edicto, dominumque se posthac appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus suis, vel serio vel ioco passus est. Igitur eo tempore, id est, eo anno, quo firmissimam, verissimamque pacem ordinatione Dei Cæsar composuit natus est christus, cuius aduentui pax ista famulata est. In cuius ortu audientibus hominibus exultantes angeli cecinerunt, gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Eodemque tempore, hic ad quem rerum omnium summa concesserat, dominum se hominem appellari non passus, imo nec ausus, quo verus Dominus totius generis humani inter homines natus est. Eodem quoque anno, tunc primum idem Cæsar, quem his tantis mysteriis prædestinauerat Deus, censum agi singularum vbique prouinciarum, & censeri omnes homines iussir, quando & Deus homo videri & esse dignatus est. Hæc illa prima, clarissimaque professio, Cæsarem omnium principem Romanosque rerum Dominos, singillatim cunctorum hominum edita ascriptione signauit, in qua se & ipse, qui cunctos homines fecir inueniri hominem, ascribique inter homines voluit, quod penitus nunquam ab orbe condito, atque ab exordio generis humani in hunc modum actum est, ne Babyloniæ quidem vel Macedoniæ, vt non dicam

A minori cuiquam regno concessum fuit.

De præliis ab Herode gestis cum rege Arabum. Et qualiter gratiam Octauiani Cæsaris adeptus sit.

CAP. XVII.

IGitur Herodes senatusconsulto, Antoniique atque Cæsaris fauore in regno Iudæorum confirmatus (vt superius enarrauimus) dum eum omni belli apparatu instructus, vt cum Antonio ad Acciacum properaret bellum, callide à Cleopatra quidem interceptus est: ne particeps fieret periculorum Antigoni: Regibus enim, id est, Malicho Arabiæ atque Herodi insidiis tendens bellum in Arabas, vt Herodi committeret, persuadet Antonio. Quos si vicisset Arabiæ domina, sin victus esset Iudæorum constitueretur: alterumque potentum, per alterum pessundaret. Sed hanc eius volunta-
B tem Octauianus præuenit Cæsar. Herodes autem mox vt in Arabiam venit, bello exceptus, superior factus, victoria potitus est. Arabes vero cum victi essent, maiore motu suscitantur, cum valida manu pugnam repetunt, victisque agminibus circa saxosa loca & deuia Herodis militem fugant. Plurimis cæde prostratis, eos vero qui fugerant, cum castris ceperunt. Post hanc vero cladem alia sequitur calamitas Herodem. Nam eius regni anno septimo, & Acciaco bello feruente, terræmotus infinitam quidem pecorum multitudinẽ: hominum vero XXX millia peremit, cum exercitus Herodis mansisset incolumis, quoniam sub diuo degebat. Hanc miseriam Iudæorum vt fama perceperunt Arabes, tristibus enim nuntiis grauius aliquid affingitur, mox in Iudæam eum omni exercitu ruunt. Herodes vero audiens aduentum illorum, ita suos solabatur, vt fertur. Non enim tantum, manu, armisque freti, quantum nostris calamitatibus veniunt. Fallax autem spes est, quæ non suis viribus nititur, sed alienis
C aduersis. Neque vero vel secundæ res, vel contrariæ apud homines certæ sunt, sed in vtramque partem vicissim videas mutare fortunam. Et id exempla vobis propria demonstrabunt. Nempe prælio superiore victores, post ab hostibus victi sumus. Et nunc ergo quantum æstimare licet, illi capientur, victores sese fore credentes. Nimis enim confidens incautus est: metus autem prouidentiam docet. Nihil autem vos terreat rerum anima carentium motus: neque arbitremini terræ concussionem alicuius futuræ cladis esse portentum. Naturalia sunt elemẽtorum quoque vitia, nullumque damnum inferunt: nisi ex ipsis euenerit. Nam pestilentiæ quidem vel famis vel terræ motus signum aliquod tardius fortasse præcesserit, ipsa vero cum extiterint, sui magnitudine finiuntur. Talibus vero exemplis suos animauit milites. Herodes, hostes aggressus, superauit & vicit Quam diu quidem restiterunt non magna cædes eorum facta est: vbi ergo ter-
D ga verterunt, multi à Iudæis, multi vero à semetipsis conculcati, quos Herodes pene omnes aut interfecit aut cepit. Sed hanc fuscauit victoriam solicitudo propter amicitiam Antonij, post victoriam Cæsaris apud Actium. Itaq; Herodes tradens se periculo, Rhodumque transmissus adiit Cæsarem sine diademate, veste quidem cultuque priuato, sed fastu regio, neque dissimulata veritate, coram hæc dixit: Ego Cæsar rex factus ab Antonio, fateor vtilem me fuisse regi Antonio, neque dubitauerim dicere, quod omni modo armis quoque me gratum expertus esset, nisi Arabes prohibuissent. Verumtamen & auxilia pro viribus ei misi, & multa frumenti millia. Ego enim optimum consilium ei dedi, vnam esse dicens Cleopatræ mortem aduersariorum correctionem. Quam si occidisset & pecunias ei & muros ad tuitionem, & exercitum & memetipsum belli contra te socium pollicebar. Sed profecto

eius aures Cleopatræ amores, & Deus qui victoriam tibi donauit, obstruxit. Vna ergo cum Antonio victus A sum, & regni coronam cum eius fortuna deposui: Ad te autem veni, spem salutis de virtute præsumens, & ne in examen duceretur properans qualis amicus alicuius fuerim. Ad hæc Cæsar: Imo vere saluus esto, inquit, & nunc regnato certius. Nam meritus es, vt plurimos regas, cum amicitiam tanta fide tuearis. Experire autem vt etiam felicioribus fidelis permaneas. Siquidem ego præclarissimam spem de tua quidem magnanimitate promitto. Recte tamen fecit Antonius, qui magis Cleopatræ, quam tibi paruit. Te namque lucrati sumus propter eius amicitiam. Huius sermonis humanitate regem, ne quid de amicitia sua dubitaret, hortatus: & diadema illi imposuit, & regnum confirmauit. Inde in Ægyptum profecutus Cæsaris iter, suppeditatis omnibus quæ vsui vel ipsi vel exercitui forent, maximam gratiam imperatoris sibi suo studio conciliauit: præcipue, quia in locis aridioribus vsque Pelusium regali prouisione aquarum affluentiam sum- B ministrauit. Quibus officiis tantum sui amorem infundit omnibus, vt plus videretur meruisse, quam accepisset: minorque regni potestas, quam humanitatis largitas, æstimaretur. Vnde Cæsar ex sententia rebus intra Ægyptum gestis, Antonio & Cleopatra defunctis, non solum quæ adempta erant Herodi reddidit, verumetiam præter illa, quæ Cleopatra auerterat, Zadoram, Hipponem, Samariam ei concessit: maritimasque vrbes, Gazam, Antedonam, Hioppen, Turrim Stratonis simul donauit. cccc. etiam stipatores ex Gallia, quib. septa incedebat Cleopatra, ad custodiam corporis regni concessit, multaque alia. Sed his omnibus rex plus lætabatur, quia à Cæsare super omnes, infra Agrippam diligebatur, ab Aggrippa infra Cæsarem.

De operibus ab Herode excellentioribus factis. Et de interfectione filiorum ac coniugis, siue amicorum, ac demum de eius execrabili morte. C

CAP. XVIII.

IGitur postquam Tracon regionem, & Bathaneam, omnemque terram Galileæ, ditioni Herodis Cæsar subdidit, totiusque Syriæ procuratorem constituit: animus Herodis ad maiora sublatus est. Anno itaque regni sui xv. templum instaurauit, & duplum terræ spatium, quam fuerat circa templum, muro amplexus est, ingenti sumptu, & munificentia singulari, argumento erant in ambitu phani magnæ porticus, eisque coniunctum à Septemtrione castellum, & illas quidem à fundamentis erexit. Hoc autem nulla re minus, quā regni sedes largis opibus renouatum, Antoniam vocauit, in honorem Antonij. Quinetiam domo sibi regia in superiore parte ciuitatis extructa, duas ædes in D ea maximas, atque pulcherrimas, quibus ne templum quidem vsque conferri posset, ædificauit: easque amicorum vocabulis, vnam Cæsarium, Agrippium alteram nominauit. Nec vero solis tectis memoriam eorum & cognomina circumscripsit, sed in totas etiam ciuitates studium liberalitatis extendit. Prorsus non est idoneus regni locus, quem honore Cæsaris nudum reliquerit. Postea vero quam fines suos templis repleuit, in prouinciam quoque honores eius effudit, & in multis ciuitatibus templa, quæ Cæsarea nominantur, constituit. Cætera vero eius opera munificenter condita omitto. Scire vero cupientes, ad Iosephi libros conuolare studeant. Vnius autem ciuitatis portum, atque opera enarrabo ab eo peracta. Ergo cum vidisset vnam ciuitatum vetustate iam fessam, quæ Pyrgos Stratonis vocabatur, in littore maris: totam eam candido reparauit saxo. Littora vero contigua huius ciuitatis adeo fuerunt importuosa, vt omnes in mari fluctuare cogerentur, minas Aphrici metuentes, qui ex Phœnice ad Ægyptum nauigabant: Cuius etiam mediocris aura tantas vndarum moles ad scopulos erigit: vt remeātis æstu gurgitis per aliquantum spatium maris feritas augeatur. Sed rex liberalitate ac sumptib. deuicta natura loci maiorem portum fabricauit: & in eius penetralibus alias nauibus stationes fecit altissimas. Et quanquam omnis ei locus aduersaretur, tamen ita cum difficultate certauit, vt firmitas quidem structuræ nequaquam mari cederet: pulchritudo vero tanta esset, quasi nulla res ardua præpedisset ornatum. Mensus enim quantum diximus, portui spatium per xx. vlnas in profundum saxa demisit: quorum pleraque pedum L. longitudinis, & altitudinis xv. & latitudinis X. nonnulla etiam maiora fuerunt. Expleto autem spatio quod vndam celabat, in cc. pedes murum dilatauit. Ex quibus c. repellendis fluctibus ante constructi, cæteri autem saxeo, quo portus cingitur, muro subiecti sunt, magnis turribus interpositis: quarum maxima atque pulcherrima ex parente Cæsaris Drusium cognominata est. Crebri autem fornices ad deducenda, quæ portus haberet, proque fornicibus & circum eos pila saxea & lata, quæ naues egredientes exciperet: Aditus autem septentrionalis erat. Ventorum enim pro situ loci placidissimus est Boreas. Ad ostium vero statuæ, siue Colossi, tres vtrinque fulti columnis. Quarum à læua quidem intrantibus stantes, solida turris sustinet: dextera vero duo proceri lapides iuncti, & partis aduersæ turris magnitudinem superantes. Domus autem portui connexæ, candido itidem lapide, parique mensura spatiorum ciuitatis vice tendentes in portumr. Contra ostium vero portus in colle Cæsaris templum, magnitudine simul & pulchritudine præcipuum, statuaque in eo Cæsaris siue Colossus, non minor, quam Iouis apud Olympias, cuius ad exemplar factus est. Hanc itaque ciuitatem in honore Cæsaris, nuncupauit cæsaream. Pro amore vero parentum, id est, Antipatri, & cypridis, & Faseli, ciuitates, castella, turres, ob memoriam æternam ædificauit. Ludos vero Olympiaci certaminis, & gymnasia in diuersis ciuitatibus propriis sumptibus reparauit. Quin & corpore vsus est, quod magnitudini animi sui conueniret. Erat vtique venator summus, bellator fortis, sagittarius directissimus, & in rebus labentibus felicissimus secundam cuius fortunam humiliauit superbia. Mox etiam vt regni adeptus est potentiam, repudiauit coniugem, quam prius habuerat, quæ Dosis vocabatur, & Mariamnem Hircani neptem, de regio semine Alexandri filiam filii Aristoboli, sibi sociauit in coniugio, à regalibus priore depulsa vxore, cum filio Antipatro, quem ex ea susceperat. Ipse vero immenso amore Mariamnem diligebat, à qua minime dilectus sed magis exosus est: ob hanc causam, quoniam Hircanum eius auū, postquam Parthi ab exilio illum remiserant, dolo occiderat, fratremque vxoris Ioathen, cui pontificatus honorem contulerat, inuidia stimulante, propter fauorem populi, quem erga eum habebant, necare præcepit. Hi enim dolores atque nobilitas sanguinis excitauerant mulierem aduersus maritum, amorque mariti eximius, quem erga se nouerat, atque fœcunditas prolis addiderant fiduciam. Genuerat enim ei III. filios atque duas fœminas, quorum vnus vocabatur Alexander, secundus Aristobolus, tertius Romæ liberalibus studiis traditus defunctus est. Hæc igitur Mariamnes probro dabat Herodi suorum necem, sororemque regis Salomem & fratrem Ferora maledictis atrocioribus dehonestabat. Sed rex quidem amore vxoris mutus erat, graui autem indignatione mulieres sæuiebant, & quo maxime commoueretur Herodes, crimen adulterii præter alia multa, quæ similia fingerentur obiiciebant. Quo liuore Herodes instigatus, interficere iussit vxorem: filios vero

suos ob necem maternam Alexandrum & Aristobolum quasi indignantes, & sibi necem meditantes, à Cæsare Octauiano ad mortem poposcit. Imperator vero satisfactionem suscipiens ab Alexandro, erat quippe acertimus in dicendo, patri eos reconciliauit, præcipiens vt patri obedirent syncero amore, vt domino: Herodi vero dixit, vt paterno affectu suos recognosceret filios, sicque reconciliatos, remisit eos in regnum. Herodes vero mox vt reuersus est in Iudæam, insidiis Antipatri, qui regnum affectabat paternum, captus, & Dosis prioris vxoris, quam in cubile Mariamnis occisæ introduxerat, armatur iterum in filios. Creuit enim per singulos dies odium & indignatio patris in filios: quo ad vsque morti eos traderet. Quibus interfectis, Antipater non impune lætatus est, qui author mortis extiterat fratrum. Iusto namque iudicio Dei, & parricidæ Herodis malo, qui omnes suos semper habebat amicos suspectos, Antipatrum quem apud Cæsarem regni successorem designauerat, necem sibi meditantem deprehendit, & diu vinctum afflixit, ac demum interficere iussit. Virum etiam Salomæ sororis suæ interfecit, & cum eam alij tradidisset vxorem, etiam hunc interfecit: Cum & socrum suam Mariamnis matrem crudeliter necasset. Itaque regnum eius acerbissima iniquitate repletum est: De quibus, videlicet suspicio fuisset, ilico trucidabat eos. Multi regis iracundia cædis cupida, contra aduersarios abutebantur: & mendacio quidem confestim fides habebatur. Erant autem criminationibus ipsis velociora supplicia. Denique qui modo accusauerat accusabatur: & cum eo qui ante se conuictus esset ducebatur ad pœnam. De vita namque & periculo regis, quæstiones breuiore compendio terminabat. Ad hanc autem sæuitiam processerat, vt nec eorum quempiam humanitus aspiceret, qui accusatores essent: verum amicis etiam inimicissimum se præbuisset. Eius namque filij Alexander & Aristobolus, quos occiderat, hanc habuerunt prolem. Filij Alexandri ex Glaphira regis Cappadociæ Archelai filia, duo fuerunt, Tigranes & Alexander. Aristoboli vero, Agrippa, Herodes & Aristobolus. Hos enim sibi genuit Beronice Salomis Herodis sororis filia, ipsius sobrina. Ipse autem Herodes, præter quos necauerat, hos habebat filios, Herodem Antipam, Archelaum Herodem, & Philippum, atque Phaselum. Filias vero Bosamen & Salomen, & Olympiadem: ac præter has, Alexandri, & Aristoboli sorores duas, ex Mariamne vxore, quam interfecerat. Hanc prolem, ex diuersis vxoribus, quas plures habebat genuit. Feroran autem (vt fama fuit) fratrem suum veneno occidit. Ergo post immensam necem domesticorum atque insatiabilem subiectorum, vt dominum Christum Magis prædicantibus didicit natum: cum mox ad callida conuersus argumenta, extinguere curauit. Sed dum non hoc contigit, vt voluit, furorem quem corde celauerat, occidendo pueros Bethlehemiticos demonstrauit Supra enim omnes barbaros crudelissimo edicto omnes pueros ab vnius noctis ætate vsque ad spatium duorum videlicet annorum allidere iussit. Quam cædem Dominus innocentium terribiliter in eum vindicauit: quamuis etiam sophistas in lege eruditissimos duos cum eorum discipulis viuos incenderet, aliosque eis consentientibus trucidari iusserat, quia aquilam in templo auream quam contra leges instituerat, à fano eiicere decreuerant. Scribas quoque & interpretes diuinæ legis occidit, quos suspicor in nece paruulorum cum Herode fuisse meditatos. Herodis quippe corpus morbo occupatum, variis doloribus differebatur. Nam febris quidem non mediocris erat: prurigo autem intolerabilis habebat omnem corporis superficiem. Assiduis autem vexabatur coli tormentis, pedesque tanquam ex intercutis vitio intumuerant: quin & inflatio ventriculi, putredoque testiculorum vermiculos generans. Hinc atra iam bili correptus, & pene ipsi morti minirabatur. Igitur factum nefarium excogitauit. Collectos enim cuiusque vici ex omni Iudæa nobiliores: in locum cui nomen est Hippodromo concludi præcepit. Deinde sorore Salome & Alexa marito eius ad se vocatis, ait: Scio, inquit, mortem meam festis gaudiis celebraturos esse Iudæos: verum per alios lugeri potero, & præclarissimos honores assequi sepulturæ: si quæ præcipio, feceritis. Hos viros qui habentur in custodia, cum animam efflauero, statim militibus circumdatos occidite, vt etiam in vita, omnis mihi Iudæa, omnis domus, illachrymet. Herodes quia inedia tussisque pariter violentia distendebatur, fatum præuenire conatus est: sumptoque malo, etiam cultellum poposcit. Sectum enim comedere consueuerat. Deinde circumspecto, ne quis arbiter impediret, tanquam se percussurus dexteram sustulit. Cum vero Aciabus consobrinus eius accurrisset, manûque continuisset, paululum morte protelata, corrigi testamentum, & successorem quidem Archelaum natu maximum Antipatri fratrem scribit. Tetrarcham vero Antipam. Moritur itaque Herodes post annos quidem XXXXIIII. ex quo interfecit Antigonum, & regno potitus est Iudæorum: XXX. vero & XII. postquam rex à Romanis declaratus est, & in aliis quidem omnibus secunda fortuna vsus est, in rebus autem domesticis infelicissimus fuit. Augustus vero Herodis loco Archelaum constituit: eiusque fratres quatuor tetrarchas fecit.

Imperante Octauiano, Christum natum esse, vt prædixerant prophetæ, & angeli annuntiauerunt. Et qui memoria digni illustres eo tempore haberentur viri.

CAP. XIX.

Quibus diebus regnum Ægyptiorum, quod fuit in Alexandria, destructum est: quod vsque ad Cleopatram annis CCXL. steterat. Ægyptus vero prouincia deinceps Romanorum facta est, quam primus Cornelius Gallus foroiuliensis poeta tenuit: qui XLIII. ætatis suæ anno propria manu se interemit: de quo Virgilius in Bucolicis meminit Quo tempore, censu Romæ agitato, inuenta sunt ciuium Romanorum XL. millia centena: & XIIII. millia. Marcus enim Terentius Varro philosophus, prope nonagenarius moritur. Tunc Nicopolis iuxta Accium condita, & Agonactus constitutus est, Arctoricus medicus Augusti, post Acciacam victoriam naufragio perit. Is namque Octauianum monuit, vt è castris in campum, quamuis æger, contra Antonianos milites properaret, hoc ei profuturum fore in somnis didicisse dixit. Quod vt Augustus fecit discrimen mortis euasit. Confestim quippe eius castra ab Antonianis capta sunt. Larissæus enim magus & Pythagoricus ab Augusto vrbe & Italia depulsus est. Augustus etiam Gallos & Calabriam vectigales fecit. M. Gnatius. Plautius Ciceronis discipulus, orator habetur insignis. Qui cum Galliam Comatam regeret Lugdunum condidit M. Lolius Galatiam prouinciam fecit. Quintilius Cremonensis, Virgilij & Horatij amicus, moritur. Tyberius ab Augusto missus, occupauit Armeniam. Virgilius poëta Brundusij moritur, Saturnino & Cinna Lucentio consulibus: ossa eius Neapolim translata, in secundo ab vrbe miliario sepeliuntur, titulo huiusmodi suprascripto, quem moriens ipse dictitauerat.

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope, cecini, pascua, rura, duces.

Verrius etiam & Tucax Virgilii & Horarii contubernales poetæ habentur illustres, qui Æneidos postea libros emendauerunt sub ea lege, vt nihil adderent

Emilius macer etiam Veronensis poeta in Asia moritur, Augustus Agrippam adoptauit in filium. Tyberius Vindelicos & eos qui Thraciarum confines erant, Romanas prouincias facit: ac deinceps vastata Germania imperator appellatur. G. Iulius cognomento Polyhistor, illustris grammaticus habetur. Horatius LVII. ætatis suæ anno moritur Romæ. Tyberius Cæsar de captis Pannoniis triumphauit. Augustus filiam suam in adulterio deprehensam, exilo damnauit. Marcus Tullius Tyro Ciceronis libertus, qui primus notas cómentatus est, in Puteolano prædio, vsque ad C. annos consenescit. Augustus gladiatorum ludum, & nauale certamen exhibuit. Augustus Tyberium & Agrippam, in filios adoptauit. Iudas Galilæus ad rebellandum Iudæos cohortatur: Asinius Pollio orator vir consularis, qui de Dalmatis triumphauit: in villa Tusculana LXXX. ætatis suæ anno moritur. Cuius filius Asinius Gallus orator, qui diris à Tyberio suppliciis necatus est. Cuius etiam Virgilius meminit. Igitur, vt præmisimus ad domini nostri Iesu Christi natiuitatem, hominis Deique filii peruenimus. Quæ vt à Prophetis prænunciabatur, angelis prædicantibus, stella duce, ac sacerdotibus legumque doctoribus protestantibus, in Bethlehem Iudæ celebrata est: anno videlicet à reædificatione templi, quæ sub Dario rege facta est. DXV. A Salomone autem & prima ædificatione templi anno M. XXVII. A Mose & egressu Israelis ex Ægypto, anno MDVI. Ab Abraham & regno Nini, & Semiramidis, anni II. millia XI. A diluuio quippe anni, II. millia DCCCC. XX. Ab Adam vero V. millia C. XXIX. Secundum Geneseos igitur scripturam, & Aphricani supputationem, amplius inueniuntur anni CXXVIII. Hanc igitur annorum seriem à protoplasto scilicet, vsque ad domini aduentum, in singulis pro vt potuimus regnis ex celebrioribus factis, enarrare curauimus. Nunc autem cum post immensos pelagi fluctus, Scylleos tandem euasimus latratus, & optata statione potiti, post longæuas seculorum tenebras ad lucem venimus veram: qua respersi in domini Christi aduentu, librorum finem fecimus.

Tomi Prioris Libri Septimi Finis.

IN TOMVM SECVNDVM

AD AVGVSTAM IVDITH

Auctoris Præfatio.

DOmina Augustarum felicissima Iudith, dum in humanis, quo altius adcrescas, non inuenitur rebus: quia si de viro agitur, quis nobilior imperatorum, aut sapiétior in diuinis, secularíumue disciplinis, Ludouico Cæsare inuicto: nec mirum talem protulisse excellentissimo Augusto sæculo sobolem Carolo. Si autem de venustate corporis, vt absque adulationis fuco proferam quod verum est: pulchritudine superas omnes, quas visus vel auditus nostræ paruitatis comperit reginas. Sin autem de prole, nonne mundi gloria & hominum delectatio Carolus, qui elegantia corporis ac moribus optimis, seu agili prudentiæ studio immaturam vincendo propriam superat ætatem: vt videatur auus eius non obiisse, sed potius detersa caligine somni nouum illustrare orbem: siquidē in nepote immortale ipsius ingenium vna cum nomine decor & virtus splendeant. Quam obrem, dum in temporalibus nihil desit rebus, vt augmento careas: studio sapientiæ dilataris, vt excellentior cetero seculis imperatricibus reperiaris. Igitur indita à Deo tibi sapientia, & naturalis ingenii scientia, attonitum me reddit inter cæteros adiutores: Quoniam in diuinis & liberalibus studiis, vt tuæ eruditionis cognoui facundiam, obstupui, statimque deliberare mecum cœpi, quodnam munusculum meo labore congestum, tuæ offerrem Almitatis flagrantiæ. Igitur ab Octauiano Augusto & domini natiuitate Saluatoris nostri secundum aggressus sum scribendo opus, quod peregi vsque ad regna Francorum & Longobardorum, deficientibus Romanorum imperatoribus seu iudicibus ab Italia & Gallis, Gottorum quoque regibus, qui successerāt, ab eis etiam depulsis. Quod videlicet opus, quinque distinxi in libros. In his enim velut in speculo, per tuæ sanctissimæ deuotionis ammonitionem atque iussionem, dominus meus Carolus gloriosissimus tuæ filius excellentiæ, inspicere quid agendum, vel quid vitandum sit, poterit. Decet enim dominam te venerabilem vnicum erudire filium, nostræ iucunditatis & noui sæculi regem esse Bersabeæ, quæ Ididam priscorum erudiuit sapientissimum sæculorum regem, vt idē de se ait: Nam & ego filius fui patris mei tenellus, & vnigenitus coram matre mea, & docebat me atque dicebat: Suscipiat verba mea cor tuū: custodi præcepta mea, & viues. Posside sapientiam, posside prudentiā: ne obliuiscaris, neque declines à verbis oris mei, nō dimittas eam; & custodiet te: dilige eam, & seruabit te, &c. Is autem prout de domini confidimus pietate, sacris iussionibus tuis parebit, & inter cæteras maternæ dilectionis ammonitiones, hos libellos suæ non dedignabitur contradere memoriæ. Quibus imperatorum gestis, sanctorumque triumphis, atque doctorum magnificentiū doctrinis illustratus, cautius quid agendum sit, siue subtilius inuenies, quid sit vitandum. Igitur hos codicillos tuæ dilectionis amor, mi dominā semper Augusta, scribere compulit, qui tuę Almitatis & immortalis sapientiæ iudicium expectant. Quod si iudicando consequantur laudem, tuæ reputabitur æternaliter memoriæ, quoniam sacratissimum nomen tuum Iudith, iudicans, siue laudans interpretatur.

FRECVLPHI

EPISC. LEXOVIENSIS, CHRONICORVM

Tomus Secundus.

Continens à Octauiano Augusto, & CHRISTI seruatoris nostri natiuitate, vsque ad Francorum & Longobardorum regna, rerum gestarum historiam,

LIBER I.

Quot priores libri, diuersorum regnorum historias contineant ab initio mundi vsque ad natiuitatem Christi.

CAP. I.

IN priorib. libris domino suffragante, ex multorum opusculis cum hagiographorum tum gentilium, non modico labore desudans, decerpere curaui, quæcunque vtilia paruitati meæ sunt visa, & legentibus profutura: sumens exordiū à primo parente mortalium propagatore. Tandem post multas seculorum tenebras, ad natiuitatem noui hominis peruenimus, domini scilicet Iesu Christi Dei & hominis filii. Vbi priorum finem decreui facere librorum, vt eum legā

libus ceremoniis, & vmbris, atque erroribus pristinis terminaretur.

De natiuitate Christi ab angelis & Prophetis annunciata, quæ sextam mundi ætatem consecrauit.

CAP. II

IGitur iam Saluatore nato, eiusque radiis remotis tenebris, illustrato mundo, alia terenda est via, nec de diuersarum, vt prius, fatigabitur calamus gentium regnis scripturus: dum feritas atque rabies singularum gentium immensaque libido dominandi (vt in priorib⁹ libando perstrinximus libris) in vnius ditionem pariter omnia conciderunt regna. Et hoc non hominum fortitudo, vel prudentia, sed Dei omnipotentia, quod antea nusquam fuerat, præparauit. Quod longe propheta præuidens, ait: Non leuabit gens gladiũ, & quæ sequuntur. Dignum itaque erat, vt illo nascente, qui vnus est Deus, in substantia patris & spiritus sancti: sub vnius censu subderetur mundus. Itaque hæc natiuitas celebrata est, prophetis prædicentibus, & angelis proclamantibus, Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quãdo totus sub vna pace mundus, mirabili modo præcedentibus seculis inaudito quiescebat. Quam videlicet natiuitatem & pacem, non solum diuini eloquii scripta, sed etiam gẽtilium oracula longe prius prædixerunt, vt in Sibyllinis & cæterorum carminibus continetur. Igitur postquam imperare cœpit Octauianus Cæsar, qui primus monarchiam obtinuit mundi (quamuis auunculus eius Iulius Cæsar ante eum existeret potius metator imperii, quam imperator) prope emenso admodum anno quadragesimo secundo natus est dominus Christus, veram mundo torpenti in tenebris à seculis seculorum terris afferens lucem. Ita enim factum est, vt cum Abraham sanctus sub Nino primo gentium rege, quadragesimotertio natus sit anno, cui dictæ sunt repromissiones, & ex cuius semine promissus fuerat Christus: Christi autem natiuitas, sub fine quadragesimi secundi conueniret, vt iam non ipse in parte tertii anni, sed in ipso potius tertius annus orriretur. Qui etiam annus quantis, quam nouis, quamque inusitatis abundauerit, satis, etiam me non proferente, compertum haberi arbitror. Toto terrarum orbe vna pax omnium, non cessatione, sed abolitione bellorum, clausæ Iani Gemini portæ, extirpatis bellorum radicibus non repressis. Census ille primus maximus, cùm in hoc vnum Cæsaris nomen vniuersa magna gentium creatura iurauit, simulque per communionem census vnius societatis effecta est. Igitur anno ab Vrbe condita D.CC.LII. natus est Christus, salutarem mundi afferens fidem, vere petra medio rerum posita, vbi cõminueretur qui offenderet, qui crederet saluaretur, vere ignis ardens, quem qui insequitur, illuminatur: qui tentat exuritur. Ipse est Christus Christianorum caput, saluator bonorum, malorum punitor, iudex omnium. Hic enim Iesus Christus filius Dei, sextam mundi ætatem suo consecrauit aduentu.

De Herode alienigena sub quo natus est Christus, quod tunc prophetiæ impletæ sunt, hanc natiuitatem prædicentes.

CAP. III.

IGitur vt in præcedentibus libris ostendimus, depulsos esse à regno Iudæorum vel ducatu ex semine Iuda duces & principes, dum de summa rerum acriter contenderent, Herodes à Romanis constitutus est princeps alienigena, & nihil omnino pertinens ad Iudæos, qui Antipatri Ascalonitæ & matris Cypridis
A Arabicæ filius fuit. Is dum à Romanis suscepit principatum Iudæorum, vicinam Christi natiuitatem designat, & sacerdotium & regnum Iudææ, quod prius per successiones minorum tenebatur, esse destruendum: iamque completam prophetiam esse, quæ ita per Mosen loquitur: Non deficiet princeps ex Iuda, neque iudex de fœmoribus eius donec veniat, cui repositum est, & ipse erit expectatio gentium. In hoc loco etiam Christus, quem Danielis scriptura præfatur, accepit finem. Nam vsque ad Herodem, Christi, id est, sacerdotes, erant reges Iudæorum, qui imperare cœperunt ab instauratione templi, sub Dario vsque ad Hircanum annis cccc. LXXXIII. in medio transactis.

Quos Daniel quoque significat, dicens: Et sciens & intelligens, ab initio sermonis respondendi & ædificãdi Hierusalem, vsque ad Christi principatum hebdomadæ VII. & hebdomadæ LXII. quæ LXIX. hebdomadæ, faciunt annos cccc. LXXXIII. in quibus Christi id
B est, sacerdotes, per vnctionem consecrati, regnauerũt vsque ad Hircanum. Quo extremo omnium à Parthis capto Herodes Antipatri filius nihil ad se pertinentem Iudæam à Cæsare & senatu accepit principatum, filiiq; eius post eum regnauerunt, vsque ad nouissimam Hierosolymorum captiuitatem, nequaquam ex successione sacerdotalis generis pontificibus constitutis, neque perpetuitate vitæ secundum legem Mosi seruientibus Deo. Ignobiles vero quidam, & alio tempore alii, & nonnulli vnius anni, siue modico amplius, à Romanis imperatoribus sacerdotium emebant.

Quæ omnia etiam Daniel propheta vaticinatur, ita de cens: Et post hebdomadas VII. & IX I. interibit Chrisma, & iudicium non erit in eo, & templum & sanctum corrumpet populus, duce veniente.

De Octauiano, qui non se permittebat dominum appellari, & qualem vitam duxerit, vel quo sine præuentus sit.

C

CAP. IV.

IGitur Octauianus, qui imperatorum omnium primus monarchiam obtinuit mundi (vt præmisimus) non passus est quidem, nesque aulus saltem à propriis liberis dominum se nominari: quãto magis ab extraneis, quia eo imperante, verus dominus totius generis humani inter homines natus est. Nam cum eodem spectante ludos, pronuntiatum esset in Mimo: O dominum æquum & bonum, vniuersique quasi de ipso dictum esset, exultãter approbauissent, statim quidem manu, vultuque indecoras adulationes repressit: & sequenti die grauissimo corripuit edicto, dominumque se posthac appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus suis, vel serio vel ioco permisit. Attamen paucis expediam dictis, quo genere ortus, qualem ve
D duxerit vitam, quo fine præuentus, qui portis Iani clausis, Rempublicam, quam bello quæsierat, pace nutrierat, amplificare studens. Hic autem patre Octauiano senatore genitus, maternum genus ab Ænea, per Iuliam familiam sortitus: Adoptione vero C. Cæsaris maioris sui auunculi, C. Cæsar dictus: deinde ob victoriam Augustus cognominatus est. Iste in imperio positus: tribunitiam potestatem per se exercuit. Regionem Aegypti inundatione Nili accessu difficilem, inuiamque paludibus in prouinciæ formam redegit. Quam vt annonam vrbis copiosam efficeret, fossas incuria vetustatis limo clausas labore militum patefecit. Huius tempore ex Aegypto vrbi annua ducenties centena millia frumenti inferebantur. Iste Cantabros & Aquitanos, Rhetos, Vindelicos, Dalmatas prouincias numero populo Romano coniunxit: Suevos, Cattosque deleuit. Sigambros

gambros in Galliam transtulit, Pannonios stipendiarios adiecit. Getharum populos, Basternasque lacessitos bellis, ad concordiam compulit. Huic Persæ obsides obtulerunt, eiusdemque regis arbitrium permiserunt, Ad hunc Indi, Scythæ, Garamantes, Æthiopes, legatos cum donis miserunt.

Adeo denique turbas bella simultantes execratus est: vt nisi iustis de causis, numquam genti cuiquam bellum indixerit. Iactantisque esse ingenij & leuissimi dicebat, ardorem triumphandi: & ob lauream coronam, id est, folia infructuosa, in discrimen per incertos euentus certaminum securitatem ciuium præcipitare: Neque imperatori bono quicquam minus quam temeritatem congruere: satis celeriter fieri, quicquid commode gereretur: armaque nisi maioris emolumenti spe nequaquam mouenda esse: ne compendio tenui iactura graui petita victoria similis sit hamo aureo piscantibus, cuius abrupti, amissique detrimentum, nullo capturæ lucro pensari potest. Denique erga ciues clementissimè versatus est: in amicos fidus exstitit. Quorum præcipui erant ob taciturnitatem Mecœnas, ob patientiam laboris, modestiamque Agrippa.

B Diligebat præterea VERGILIVM: tantus quidem ad recipiendas amicitias, ad retinendas constantissimus. Liberalibus studiis, præsertim eloquentiæ in tantum incumbens, vt nullus ne in procinctu quidem, laberetur dies, quin legeret, scriberet, declamaret, Leges alias nouas, alias correctas protulit suo nomine. Auxit, ornauitque ROMAM ædificiis multis: isto glorians dicto: VRBEM LATERICIAM REPPERI, RELINQVO MARMOREAM. Fuit, inquit, gratus ciuilis animi & lepidi: corpore tot opulcher, sed oculis magis. Quorum aciem clarissimorum syderum modo vibrans, libenter accipiebat cedi ab intendentibus, tanquam solis radiis aspectui suo: A cuius facie dum quidam miles oculos auerteret, & interrogaretur ab eo cur ita faceret, respondit: Quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum. Nec tamen vir tantus vitiis caruit, dū cupiditati dominanti ac libidini deseruiuit, eiectaque vxore propria Scribonia nomine, Liuiam, quasi eius viro sibi eam tradente, matrimonio sociauit. Quam tanto dilexit amore, vt eiusdem filios, Tyberium & Drusum suos priuignos, propria prole eiecta, adoptaret in filios. Ex quibus Tyberium successorem imperij designauit. Imperauit annis quinquaginta sex, duodecim cum Antonio, quadraginta vero & quatuor solus. Qui certe numquam aut Reipublicæ potentiam ad se traxisset, aut tam diu ea potiretur: nisi pro causa natiuitatis domini hoc fieret. Qui post mortem quantis honoribus à senatu est sublimatus, enarrare longum est. Hic enim singularem (vt diximus) primus obtinuit principatum, & posteris eandem imperii potestatem, cum suo nomine Augusti dereliquit. Qui circa finem vitæ, Iudæis non ferentibus ferocitatem Archelai filij Herodis, qui post eum annis nouem in Iudæa regnauerat, sed vltro accusantibus, Augustus apud Viennam vrbem Galliæ, Archelaum relegauit, & ad minuendam Iudaici regni potentiam, insolentiamque domandam, quatuor fratres eius pro eo sunt Tetrarchæ creati, Herodes, Antipater, Lisias & Philippus. Quorum Philippus & Herodes, qui Antipas prius nuncupatur, etiam viuente Archelao, Tetrarchæ fuerant ordinati.

A

Tyberio imperante, Ioannes prædicat & baptizat: dominus Iesus prædicando & miracula faciendo ad passionem venit.

CAP. V.

TYberius priuignus Augusti, imperauit annis viginti quatuor. Huius anno duodecimó Pilatus procuraturus Iudæam, dirigitur Hierosolymam. Herodes ergo Tetrarcha, qui Iudæorum principatum tenuit annis viginti quatuor, in honorem Tyberij & matris eius Liuiæ, Tyberiadem condidit, & Libiadem. Itaque anno duodecimo imperij Tyberij, Ioannes filius Zachariæ, in deserto iuxta Iordanis fluenta prædicans, Christum filium Dei in medio eorum adesse testatur. Ipse quoque Dominus Iesus Christus hinc in populos salutarem viam annuntiat: signisatque virtutibus vera comprobans esse quæ diceret. Miracula quæ in Euangeliis scripta sunt, facit Iesus Christus filius Dei, discipulos suos diuinis imbuens sacramentis, vt vniuersis gentibus conuersionem ad Deum nuntient, imperat. Iesus Christus secundum prophetias, quæ de eo fuerant prælocutæ, ad passionem venit, anno Tyberij decimooctauo.

De terræmotu, & tenebris, quæ in passione domini contigerunt, quid scriptores gentilium senserint, seu Iosephus Historiographus.

CAP. VI.

QVo tempore etiam in aliis ethnicorum commētariis, hæc ad verbum scripta reperimus: Solis facta defectio, Bythinia terræmotu concussa, in vrbe Nicæa ædes plurimæ corruerunt: quæ omnia his congruunt, quæ in passione Saluatoris acciderant. Scribit vero, super his & Flegon, qui Olympiadarum egregius supputator est, in XIII. libro ita dicens: Quarto autem anno CC.II. Olympiadis, magna & excellens, inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis facta diei hora sexta, sol in totum obscuratus, tetraque nox subito obducta terris est, & sicut dictum est:

Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem:

Vsqueadeo autem, neque lunam lumini solis, neque nubes obstitisse manifestum est, vt XIV. ea die luna, tota cœli regione interiecta, longissime à conspectu solis affuisse, & stellas tunc diurnis horis, vel potius in illa horrenda nocte toto cœlo fulsisse, referatur. Et, vt supra meminimus, terræ motus in Bythinia Nicenæ vrbis, multas ædes subuertit, ac reliquis Asiæ ciuitatib^9 ab imperatore eo terrę motu dirutis, tributa dimissa sunt.

Hæc supradictus vir. Argumentum autem huius rei, quod Saluator isto anno passus sit, Euāgelium præbet Ioannis, in quo scribitur: Post. XV. annū Tyberij Cæsaris, III. annis dominum prædicasse. Iosephus etiam vernaculus Iudæorum scriptor, circa hæc tempora, die Pentecostes sacerdotes primum commotionem locorum, & quosdam sonitus sensisse restatur. Deinde ex adyto templi repentinam subito erupisse vocem, dicētium. Transmigremus ex his sedibus. Scribit autem supradictus vir, quod eodem anno Pilatus præses secreto noctis imagines Cæsaris in templo statuerit: & hæc prima seditionis & turbarum Iudæis causa extiterit.

Ex hoc loco considerandum, quantæ deinceps calamitates Iudæorum gentem oppresserint. Pilatus post supradictā seditionem, quæ ob Cæsaris imagines fuerat concitata, sacrum thesaurum (quem Corbanan Iudæi vocant) in aquæ ductum Hierosolymorum expēdens, secundæ seditioni præbuit semina. Seianus præfectus Tyberij, qui apud eum plurimū poterat, instantissime cohortatur, vt gentem Iudæorū deleat, vt Philo meminit in libro legationis II. Tyberius siquidem

S

iuuentutem eorum per speciem sacramenti in prouincias grauioris cœli relegauit: reliquos gentis eiusdem vel similia sectantes vrbe submouit, sub pœna perpetuæ seruitutis, nisi obtemperassent.

De ordinatione Iacobi, & VII. diaconorum. Simul etiam de conuersione Abgari regis per Thaddæum.

CAP. VII.

IGitur eo tempore prædicaturi per Iudææ regiones Apostoli post Christi ascensionem Iacobum fratrem domini Hierosolymis ordinant episcopum. Ordinant etiam & VII. diaconos: & lapidato Stephano, Ecclesia per regiones Iudææ & Samariæ dispergitur. Enimuero de his plenius scribere libet. Primus igitur in Apostolorum numero pro Iuda proditore, Matthias sorte asciscitur, qui erat vnus numero per orationes & manus impositionem Apostolorum: ministerij viduarum gratia. In quibus Stephanus qui & primus post Christum lapidatur ab his qui & dominum occiderunt, per quod nominis sui Stephano corona donatur à Christo. Tum deinde Iacobum, qui dicebatur frater domini, hunc inquam ipsum Iacobum, qui & Iustus cognominatus est ab antiquis, virtutum merito & insignis vitæ priuilegio primum historię tradiderunt suscepisse Ecclesiæ quæ in Hierosolymis est sedem: sicut Clemens in VI. dispositionum libro asserit dicens. Petrus enim inquit & Iacobus & Ioannes, post assumptionem Saluatoris quamuis ab ipso fuerint omnibus pene prælati, sibi tamen non vendicant primatus gloriam, sed Iacobum qui dicebatur Iustus, Apostolorum Episcopum statuunt.

Idemque in VII. eiusdem operis libro, addidit de ipso etiam hæc: Iacobo, inquit, qui dicebatur Iustus, & Ioanni & Petro, post resurrectionem domini omnem scientiam tradidit, & ipsi cæteris Apostolis. Qui Apostoli illis LXX. discipulis tradiderunt, ex quibus vnus erat & Barnabas. Duos autem fuisse Iacobos constat: vnum hunc iustum, qui de pinna templi deiectus, fullonis vecte percussus est & morti traditus. Alius autem est ille, qui ab Herode capite cæsus est. Huius ergo Iusti Iacobi, etiam Paulus meminit, cum scribit: Alium autem, inquit, Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem domini. In hoc ergo tempore & Thaddæus, secundum domini præceptum ad regem Abgarum missus, ipsum quidem ægritudine morbi corporalis absoluit: vniuersam vero ciuitatem Edessenorum, Christo domino fidei satis credulitate sociauit, ita vt in hodiernum ciuitas illa, quippe ipsius domini & saluatoris nostri meruit scripta suscipere, velut speciali quadam Christo deuotione dicata sit. De his etiam latius scribere statui. Eusebius in I. libro Historiæ Eccles. dicit: Denique post resurrectionem atque ascensionem domini ad cœlos, Thomas Apostolus ex commonitione diuina, Thaddæum quendam vnum ex LXX discipulis ad Edessenam ciuitatem Euangelistam & prædicatorem verbi Dei mittit, simul & quæ à domino promissa fuerant, impleturum. Hæc in archiuo publico Edessenæ ciuitatis, in qua tunc supradictus Abgarus regnauit, ita descripta repperimus, in his chartis, quæ gesta regis Abgari seruata antiquitus continebant. Et vt euidens dictorum veritas fiat, ipsarum exemplaria epistolarum ab Abgaro ad saluatorem, & saluatoris ad eundem regem, & qualiter hæc gesta sint, pleniter in I. libro Eusebij Ecclesiasticæ historiæ continentur.

De persecutione prima ecclesiæ, qua occasione verbum Dei ad gentes peruenit. Ex quibus Æthiopia illud primum suscepit.

CAP. VIII.

INterea persecutio prima aduersum Ecclesiam Dei, quæ erat Hierosolymis, sub primo martyre Stephano, omnes discipulos, exceptis XI. per vniuersam Iudæam Samariamque dispersit, seu potius, vt sancta scriptura indicat, seminauit. Ex quibus nonnulli ad Phœnicem vsque & Cyprum atque Antiochiam deuenerunt. Qui gentibus quidem credere mysterium fidei nondum audebant, Iudæis tamen prædicabant. Interea Paulus adhuc vastabat Ecclesiam, ingrediens domos, & pertrahens viros ac mulieres, tradebat in carcerem. Sed Philippus, qui erat vnus de septem cum Stephano diaconis ordinatus, descendit Samariam virtute domini repletus, & prædicabat primus verbum Dei Samaritanæ genti. In quo tanta erat diuinæ gratiæ efficacia, vt etiam Simonem magum suis prædicationibus consternaret. Qui per idem tempus celebris famæ apud Samaritanorum populos habebatur, ita vt virtus Dei magna esse putaretur. Sed is cum vidisset signa & miracula, quæ à Philippo per diuinæ gratiæ potestatem fiebant, obstupefactus & territus cessit: credere se in Christum, vsquequo etiam baptismum acciperet, simulauit.

Verum per singulos dies augescente prædicatione verbi diuini, per Dei prouidentiam ex Æthiopiæ regionibus adest quidam, tanquam vota in Hierosolymis redditurus, reginæ gentis illius præpositus. Moris quippe est illi nationi, etiam nunc à fœminis regi. Huic Philippus responsis sancti spiritus iussus, primo ex omnibus gentibus mysterium fidei & sacramentum baptismi tradidit, & velut quasdam cum Deo primitias omnium consecrat nationum. Hunc opinio tenet ad patriam terram regressum, scientiam Dei summi & salutare domini nostri indigenis gentibus, sicut sibi traditum fuerat, prædicasse. In quo rebus ipsis completa est per eum prophetia quæ dicit: Æthiopia perueniet manus eius Deo. Dum hæc ita aguntur: Paulus vas electionis non ex hominibus neque per hominem, sed per reuelationem domini nostri Iesu Christi, & Dei patris, qui eum suscitauit à mortuis, in Apostolatum vocatur: cœlesti ad se voce delata.

Qualiter Pilatus Tyberio & Senatui resurrectionem domini, & miracula eius & quod Deus esset nuntiauit.

CAP. IX.

INterea cum per omnem iam locum de resurrectione & mirabilibus domini nostri Iesu Christi & de ascensione eius ad cœlum felix fama loqueretur, ac per omnium aures beati huius rumoris volueretur opinio, & quoniam antiqui moris erat apud Romanos, vt prouinciarum iudices siquid forte noui in his, quas gerebant prouinciis, accidisset, id vel principi, vel Senatui nunciarent, quo nihil ex his quæ gerebantur, ignorare aliquid viderentur, de resurrectione à mortuis domini & saluatoris nostri Iesu Christi, quæ iam in omnem locum fuerat peruulgata, Pilatus Tyberio principi refert, sed & de cæteris mirabilibus eius, & vt post mortem cũ resurrexisset, à quamplurimis iam Deus esse crederetur. Tyberius quæ compererat, retulit ad Senatum. Senatus autem spreuisse dicitur, pro eo quod non prius sibi huius rei iudicium fuerit delatum, sed authoritatem suam præuenerit vulgi sententia. Lex etenim erat antiquitus designata, nequis apud Romanos Deus haberetur, nisi Senatus decreto

& sententia confirmatus. Porro autem pro vero hoc erat quod agebatur: ne diuina virtus humanis putaretur assertoribus indigere. Cumque secundum ea, quæ supra diximus, renuisset Senatus, Tyberius tamen tenuit sententiam suam, ne quid aduersum doctrinam Christi contrarium moliretur, comminatus periculum mortis accusatoribus Christianorum. Hæc Tertullianus. Quod profecto diuina prouidentia ita tunc Cæsaris sensibus ingessit, vt absque vllo obstaculo in ipsis dumtaxat initiis Euangelij sermo vsquequaque percurreret. Vnde & factum est, vt repente quasi cœlitus lumen ostensum, aut radius quidam solis erumpens, totum orbem claritate superni luminis illustraret, vt completetur & illa prophetia, quæ dixerat. In omnem terram exiuit sonus eorum, euangelistarum dumtaxat & Apostolorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Ex quo & per omnes ciuitates ac vicos immensæ multitudines, velut messium tempore frumenta ad areas, ita ad ecclesiam populi congregabantur.

De vita & actibus Tyberii. Et qualiter in Antiochia ecclesia Christi tum mirabiliter floruit. Vbi primum Christiani nuncupati sunt, & cætera, quæ ea tempestate contigerunt.

CAP. X.

IGitur Tyberius Cæsar, sub quo gesta sunt, quæ præmisimus, satis prudens in armis, satisque fortunatus ante sumptum imperium sub Augusto fuit. Inerat ei scientia litterarum multa: eloquio clarior, sed ingenio pessimo atque insidioso, simulans ea se velle quæ nollet, his quasi infensus, quibus consultum cupiebat: repentinis responsionibus aut consiliis melior, quam meditatis. Hic iam imperator per semetipsum nulla bella gessit, sed tamen aliquantis in locis, præcognitos cito gentium rumores per legatos compressit. Sane quarto imperij eius anno, Germanicus Drusi filius Caligulæ pater de Germanis ad quos ab Augusto sene missus fuerat, triumphauit. Ipse autem Tyberius plurima imperij siti parte, cum magna & graui modestia Reipublicæ præfuit: adeo, vt quibusdam præsidibus augenda prouinciis tributa suadentibus scripserit, boni pastoris esse tondere pecus, non deglubere. Itaque paulatim immutata est illa Tyberij Cæsaris laudatissima modestia in pœnam contradictoris senatus, atque ex mansuetissimo principe, sæuissima bestia exarsit.

Nam plurimos senatorum proscripsit, & ad mortem coegit: XX. sibi patricios viros consilij causa legerat, horum vix II. incolumes reliquit: cæteros diuersis causis necauit. Seianum præfectum suum res nouas molientem interfecit: merito, quia obstinantissime religioni Christianorum contradixit. Filios suos Drusum & Germanicum quorum Drusus naturalis, Germanicus adoptiuus erat, manifestis veneni signis perdidit: filios Germanici filij sui interfecit. Referre singulatim facta eius horret, pudetque. Tanta libidinis & crudelitatis rabie efferbuit. vt qui spreuerant Christo rege saluari, rege Cæsare punirentur. Quo etiam imperante, Agrippa cognomento Herodes, filius Aristoboli, filij Herodis regis, accusator Herodis Tetrarchæ Romam profectus à Tyberio in vincula conijcitur: vbi plurimos sibi asciuit ad amicitiam, & maxime Germanici filium G. Hoc etiam tempore passim per omnes gentilium populos profusius cum effunderetur diuina dignatio: primus apud Cæsaream Palæstinæ vrbem Cornelius cum omni domo sua ad fidem Christi, Petro ministrante perducitur. Iam inde quam plurimi & alij ex gentibus apud Antiochiam ad fidem veniunt eorum prædicatione pertracti, quos proditione aduersus Stephanum commota, disseminatos esse per omnem locum superius edocuimus: per quos & apud Antiochiam florentissima congregatur ecclesia. In qua erant etiam prophetici ordinis viri quam plurimi, cum quibus & Barnabas & Paulus, quibus omnibus pariter in gratia Dei & vnanimitate degentibus, ibi primum discipuli è perenni fonte sumpto vocabulo, appellati sunt Christiani. Quibus diebus Ouidius poeta in exilio diem obiit: Qui ab Augusto sene damnatus fuerat, propter libros amatoriæ artis quos composuerat. Liuius historiographus Patauij moritur. Philippus Tetrarchæ Peneadem, in qua plurimas, ædes construxerat, Cæsaream Philippi vocauit: & Iuliam aliam ciuitatem. Igitur Tyberius multos reges aduocauit per blanditias, quos numquam ad propria remisit. Ex quibus & Archelaum Cappadocum, cuius regno in prouinciam verso, Mazacham nobilissimam ciuitatem, Cæsaream appellari iussit. Multos etiam senatorum & equitum Romanorum interfecit, demum & ipse in Campania moritur.

De Philone, qui Gaii laudibus Ecclesiam exornauit. Et quanta Iudæi mala sub eodem principe sunt perpessi ob vindictam crucis.

CAP. XI.

POst Tyberium. G. Caligula imperium suscepit, Qui continuo Iudæorum principatum tradidit Agrippæ, qui & Herodes vocabatur: liberans eum de vinculis, & dedit Philippi ac Lysaniæ Tetrarchias. Ipsum vero Herodem, qui vel Ioannis necis author extiterat, vel in passione domini interfuerat, multis excruciatum modis, æterno damnat exilio, sicut Iosephus scribit. Huius temporibus Philo insignissimus scriptorum florebat: qui non solum in nostra, verum & in Græcorum philosophia primus inter primos habebatur, Hic autem genere quidem à proauis Hebræis: apud Alexandriam vero omnibus claris & nobilibus viris, clarior ac nobilior erat. In diuinis autem legibus, & patriis institutis quantus qualisque fuerit, ex his quæ nobis librorū suorum tradidit monumentis, omnibus clarum est. Quis enim digne valeat explicare, quanta ei in liberalibus litteris fuerit institutio, quanta in philosophicis, quantusque maxime in Platonicis & Pythagoricis fuerit disciplinis, vt omnes qui secum floruerant, pene & qui præcesserant, superaret. Hic igitur ipse temporibus Gaij quanta Iudæis acciderint mala, v. voluminibus exponit: sed & de eiusdem Gaij mentis insania commemorat, quod in tantum superbiæ elatus sit, vt Deū se voluerit appellari. In ipsis autem vbi de Iudæorum cladibus refert, suam quoque legationem, quā pro contribulibus suis Iudæis detulit ad vrbem Romam, describit, & quod perorans apud Gaium pro patriis legibus, nihil amplius quam irrisionem retulerit domum, imo & pene periculum mortis incurrerit. Sed & Iosephus meminit horum, in XVIII. libro Antiquitatum. Inter cætera dicit, illico è conspectu Gaij cum iniuria esse eiectum. Egressus autem Philo ait ad Iudæos, qui sibi astabant: Bono animo nos esse oportebat, quibus natus est Gaius, quia necesse est adesse diuinum, vbi humanum cessat auxilium. Euidenter enim in Iudæos diuinam pro piaculis, quæ aduersum Christum ausu nefario commiserant, manifestat vltionem. Ipsum enim Philonem, cum secunda vice venisset Romam, legationem gentis suæ ad Claudium deferens, in eadem vrbe locutum esse cum Petro Apostolo, eiusque habuisse amicitias tradunt: & ob hanc causam ecclesiam Marci discipuli Petri apud Alexandriam ornasse laudibus suis. Qui etiam librum de conuersatione & vita nostrorum scribit. Vbi non solum in Alexandri, sed in multis quoque prouinciis esse memorans huius sectæ, tam viros, quā & mulieres

& habitacula eorum, dicens monasteria. Ex quo apparet talem primo credentium Christo fuisse ecclesiam, quales nunc monachi imitantur & cupiunt: vt nihil cuiquam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper: patrimoi …gentibus diuiduntur: orationi vacantes & psalmis, doctrinæ quoque & continentię. Tales eos asseruit quales & Lucas refert, primum Hierosolymæ fuisse credentes. Igitur Iudæos pro commisso scelere in Saluatorem vltio diuina damnabat, vt idem author atque Iosephus suis tradunt historiis, ostendens quidem euidentibus verbis, quod ex admissi sacrilegij tempore numquam ab eis seditionum furor, numquam bella mortesque cessauerunt vsquequo vltimum & exitiale malum temporibus Vespasiani eos obsidioni inclusit. Primum sub Tyberio, de quo in passione domini clamabant: Non habemus regem nisi Cæsarem: quantas pertulerint clades, partim vt supradicti produnt scriptores, quia impossibile erat omnia eorum à prædicto tempore scribere, quæ eis acciderant instantissime mala: dum versi in seditionem propter pecunias ex sacrario, quod corbonan vocant, in aquæductum à Pilato expensas: quibus modis afflicti atque contriti sint, nec non noctu Pilatus imagines Cæsaris velatas inferri Hierosolymam iubet, ac statui. Quod, vbi dies exortus est, magnam perturbationem Iudæorum populis excitauit: stupentibus & perturbatis ad nouam faciem rerum. Coniiciebant, namque ex hoc, quod spernerentur & conculcarentur iam leges suæ, & omnia instituta maiorum, quibus nihil tale haberi intra mœnia vrbis illius fas erat. Sed hoc est nimirum, in quo eos impiæ professionis suæ, velox vindicta dãnauit. Igitur Gaius supra omne genus hominum, Iudæos habebat exosos, Qui speciali quadam sæuitia loca eorũ, quæ in diuinis habentur supplicationibus consecrata, incipiens ab Alexandria, diripi & contra religionem moresque gentis profanari iubet: statuis suis & signis ea atque imaginibus replens. Templum quoque sanctæ ciuitatis, quod solum manebat totius profanæ contagionis intactum, & maioribus perdurauerat asylum commutare in templum proprij nominis ausus est: vt ædis Iouis nobilissimi Dei noui Gaij vocaretur. Sed & alias innumeras clades & vltra omnes tragicos luctus, apud Alexandriam Iudæis irrogatas esse sub Gaio, insuper toto orbe Romano, sicut Philo scribit, & Iosephus in synagogis Iudæorum, statuæ & imagines & aræ Gaij Cæsaris consecratæ.

De Herode & Pilato qui iustas luerunt pœnas, ac de nefariis actibus Gaij Caligulæ.

CAP. XII.

HErodes Tetrarcha, & ipse Gaij amicitiam petens, cogente Herodiade Romam venit. Sed accusatus ab Agrippa, etiam Tetrarchiam perdidit: fugiensque in Hispaniam cum Herodiade mœrore periit. Sed & Pilatus qui in Saluatorem iniqui iudicij functus officio est: iisdem temporibus Gaij, tantis ac talibus malorum cladibus excruciatus est, vt propria se manu transuerberasse, & nefariam vitam vi abiecisse referatur. Nec enim poterat tanti piaculi minister impunitus euadere, sicut in historiis Græcorum reperimus: eorum dumtaxat qui Olympiadas scribunt; & annales rerum gestarum libros, ad posteritatis memoriam condunt. Gaius autem cognomento Caligula, imperauit annos IV. qui ante principatum omnibus charus acceptusque fuit: in principatũ vero talis, vt non immerito vulgaretur, atrociorem illo Dominum non fuisse. Denique tres sorores suas stupro maculauit: ac deinde exilio insularum condemnauit. Itaque in palatio matronas nobiles publicæ libdini subiecit: primus Cæsarum dia- A demate imposito, Dominum se iussit appellari, & vt Deum coli: Hic etiam Memmij Reguli vxorem duxit, impellens eum, vt se esse vxoris suæ patrem scriberet, & patrimonia sua ei traderet, Hinc omnes exules iussit interfici, plurimosque nobilium Romanorum: sed non vt voluit, fertur enim exclamasse: Vtinam populus Romanus vnam ceruicem habuisset. Ipse autem à protectoribus suis in palatio occisus est, anno ætatis XXIX.

De aduentu beati Petri Romam sub Claudio, & de gestis eiusdem Claudij. Et quæ eo imperante gesta sint.

CAP. XIII.

CLaudins Titus, Drusi fratris Tiberij filius, patruus Caligulæ, imperauit annis minus XIV. In cuius regni exordio, Petrus Apostolus Domini nostri Iesu Christi Romam venit, ibique XXV. annis cathe-
B dram tenuit Episcopalem: & salutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuit, potentissimisque virtutibus approbauit atque ex hinc Christianorum plurimi Romæ esse cœperunt. Sensit hoc fidei suæ Roma beneficium, Nam eum interfecto Caligula, multi de abrogando imperio, ac Republica in antiquum ordinem restituenda, delendamque penitus Cæsarum vniuersam familiam Senatus & consules decreuissent, Claudius mox vt confirmauit imperium, magna atque adhuc Romæ incognita vsus clementia, ne in tantam nobiliũ multitudinem vltio sæuiret, omnibus indulsit, quicquid in semet, vel suos mali senatus vel consules fecissent, vel facere sanxissent. Accidit etiam eodem tempore præsentis gratiæ Dei grande miraculum. Siquidem F. Camillus Scribonianus Dalmatiæ legatus, bellum Ciuile molitus, legiones multas fortissimasque ad sacramenti mutationem pellexerat. Itaque die dato vt in vnum vndique ac nouum imperatorem conueniretur, neque aquilæ ordinari, neque conuelli quo-
C quomodo signa mouerïue potuerunt. Exercitus tanta & tam inusitata miraculi fide motus, & conuersus in pœnitentiam: Scribonianum quinta statim die destitutũ interfecit: seseque sacramenro prioris militię continuit. Tristius ac perniciosius vrbi Romæ nihil vnquam fuisse, quam bella Ciuilia, satis notum est. Itaque propter aduentum Apostoli Petri, & tenera Christianorum germina, vix dum adhuc pauca ad sanctæ fidei professionem erumpentia, hæc exoriens tyrannis & consurgens istud ciuile bellum diuinitus est compressum. Itaque Claudius expeditionem in Britanniam mouit, quæ excitata in tumultum propter non redditos transfugas videbatur, transuectus in insulam est, quam neque ante Iulium Cæsarem, neque post eum quisquam adire ausus fuerat: ibique vt verbis Suetonij Tranquilli loquar, sine vllo prælio ac sanguine intra paucissimos dies plurimam insulę partẽ in deditionem recipit. Orchadas etiam insulas vltra Britan-
D niam in Oceano positas Romano adiecit imperio, ac sexto postquam profectus erat mense Romam rediit. Eodem tempore imperij eius fames grauissima per Syriam facta est, insuper & per vniuersum orbem, quam etiam nostri prophetæ prænunciauerant. Sed Christianorum necessitatibus apud Hierosolymam conuectis ab Ægypto frumentis, Helena Adiebenorum regina conuersa ad fidem Christi, largissime ministrauit. Veruntamen sequenti anno tanta fames Romæ fuit, vt medio foro Imperator correptus à populo, conuiciis & fragminibus panis turpissime infestatus, ægre per Seudorytum in palatium refugiens, furorem excitatæ plebis euaserit. Paruo autem intercedente tempore XXX. & V. senatores, & CCC. simul equites Romanos minimis ex causis interfecit.

De Iacobo ab Herode decollato, & de cruciatibus eiusdem Herodis per angelum.

A

CAP. XIV.

EA tempestate immisit Herodes (qui & Agrippa) manus, vt affligeret aliquos de ecclesia, & interfecit Iacobum fratrem Ioannis gladio. De hoc autem Iacobo Alexandrinus Clemens etiam historiam quandam dignam memoria in septimo dispositionum suarum libro scribit, perlatam ad se vsque à traditione maiorum: Quoniam quidem, inquit, & is qui obtulerat eum iudici ad martyrium, Iacobum scilicet, motus etiam ipse confessus est se esse Christianum: Ducti sunt, inquit, ambo pariter ad supplicium, & cum ducerentur in via, rogauit Iacobum dari sibi remissionem. At ille parum deliberans. Pax tibi, inquit, & osculatus est eum, & ita ambo simul capite plexi sunt. Sed tunc, vt ait scriptura diuina, videns Herodes, quia de Iacobi nece gratū esset Iudæis, addidit adhuc & Petrū conicit in carcerē, sine dubio ipsum punire volēs, nisi diuinum affuisset auxilium. Quo angelus ei nocte assistens mirabiliter eum vinculorum nexibus soluit, & ad ministerium prædicationis ire liberum iussit. Et cum Petro quidem hæc gesta sunt. Regis vero facinus in Apostolos perpetratum, dilationem non patitur vltionis, sed continuo vindex adest diuinitus dextera, sicut historia in Apostolorum Actibus conscripta nos edocet. Iosephus vero nonodecimo Antiquitatum libro de eo ita ait: Cum forte Cæsaream (quæ prius Pyrgos Stratonis vocabatur) aduenit, vbi cum in honorē Cæsaris spectacula ciuibus ederet, votiuò (vt videbatur) salutis Cæsaris die: cumque illuc totius prouinciæ viri honore & facultatibus præditi conuenissent, secundo spectaculorum die, indutus veste fulgenti ex auro argentoque mirabiliter contexta, incipiente die procedit ad theatrum. Vbi cum primos solis radios argenteæ vestis gremio suscepisset, repercusso splendore, duplicatam spectantibus lucem fulgor metalli vibrantis effudit, vt intuentibus præstringeret aciem, terror aspectus, & per hoc plus aliquid de eo, quam humanæ naturæ est, artifex arrogantia mentiretur. Illico adulantis vulgi concrepant voces honorem sonantes, sed exitium ferentes, & hinc atque illinc caueis conclamantibus Deus compellatur, & propitius suppliciter exoratur, dicentibus populis: Hucusque vt hominem te timuimus: sed ex hoc iam supra humanam te esse naturam fatemur. Sed rex acclamationem contra fas habitam non repressit, nec impietatem illicitæ adulationis exhorruit, donec respiciens paulo post, imminentem atque insistentem capiti suo videret angelum, cumque sensit continuo exitij sui ministrum, quem prius nouerat prouisorem bonorum. Et ecce repente cruciatus cum ex dolore incredibili ventris atque inflatione corripuit. Respiciensque ad amicos: En, inquit, ille ego Deus vester, ecce propellor confestim & deturbor ex vita: quoniam quidem diuina virtus nuper collatas in me falsas arguit voces, & qui modo immortalis dicebar à vobis, princeps iamiamque rapior in mortem. Itaque vermibus scatens hanc miserabiliter finiuit vitam, qui regnauerat annis VII. quatuor sub Gaio, & tribus sub Claudio, filiumque Agrippam regni successorem reliquit. Qui permansit in eo vsque ad euersionem Hierosolymorum templique destructionem.

Auct. Biblioth. Vet. Patr. Tom. 2.

De Theoda falso propheta, de quo legitur in Actis Apostolorum, & de Claudio vitiis subiecto, atque ipsius nece.

CAP. XV.

QVo etiam in tempore Theodas quidam extitit, dicens se esse quendam magum, qui & ipse omnesque qui eum sequebantur perierunt. De quo deceptore Iosephus pleniter refert, qualiter suis mendaciis atque falsis promissionibus populi multitudinem sublatis propriis facultatibus vrbes excedere fecit, & ripas Iordanis fluminis obsidere, ac deinceps qualiter periit, & quotquot eum secuti sunt.

Verum per idem tempus, Paulo Apostolo ab Hierusalem in circuitu & vsque ad Illyricum prædicationem verbi dominici ministrante, Claudius Imperator Iudæos vrbe depellit. Tunc Aquila & Prisca cum cæteris Iudæis vrbe expulsi in Asiam veniunt, ibique cohærent Apostolo: tunc primum ecclesiæ fundamenta inibi facientes, sicut edocet liber de Actibus Apostolorum conscriptus. Claudio vero adhuc in imperio perdurante, in ipsa solemnitate Paschæ tanta Iudæis perturbatio & vastitas Hierosolymis accidit in seditione commota, vt de illis solis, qui in foribus templi constipatione populi necati sunt, triginta millia Iudæorum numerarentur, & conuersus est dies festus eorum in luctum. Sed alia quamplurima Iudæis mala irrogata Iosephus per hæc verba designat: Post hæc autem interiectis quibusdam, addidit etiam ista: Grauius vero omni hac vastatione afflixit Iudæos Ægyptius quidam falsus propheta, qui cum venisset ad Iudæam homo magus fidem sibi prophetæ magica arte conscivit. Et continuo ad XXX. millia virorum congregans & ductans eos per desertum, peruenit cum ipsis ad montem qui vocatur Oliueti, paratus inde irruere Hierosolymam, & vi ac potestate vrbem tenere, simulque Romanorū præsidia ac plebem tyrannidi suæ subiugare, fretus per omnia his quos secum eduxerat satellitibus. Sed conatus eius præuenit Felix, confestimque cum armatis obuiam pergens, secum etiam plebe reliqua conspirante: congressione facta Ægyptium quidem cum paucis in fugam vertit, peremptis vero aliis, aliis etiam captis temere cœpta facile restrinxit. Hæc in secundo historiarum libro Iosephus refert. Operæpretium tamen est hæc quæ de Ægypto scribit, eum illis quæ in Apost. Actibus designata sunt comparare: vbi sub Felice tribunus qui in Hierosolymis erat, ad Paulum, in quem Iudæorum fuerat commota seditio, dicit: Nonne tu es Ægyptius ille, qui ante hos dies concitaueras populum, & eduxeras in desertum ad quatuor millia hominum sicariorum? Sed sufficiunt ista de Felice. Igitur descriptione facta Romæ sub Claudio, inuenta sunt ciuium Romanorum LX. IX. centena, & XLIV. millia: aqua introducta Romam quæ vocabatur Claudia. Hic vero princeps ventri, vino, fœdæ libidini obediens, libertorum & coniugis imperiis subiectus fuit. Vocabatur enim vxor eius, Messalina, quæ primum passim vtebatur adulteris. Dehinc atrocius accensa nobiliores quasque nuptas & virgines, scortorum more secum habere proposuerat: ita liberti eius potestatem summam adepti.

Ex quibus Felicem legionibus Iudææ præfecit, apud quem Paulus Apost. accusatus, in defensionem sui perorat. Is itaque Claudius deinceps Aggrippinam Germanici fratris sui filiam vxorem duxit. Quæ filio imperium procurans, primo priuignos insidiis multiformibus, dehinc ipsum coniugem veneno interemit. Vixit annis LXIV. cuius funus vt quondam in Tarquinio Prisco diu occultatum fuit, dum arte muliebri custodes ægrum simulant.

De Neronis actibus sceleratissimis, & de interfectione Senecæ sui præceptoris, atque Lucani poetæ.

CAP. XVI.

NEro priuignus eius imperij iura suscepit, mansitque in eo annis non plenis XIV. G. Caligulæ auunculi sui erga omnia vitia ac scelera sectator, imo transgressor: petulantiam, libidinem, luxuriam, auaritiam, crudelitatem exercuit, & omni scelere se polluit. Siquidem petulantia percitus, omnia pene Italiæ ac Græciæ theatra perlustrans, assumpto etiam varij vestitus dedecore, ceticas, citharistas, tragœdos & aurigas sæpe sibi superasse visus est. Libidinibus porro tantis exagitatus est, vt nec à matre quidem vel sorore vllaue consanguinitatis reuerentia abstinuisse referatur: virum in vxorem duxerit, ipse à viro vt vxor acceptus est. Luxuriæ vero tam effrenatæ fuit, vt retibus aureis piscaretur, quæ purpureis funibus extrahebantur, frigidis & calidis lauaret vnguentis, qui etiam numquam minus mille carrucis confecisse iter traditur. Denique vrbis Romæ incendium voluptatis suæ spectaculum fecit. Per sex dies septemque noctes ardens ciuitas regios pauit aspectus. Horrea quadro structa lapide, magicæque illæ veterum insulæ, quas discurrens adire flamma non poterat, magnis machinis quondam ad externa bella præparatæ, labefactæ atque inflammatæ sunt. Ad monumentorum bustorumq; diuersoria infelici plebe compulsa, quod ipse ex altissima illa Mecœnatina turre prospectans, lætus flammæ (vt aiebat) pulchritudine, tragico habitu Iliada decantabat. Auaritiæ autem tam præruptæ extitit, vt post hoc incendium vrbis, quam se Augustus ex latericia marmoream reddidisse iactauerat, neminem ad reliquias rerum suarum adire permiserit. Cuncta quæ flammæ quoquo modo superfuerãt ipse abstulit. Centies centena millia sexcentium annua ad expensas senatus conferri sibi imperauit. Plurimos senatorum nulla extante causa bonis priuauit. Negotiatorum omnium sub vna die tormentis quoque adhibitis omnem penitus censum abstersit. Nero hic primus persecutus est Christianos, qui etiam Petrum & Paulum Apostolos occidit. Crudelitatis autem rabie ita efferatus est, vt plurimam senatus partem interfecerit, equestrem ordinem pene destituerit. Sed ne parricidiis quidem abstinuit. Matrem, fratrem, sororem, vxorem, cæterosque omnes cognatos & propinquos sine hæsitatione prostrauit. Hic etiam Senecam institutorem in liberalibus disciplinis atque ductorem suum, quia eum de vtilitate reipub. ac honestate vitæ monere curabat, virum nobilem & Pauli Apost. amicum interfecit. Similiter & Lucanum poëtam eiusdem Senecæ auunculum peremit. Is enim Seneca Cordubensis continentissimæ vitæ fuit. Quem, vt prædiximus, illæ amicum Pauli fuisse epistolæ declarant, quæ legũtur à plurimis Pauli ad Senecam, & Senecæ ad Paulum. In quibus cum esset Neronis magister, & illius temporis potentissimus, optare se dicit eius esse loci apud suos, cuius Paulus sit inter Christianos. Hic ante biennium quam Petrus & Paulus martyrio coronarentur, à Nerone interfectus est.

De Pauli resolutione & secunda eius prædicatione, antequam martyrio coronaretur sub Nerone.

CAP. XVII.

INterea imperante Nerone, Festus mittitur in Iudæam, vt succedat Felici. Apud quem vt in Actib. Apost. legimus, Paulus pro se agens, dato illi edicto

A vinctus mittitur Romam. Vbi biennio positus verbum Dei prædicabat nemine prohibente. Et cum pro defensione sua satisfecisset Neroni solutus est à custodia. Et rursum profectus esset ad prædicationis officium, authoritate antiquorum confirmatus, hic tamen Paulus Apostolus, qui ante Saulus, extra numerum XII. Apost. de tribu Beniamin & oppido Iudææ Gisgali fuit. Quo à Romanis capto, cum parentibus suis Tharsum Ciliciæ commigrauit. A quibus ob studia legis missus Hierosolymam, à Gamaliele viro doctissimo, cuius Lucas meminit, eruditus est. Cum autem interfuisset neci martyris Stephani, & acceptis à Pontifice templi epistolis, ad persequendos eos qui in Christo crediderant, Damascum pergeret: reuelatione compulsus ad fidem, quæ in Actibus Apost. scribitur, in vas electionis de persecutore translatus est. Cumque primum ad prædicationem eius Sergius Paulus proconsul Cypri credidisset, ab eo quod eum Christi fidei subegerat, sortitus est hoc nomen. Et iuncto sibi

B Barnaba multis vrbibus peragratis, reuertensque Hierosolymam, à Petro ac Iacobo & Ioanne gentium Apostolus ordinatur: Et quia in Act. Apost. plenissime de eius conuersatione scriptum est, hoc tantum dicam, quod post passionem domini vicesimo quinto anno I. Neronis primo, quo Festus procurator Iudææ successit Felici, Romam vinctus mittitur, & per biennium in libera manens custodia, aduersum Iudæos de aduentu Christi quotidie disputauit. Sciendũ autem in prima satisfactione, necdum Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiæ, Paulum à Nerone dimissum, vt euangelium Christi in occidentis quoque partibus prædicaretur, sicut ipse scribit in II. epist. ad Timoth. eo tempore quo & passus est, & de vinculis dictat epistolam: In prima mea satisfactione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt, non eis imputetur. Dominus autem mihi affuit & confortauit, vt per me prædicatio compleretur, & audirent omnes gentes, & liberatus

C sum de ore leonis: manifestissime leonem propter crudelitatem, Neronem significans.

Et in sequentibus: Liberatus sum de ore leonis. Et statim: Liberauit me dominus ab omni opere malo, & saluauit me in regnum suum, eo quod sciret præsens sibi imminere martyrium. Nam in eadem epistola præmiserat: Ego iam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. Hic ergo XIV. Neronis anno, eodem die, quo Petrus Romæ pro Christo capite truncatur, sepultus est in via Ostiensi, anno post passionem domini XXXVII.

De nece Iacobi Iusti, Apostolorum Episcopi, & quid de illo historia referant.

CAP. XVIII.

D SVb Neronis etiam imperio, Iacobus qui ab Apostolis ordinatus Hierosolymis est Episcopus martyrio consummatur. Qui frater domini vocabatur, eo quod filius sororis Mariæ matris domini esset, quamuis aliqui existimarent Ioseph eum genuisse ex alia vxore. Refert in hunc modum satis fidelis historiographus de eo Ægesippus, qui post ipsas statim primas Apostolorum successiones fuit, in quinto commentariorum suorum lib. his verbis: Suscepit, inquit Ecclesiam cum Apostolis frater domini Iacobus, qui ab omnibus cognominatus est Iustus, ab ipsis domini tẽporibus perdurans vsque ad nos. Et multi quidem Iacobi vocati sunt, sed hic ex vtero matris suæ sanctus fuit, vinum & siceram non bibit, sed neque animal manducauit, ferrum in caput eius non ascendit, oleo enim est perunctus, balneis non est vsus, huic soli licebat introire in sancta sanctorum. Neque enim laneo vtebatur indumento, sed tantum sindone. Solus ingredieba-

tur in templum, & iacebat super genua sua, orans pro populi indulgentia, ita vt orando callos faceret in genibus ad modum cameli, semper genua flectendo, nec vnquam ab oratione cessando. Itaque pro incredibili hac continentia & summa iustitia appellatus est Iustus.

Igitur cum maxima multitudo tam Iudæorum quam & gentilium vbique crederent in Iesum, scribæ & pharisæi liuore permoti atque perturbati dixerunt ad inuicem: Nihil proficimus, ecce totus mundus credit in Iesum. Inito autem consilio adeunt Iacobum fratrem domini dicentes: Deprecamur ergo te vt suadeas omnibus conuenientibus in die Paschæ de Iesu, Tibi enim omnes obtemperamus, & de te tam nos quam populus testimonium perhibemus, quia iustus es, & personam nullius accipis. Tu ergo suade populo de Iesu ne erret, quia omnes tibi obedimus. Ascende itaque in excelsum locum pinnæ templi, vt in edito positus appareas omnibus, & verba tua audiantur à cunctis, Igitur quia in diebus Paschæ conueniunt, non solum Iudæorum, sed & gentilium multitudo, statuerunt eum supradicti scribæ & Pharisæi super pinnam templi, & voce magna clamantes ad eum dicunt: Virorum iustissime, cui omnes nos obtemperare debemus, quoniam populus errat post Iesum qui crucifixus est, enuncia nobis quod sit ostium Iesu. Tum Iacobus ingenti voce ad eos respondit: Quid me interrogatis de filio hominis? Et ecce ipse sedet in cœlis à dextris summæ virtutis, & ipse venturus est in nubibus cœli. Cumque responsione & testimonio Iacobi multis satisfactum esset, & libenter audissent quæ Iacobus protestatus est, cœperunt glorificare Deum & dicere: Osanna filio Dauid. Tunc scribæ & pharisæi ac sacerdotes indignati sunt, & versi in furorem præcipitauerunt de pinna templi, & lapidando occiderunt eum pro ipsis orantem. Sed & Iosephus in xx. lib. Antiquit. refert de eo, & Clemens in vii. sic ait: Mortuo Festo qui Iudæam regebat, missum esse à Nerone successorem eius Albinum. Qui cum necdum ad prouinciam peruenisset, Annianus inquit pontifex Adolescens Annaniæ filius de genere sacerdotali, accepta occasione Concilium celebrauit, compellens publice Iacobum, vt Christum Dei filium denegaret, contradicentem lapidare iussit. Qui præcipitatus de pinna templi, confractis cruribus, adhuc semiuiuus tollens ad cœlum manus cum diceret: Domine ignosce eis, quod enim faciunt nesciunt: Fullonis fuste quo vestimenta extorqueri solent, in cerebro percussus interiit. Tradit enim idem Iosephus tantæ sanctitatis fuisse & qualitatis in populo, vt propter eius necem creditum sit subuersam Hierosolymam. Hic est de quo Paulus Apostolus scribit ad Galatas. Alium autem Apostolorũ vidi neminem, nisi Iacobum fratrem domini, & Apostolorum super hoc crebrius acta testãtur. Hieronym. autem de eo ita refert: Euangelium quoque quod appellatur secundum Hebræos, & tamen nuper in græcum sermonem latinumque translatum est, quod & Adamantius sæpe testatur ac vtitur eo, post resurrectionem saluatoris legitur in eo: Dominus autem cum dedisset synodem seruo sacerdotis, iuit ad sacerdotem Iacobum, & apparuit ei. Iurauerat enim Iacobus se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem domini, donec videret eum resurgentem à dormientibus. Rursumque post paululum: Ferte, ait dominus, mensam, statimque additur: Tulit panem & benedixit ac fregit, dedit Iacobo Iusto & dixit ei: *Frater mi* comede panem tuum, quia surrexit filius *hominis* à dormientibus Triginta itaque annis *Hierosolymis* rexit ecclesiam, id est, vsque ad vii. Neronis *annum*. Et iuxta templum vbi præcipitatus fuerat *sepultus*, titulum eis ad obsidionem Titi & vltima Hadriani no*tissimum* habuit.

De Iuda Iacobi fratre.

CAP. XIX.

IVdas Iacobi frater in Mesopotamia atque interioribus Ponti euangelisans feras & indomitas gentes quasi belluarum naturas suo sancto dogmate mitigat; & fidei dominicæ subiugat: sepultus est in Nerito Armeniæ vrbe: paruam, quæ de vii. est catholicis, epistolam reliquit.

De Simone Petro, qualiter dimicauit contra magum Simonem, & de sceleratissima morte Neronis.

CAP. XX.

SImon Petrus filius Ioannis, prouinciæ Galilææ à vico Bethsaida, frater Andreæ Apostoli & princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum qui de circumcisione crediderunt, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithinia atque Italia Euangelium prædicauit, hatumque virtutum insigniis effulsit. Pendulo gressu feruidum mare calcauit, præteriens vmbra sua mortuos animauit, claudis pristinum redintegrauit officium, paralytici fluida membra in proprium reparauit statum. Inter hæc defunctam viduam suscitauit, Ananiam & Sapphyram reos perfidiæ mortis animaduersione damnauit. Simonem etiam magicis artibus cœlum conscendentem ad terram elisit. Libet etiam de Petro Apostolorum principe latius aliquid disserere. Interea cum fides domini & saluatoris nostri Iesu Christi per omnium cresceret mentes, & per dies singulos religionis propagarentur augmenta, nequaquam quiescit hostis salutis humanæ, sed ad vrbem maximam quæ est caput omnium præuenit, & Simonem illum, de quo in superioribus diximus, euocat. Cuius nefariis artibus adminicula ipse maiora suppeditans, plurimos vrbis illius ciues in erroris eius vincula coniecit. De quo Iustinus non multo post Apostolorum tempus exortus, inter scriptores nobilis vir, in Apologetico, quem pro fide nostra ad imperatorem Antonium scribit, de eo ita hoc modo refert. Et post ascensionem, inquit, domini ad cœlum, instigabant dæmones quosdam hominum qui dicerent se Deos esse, quos nos fugauimus. Simon denique quidam Samaritanus, de vico qui dicitur Gittho, sub Claudio Cæsare magicis artibus & ope dæmonum sublenatus, in vrbe vestra, quæ regnorum omnium est caput quam plurimis per phantasias deceptis, Deus decretus est à Senatu: & simulachri apud vos quasi Deus honore donatus, in flumine Tyberis inter duos pontes collocati, habens etiam titulum latinis litteris scriptum: Simoni Deo sancto, quem & omnes pene Samaritæ, nonnulli etiam ex cęteris gentibus tanquam summũ Deum & adorant &, confitentur. Sed & Selenen quandam meretricem erroris eius ac deceptionis comitem, prius in prostibulo steterat, apud Tyrum vrbem Phœnicis, cũ ipso velut primam quandam mentẽ consecrauerunt. Hæc quidem Iustinus. Consona vere huic etiam Irenæus scribit primo aduersus hæreses libro. In quo, vel quis ipse fuerit Simõ, vel quam impura eius opera atq; doctrina plenius refert: vel quã diuersis præstigiis ac diabolicis fraudibus homines fallendo seduxerat, quod multum est, vt his inseramus: cum liceat volẽtib⁹ ea scire per singula, ex ipsius supradicti Irenæi libris, vel de hoc vel de cæteris authoribus diuersarum hæreseon, & de venenatis eorum dogmatibus diligẽtius noscere poterit. Caput igitur totius prauitatis, & principiũ omnis hæresis à Simone cœpisse accipimus. Hunc igitur talium malorum patrem & authorem

per idem tempus Simeonem ex apparitorum suorum numero diabolus suscitans, ad vrbem maximam ire compulit Romam: vt ibi potentissimis athletis domini ac saluatoris nostri Iesu Christi Apostolis, in hoc ipsum ab eo subrogatis resisteret. Sed diuina virtus & gratia in maximo præcipuoque certamine, numquam deserit suos: quæ incensam maligni flammam, tota celeritate restinguit, & omnem altitudinem destruit, extollentem se aduersum scientiam Dei. Propter quod neque Simon, neque alius quis congressus tunc aduersum Apostolos domini, potuit obtinere victoriam: quia veritatis lux & verbi diuini claritas, quæ ob salutem hominum nuper obfulserat, per Apostolos suos totius mendacij discussa caligine, de humanis mentibus, ignorantiæ tenebras effugabat. Denique supradictus magus veri luminis fulgore percussus, cæcitatem continuo male sanæ mentis incurrit. Quippe qui iam & prius in Iudæa per Apostolum Petrum de his quæ gerebat sceleribus confutatus, transmarinam aggressus est fugam, & ab oriente pertendit vsque ad occidentem, nusquam sibi vitam, nisi in fugæ subsidio sperans. Is igitur vrbem Romam ingressus, vtens adminiculo assistentis sibi meretricis Selenis & adhærentis, in tantum malorum venit profectum: vt etiam simulachri à ciuibus Romanis tanquam Deus honore potiretur. Sed non in longum permanet fraude quæsita diuinitas. Continuo namque in ipsis Claudij temporibus, clemētia diuinæ prouidentiæ probatissimum omnium & Apostolorum maximum fidei magnificētia & virtutis merito, primorum principem Petrum ad vrbem Romam velut aduersum humani generis communem perniciem repugnaturum deducit: ducem quendam & magistrum militiæ suæ scientem diuina prælia gerere, & virtutum castra ductare. Iste adueniens ex Orientis partibus, vt cœlestis quidam negociator: mercimonia diuini luminis, si quis sit comparare paratus, adduxit: & salutaribus prædicationis verbis, primus in vrbe Roma euangelii clauibus ianuam cœlestis regni aperuit. Igitur cum Romanæ vrbi clarum verbum Dei lumen fuisset exortum, Simonis quidem tenebræ cum suo authore restinctæ sunt. Sermo autem veritatis & lucis qui per Petrum prædicabatur, vniuersorum mentes placido illustrauit auditu: ita vt quotidie audientibus eum nulla vnquam satietas fieret. Vnde neque auditio eis sola suffecit, sed Marcum discipulum eius omnibus precibus exorat, vti ea quæ ille verbo prædicabat, ad perpetuam eorūm commonitionem habendam scripturæ traderet, qua domi forisque in huiuscemodi verbis meditationibus permanerēt. Nec prius ab obsecrādo desistunt, quam quæ orauerant impetrarent. Et hæc fuit causa scribendi, quod secundum Marcum dicitur Euangelium, Petrus vero vt per Spiritum sanctum religioso se spoliatum comperit furto, delectatus est: fidem eorum per hæc deuotionemque considerans, factumq; confirmauit: & in perpetuum legendam scripturam ecclesiis tradidit. Hic postquam Antiochenam fundauit ecclesiam sub Claudio Cæsare contra eundem Simonem magum Romam pergit: ibique prædicans euangelium xx & v. annis, eiusdem vrbis pontificatum tenuit. Sexto & xxx. anno post passionem Domini à Nerone Cæsar in vrbe Roma deorsum, vt ipse voluit, capite crucifixus est. Scripsit duas epistolas, quæ catholicæ nominantur: sed & euangelium (vt diximus) Marcum, qui auditor eius fuit & interpres. Libri autem è quibus vnus Actuum eius inscribitur, alius euāgelii, tertius prædicationis, quartus Apocalypseos, quintus Iudicii inter apocryphas scripturas reputantur. Igitur post insignia eius mirabiliter gesta virtutibus atque doctrinis: post etiam triumphos, quibus Simonem sępius congressum rediuiua molientem diabolo instigante certamina prostrauit atque vicit.

Tunc vero omnium hominum sceleratissimus, vt

A apertum se hostem diuinitatis ostenderet, & pietatis ipsorum prius Apostolorum, quippe qui duces & signiferi erant in populo Dei, expetit neces: & Paulum quidem capite in ipsa vrbe Roma, Petrum vero crucis patibulo condemnat. Attamen diuinæ vltionis sententiam in se mox expertus est. Cumque & alia incredibilia perturbandæ imo subruendæ reipublicæ mala moliretur, hostis à Senatu pronuntiatur: & ignominiosissime fugiens, ad quartum ab vrbe lapidem sese ipse interfecit, atque in eo omnis Cæsarum familia consumpta est.

De tyrannis post turpissimam mortem Neronis exortis, & cito extinctis, vsque ad Vespasiani principatum.

CAP. XXI.

B IGitur Galba qui apud Hispanias ab exercitu imperator creatus fuerat: audita morte Neronis, venit Romam, vsurpans sibi imperium. Cumque auaritia, sæuitia, segnitiaque offenderet omnes: Pisonem sibi nobilem industriumque adolescentem, in filium atque regnum adoptauit. Hic ante sumptam dominationem multas prouincias egregie administrauit, militem seuerissime tractans, ita vt ingresso eo castra, vulgaretur statim: Disce militare miles, Galba adest. Nam menses VII. totidemque dies imperauit: qui factione Othonis occisus est. Igitur Ottho cum Galba & Pisone Romæ interemptis, intra tumultus cædesque inuasisset imperium, ac mox creatum imperatorem in Gallia per Germanicas legiones Vitellium comperisset: bellum ciuile molitus, tribus primum leuibus præliis contra Vitellianos duces congressus victor extitisset: quarto apud Hadriacum prælio cum animaduertisset suos vinci, mense tertio quam imperare cœperat, sese interfecit. Vitellius victor Romam venit. Vbi cum multa crudeliter ac nequiter ageret, incredibili C etiam voracitatis appetitu humanam vitam probris aggrauaret: postquam de Vespasiano comperit, primum deponere molitus imperium, post à quibusdam animatus Sabinum Vespasiani fratrem, nihil tum mali suspicantem, cum cæteris Flauianis in Capitolium compulit: succensoque templo & mixta simul flamma ruinaque omnis in vnum pariter interitum ac tumulū dedit. Post deficiente in Vespasiani nomen exercitu suo destitutus, appropinquantibus iam hostibus, trepidus, cum se in quandam proximam palatio cellulam contraxisset, turpissime inde protractus cum per viam sacram nudus duceretur, passim fimum in os eius conicientibus, in forum deductus, octauo quam regnum præsumpserat mense apud Gemonias scalas minutissimorum ictuum crebris compunctionibus excarnificatus: atque inde vnco tractus in Tyberim mersus, etiam communi caruit sepultura. Multis autem & nefariis modis per complures dies, à Vespasiani D militibus aduersum Senatum populumque Romanum indiscreta cæde sæuitum est. Itaque breui illa quidem, sed turbida tyrannorum tempestate discussa: tranquilla sub Vespasiano duce serenitas rediit. Qui per idem tempus in procinctu belli, quod Iudæis intenderat, quo à Nerone missus imperatore fuerat, ab ipso exercitu, cum quo oppugnabat Iudæam subrogatur in imperio. Isque confestim Romam tendens: Tito filio suo curam belli, & Hierosolymorum oppugnationes iniungit.

De inauditis apud alias gentes mortibus, ac prædonum infestationibus in conditione Hierosolymorum.

CAP. XXII.

VErum post ascensionem domini saluatoris nostri à Iudæis, vel in ipsum commissi piaculi, vel persecutionis in Apostolos, & necis in Stephanum, sed & obtruncationis in Apostolum Iacobum, & in Iacobum nihilominus fratrem domini, qui appellatur Iustus, sceleris admissi, cæterorúque omnium quos propter fidem Christi, insidiis, dolis, atque omni fraude nequitiæ circunuenerant, pro his inquam omnibus malis, pœnæ diuinitus reposcebantur. Et Apostoli quidem ab illis prius fugati, ac per omnem locum dispersi, sicut supra diximus, pergebant in virtute Christi qui eis præceperat, dicens: Euntes baptizate omnes gentes in nomine meo. Ecclesia vero quæ in Hierosolymis fuerat congregata, responso à Deo accepto emigrare iubetur, & transire ad oppidum quoddam Pellam nomine trans Iordanem: quo ablatis ex vrbe sanctis & iustis viris, vindictæ cœlestis fieret locus, tam de vrbe sacrilega quam de populo impio: & per excidium patriæ euersionis. Quantis ergo malis gens tunc vniuersa multata sit, vtque ipsa Iudææ terra, bello, fame, igni, cædibus vastata sit: quanta populorum millia patres, simul cum coniugibus, ac paruuli & liberis absque numero, absque discretione trucidati sint, quæ etiam diuersarum vrbium obsidiones, sed & ipsius magnificæ & famosissimæ ciuitatis Hierusalem, quæ vastitas, & quanta fuerit diuersarum mortium strages, quis super hæc singula bellorum extiterit modus & vt secundum id quod prophetæ prædixerant, abominatio desolationis in ipso quondam Dei famosissimo collata sit templo, vtque ad vltimum cuncta ignis populatus sit, & flamma consumpserit, qui plenius nosse vult, historias Iosephi legat. Nos vero ex his ea tantũ, quæ ad explanationem suscepti operis sufficiunt, assumemus: in quibus refert, quod ex omni Iudæa populi, in die solenni Paschæ Hierosolymam, velut exitiali quadam manu cogente conuenerant: quos tricies centena millia hominum dicit fuisse, iusto scilicet Dei iudicio tempore hoc vltionis electo: vt qui in diebus Paschæ saluatorem suum & salutare Christũ domini, cruentis manibus & sacrilegis vocibus violauerant, in ipsis diebus velut in vnum carcerem omnis multitudo conclusa feralis pœnæ exitium quod merebatur exciperet. Præteribo quæ in eos vel gladij cæde, vel aliis belli machinis collata sunt, explicare: ea tantummodo quæ diræ famis exitio pertulerunt, supradicti historiographi sermonibus proferam: quo legentes hæc intelligant, quantum piaculi sit audere aliquid in Christum, & quam grauibus ausa suppliciis expietur.

Itaque quintus Iosephi historiarum liber ponatur in medio: ex quo omnis eorum luctuosa tragœdia pernoscatur. Diuitibus autem permanere, inquit, aut perire, vnum atque idem erat. Si enim in vrbe permansissent, facultatum suarum causa crimine obiecto, quasi qui de transfugiendo cogitarent, perimebantur. Necessitas vero famis, factiosos opum extollebat per arrogantiam, & vtrinque simul inedia cum temeritate crescebat. Publice quidem frumentum nusquam omnino erat: sed irruentes vrbis prædones perscrutabantur domos, & siquidem inuenissent, tãquam de his qui fefellerant, pœnas sumebant: si vero non inuenissent, nihilominus tanquam eos qui occultius & diligentius abscondiderent, cruciabant. Indicium vero haberi ab eis pabula capiebant, hoc ipso quod adhuc viuere & subsistere corporibus videbantur: tanquam qui profecto iam non interissent, nisi absconditos vspiam tegerent cibos. Si quos sane tabescentes macie vidissent, hos cum venia præteribant: superfluum putantes perimere quos paulo post absumeret fames. A Multi tamen in occultis, omni censu suo mercati sunt vnum metrum: si diuites, frumenti, hordei, si inferiores fuerant, & concludentes se in interioribus quibusque penetralibus domus: nonnulli nec in panibus confectas fruges edebant. Alij vero in quantum vel necessitas, vel metus permitteret, excoquebant: & mensam quidem nullus expetebat apponi, sed ex ipso semiusta igni rapientes, propria velut furtiua deuorabant. Erat infelicis ipsius cibi spectaculum miserabile: cum validiores quique inuenta diriperent, imbecillioribus vero nihil præter luctum superrerat & lacrymas. Etenim licet omnium acerbitates rerum superet fames, nihil tamen ita subruit & subuertit verecundiam, sicut fames. Quicquid enim saluis rebus pudore dignum est, in hac necessitate contẽnitur. Denique & vxores de virorum manibus, & filij de parentum, & quod est infelicius, matres cibos de paruulorum suorum manibus, atque ore rapiebant. Et cũ dulcissimi liberi in manibus atque B ante ora positi tabescerent: exigua vitæ subsidia dentibus ipsis eximere nemo parcebat. Verum ne ipsi quidem infelices, & per exiguos sumentes latebant cibos, sed continuo aderat quis prædonũ, & statim vt clausas cuiuspiam conspexisset fores, indicium credebat hoc esse, quod intrinsecus positi ederent: & repente despicatis foribus præcipites irruebant, atque ab ipsis (vt ita dicam) faucibus exprimentes, si quid forte sumptum iam fuerat, reuocabant. Verberabantur senes, si cibos vindicare tentassent: sparsis etiam crinibus mulieres trahebantur, occultare nitentes si quid forte deprehensum fuisset in manibus. Nulla senibus pro canicie reuerentia, nulla erga paruulos miseratio, sed in exiguo panis fragmento paruulos inhærentes, ex ipso cui inhæserant, suspensos elidebant in terram. In eum vero qui raptores cibo præuenisset absumpto, crudelius sæuiebant & excogitabant dira supplicia, obdurantes infelicibus naturales digestio- C num meatus, aliis præacutas sudes per eadẽ veretenda adigentes. Horresco quæ gesta sunt referens: ad confessionem per hæc vnius panis aut cyathi farinæ miseros perurgebant. Nam ipsi tortores nec patiebantur famem. Esset enim quodammodo tolerabilius, si hæc compulsi inedia facere viderentur, sed vt vel præpararent sibi in posterum cibos, vel vt crudelitas exercitio conualesceret. In his etiam si qui forte furtim per stationes hostium pro colligendis herbis erepsissent: occurrentes eis qui se hostium manus effugisse gauderent, diripiebant quicquid attulerant. Supplicantibus autem ac terribile quondam sibi nomen Dei inuocantibus, vt vel partem aliquam ex his quæ cum mortis periculo quæsierant, indulgerent, nihil prorsus præbebant: sed & hoc beneficij loco cesserat, si comprehensum viuum licuisset euadere. His autem post aliqua adiungit, dicens: Iudæis vero de egressu vrbis, omnis pariter spes excludebatur salutis: & inua- D lescens acerbitas famis, domus simul & familias gentemque vastabat, ita vt in penetralibus strata iacerent mulierum paruulorumque cadauera: per plateas vero infelicium senum corpora, fame magis quam ætate consumpta. Iuuenes vero atque ætas omnis robustior, velut simulachra quædam in viis & egressibus oberrabant, corruentes quocumque loco gressum subruisset inedia. Sepelire autem cadauera proximorum, nec defunctorum multitudo, nec virium debilitas permittebat: simul & pro sua vnusquisque vita incertus. Denique aliquanti supra eos quos sepeliebant, animas emisere.

Multi etiam dum prosequuntur funera, prius quam ad sepulchrum veniretur, efflabant. Sed nec planctus ex more defunctis exhibebatur aut luctus: quia hoc sibi totum vendicauerat fames. Sed nec ariditas inediæ, humorem cuiquam reliquerat lachrymarum. Obsederant enim ciuitatem profunda

silentia: & nox plena mortis cuncta contexerat. Quibus malis omnibus grauiores soli vigebant prædones, A qui ne sepulta quidem cadauera diripere illicitum ducebant: non tam prædam petentes, quam scelus irrisione cumulantes, & aciem gladiorum suorum in cadau[erum] obtruncatione probantes. Interdum etiam in nonnullos adhuc spirantes mucro examinandus agebatur. Quod alij semineces cum viderent, supplices dexteras protendebant, vt in se quoque beneficij loco conuerterent scelus: quo scilicet cruciatibus famis velocius absoluerentur. Sed nouo crudelitatis genere, necem quam sponte inferebant, si rogarentur negabant: cum tamen vnusquisque deficientium cum gemitu oculos retorqueret ad templum, non de morte propria dolens, sed de impunitate prædonum, quos superstites relinquebant. Et primo quidem sumptu publico sepeliri mortuos iusserat fœtoris intolerantia. Vt vero omnem sumptum cœpit vincere multitudo morientium, de muro cadauera præcipitabant.

At cum Titus circuiens peruidisset repletos mor- B ruorum cadaueribus vallos, & humani corporis tabo patriam terram rigari: cum ingenti gemitu eleuatis ad cœlum manibus, DEVM inuocat testem, hoc suum opus non esse.

Et post aliquanta, iterum talia quædam prosequitur: Non cunctabor, inquit, proferre quod sentio. Arbitror enim, quod etiam si aduersum impios ciues, Romanorum paulisper arma cessassent, aut hiatu terræ, aut aquæ diluuio, aut Sodomitanis ignibus & fulminibus cœlitus tortis, supplicium ciuitas dependisset: quæ multo infaustiorem illis qui hæc perpessi sunt, & nequiorem virorum præsentem hanc protulisset ætatem: pro quibus omnis gens pariter mereretur extingui. Sed in VI. libro de iisdem talia scribit: Et eorum, inquit, qui per totam ciuitatem famis inedia corrumpebantur multitudo innumerabilis erat: quorum nec explicari miseria potest. Per singulas namque domos sicubi fuisset aliquid cibi repertum, bella conti- C nuo & cædes inter charos, ipsosque parentes ac liberos nascebantur: dum non solum è manibus, sed ex ipsis etiam faucibus inuicem cibum rapere certabant. Fides autem nec mortuis erat: sed & ipsi cum iam spiritum exhalarent, perscrutabantur à prædonibus, ne cui forte intra gremium cibi aliquid resideret. Alij autem per inediam inhiantes, velut rabidi canes huc atque illuc ferebantur: & quasi insania quadam exagitati in easdem domos sub momento temporis iterum ac sæpius irruebant. Omnia tamen necessitas verrebat in cibum: etiam illa, quæ ne mutis quidem animalibus edere vsus fuit, ad vltimũ ne loris quidem vel cingulis, aut ipsis etiam calciamentis abstinuerunt. Portarum quoque indumenta detrahentes, conficienda dentibus ingerebant. Nonnulli & fœni veteris festucas edebant. Sed & de quisquiliis vndecunque collectis, paruissimum pondus dragmis quatuor distrahebant. Sed quid opus est per hæc pondus famis illius explicare, cum sit gestum ibi facinus, quod neque apud Græcos, D neque apud Barbaros vllus accepit auditus, horrẽdum quidem dictu, auditu vero incredibile? Et quidem immane facinus siluissem, ne quis me crederet monstruosa narrare, nisi multos memoriæ nostræ viros, testes commissi sceleris habuissem. Porro vero nec aliquid in hoc patriæ præstare me arbitror, si subtraham eorum malorum verba, quorum pertulit facta.

De Maria, quæ proprium comedit filium, & sic prædones confusos abire coëgit.

CAP. XXIII.

MVlier quædam ex his, qui vltra Iordanis alueum commanebant, Maria nomine Eleazari filia de vico Obethezob, quod interpretatur domus hyssopi, genere & facultatibus nobilis cũ reliqua multitudine, quæ confluxerat Hierosolymas, reperta: communem cum omnibus obsidionis casum perferebat. Huius reliquas quidem facultates, quas domo in vrbem conuexerat, tyranni inuasere. Si quid vero reliquiarũ ex magnis opibus fuerat, quibus victum quotidianum pertenuem duceret, irruentes per momenta prædonum satellites rapiebant, pro quibus ingens mulierem velut insania iam quædam ex indignatione fatigabat, ita vt interdum prædones maledictis in necem sui, & conuiciis instigaret. Verum cum neque irritatus quisquam neque miseratus eam perimeret, & si quid forte cibi ab ea fuisset quæsitũ, id ab aliis quæreretur, nec iam vsquã reperiendi copia fieret, fames autẽ dira visceribus ipsis insisteret ac medullis, & ad furorẽ iam perurgeret inedia, fame & ira pessimis vsa consultoribus, contra ipsa iam armatur iura naturæ. Erat namque ei sub vberibus paruulus filius. Hunc ante oculos ferens, Infelicis, inquit, matris, ô infelicior fili: in bello fame & direptione prædonum, cui te reseruabo? Nam & si vita sperari possit: iugo Romanę seruitutis vrgemur. Sed nũc ipsam etiam seruitutem præuenit fames: prędones vero vtraque vi grauiores perurgent. Veni ergo nunc ô mi nate, esto matri cibus, prædonibus furor, seculis fabula, quæ sola deerat cladibus Iudæorum. Et hæc cum dixisset, simul filium iugulat. Tunc deinde igni superpositum torret, & medium quidem consumpsit: medium vero reseruat obtectũ. Et ecce confestim prædones irruunt, ob vstæ carnis nidorem conceptum, mortem minantur, nisi sine mora cibos, quos paratos senserant, demonstraret. Tum illa quidem partem, inquit, vobis optimam reseruaui. Et continuo quæ superfuerant, membra retexit infantis. At illos repente ingens horror inuasit, & immanes quamuis animis diriguere, vox faucibus interclusa est: Illa vero truci vultu, & ipsis iam prædonibus truculentior, meus, inquit, hic filius: meus est partus, & facinus meum est, edite. Nam & ego prior comedi, quæ genui. Nolite effici aut matre religiosiores, aut fœmina molliores. Quod si vos pietas vincit, & execramini cibos meos: ego, quæ iam talibus pasta sum, ego his iterum pascar. Post hæc illi territi trementesque discedunt, qui hunc solum omnibus facultatibus, miseræ matri reliquerant cibum. Repleta est autem confestim vniuersa ciuitas nefarij sceleris nuntio: & vnusquisque ante oculos facinus, quod perpetratum fuerat, adducens, tanquam si ipse id perpetrasset, horrebat. Omnes autem quos famis necessitas perurgebat, festinabant magis ad mortem, beatos dicentes eos, quibus contigit interiisse: priusquam talium malorum polluerentur auditu.

De vltima ruina Hierusalem, & de multitudine interemptorum secundum Iosephi supputationem.

CAP. XXIV.

HActenus Iosephus. Colligens autem supradictus historiographus omnem numerum peremptorum, vel fame, vel ferro, vndecies centena millia designauit. Cæteros vero latrones & sicarios, ac prędones, post vrbis excidium mutuis declarat interisse vulneribus. Electos quosque iuuenum, quos decor & corporis proceritas commendabat, ad triumphum dicit esse seruatos: reliquos autem, qui supra X. & VII. annos agebant ætatis, vinctos ad opera Ægypti per metalla destinatos, vel per cæteras prouincias esse dispersos, alij quidem vt ludis gladiatoriis, alij vt ad bestias traderentur. Si qui vero intra septimum & decimum ætatis annum reperti sint, per diuersas prouincias in seruitutem distrahi iussi sunt. Quorum numerus vsque ad nonaginta millia perductus est. Hæc vero omnia gesta sunt, secundo anno Imperij Vespasiani, iuxta ea, quæ ipse dominus & Saluator noster IESVS CHRISTVS

prædixerat: quippe, qui ea quæ gerenda erant, præsentia iam videret: tum cum secundum Euangeliorum A fidem, videns ciuitatem fleuit super eam, & velut in auribus eius prælocutus est hæc verba: Si agnouisses, inquit, & tu in hac die, quia venient dies super te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad solum deducent te; & filios tuos interficient. Sed & rursum tanquam de populo dicens: Erit, inquit, necessitas magna super terram, & ira populo huic, & cadent in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes, & Hierusalē erit conculcata à gentibus, vsquequo compleantur tempora gentium. Et iterum: Cum autem videritis circūdari ab exercitu Hierusalem, tunc scitote quia appropinquabit desolatio eius. Comparet tunc vnusquisque domini & Saluatoris nostri sermones, cum historiographi relatione de bello quod gestum est, atque excidio ciuitatis, & videns miram diuinæ præsentiæ virtutem, agnoscat prædicentis diuinitatem. Hæc quidem Iudæorum genti post passionem Saluatoris iusta vltione B venerunt, pro eo quod authorem vitæ à semet vniuersa gens conclamauit auferri. Colliguntur ergo per omne tempus à decimoquinto anno Tyberij Cæsaris, & ab exordio Euangelicæ prædicationis, anni quadragintaduo, vsque ad Vespasiani secundum imperij: quando hoc vrbis Hierosolymitanæ excidium actum est. A captiuitate autem quam ab Antiocho perpessi sunt anni ducenti trigintaocto. Porro à Darij secundo anno sub quo rursum templum ædificatum est, anni quingenti nonaginta. A prima autem ædificatione templi sub Solomone vsque ad nouissimam eius ruinam, quæ sub Vespasiano facta est, anni M.C.II. Hic autem cœpti operis decreui primi finem facere libri. Vbi legales hostiæ pariter cum templo, ac populo Iudæorum sceleratissimo, irrecuperabiliter conciderunt.

TOMI II. LIBRI I. FINIS.

C

FRECVLPHI
EPISC. LEXOVIENSIS,
CHRONICORVM
Tomi Secundi,
LIBER II.

Pralocutio de priore libro.

CAP. I.

IGITVR in priore libro à natiuitate vsque ad eius passionem ac deinde vsque ad templi Hierosolymitani destructionem, populique Iudaïci iusta Dei vltione dispersionem, ac diuersis mortib. internitiem propter passionis Christi Dei, hominisque filij vindictam, eiusque seruorum persecutiones ac neces, tam de gestis imperatorum quamque & de Ecclesiasticorum actibus, succincto sermone ex diuersis autorum libris colligere curaui.

De Vespasiani actibus bonis.

CAP. II.

VEspasianus igitur, vt præmisimus, cognita Neronis morte, hortatu plurimorum regum & ducum, maxime Iosephi Iudæorum ducis sententia, qui captus cū in vincula coniiceretur, constantissime dixerat, continuo ab eodem se imperatore soluendum, imperium adeptus est. Relictoque ad obsidionis Hierosolymorū procurationem filio Tito, per Alexandriam profectus est Romam. Sed cognita interfectione Vitellij, paulisper Alexandriæ substitit. Titus vero magna ac diuturna obsidione Iudæos premens machinis, cunctisque bellicis molibus, non sine multo suorum sanguine, tandem vrbem cepit: muros Hierosolymitanos solo coæquauit: ac templum diruit, totius orbis famosissimum. Vespasianus ergo & Titus imperatores magnificum agentes de Iudæis triumphum, vrbem ingressi sunt. Pulchrum & ignotum antea cūctis mortalibus, inter CCC. XX. triumphos, qui à conditione vrbis, vsque in id tempus acti erāt, hoc spectaculum fuit, patrem & filium vno triumphali curru vectos, gloriosissimam ab his qui patrem & filium offenderant, victoriam reportasse. Qui continuo omnibus bellis ac tumultibus domi, forisque compressis, pacem totius orbis prænuntiauit: & Ianum geminum obseratis cohiberi claustris, sexto demum ipsi post vrbem conditam censuerunt. Iure enim idem vltionis honos passioni Domini impensus est, qui etiam natiuitati fuerat attributus. Tunc deinde, sine vllis bellorum tumultibus, in immensum Respublica Romana prouehitur, Siquidem Achaia, Licia, Rhodus, Bizantium, Samothracia, Cilicia, Commagene, tunc primum redactæ in prouincias, Romanis iudicibus, legibusque paruerūt. Nono autem imperij eius anno, tres ciuitates Cypri terræ motu corruerunt, & Romæ magna pestilentia fuit. Vespasianus autem in villa propria circa Sabinos, nono anno principatus sui, profluuio ventris est mortuus. Huic autem inter cætera bona illud singulare fuit, inimicitias obliuisci: adeo vt Vitellij hostis filiam locupletissime dotatam, splendidissimo coniūgeret viro. Iste exanguem diu, fessumque terrarum orbem, breui refecit in tempore. Namque primum satellites tyrannidis, nisi qui forte atrocius longe processerant, flectere potius maluit, quam excruciatos delere, prudentissime ratus, nefaria ministeria à pluribus metu curari. Hic Romam deformem incendiis ac veteribus ruinis permissam, si domini deessent, volentibus ædificandi copia, Capitolium, ædem pacis, Claudij monumenta reparauit, multaque noua instituit per omnes terras, quas ius Romanum tenet. Renouatæ vrbes cultu egregio, viæ operibus maximis munitæ sunt. Tunc cauati montes per Flaminiam sunt prono transgressui, quæ vulgariter pertunsa petra vocatur. Mille gentes compositæ, cum ducentas ægerrime reperisset, extinctis sæuitia tyrannorum plerisque: rex Parthorum Vogesses metu solo in pacem coactus est. Plura dicere studium coegit imperatoris boni, quem ab Augusti morte, post annos sex & quinquaginta Romana Respublica exanguis sæuitia tyrannorum ne penitus rueret, assecuta est. Itaque dum ventris eluuie effusius D vrgeretur, assurgens ait: Stantem decet imperatorem excedere terris.

De operibus magnificis Titi imperatoris.

CAP. III.

TItus Vespasiani filius, post patris obitum ita suscepit imperij. Qui matre liberta nomine Domitilla genitus, imperauit annis duobus & mēsibus duobus. Qui in vtraque lingua peritissimus fuit, & liberalibus disciplinis, studio legendi eruditus. Hic vbi patriæ curam suscepit, incredibile est, quantum, quem imitabatur, patrem anteierit, præcipue clementia, liberalitate, honorificentia, ac pecuniæ contēptu. Nam dum præfecturam prætoriam patre imperante adeptus esset, suspectus quidem fuit pro quibusdam actis,

omnes ecclesias. Sic & ad Colossenses: Salutar vos Lucas medicus charissimus. Et ad Timorheum: Lucas est mecum solus. Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo apostolicorum Actuum prænotatur. Cuius historia vsque biennium Romæ commotãtem peruenit Paulum, id est, vsque ad IIII. Neronis annum. Ex quo intelligimus, in eadem vrbe librum eius esse conscriptum. Igitur Pauli & Teclæ & totam baptizatam Leonis familiam, inter scripturas apocryphas computemus. Leue enim est, vt indiuiduus comes apostoli, inter cæteras eius res hoc solum ignorauerit. Sed & Tertulianus vicinus illorum temporum refert presbyterum quendam in Asia nomine Pauli cõuictum apud Iohannem, quod author esset libri, & confessum se hoc Pauli amore fecisse, & loco excidisse. Quidam suspicantur, quotiescunque Paulus in epistolis suis dicat, iuxta Euangelium meum, Lucam à Paulo didicisse, qui cũ domino in carne non fuerit, sed à cæteris apostolis. Quod & ipse quoque in principio voluminis sui declarat, dicens: Sicut tradiderunt nobis, qui à principio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis: Igitur Euangelium, sicut audierat, scripsit: Acta vero apostolorum, sicut viderat ipse, conscripsit: Sepultus est Constantinopoli, XX. Constantii anno, quo ossa eius cum reliquiis Andreæ apostoli translata sunt. Marcus euangelista de quo in priore libro disseruimus hic, vt ferunt, ne ad sacerdotium moueretur Iudæorum sibi pollicem abscidit, primus tamen Alexandriæ cathedram tenuit, primusque ecclesias Aegyptiorum fundauit, tantis doctrinæ & continentiæ virtutibus florens, vt omnes discipuli Christi, eius imitationem sequerentur. Mortuus est VIII. Neronis anno, placida quiete sepultus. Timotheus Ephesiorum episcopus, de ciuitate Listrensium patre Græco, id est, ethnico, matre autem Iudæa vt refert Apostolus, dicens: Quæ habitauit fides in auia tua Loide, & matre tua * Eunica, (*al. Eutice*) certum autem quod & in te, Hic fuit discipulus Pauli, eiusque spiritalis filius, quem puerum proprie secum idem Paulus assumpsit, qui pudicus & virgo permansit, quique apud Ephesum in monte, qui vocatur Pion, cum magno honore sepultus quiescit. Titus Pauli discipulus, & in baptismo filius, natione Græcus, & gentibus solus, à Paulo post Euangelium circuncisus. Quem ad construendas Cretæ ecclesias, præfatus reliquit apostolus, ibique in pace defunctus est, atque sepultus Herman, cuius etiam Paulus ad Romanos scribens, meminit: Salutate Flegonta, Hermam, Patrobam, & qui cum eis sunt fratres. Asserunt hunc authorem esse libri, qui appellatur Pastoris, & apud quasdam Græciæ ecclesias publice legitur, reuera vtilis liber, multique de eo scriptorum veterum vsurpauere testimonia, sed apud Latinos pene ignotus est.

Igitur domini discipuli prædicatores fidei & doctores gentium, qui dum omnes vnum sint, singuli tamen certis locis in mundo ad prædicandum partes proprias acceperunt. Quod vt breuiter repetam, Petrus namque Romam accepit, Andreas Achaiam, Iacobus Hispaniam, Thomas Indiam, Iohannes Asiam, Matthæus Macedoniam, Philippus Gallias, Bartholomæus Lycaoniam, Simon Zelotes Aegyptum, Mathias Iudæam, Iacobus frater domini Hierusalem, Iudas frater Iacobi Mesopotamiam. Paulo autem cum cæteris apostolis nulla sors propria traditur, quia in omnibus gentibus magister & prædicator eligitur. Nam sicut Petro & reliquis circuncisionis apostolatus est datus: ita Paulo præputii in gentibus. Hæc tamen VII. ecclesiis & III. euangelizat discipulis.

De Iosepho historiographo. Et quæ de Saluatore protulerit.

CAP. V.

QVo etiam tempore Iosephus Mathiæ filius ex Hierosolymis sacerdos à Vespasiano captus: cum Tito filio eius relictus est. Hic Romam veniens, VII. libros Iudaici belli imperatoribus patri filioque obtulit qui, & bibliothecæ publicæ traditi sunt, & ob ingenii gloriam statuam quoque Romæ meruit. Scripsit autem & alios XX. Antiquitatum libros ab exordio mundi, vsque ad XIIII. annum Domitiani Cæsaris, & II. aduersus Appionem grammaticum Alexandrinum. Qui sub Caligula missus ex parte gentilium contra Philonem, qui etiam librum, vituperationem gentis Iudaicæ continentem scripserat. Alius quoque liber eius qui inscribitur valde elegans habetur, in quo & Macahabæorum sunt digesta martyria. Hic in XVIII. Antiquitatum libro manifestissimè confitetur, propter magnitudinem signorum Christum à pharisæis interfectum: & Iohannem Bapt. vere prophetam fuisse, & propter interfectionem Iacobi apostoli Hierosolymam dirutam. Scripsit autem de domino in hunc modum: Eo tempore fuit Iesus sapiens vir: si tamen virum eum oporter dicere. Erat autem mirabilium perpetrator operum, & doctor eorum qui libenter vera suscipiunt. Plurimos quoque tam de Iudæis, quam de gentibus, sui habuit sectatores, & credebatur Christus. Cumque inuidia nostrorum principum cruci eum Pilatus addixisset: nihilominus qui eum dilexerunt, perseuerauerunt in eo.

Apparuit autem ei III. die viuens. Multa hæc & alia mirabilia carminibus prophetarum de eo vaticinantibus: & vsque hodie gens ab hoc vocabulum sortita, non defecit. Refert etiam idem historiographus, oraculum quoddam in sacris literis repertum. quod per idem tempus virum designaret ex eorum religione processurum, qui totius orbis potiretur imperio. Cuius oraculi præsagium Vespasianum declarare suspicatur. Sed Vespasianus non aliis quam illis solis gentibus, quæ Romano imperio videbantur subditæ, dominatus est: nec de prosapia aut religione Iudæorum processit. Vnde iustius ad Christum hæc responsa referuntur, ad quem pater: Pete à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Et cuius per idem tempus per apostolos suos in omnem terram exierat sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

De Domitiani superbis gestis.

CAP. VI.

IGitur Domitianus Vespasiani & Domitillæ libertæ filius germanus Titi imperauit annis XV. Iste primo clementiam simulans, neque adeo iners domi belloque tolerantior videbatur, idcirco Cattos Germanosque deuicit, ius æquissime dixit, Romæ multa ædificia vel cœpta, vel à fundamentis construxit. Bibliothecas incendio consumptas, petitis vndique præsertim ab Alexan. exemplis reparauit. Sagittarum tam doctus fuit: vt inter patentes digitos extentæ manus viri procul positi spicula transuolarent. Ab hoc paulatim per omnes scelerum gradus creuit, vt confirmatissimam toto orbe Christi ecclesiam, datis vbique crudelissimæ persecutionis edictis conuellere auderet. Is in tantam superbiam prolapsus fuit vt Deum sese

ac dominum vocari, ſcribi, colique iuſſerit. Nobiliſſimos Senat. inuidiæ ſimul ac prædæ cauſa, alios pa- [A] lam interfecit, alios in exilium truſit: ibique trucidari imperauit. Libidinis intemperantia, quicquid cogitari poteſt, fecit. Plurimas vrbis ædes deſtructis populi Romani rebus extruxit. Bellum aduerſus Germanos & Dacos, per legatos geſſit, pari Reip. pernicie, cum & in vrbe ipſe Senatum populumque laniaret, & foris male circumactum exercitum aſſidue hoſtes cæde conficerent. Nam quanta fuerint Diurpanei Dacorum regis cum Fuſco duce prælia, quantæque Romanorum clades, longo textu euoluerem, niſi C. Tacitus, qui hanc hiſtoriam diligentiſſime contexuit, de reticendo interfectorum numero, & Saluſtium Criſpum & alios authores quam plurimos ſanxiſſe, & idem ſeipſum potiſſimum elegiſſe dixiſſet. Domitianus tam prauiſſima elatus iactantia, ſub nomine ſuperatorum hoſtium de extinctis legionibus triumphauit, idemque efferatus ſuperbia, qua ſe Deum coli vellet, perſecutionem in Chriſtianos agi, II. à Nerone impe- [B] rauit.

De proſapia Dauid, & propinquis Chriſti ab illo requiſitis.

CAP. VII.

INter Iudæos quoque acerbitate tormentorum, & cruentiſſimæ quæſtionis exquiri genus Dauid atque interfici præceptum eſt: dum prophetis ſanctis inuiderut, & creditur quaſi adhuc futurus eſſet ex ſemine Dauid, qui regnum poſſit adipiſci. Verebatur, & ipſe terreno priuari regno à Domino Chriſto: ſicut Herodes eius audita natiuitate, Vnde perquiri iuſſerat regalem Dauid proſapiam ad mortem, vel Chriſti ſecundum carnem propinquos. Tunc quidam de poſteritate Dauid delati ſunt ad Cæſarem. Ergo interrogati à Domitiano ſi eſſent ex familia Dauid & propin- [C] qui Chriſti: confeſſi ſunt ſe eſſe. Tunc quæſiuit ab eis, quantis poſſeſſionibus vel quantis eſſent facultatibus præditi. At illi reſponderunt, quod vtriſque non amplius eſſet in bonis, à IX. millibus denariis. Ex quibus ſingulis pars media proportione debetur, nec hoc ſibi in pecuniis ſubſiſtere, ſed in æſtimatione terræ, quæ eis eſſet in XL. minus vno iugeribus conſtitura. Quam ſuis manibus excolentes vel ipſi alerentur, vel tributa dependerent, ſimul & teſtes ruralis & diurni operis manus labore rigidas & callis obduratas præferebant. Interrogati vero de Chriſto quale ſit regnum eius, vel qui ipſe, aut vnde quando venturus: reſponderent quod non huius mundi regnum, neque huius terræ ei deſignetur imperium, ſed quia cœleſte ei regnum per angelorum miniſteria in conſummatione ſeculi præparetur quando ſcilicet aduenrans in gloria, de viuis ac mortuis iudicabit, & reſtituet vnicuiq; pro factis ac meritis ſuis. Ad hæc Domitianus, cum neque in eis [D] quicquam criminis inueniret, & vilitatem eorum quam maxime contemneret, abire eos liberos iubet: ſed perſecutionem quam aduerſus eccleſias agitari iuſſerat, datis rurſum compeſcit edictis. Illi vero dimiſſi ab eo, vel martyrii merito, vel tantę propinquitatis Chriſti prærogatiua, pacis iam tempore duces eccleſiæ effecti, vſque ad Traiani tempora permanſerunt. Hæc quidem Egeſippus, ſed & Tertullianus de Domitiano ſimilia refert, dicens: Tentanti aliquando & Domit. ſimile aliquid portio Neronis de crudelitate, ſed quaſi homo deſtitit cito: vt etiam eos quos in exilium miſerat, reuocaret. Itaque Domitiani vxor Auguſta appellatur Decreto Senatus. Titus inter deos refertur. Is etiam Domitianus templum ſine admixtione lignorum conſtruxit: idem tantæ ſuperbiæ fuit vt aureas & argenteas ſtatuas ſibi in Capitolio poni iuſſerit: ſub quo Brutius plurimos Chriſtianorum martyrio confecit. Interquos & F. Domitillam F. Cle- [A] mentis conſulis ex ſorore Neptem inſulam Pontianam relegatam deportari iuſſerat, quia ſe Chriſtianam eſſe teſtata ſit. Tunc & Apoſtolus Iohannes in Pathmum inſulam relegatus, apocalypſim vidit. Multa etiam ſigna eo tempore, atque portenta Romæ & toto orbe facta ſunt. Continuo tamen Domitianus crudeliter in palatio à ſuis interfectus eſt. Cuius cadauer ignominioſiſſime ex portatum, atque ſepultum eſt.

De Nerua operibus bonis. Et Traiani geſtis mirabilibus.

CAP. VIII.

POſt Domitianum vero Nerua ſuſcepit principatum: ſub quo omnes quidem honorum tituli, qui in Domitianum collati fuerant, detrahuntur. Reuo- [B] cari autem quicunque ab eo in exilium truſi ſunt: ac recipere facultates ex Senatuſconſ. iubentur. De quibus ſingulis teſtimonium perhibent, qui geſta illorum temporum conſcripſerunt. Tunc igitur apoſtolum Iohannem de inſula Epheſum quaſi ad ſcholam propriam rediſſe, noſtrorum ſcriptores declarant. Namque Nerua Traianum in liberi locum, inque partem imperii cooptauit. Qui dum ſuggerente ira, contra quendam regulum inclamaret, ſudore correptus eſt. Quo refrigeſcente, horror corporis nimium iniquum febri præbuit, nec multo poſt vitam finiuit, anno ætatis LXIII. Cuius corpus à Senatu vt quondam Auguſti honore delato, in ſepulchro Auguſti ſepultum eſt. Eodem quo interiit, ſolis defectio facta eſt. Imperauit annum I. & menſes IIII. Iſte tributa relaxauit multa: afflictas ciuitates releuauit. Puellas puerosque natos parentibus egeſtoſis, ſumptu publico per Italiæ oppida ali iuſſit. Traianus poſt Neruam ſuſcepit im- [C] perium, apud Agrippinam nobilem Coloniam Galliæ: habens diligentiam in re militari, in ciuilibus lenitatem, in ſubleuandis ciuitatibus largitionem. Cumque duo ſint quæ ab egregiis principibus expectantur ſanctitas domi, in armis fortitudo, in vtroque prudentia, tantus erat in eo maximarum rerum modus, vt quaſi temperamento quodam virtutes miſcuiſſe videretur, niſi quod cibo vinoque paululum deditus erat: liberalis in amicos, & tanquam vitæ conditione par ſocietatibus perfrui. Qui vt inſignia imperii eſt adeptus mox Germaniam trans Rhenum in priſtinum ſtatum reduxit, trans Danubium multas gentes ſubegit. Regionem autem trans Eufratem & Tigrim ſitas, prouincias fecit: Seleuciam & Theſiſontem, & Babylonem occupauit & tenuit. In mari rubro claſſem inſtituit: vt per eam Indiæ fines vaſtaret, Hinc Traianus Armeniam, Aſſyriam, Meſopotamiam fecit prouincias. Sub [D] quo Iudæi in ſeditionem verſi vno tempore quaſi rabie efferati, per diuerſas terrarum partes exarſerunt. Nam & per totam Libyam aduerſus incolas atrociſſima bella geſſerunt. Quæ adeo tunc interfectis cultoribus deſolata eſt: vt niſi poſtea Hadrianus imperator collectas illuc aliunde colonias deduxiſſet: vacua penitus terra abraſo habitatore manſiſſet. Aegyptum vero totam & Cyrenem, & Thebaidam, cruentis ſeditionibus turbauerunt. In Alexandriam autem commiſſo prælio, victi & attriti ſunt. In Meſopotamia quoque rebellantibus iuſſu Imperatoris, bellum illatum eſt. Itaque multa millia Iudæorum vaſta cæde deleta ſunt. Sane Salaminam vrbem Cypri, interfectis omnibus accolis deleuerũt. Igitur Traianus errore deceptus, omnia bona ſua in perſecutione Chriſtianorũ fœdauit. Nam III. à Nerone Chriſtianos perſequitur: repertos cogi ad ſacrificandum idolis, detrectantes autem interfici iuſſit. Sub quo multi nobiliter ad

palmam peruenerunt martyrii pluresque interfecti fuissent, ni relatu Plinii secundi qui inter cæteros iudices persecutor datus fuerat, ammonitus. Qui dum quandam regeret prouinciam, & in magistratu suo plurimos Christianorum interfecisset, multitudine eorum perterritus, scripsit Traiano, quid facto opus esset, nuntians ei præter obstinationem non sacrificandi, & Antelucanos cœtus, ad canendum cuidam Christo vt Deo, eiusque confessionem, nihil contrarium Romanis legibus facere. Præterea ad confœderandum eorum disciplinam, vetari ab his homicidia, furta, adulteria, periuria, latrocinia, & his similia, tãtaque eos esse fiducia innocentis confessionis, vt ne mortem quidem grauem ac formidolosam paueant. Illico imperator rescriptis lenioribus temperauit edictum. Hoc quidem genus hominum inquirẽdum non esse: oblatos vero puniri censuit. Is vero Plinius Secundus orator & historiographus insignis habetur: cuius plurima ingenii extant opera. Veruntamen continuo Romæ aurea domus à Nerone totis impensis, rebusque priuatis ciuium condita, repentino conflagrauit incendio, vt intelligeretur, missa etiam ab alio persecutio, in ipsius potissime monumentis, à quo primum exorta esset, atque in ipso authore puniri. Terræmotu IIII. vrbes Asiæ subuersæ, Elea, Mirina, Pythane, Cyme, & Græciæ ciuitates II. Opintiorum & Oritorum III. Galatiæ ciuitates eodem terræ motu dirutæ: Pantheon Romæ fulmine concrematum, terræmotus in Antiochia pene totam subruit ciuitatem. Ergo Traianus apud Seleuciam vrbem Isauriæ profluuio ventris extinctus est. anno ætatis LXIII. qui imperauit annis XX. Cuius ossa in vrna aurea sunt relata, & in foro sub columba eius nominis posita. Imperatorum solus omnium intra vrbem sepultus est.

De Iohannis Euangelistæ mirabilibus & obitu.

CAP. IX.

AD cuius vsque tempora perdurauit in corpore Iohannes apostolus & euangelista, filius Zebedæi, frater Iacobi, virgo electus à Domino, atque inter cæteros magis dilectus Qui etiam supra pectus magistri recumbens, & Euangelii sui fluenta de ipso sacri dominici pectoris fonte potauit, & quasi vnus de paradisi fluminibus verbi Dei gratiam toto terrarum orbe diffudit, quique in locum Christi Christo iubente successit, dum suscipiens matrem magistri discipulus etiam ipse pro Christo alter quodammodo derelictus est filius: Hic dum Euangelium Christi in Asia prædicaret, à Domitiano Cæsare in Pathmos insula metallo relegatur, vbi etiam positus Apocalypsim scripsit. Interfecto autem Domitiano, à senatu exilio resolutus, recessit Ephesum, ibique ad hæreticorum refutandas versutias, efflagitatus ab Asiæ episcopis, Euangelium nouissimus edidit. Qui vsque ad vltimum pene vitæ suæ tempus, absque vllius scripturæ indiciis euangelium prædicasse dicitur. Sed cum horum III. Euangeliorũ etiam ad ipsum notitia peruenisset, probasse quidem dicitur fidem & veritatem dictorum, deesse tamen vidit aliqua, & ea maxime quæ primo prædicationis suæ tempore Dominus gesserat. Certum est enim quod in superioribus III. euangelistis hæc videntur sola contineri, quæ in eo gesta sunt anno, quo Iohannes Baptista, vel inclusus est in carcere, vel punitus. Denique si obserues statim in initiis narrationis, post eaquam refert Matthæus de XL. dierum ieiunio, & de tentatione eius, continuo subiicit, dicens: Audiẽs autem, quia Iohannes traditus est, discessit de Iudæa, & venit in Galilæam, sed & Marcus simul: Posteaquã inquit, traditus est Iohannes, venit in Galilæam. Lucas vero etiam priusquam incipiat aliquid de actibus

referre Iesu, dicit: quia adiecit Herodes super omnia
A mala quæ gesserat & conclusit Iohannem in carcere, quia inquam, ab his hæc videbantur omissa, rogatus dicitur Iohannes apostolus, vt ea quæ prætererant priores, ante traditionem Iohannis, saluatoris gesta conscriberet, & ideo dicit in Euangelio suo: Hoc fecit initium signorum Iesus. Et iterum in alio loco indicat, dicens: Nondum enim Iohannes erat missus in carcerem. Ex quibus constat, quod ea antequam Iohannes traderetur, quæ à Iesu fuerant gesta describit, & ideo siquis diligentius hæc consideret, euidenter inueniet, non sibi Euangelia dissonare, sed alterius temporis gesta esse quæ scribit Iohannes: alterius vero quæ cæteri. Vnde quia natiuitatem secundum carnem Saluatoris, vel Matthæus, vel Lucas descripserant, reticuit hæc Iohannes & à theologia atque ab ipsa eius diuinitate, sumpsit exordium: quæ pars sine dubio ipsi velut eximio per Sanctum spiritum reseruata est. Cuius quidem Iohannis, inter alias virtutes,
B magnitudo signorum hæc fuit. Mutauit in aurum syluestres frondium virgas, littoreaque saxa in gemmas. Item gemmarum fragmina in propriam reformauit naturam. Viduam quoque ad precem populi suscitauit, ac rediuiuum iuuenis corpus reuocata anima reparauit: bibens lethiferum haustum non solum euasit periculum sed eodem prostratos poculo, in vitæ reparauit statum. Iuuenem etiam quem puerum elegantem, cuidam episcopo commendauerat, sed minime is eius disciplinis acquiescens, in tantum per incrementa malorum flagitiosus effectus, vt omnes illos qui prius magistri criminum illi fuerant, discipulos faceret, & latronum atque prædonum dux & violentus princeps existeret.

Quem mirabiliter, vt Eusebius refert, ad ecclesiam reuocat apostolus: & indesinenter pro eo orationes fundens, & cum ipso pariter ducens crebra ieiunia: indulgentiam à Deo, quam ei pollicitus fuerat expetebat. Sed & variis sermonum consolationibus, velut
C quibusdam præcantationibus, efferos & exterritos eius animos mitigabat: nec prius abstitit, quam eum in omnibus emendatum etiam ecclesiæ præfecerit, præbens per hoc magna exempla veræ pœnitentiæ, & documentum ingens nouæ regenerationis, atque insignia quædam, & trophæa visibilis in eo resurrectionis ostendens. Hic autem anno LXVII. post passionem domini Saluatoris sub Traiano principe longo iam vetustatis senio fessus: cum diem transmigrationis suæ imminere sibi sentiret, iussisse fertur effodere sibi sepulchrum atque inde valedicens fratribus facta oratione viuens tumulum introiuit. Deinde in eo tãquam in lectulo requieuit. Vnde accidit, vt quidam eum viuere asserant, nec mortuum in sepulchro, sed dormientem iacere coniicerent, maxime pro eo quod illic terra sursum ab imo scaturiens, ad superficiem sepulchri conscendit: & quasi flatu quiescentis deorsũ ad superiora puluis ebulliat. Quieuit autem apud E-
D phesum, VI. Kalend. Ianu.

De Clemente & eius virtutibus, qui sub Traiano passus est.

CAP. X.

QVa tempestate dum hostis antiquus omnium bonorum inimicus, inuidens saluti hominum, dolens fidem veritatis ac religionis cultum vniuersum illustrasse orbem qua de re Traianum iam, præfatum principem ad insequendos veri luminis prædicatores, ac cultores extirpandos incitauit. Sub quo per vniuersum orbem Romanum, multi clara confessione Christi coronati sunt, ex quibus aliquorum memoriam huic operi inserere libuit. Itaque

liquorum memoriam huic operi inserere libuit. Itaque Clemens, de quo apostolus Paulus ad Philippenses A scribens, ait: Cum Clemente & cæteris cooperatorib. meis, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ, quartus post Petrum Romæ episcopus, siquidem secundus Linus fuit, tertius Anacletus fuit: tamen & sunt plerique Latinorum qui secundum post Apostolum fuisse putent Clementem. Scripsit ex persona Romanæ ecclesiæ ad ecclesiam Corinthiorum, valde vtilem epistolam & quæ in nonnullis locis etiam publice legitur.

Quæ mihi videtur characteri epistolæ, quæ sub Pauli nomine ad Hebræos fertur conuenire. Sed & multi de eadem epistola non solum sensibus, sed iuxta verborum quoque ordinem abutitur: omnino grandis in vtraque similitudo est. Fertur & secunda eius nomine epistola, quæ à veteribus reprobatur,. & disputatio Petri & Appionis, longo sermone conscripta: quam Eusebius in tertio Ecclesiasticæ historiæ volumine coarguit. Idem namque fidelissime apostolicam B doctrinam beatissimus Clemens est sequutus. Postquam vero sedem episcopalem Romanæ Ecclesiæ tenuit, ab omnibus diligebatur, non solum Christianis propter insignia virtutum & excellentiam doctrinæ optimorumque morum mansuetudinem & largitatem: sed etiam à Paganis & Iudæis. Qui plurimis prædicationum floribus ac virtutibus pollens, Domicillam virginem neptem Domitiani principis, sponsam Aureliani Imperatoris, Neruæ amici credentem in Christo sacro velamine ad integritatis perseuerantiam consecrauit: pro qua confessione exilio est damnata. Theodoram vero Sisinnii potentis ac nobilis viri coniugem conuersam à simulachris, Deo castitatis propositum profiteri, docuit per quam etiam iuxta Apostoli vocem fidelem coniugem & ipse Sisinnius conuersus est ad fidem Christi, quamuis prius zelo conuersæ vxoris cæcitatem & surditatem incurrisset. Sed per fidem mulieris & beati Cle- C mentis intercessionem, restituta sunt ei omnia corporis officia: & baptismatis gratiam est consecutus. Cõputati sunt autem hi qui cum eo baptizati sunt viri cum mulieribus & infantibus quadringenti viginti tres: per hũc autem Sisinnium, multi nobiles & Imperatoris amici, conuersi sunt ad Christũ. Igitur idolorũ custodes, videntes innumerabilẽ multitudinem Christo credere, magno liuore tacti, cõmouerunt patronos regionũ: & data eis pecunia seditionem nomini Christiano excitauerunt. Quam ob causam in exiliũ B. Clemens detrusus est, trans mare Ponticum in eremo quæ adiacet ciuitati Cersonæ, prouinciæ Lyciæ: vbi ad duo millia ad secanda saxa Christianos, diuturna relegatione damnatos inuenit. Et cum multa eis consolationis & patientiæ verba intimasset, didicit ab eis quod à sexto milliario aquam sibi humeris apportarẽt. Tunc S. Clemens dixit: Oremus dominum Iesum, vt confessoribus suis fontis in isto loco venas aperiat: & D qui percussit petram in monte Sina, & fluxerunt aquæ in satietatem: ipse nobis latícem affluentem aperiat. Cumque oratione completa hinc inde circumspiceret, vidit agnum stantem: qui pede dextro erecto, quasi locum sancto Clementi ostenderet.

Tunc S. Clemens intelligens dominum Iesum Christum esse, quem solus respiceret, & præter ipsum alius non videret: perrexit ad locum, & dixit: In nomine patris & filii & spiritus sancti, in isto loco percutite. Sed cum omnes per gyrum rastris effoderent, & non ipsum locum, in quo agnus stabat contingerent: accepto breui sarculo S. Clemens leui ictu locum sub pede agni percutiens, fontem affluentibus venis ornatum aperuit. Qui subito impetu euomens fluuium fecit. Tunc vniuersis gaudentibus beatus Clemens responsorium dixit: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Ad istam autem famam confluxit omnis prouincia: & venientes vniuersi ad doctrinam sancti Clementis, conuertebantur ad Dominũ Iesum Christum: ita vt in die vna quingentæ animæ seu amplius baptizati in nomine patris & filii & spiritus sancti perfecti in fide Christiana abscederent. Per totam autem prouinciam intra vnum annum à credentibus LXX. & V. ecclesiæ fundatæ sunt: & omnia templa dirupta sunt, omniaque idola confracta.

Post annos autem tres, paganis insistentibus tam ambitiosa relatio cucurrit ad imperatorem Traianum, vt dicerent ibi per Clementem innumerabilem Christianorum populum accreuisse. Et missus est quidam Arsidianus nomine, qui multos Christianorum diuersis pœnis occiderat. Et dum videret Arsidianus omnes gaudentes ad passionem accedere, cessit multitudini: & solum Clementem episcopum cogebat ad sacrificandum. Et cum videret illum sic fixum in domino, vt penitus moueri non posset, dixit ad suos: Perducatur ad mare, & ligetur ei ad collum ancora & præcipitetur in medio mari, vt non possint populi Christiani hunc pro Deo colere. Quod cum factum fuisset, omnis multitudo Christianorum flebat. Et flentibus illis, dixerunt Cornelius & Phœbus discipuli eius; Omnes vnanimes oremus, vt ostendat nobis dominus martyris sui exuuias. Orantibus autem populis, recessit mare in sinu suo, per tria fere millia. Et ingressi per siccum populi, inuenerunt in medio in arca saxea corpus sancti Clementis positum: ita vt ancora cum qua missus est, iuxta eum esset posita. Reuelatum est autem discipulis eius, vt non inde tollerent corpus eius. Quibus etiam hoc intimatum est quod omni anno die passionis eius, recedat mare per VII. dies aduenientibus, & siccum iter præbeat. Quod ad laudem nominis sui facit dominus fieri vsque in hodiernum diem. Hoc autem vt factum est, omnes gentes per gyrum crediderunt in Christum. Idem namque beatissimus Clemens suis refert scriptis: qualiter ad fidẽ perueniret Christi: & discipulus Petri, ac indiuiduus comes hæreret. Ait enim inter cætera: Dum esset hic comes optima immortalitatis cupido, vt post rerum exitus docuit, & gratia Dei omnipotentis ostendit, hæc me animi intentio ad inquisitionem veritatis, & ad agnitionem veræ lucis adduxit. Cum his ego cogitationis meæ æstibus agitarer: fama quidẽ sensim in imperio Tyberii Cæsaris, initio ex orientis partibus sumpto, peruenit ad nos: & per singula conualescens, velut à Deo bonus quidam nuntius missus, vniuersum replebat orbem: nec patiebatur diuinam voluntatem silentio tegere.

Diffundebatur ergo per singula loca, quod esset in Iudæa quidam qui regnũ Dei euãgelizaret Iudæis: idque percepturos diceret eos qui mandatorum suorum & doctrinæ instituta seruassent: vt autẽ sermo eius fide dignus ac diuinitatis plenus esse crederetur, virtutes multas & signa efficeret. Denique in vrbe per loca cõuentus fieri cœpit, & de hoc sermone tractare: quisnam esset is qui apparuit, qui velut à Deo hominibus detulisset nuntiũ: donec sub eodem anno, vir quidã astans in vrbis loco celeberrimo proclamaret ad populũ, dicẽs: Audite me ô ciues Romani, filius Dei adest in partibus Iudææ, promittẽs omnibus volẽtibus audire vitã æternã: si qui tamen secundũ volũtatem eius actus suos direxerint. Propter quod cõuertimini à malis ad bona, & à tẽporalibus ad æterna, agnoscite vnũ Deũ esse, celi terræq; rectorem: in cuius estis aspectibus vos, qui iniuste mũdũ eius habetis. Sed si cõuertimini & agitis pœnitentiã, ad futurũ seculũ venientes, & æterni effecti, ineffabilibus eius bonis perfruemini. Erat enim vir iste qui hæc loquebatur, natione Hebræus nomine Barnabas: qui se etiam vnum ex discipulis eius esse dicebat: missumque ad hoc, vt hæc volentibus indicaret. Quibus ego auditis cum reliqua multitudine sequi eum cœpi, & audire quæ diceret:

intelligebam sane quod simpliciter & absque vllo docendi fuco quæ audisset à filio Dei, vel vidisset, exponeret. Tunc secutus Barnabam ab vrbe, veni Cæsareā: ibique reperto Petro à quo benigne susceptus, & cuius prædicationibus ac virtutibus magnis, honestate & sanctitate delectatus, exinde per singulas quasque vrbes in prædicationibus sermone comes ei in omnibus fui, vsque dum veniret in diebus Claudij Cæsaris, id est, secundo anno regni eius post episcopatum Antiochensis ecclesiæ, ab Antiochia in vrbem Romam ad expugnandum Simonem magum. De cuius initio conuersionis hæc sufficiant huic operi.

De Simeone Cleophæ filio, ac de Ignatio Antiochenæ ecclesiæ episcopo, qui sub Traiano passus est.

CAP. XI.

QVo in tempore etiam Simeon Cleophæ filius, quem secundum Hierosolymis ordinatum episcopum supra docuimus: per martyrium carnis vinculis resolutus est. Horum astipulator ipse ille est Egesippus, quem iam produximus testem. Is ergo refert quod à quibusdam hæreticis accusatus sit supradictus vir tanquam Christianus, & multis suppliciis afflictatus per multos dies: ita vt etiam iudex ipse cum amicis suis de eius patientia miraretur, & ad vltimum iuberet simili eum quam dominus pertulit passione vitam finire, cū esset annorum cxx. sub Traiano Cæsare apud Atticum consulatem.

Quod autem Simeon fuerit vnus ex ipsis adiutoribus domini, vel longæuitas eius indicio est, vel euangeliorum fides, vbi etiam mater eius Maria Cleophæ vxor fertur. Qua tempestate Ignatius Antiochenæ ecclesiæ tertius post Petrum episcopus: persecutionem commouente Traiano, damnatus ad bestias Romam vinctus mittitur. Cumque nauigans Smyrnam venisset, vbi Polycarpus auditor Ioannis Apostoli, scripsit vnā epistolam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallenses, quartam ad Romanos.

Et inde egrediens, scripsit ad Philadelphinos, & ad Phinerneos, & proprie ad Polycarpum: commendās illi Antiochensem ecclesiam, in qua & de euangelio quod ab Hieronymo translatum est, sub persona Christi ponit testimonium, dicens: Ego vero & post resurrectionem in carne eum fuisse scio & credo: quia scio, & quando venit ad Petrum & ad eos qui cum Petro erant, dicens eis: Ecce palpate me & videte, quia non sum dæmonium incorporale. Et statim tetigerunt eum & crediderunt.

Dignum autem mihi videtur, quia tanti viri fecimus mentionem, de epistola eius quam ad Romanos scripsit, pauca ponere. De Syria vsque Romam pugnaui ad bestias in mari & in terra, nocte & die: ligatis eum decem leopardis, hoc est militibus, qui me custodiūt. Quibus & cū benefeceris, peiores fiunt: iniquitas autē eorum, mea doctrina est: sed non idcirco iustificatus sum, vtinam fruar bestiis quæ mihi præparatæ sunt. Quas & oro veloces mihi esse ad interitum, & illiciā ad comedendum me: ne sicut aliorum martyrum non audeant corpus meum attingere. Quod si venire noluerint, ego vim faciam, ego me ingeram vt deuorer. Ignoscite mihi filioli, quid mihi prosit ego scio: quia nunc incipio esse discipulus Christi, nihil de his quæ videntur desiderans, vt Christum Iesum inueniam. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium membrorumque diuisio, & totius corporis contritio, & tormenta, diaboli in me veniant, tamen vt Christo fruar. Cumque iam damnatus esset ad bestias, & ardore patiendi rugientes audiret leones. Frumentum, inquit, Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar. Passus est anno vndecimo Traiani: reliquiæ corporis Antiochiæ iacent, extra portam Daphniticam in cimeterio.

Ibitur Egesippus refert, quod vsque ad hæc tempora virgo munda & immaculata permansit ecclesia: corruptoribus veritatis, & diuini verbi temeratoribus aut nusquam omnino exantibus, aut etiam si qui forte fuerant, in occultis & abditis terræ delitescentibus. Vt vero apostolorum chorus & omnis illa ætas, quæ à domino susceperat viuæ vocis auditum, de hac luce discessit, tum velut in vacuam domum falsæ doctrinæ impius se error immersit, & tanquam vbi nullus iam diuini census defensor existeret, nudato, vt aiunt, capite, corripientes arma mendacii, oppugnare apostolicam veritatem nituntur. Sed istud bellum intrinsecus gerebatur, persecutionum vero extrinsecus pondus vrgebat ecclesiam. Vnde & immensæ cateruæ martyrum quotidie iugulabantur.

De Hadriano principe, & quæ sub eo gesta sunt. Eo tempore Quadratus & Aristides seu Agrippa doctores ferunt.

LIBER XII.

HElius Hadrianus consobrinæ Traiani filius, duodecimus ab Augusto principatum adeptus, imperauit annis xxii. Hic Græcis literis impensius eruditus, Atheniensium studia moresque hausit. Qui in omnibus disciplinis instructus, ita vt canendi, psallendi, medendi, pingendi scientiam haberet: & omnia quæ vellet ex metallo & marmore fingendi. Qui dum esset musicus, arithmeticus, geometricus, acer nimis ad lacessendum pariter & respondendum: omnes prouincias peragrans, subuersam à Romanis Alexandriam publicis restaurauit impensis.

Tributa vrbium plurima relaxauit, chartis publice incensis, à tributis liberos fecit plurimos. Atheniensibus leges petentibus, ex Draconis, & Solonis reliquorumque libris iura composuit. Eo tempore Iudæi in arma versi, Palestinam depopulati sunt: tenente prouinciam Timo Rufo, cui ad opprimendos rebelles Hadrianus misit exercitum. Hic Hadrianus per Quadratum discipulum apostolorum & Aristidem Atheniensem, virum fide & sapientia plenum, & per Serenum Granium legatum, libris de Christiana religione compositis instructus atque eruditus præcepit per epistolam ad Minutium Fundanum proconsulem Asiæ datam, vt nemini liceret Christianos, sine obiectu criminis aut probatione damnare. Idemque continuo pater patriæ in Senatu vltra morem maiorum appellatur, & vxor eius Augusta Is tamen tantæ eruditionis Imperator, nec caruit vitiis, qui in amore puerorum continens minime fuit. Vnde & Antinoum puerum eximiæ pulchritudinis intantum dilexit: vt ei templa & sacerdotes constitueret, & vrbem ex eius nomine vocitaret, Traiani quoque inuidens gloriæ, de Assyria, Mesopotamia, Armenia, quas ille prouincias fecerat, reuocauit exercitus. Et enim cum insignes & plurimas ædes Athenis fecisset, agonem edidit, bibliothecamque miri operis extruxit. Hadrianus enim rempublicam iustissimis legibus ordinauit: bellum contra Sauromatas gessit & vicit. Iudæos sane perturbatione scelerum suorum exagitatos, & Palæstinam prouinciam quondam suam depopulantes, vltima cæde perdomuit, vltusque est Christianos. Cochebas namque dux Iudaicæ factionis, nolentes sibi Christianos aduersū Romanū militem ferre subsidiū omnimodis cruciatibus necat. Bellū Iudaicum, quod in Palæstina gerebatur, finē accipit rebus Iudæorū penit' oppressis, Ex quo tēpore etiā introeūdi eis Hierosolimā licentia ablata est Primū Dei nutu sicut prophetæ

vaticinati sunt, deinde Romanis interdicentibus, Christianis tantum ciuitate permissa: quam ipse in optimum statum murorum extructione reparauit & Heliam Hadrianus vocari de prænomine suo præcipit: & in fronte eius portæ, qua Bethlehē egreditur, sus sculptus in marmore, significans Romanæ potestati subiacere Iudæos. Igitur vsq; ad hoc tempus excidij, quo Iudæi iterum deficientes, à Romanis magnis rursum præliis subiugati sunt, ac pene deleti, Hierosolymis XV. episcoporum successionis tradunt esse decursus: eo quod valde ad breue tempus mortis celeritate prærepti sacerdotio, singuli quoque perfuncti. Quos omnes aiunt Hebræos antiquæ originis extitisse, & scientiam fideliter recepisse & ideo incunctanter ab his qui poterant de fidei merito iudicare, sacerdotio quoque visos esse dignissimos: quippe cum omnis tunc ecclesia, ex Hebræis fidelibus coaceruata, firmata que videretur: incipientibus ab apostolis, & perdurantibus vsque ad illud tempus excidii. Igitur quia sub idem tempus assumi episcopos ex circuncisione cessatum est: necessarium videtur, omnes à primo vsque ad id tempus enumerare pariter sacerdotes. Primus itaque Iacobus, qui domini frater est nominatus: post hunc Simeon electus est: tertius iustus: Zachæus quartus: deinde Tobias quintus: & Beniamin sextus: ac septimus Ioannes: tum Matthias quem Philippus excepit, cui decimus Seneca subrogatus est: Iustus exinde: ac duodecimus Leui: post hunc Effrem: inde decimusquartus Ioseph, ac vltimus omnium Iudas. Isti sunt fere omnes, qui Hierosolymis episcopi ab apostolis ad illa vsque tempora, quæ superius designauimus, plebi illi ex circuncisione præfuerunt. Tunc Hierosolymis primus ex gentibus constituitur episcopus Marcus, cessantibus his qui fuerant ex circumcisione.

Ergo Hadrianus morbo intercutis aquæ, apud Baias moritur, maior sexagenario. Igitur sub Hadriano prædicto principe, Quadratus apostolorum discipulus, Publio Athenarum episcopo ob Christi martyrium coronato, in locum eius constituitur: & ecclesiam grandi terrore dispersam, fide & industria sua congregat: Cumque Hadrianus exegisset hyemem in Athenis inuisendo Eleusina, & omnis pene Græciæ sacris initiatus, dedisset occasionem his qui Christianos oderant, absque præcepto Imperatoris vexare credentes: porrexit ei librum pro nostra religione compositum, valde vtilem, plenum rationis & fidei, & apostolica doctrina dignum: in quo & antiquitatem suæ ætatis ostendens, ait plurimos à se esse visos, qui sub Deo variis in Iudæa pressi calamitatibus sanati fuerant, & qui mortui erant surrexerant. Aristides Atheniensis philosophus eloquentissimus & sub pristino habitu discipulus Christi, volumen composuit nostri dogmatis rationem continens. Eo tempore quo & Quadratus Hadriano principi dedit, id est, Apologeticum pro Christianis: quod vsque hodie perseuerans apud Philologos ingenii eius indicium est. Quibus diebus Granius Serenus legatus, vir adprime nobilis, literas ad Imperatorem misit: iniquum esse dicens, clamoribus vulgi, innocentium hominum sanguinem concedi: & sine vllo crimine nominis tantum & sectæ reos fieri. Quibus commotus Hadrianus, Minutio Fundano proconsuli Asiæ scribit, sine obiectu criminum Christianos non condemnandos: cuius epistolæ vsque ad nostram memoriam durat exemplum.

Tunc enim Basilides hæresiarches in Alexandria cōmoratur: à quo gnostice ficte nuncupatur. Quo tempore Agrippa cognomento Castoris, vir valde doctus, aduersum XXIV. Basilidis hæretici volumina, quæ in euangelium confecerat, fortissime disseruit: prodens eius vniuersa mysteria: & prophetas enumerans, Barchaban & Barchon aliosque qui nunquam extiterant, sed ad terrorem audientium, aliaque etiam barbara nomina commentatus est, sectatoresque suos ad morem Pythagoricum docuit quinquennio silere.

De gestis Antonii Pii, & de Iustino sui temporis doctore.

CAP. XIII.

Antonius cognomento Pius, decimus tertius ab Augusto imperator creatus: cum liberis suis Aurelio & Lucio XX. & non plenis tribus annis rempub. gubernauit. Iste ab Hadriano in filiū adoptatus cuius gener fuerat, tantæ bonitatis in principatu, vt haud dubio sine exemplo vixerit: quamuis eum Numæ cōtulerit ætas sua, cum orbem terræ nullo bello per annos XXIII. authoritate sola rexit: adeo tremendibus eum atque amantibus cunctis regibus nationibusque & populis, vt parentem seu patronum magis quam dominum imperatoremve putarent, omnesque in morem cœlestium propitium optantes, de controuersiis inter se iudicem poscerent. Quin etiam Indi, Bactri, Hircani, legatos ad eum misere, iustitia tanti imperatoris comperta. Adeo tranquille & sanctissime in imperio vixit, vt merito pius & pater patriæ nominatus sit. Huius autem temporibus Valentinus hæresiarches, & Cerdo magister Marcionis Romam venerunt, & hæretici ac sanctæ religionis inimici declarantur. Verum Iustinus philosophus librum pro Christiana religione compositum Antonio tradidit benignumque eum erga Christianos homines fecit. Antonius ad XII. ab vrbe lapidem morbo correptus interiit.

De gestis Marci Antonini & fratris eius Aurelii Commodi, qui aliquandiu simul regnauerunt.

CAP. XIV.

Marcus Antonius Verus, XIV. ab Augusto, regnū cum Aurelio Commodo fratre suscepit, mansitque in eo annos XIX. Hi primi rēpublicam æquo iure tutati sunt. Bellum deinde contra Parthos admirabili virtute & felicitate gesserūt. Marcus Antoninus Verus ad id bellum profectus est. Vologesus enim rex Parthorū, graui eruptione Armeniā, Cappadociam, Syriāq; vastabat. Sed Antonius per strenuissimos duces, magnis rebus gestis, Seleuciā Assyriæ vrbem super Hidaspen fluuiū sitam, cum cccc. millibus hominum cepit, & cum fratre de victoria Parthica triumphauit: ac non multo post cum fratre in vehiculo sedens, casu morbi, quē apoplexin Græci vocāt, suffocatus interiit. Eo defuncto Marcus Antoninus solus Reipublicæ præfuit. Sed in diebus Parthici belli persecutiones Christianorum, quarta iam post Neronem vice, in Assyria & in Gallia graues præcepto eius extiterūt, multiq; sanctorū martyrio coronati sunt. Secuta est lues plurimis infusa prouinciis, totāq; Italiam pestilentia tāta vastauit, vt passim villæ agri atque oppida sine cultore atque habitatore deserta, in ruinas syluasq; concesserint. Exercitum vero Romanū cunctasq; legiones per longinqua late hyberna dispositas, ita consumptas ferūt, vt Marcomānicū bellum, quod cōtinuo exortum est, non nisi nouo delectu militum, quem triennio iugiter apud Carnutium Marcus Antoninus habuit, gestum fuisse referatur. Hoc quidē bellū prouidētia Dei administratū esse, cum plurimis argumētis cōstat, tum præcipue epistola grauissimi ac modestissimi Imperatoris declaratum est. Nam cum insurrexissent Gentes immanitate barbaræ, multitudine innumerabiles, hoc est, Marcomanni, Quadi, Vvādi, Sarmatæ, Sueui atque omnis pene Germania, & in Quadorum vsque fines progressus exercitus, circumuentusque ab hostibus propter aquarum penuriam præsentium, sitis magis quam hostis periculum

ſuſtineret, ad inuocationem nominis Chriſti, quam ſubito magna fidei conſtantia, quidam milites effuſi in preces palam fecerunt, tanta vis pluuiæ effuſa eſt, vt Romanos quidem largiſſime ac ſine iniuria refecerit, Barbaros autem crebris fulminum ictibus perterritos, præſertim quum plurimi eorum occiderentur, in fugam coegerit. Quorum terga Romani vſque ad internecionem cædentes, glorioſiſſimam victoriam, & omnibus pene antiquorum titulis præferendam, rudi paruoque militum numero, ſed potentiſſimo Chriſti auxilio reportarunt. Extare etiam nunc apud pleroſque dicuntur literæ Imperatoris Antonini, vbi inuocatione nominis Chriſti per milites Chriſtianos & ſitim illam depulſam, & collatam fatetur fuiſſe victoriam. Idemque Antoninus Commodum filium ſuum aſſumpſit in regnum. Præteriti etiam temporis per omnes prouincias tributa donauit, omniaque ſimul fiſcalia negotiorum calumnioſa monuméta congeſta in foro juſſit incendi, ſeuerioreſque leges nouis conſtitutionibus temperauit: Poſtremo in Pannonia conſtitutus, repentino morbo diem obiit. Igitur annalium ſcriptores de eodem Imperatore ferunt, quod niſi ad illa tempora natus eſſet: profecto quaſi vno lapſu ruiſſent omnia ſtatus Romani imperij, qui quaſi defenſor obiectus eſt publicis ærumnis. Quippe ab armis quies nuſquam erat, perque omnem Orientem, Illyricum, Italiam, Galliamque bella feruebant, terræ motus non ſine interitu ciuitatum, inundationes fluminum, lues crebræ, locuſtarum ſpecies agris infeſtæ prorſus, ut prope nihil, quo ſummis angoribus atteri mortales ſolent, dici ſeu cogitari queat quod non illo imperante ſæuierit. Itaque à principio vitæ tranquilliſſimus, adeo vt ab infantia vultum nec ex gaudio nec ex mœrore mutauerit, philoſophiæ atque græcarum literarum ſtudioſus. Hic permiſit viris clarioribus, vt conuiuia eodem cultu, quo ipſe & miniſtris ſimilibus, exhiberent. Hic cum ærario exhauſto largitiones, quas militibus impenderet, non haberet, neque indicere prouincialibus aut ſenatui aliquid vellet, inſtrumentum regij cultus facta in foro Traiani ſectione diſtraxit. Vaſa aurea, pocula cryſtallina & murina, vxoriam ac ſuam ſericam & auream veſtem, multa ornamenta gemmarum vendidit, ac per duos continuo menſes venditio habita eſt. Poſt victoriam tamen emptoribus pretia reſtituit, qui reddere comparata voluerunt: moleſtus nulli fuit, qui maluit ſemel empta retinere. Qui tamen errore deceptus, multa ſuæ honeſtatis bona fœdauit, dum quartam poſt Neronem in Chriſtianos perſecutionem ſuo mouit edicto: vnde libet ſub breuitate perſtringere, qui eo imperante in noſtro maxime floruerunt dogmate, vel ex notioribus martyrio coronati ſunt.

De Polycarpo Iohannis Apoſtoli diſcipulo, & Smirnæ epiſcopo.

CAP. XV.

IGitur Polycarpus Iohannis Apoſtoli diſcipulus, & ab eo Smirnæ epiſcop⁹ ordinatus, totius Aſiæ princeps fuit: quippe qui nonnullos Apoſtolorum & eorum qui Dominum viderant, magiſtros habuerit & viderit. Hic propter quaſdam ſuper die Paſchæ quæſtiones, ſub Imperatore Antonino Pio eccleſiam in vrbe regente, à Necero Romam venit, vbi plurimos credentium Marcionis & Valentini perſuaſione deceptos reduxit ad fidem. Cumque ei obuius fuiſſet Marcion, & diceret: Agnoſce nos, reſpondit: Agnoſco primogenitum diaboli.

Poſtea vero regnante Marco Antonino, & Lucio Aurelio Commodo, quarta poſt Neronem perſecutione Smirnæ ſedente proconſule & vniuerſo populo in amphitheatro aduerſum eum perſonante, quod

A ipſe eſſet quaſi Chriſtianorum pater, & illius ſectæ maximus doctor, Deorumque ſubuerſor. Ille autem per glorioſam confeſſionem igni traditus eſt. Cumque flamma ingens reluxiſſet, & in modum cameræ curuata ſpecie, quaſi veli nauis vento ſinuati ſupra corpus martyris ſtetiſſet, videntes ſcelerum miniſtri igni corpus non poſſe conſumi, juſſerunt propius accedere confectorem, & corpus cui ignis ceſſerat mucrone transfodere.

De Iuſtino philoſopho, quantum pro defendendo Chriſtianiſmo laborarit, & quam inſignia monumenta reliquerit.

CAP. XVI.

IVſtinus philoſophus, habitu quoque philoſophorum incedens, de Neapoli vrbe Paleſtinæ, patre Priſco Bacchio, pro religione Chriſti plurimum la-

B borauit: intantum vt Antonino quoque Pio & filijs eius, & ſenatui librum contra Gentes ſcriptum daret, ignominiamque crucis non erubeſceret: & alium librum ſucceſſoribus eiuſdem Antonini, Marco Antonino Vero, & Lucio Aurelio Commodo. Extat eius & aliud volumen contra Gentes, vbi de dæmonum quoque natura diſputat: & quartus aduerſum Gentes, cui titulum prænotauit, Pſaltes, & alius de monarchia Dei, & alius liber quem prænotauit, Pſaltem, & alius de anima, & dialogus contra Iudæos, quem habuit contra Triphonem principem Iudæorum. Sed & contra Marcionem inſignia volumina, quorũ Irenæus quoque in quinto aduerſus hæreſes libro meminit. Et alius liber contra omnes hæreſes, cuius facit mentionem in Apologetico, quem dedit Antonino Pio. Hic cum in vrbe Roma haberetur, & Creſcentem Cynicum, qui multum aduerſum Chriſtianos blaſphemabat, redargueret guloſum & mortis ti-

C midum, ac philoſophiæ præuaricatorem luxuriæque & libidinis ſectatorem: ad extremum ſtudio eius & inſidijs accuſatus, quod Chriſtianus eſſet, pro Chriſto ſanguinem fudit.

Egeſippus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptor, qua ætate floruerit.

CAP. XVII.

EGeſippus vicinus apoſtolorum temporibus, & omnes à paſſione Domini vſque ad ſuam ętatem eccleſiaſticorum actuum hiſtorias texens, multaque ad vtilitatem legentium pertinentia, hinc inde congregans, quinque libros compoſuit ſermone ſimplici, vt quorum vitam ſectabatur, dicendo quoque exprimeret. Aſſerit ſe veniſſe ſub Anaceto Romam, qui decimus poſt Petrum epiſcopus fuit, & perſeueraſſe vſque ad Eleutherium eiuſdem vrbis epiſcopum, quia

D Neceti quondam diſcipulus fuerat. Præterea aduerſum idola diſputans, quo primum errore concreuiſſent, ſubtexuit hiſtoriam: ex qua oſtendit, qua floruerit ætate. Ait enim: Tumulos mortuis templaque fecerunt, ſicut vſque hodie videmus: è quibus eſt Antinous ſeruus Hadriani Cæſaris, cuius & Gymnaſius agon exercetur in Antino ciuitate, quam ex nomine illius condidit, & prophetas ſtatuit in eius templo. Antinoum autem in delicijs habuiſſe Hadrianus Cæſar ſcribitur. Melito Aſianus Sardienſis epiſcopus, librum Imperatori Marco Antonino Vero pro Chriſtiano dogmate dedit.

Scripſit quoque & alia, de quibus iſta ſunt quæ ſubijciemus. De Paſcha libri duo, de vita prophetarum liber vnus, de die dominica liber vnus, de fide liber vnus, de plaſto liber vnus, de ſenſibus liber vnus, de anima & corpore liber vnus, de baptiſmate liber vnus,

de veritate liber vnus, de generatione Christi liber 1. de prophetia sua liber vnus, de amore donorum, de philoxenia liber vnus,& alius liber qui clauis inscribitur; de diabolo liber vnus, de Apocalypsi Iohannis liber vnus, Exceptorum testimoniorum æglogarum libri sex. Huius elegans & declamatorium ingenium Tertullianus in septem libris quos scripsit aduersum ecclesiam pro Montano cauillatur, dicens eum à plerisque nostrorum prophetam putari. Theophilus sextus Antiochenæ ecclesiæ episcopus, sub Imperatore Marco Antonino Vero, librum contra Marcionem composuit, qui vsque hodie extat. Feruntur eius & ad Autolicum quatuor volumina, & contra hæresim Hermogenis liber vnus, & alij breues elegantesque tractatus, ad ædificationem ecclesiæ pertinentes. Legi sub nomine eius euangelium,& in Prouerbia Salomonis commentarios, qui mihi cum superiorum voluminum elegantia non videntur congruere.

De Apollinari Hierapolis, & Dionysio Corinthi episcopis.

CAP. XVIII.

APollinaris Asiæ Hieropolitanus episcopus, sub Imperat. Marco Antonino Vero floruit, cui insigne volumen pro fide Christianorum dedit. Extant eius & alij quinque aduersum gentes libri, & de veritate duo, & aduersum Cataphrygas, tūc primum cum Prisca & Maximilla insanis vatibus incipiente Montano. Dionysius Corinthiorum ecclesiæ episcopus, tantæ eloquentiæ & industriæ fuit, vt non solum suæ ciuitatis & prouinciæ populos, sed & aliarū prouinciarum & vrbium epistolis erudiret. E quibus est vna ad Lacedæmones, alia ad Athenienses, tertia ad Nicomedienses, quarta ad Erethenses, & ad ecclesiam Amastrinam, & ad reliquas Ponti ecclesias, sexta ad Gnosianos & ad Philetum eiusdem vrbis episcopum, septima ad Romanos, vna quam scripsit ad Soterem episcopum eorum, octaua ad Erisophoram sanctam fœminam. Claruit sub Imperatore Marco Antonino Vero, & Lucio Aurelio Commodo. Pinitus Cretensis Gnosiæ vrbis episcopus scripsit ad Dionysium episcopum Corinthiorū valde elegantem epistolam, in qua docet non semper lacte populos nutriendos, ne quasi paruuli ab vltimo occupentur die: sed & solido vesci debere cibo, vt in spiritalem proficiant senectutem. Et hic sub Marco Antonino & Lucio Commodo floruit.

De Tatiano Encratitarum hæresiarcha.

CAP. XIX.

TAtianus qui primum Oratoriam docens, non paruam sibi ex arte rethorica gloriam comparauit, Iustini martyris sectator fuit, florens in ecclesia, quamdiu ab eius latere non discessit. Postea vero inflatus eloquentiæ tumore nouam condidit hæresim, quę Encratitarum dicitur, quam postea Seuerus auxit, à quo eiusdem partis hæretici Seueriani vsque hodie appellantur. Porro Tatianus infinita scripsit volumina, è quibus vnus contra gentes florentissimus extat liber, qui inter omnia opera eius fertur insignis. Et hic sub Imperatore Marco Antonino Vero, & Lucio Aurelio Commodo floruit.

Catalogus quorundam orthodoxorum, qui contra Marcionistarum hæresim libros ediderunt.

CAP. XX.

PHilippus episcopus Cretensis idem vrbis Gnostinæ, cuius Dionysius in epistola sua meminit, quam scripsit ad eiusdem ciuitatis ecclesiam, præclarum aduersus Marcionem edidit librum, qui temporibus Marci Antonini Veri,& Lucij Aurelij Commodi claruit. Musanus non ignobilis inter eos, qui de ecclesiastico dogmate scripserunt, sub Imperatore Marco Antonino Vero confecit librum ad quosdam fratres, qui de ecclesia ad Encratitarum hæresim declinauerant. Modestus & ipse, qui sub Imperatore Marco Anton. Vero, & Lucio Aurelio eodem modo aduersum Marcionem scripsit librum, qui vsque hodie perseuerat. Feruntur sub nomine eius & alia multa, sed ab eruditis quasi repudiantur. Tardesanes in Mesopotamia clarus habitus est. Qui primum Valentini sectator, deinde confutator, nouam hæresim condidit. Ardens eius ingenium, in Syrorum lingua disertissimus, & vehemens dialecticus fuit. Scripsit infinita aduersus omnes pene hæreticos, qui ætate eius pullulauerant. In quibus clarissimus ille & fortissimus liber est, quem Marco Antonino de fato edidit & multa alia sub persecutione volumina, quæ sectatores eius de Syriaca lingua verterunt in Græcam. Si autem tanta vis & fulgor est in interpretatione, quantum putamus in sermone proprio.

Cataphrygarum hæresis quo tempore exorta sit.

CAP. XXI.

IGitur sub præfato principe plurimi in Gallia gloriosè ob nomen Christi interfecti, quorum vsque in præsentem diem condita libris certamina perseuerant. Qua tempestate etiam pseudoprophetia, quæ Cataphrygarum hæresis nominatur, accepit exordium, authore Montano & Priscilla insanis vatibus. Quibus etiam diebus Lucius Britanniæ rex missa ad Eleutherium Romæ episcopum epistola, vt Christianus efficeretur impetrat. Eo itaque tempore Fronto orator insignis habebatur, qui Marcum Antoninum prædictum principem latinis literis erudiuit.

De Commodi Imperatoris incommodis gestis, & de his qui sub eo floruerunt doctoribus.

CAP. XXII.

LVcius Antoninus Commodus xv. ab Augusto patri successit in regnum, mansitque in eo annos XIII. aduersus Germanos bellum feliciter gessit. Cæterum per omnia luxuriæ & obscœnitatis dedecore deprauatus, gladiatoriis quoque armis sæpissime depugnauit, & in amphiteatro feris sese frequenter obiecit. Interfecit etiam quam plurimos senatores, maxime quos animaduertit nobilitate industriaque excellere. Flagitia regis pœna vrbis insequitur. Nam fulmine Capitolium ictum ex quo facta inflammatio, bibliothecam illam maiorum cura studioque compositam, ædesque alias iuxta sitas rapaci turbine concremauit. Deinde aliud incendium postea Romæ exortum, ædem Vestæ ac palatium plurimamque vrbis partem solo coæquauit. Commodus cūctis incommodus in domo Vestiliani strangulatus interiisse fertur: hostis generis humani etiam viuus iudicatur. Hic qualis futurus esset in ipso primordio ostendit. Nam cum in supremis moneretur à parente, attritos iam Barbaros ne permitteret vires recipere: responderat ab incolumi quamuis paulatim negocia perfici posse, à mortuo nihil. Inter cætera Commodus imperator, Colossi capite sublato, suæ imaginis caput ei iussit imponi. Qui tamen persecutionem in Christianos exerceri non censuit, sub quo pax ecclesiis per omnem terram propagatur: sermo domini ex omni genere hominum ad agnitionem ac pietatem Dei summi animas congregabat.

Denique & in vrbe Roma multos ex illis illustribus & prædiuitibus viris, cum liberis & coniugibus ac propinquis, atque omni pariter familia sociauit ad fidem. Sed hoc non æquis oculis ille antiquus salutis humanæ hostis aspexit. Continuo denique aggreditur variis nostros machinis impugnare, vnde plures excitauit hæreticos. Sub quo etiam principe Victor xiv. Romanæ vrbis episcopus, super quæstione Paschæ alia quædam scribens opuscula, rexit ecclesiam annos decem, Ireneus Photini discipulus, qui Lugdunensem regebat ecclesiam in Gallia, à martyribus eiusdem loci ob quasdam ecclesiæ quęstiones legatus Romam, honorificas super nomine suo ad Eleutherium episcopum perfert literas. Postea iam Photino prope nonagenario, ob Christi nomen martyrio coronato, in locum eius substituitur. Constat autem Polycarpi (cuius supra mentionem fecimus, sacerdotis & martyris) hunc fuisse discipulum. Scribit quinque aduersum hæreses libros, & contra gentes volumen breue, & de disciplina aliud, & ad Marcionem fratrem de apostolica prædicatione, & librum variorum tractatuum, & ad Blastum de schismate, & ad Florinum de monarchia, siue quod Deus non sit conditor malorum, & de octaua egregium, in cuius fine significans se apostolicorum temporum vicinum fuisse, subscribit: Adjuro te qui transcribis istum librum per dominum nostrum Iesum Christum, & per gloriosum eius aduentum, quo iudicaturus est viuos & mortuos, vt conferas postquam transcripseris, & emendes illū ad exemplar vnde scripsisti, diligentissime. Hanc quoque obtestationem similiter transferas vt inuenisti in exemplario. Feruntur eius ad Romanum Victorem episcopum de quæstione Paschæ epistolæ, in quibus commonet eum non facile debere vnitatem collegæ scindere. Siquidem Victor multos Asiæ & Orientis episcopos, qui xiv. luna cum Iudæis Pascha celebrant, damnandos crediderat. Qua sententia multas ecclesias, quæ à se desciuerant, ad concordiam pacis reuocauit. Floruit maxime sub Commodo principe, qui Marco Antonino Vero in imperio successit.

De Heluio Pertinace, & Iuliano eius interfectore.

CAP. XXIII.

IGitur post Commodum à Senatu creatus est senex Heluius Pertinax, decimus sextus ab Augusto quinto mēse quam regnare cœperat, Iuliani iurisperiti scelere in palatio occisus est. Fuit enim doctor literarum, quæ à grammaticis traduntur, blandus magis quam beneficus. Vnde eum græco nomine Chrestologon appellauere. Nunquam iniuria accepta ad vlciscendum ductus. Amabat simplicitatem cōmunem. Huic mortuo diuini nomen decretum est. Ob cuius laudem ingeminantes ad vocis vsque defectum plausibus acclamauerunt. Pertinace imperante securi viximus, neminem timuimus, patre pio, patre senatus, patre omnium bonorum. Eo imperante senatu obsecrante, vt vxorem suam Augustam & filium Cæsarem appellaret, contradixit, sufficere testatus, quod ipse regnaret inuitus. Iulianus, interfecto Pertinace, inuasit imperium, sed mox à Seuero, apud Pontem Maluium bello ciuili victus & interfectus est, mense vii. postquam cœperat imperare: ita inter Pertinacem & Iulianum vnus annus absumptus est. Idem Iulianus vir nobilis, iuris peritissimus: factiosus & præceps, auidusque regni.

A *De Seueri virtute & gestis. Et quod illo imperante honores non sunt venditi.*

CAP. XXIV.

SEuerus genere Afer, Tripolitanus ab oppido Lepri, qui se ex nomine imperatoris, quem occisum vltus fuerat, Pertinacem appellari voluit, xvii. ab Augusto: destitutum adeptus imperium, xvii. annis tenuit. Hic natura sæuus, multis semper bellis lacessitus: fortissime quidem Rempublicam, sed laboriosissime rexit. Pescennium Nigrum, qui in Ægypto ex Syria ad tyrannidem spirauerat, apud Gizicum vicit, & interfecit Iudæos & Samaritas rebellare conantes, ferro vel compescuit vel coercuit: Parthos, Arabas, Adiabenosque superauit. Quinta post Neronem persecutione, Christianos excruciauit: plurimique sanctorum B per diuersas prouincias martyrio coronati sunt. Hanc prophanam in Christianos & ecclesiam Dei præsumptionem Seueri, cœlestis vltio e vestigio acta subsequitur. Nam continuo rapitur, vel potius retrahitur in Galliam Seuerus è Syria, ad tertium ciuile bellum. Vnum iam enim Romæ aduersus Iulianum, aliud in Syria contra Pescennium gesserat, tertium Clodius Albinus Iuliani in occidendo Pertinacem socius, qui se in Gallia Cæsarem fecerat, suscitabat. Quo bello multum vtrinque Romani sanguinis fusum est: Albinus tamen apud Lugdunum oppressus & interfectus est. Seuerus victor in Britannias defectu pene omnium sociorum trahitur: vbi magnis, grauibusque præliis sæpe gestis, receptam partem insulæ, à cæteris indomitis gentibus vallo distinguendam putauit. Itaque magnum firmissimumque vallum crebris insuper turribus communitum, per c.xxx. & duo M. passuum à mari ad mare reduxit: ibique apud Eboracum op-C pidum morbo obijt. Ferunt de eo annalium scriptores, quod esset omnium, qui ante eum fuerunt acerrimus ingenio, ac omnia, quæ intendisset, in finem perurgens, beneuolentia quo inclinasset mirabili ac perpetua, ad quærendum diligens, ad largiendum liberalis: in amicos, inimicosque pariter vehemens. Hic nulli in dominatu suo permisit honores venundari. Latinis literis sufficienter instructus, Græci sermonis eruditus, Punica eloquentia promptior. Reliquit ii. filios, Bassianum & Getham, quorum Getha hostis publicus iudicatus, interijt. Bassianus Antoninus cognomine, assumpto regno potitus est.

De Aurelio Antonino, & eius actibus.

CAP. XXV.

AVrelius Antoninus Bassianus, idemque Caracalla, xviii. ab Augusto principatum adeptus est mansitque in eo annis non plenis 7. Vixit patre as-D perior. Omnibus autem hominibus libidine intemperantior, qui etiam nouercam suam Iuliam vxorem duxerat. Hic fratrem suum Getham peremit, ob quam causam furore pœnas dedit dirarum insectatione, quæ non immerito vltrices vocantur, à quo post furorem conualuit. Corpore Alexandri Macedonis conspecto, Magnum Alexandrum se iussit appellari assentantium fallaciis eo perductus, vti truci fronte & ad leuum humerum conuersa ceruice, quod more Alexandri notauerat, incederet. Qui Caracalla dictus est à veste talari: qua indui plebem iusserat, ad se salutandum accedentem. Contra Parthos bellum moliens, inter Edissam & Charras, ab hostibus circumuentus, occisus est.

De Ophilo Macrino principe.

CAP. XXVI.

POst hunc Bassianum xix. ab Augusto Ophilus Macrinus, qui præfectus prætorij erat, cum filio Dia Dumeno inuasit imperium. Sed emenso anno continuo apud Archelaidem militari tumultu occisus est, Imperantibus Seuero & filio eius Antonino, quintam post Neronem in Christianos persecutionem fieri decernentibus: quinam illustres in nostro floruerint dogmate, vel martyrij palmam sint assecuti, quorum memoriam reperire licuit, breuiter adnotare curabo.

De doctoribus, qui sub prædictis principibus floruerunt.

CAP. XXVII.

PAnthenus Stoïcæ sectæ philosophus, iuxta quandam veterem in Alexandria consuetudinem, vbi à Marco euangelista semper ecclesiastici fuere doctores, tantæ prudentię & eruditionis in scripturis quam in sęculi literatura fuit: vt in Indiam quoque rogatus ab illius gentis populo, legatus à Demetrio Alexandrino episcopo mitteretur. Vbi reperit Bartholomæum de duodecim apostolis aduentum Christi iuxta Matthæi Euangelium prædicasse, quod Hebraïcis literis scriptũ reuertens Alexandriam secum attulit. Huius multi quidem in sancta scriptura extant commentarij. Sed multo magis viua voce ecclesiis profuit, docuitque sub Seuero principe & Antonino cognomento Caracalla. Rhodo genere Asianus à Tatiano, de quo supra diximus, Romæ in scripturis eruditus, edidit plurima præcipueque aduersum Marcionem opuscula tria, in quibus refert quomodo ipsi quoque Marcionitæ discrepent, & Appelienis senem hæreticum à se quondam fuisse inuentum, & cum eo congressus, multa eũ docuisse, conuicit. Demum illum interrogauit, de Deo quid sentiret, qui dominum quem coleret, ignorare se dixit. Meminit in eodem libro, quem scripsit ad Cœlestionem, Tatiani se Romæ fuisse adiutorem. Sed & in Hexameron elegantes tractatus composuit, & aduersus Cataphrygas insigne opus, temporibusq; Commodi & Seueri floruit. Clemens Alexandrinæ ecclesiæ presbyter, Pantheni (de quo supra retulimus) auditor, post eius mortem Alexandriæ ecclesiasticam scholam tenuit & magister fuit. Feruntur eius insignia volumina, plenaque eruditionis & eloquentiæ tam de scripturis diuinis, quam de secularis literaturæ instrumento. E quibus illa sunt, libri 7. aduersum gentes libri 1. pædagogi, libri 3 de Pascha, liber 1. de ieiunij disceptatione, & alius liber, qui inscribitur; Quinam ille diues sit, qui saluetur: De obtrectatione lib. 1. de canonib. ecclesiasticis, & aduersus eos qui Iudæorum sequuntur errorem, liber 1. quem proprie Alexandro Hierosolymorum episcopo scripsit. Meminit autem in Stromatibus suis voluminis Tatiani aduersum gentes, de quo supra diximus, & Cassiani cuiusdam chronographiæ. Quod opusculum inuenire non potui. Necnon de Iudæis Aristobolum quendam & Demetrium, & Eupolemum scriptores, aduersum gentes refert: qui in similitudine Iosephi, Mosi & Iudaïcæ gentis afferunt. Extat & Alexandri Hierosolymorum episcopi, qui cum Narcisso postea rexit ecclesiam, epistola super ordinatione Asclepiadis confessoris ad Antiochenses, congratulans eis: In qua ponit insinuans, hæc vobis domini fratres scripta transmisi per Clementem beatum presbyterum, virum illustrem & probatum, quem vos quoque sciris, & nunc plenius cognosciris. Qui cum venisset iuxta prudentiam & visitationem domini, confirmauit & auxit domini ecclesiam. Constat Adamantium eius fuisse discipulum. Floruit

A autem Seueri & Antonini filij eius temporibus Miltiades cuius Rhodo in opere suo, quod aduersum Montanum, Priscam & Maximillam composuit, meminit: Scripsit contra eosdem volumen præcipuum, & aduersum gentes, Iudæosque libros alios, & principibus eiusdem temporis Apologeticum dedit. Apollonius vir disertissimus scripsit aduersum Montanum & Priscam, Maximillamque insigne & longũ volumen: in quo asserit, Montanum & insanas eius vates perisse suspendio: & multa alia, in quibus de Prisca & Maximilla refert, si negant eas accepisse munera: confiteantur non esse prophetas. Si accipiant & mille hoc testibus approbabo. Sed ex alijs fructibus probantur prophetæ non esse: Dic mihi; crinem fucat prophetes? stibio oculos linit prophetes? vestibus ornatur & gemmis propheta? tabula ludit & tesseris propheta? Respondeant vtrum hæc fieri liceat, an non. Meum est probare, quia fecerunt. Dicit in eodem libro 40.

B esse annum vsque ad tempus quo & ipse scribit librũ, ex quo hæresis Cataphrygarum habuerit exordium. Tertullianus 6. voluminibus aduersum Ecclesiam editis, quæ scripsit de extasi, 8. aduersum Apollonium elaborauit, in quo omnia quæ ille arguit, conatur defendere. Floruit autem Apollonius Commodo, Seueroque principibus. Serapion xi. Commodi Imperatoris anno Antiochiæ episcopus ordinatus est. Scripsit epistolam ad Caricum & Pontium, de hæresi Montani, & hæc addidit: Vt autem sciatis falsi huius dogmatis, id est, nouæ prophetiæ, ab omni mundo insaniam reprobari: misi vobis Apollinaris beatissimi, qui fuit in Hierapoli Asiæ episcopus litteras. Ad Domninum quoque, qui persecutionis tempore ad Iudæos declinauerat, volumen composuit, & alium quoque de Euangelico, quod sub nomine Petri fertur, librum ad Rosensem Ciliciæ ecclesiam, quæ in hæresim eius lectione declinauerat. Leguntur & spatsim breues eius epistolæ, authoris vitæ & vitæ congruentes. Apol-

C lonius Romanæ vrbis senator sub Commodo principe, à seruo proditus, quod Christianus esset, iubente imperatore, vt rationem suæ fidei proderet, insigne volumen composuit. Quod cum in senatu legit, & nihilominus sententia senatus capite truncatur, vetere apud eos obtinente lege absque ratione non dimitti Christianos, qui semel ad eorum iudicium protracti essent, Theophilus Cæsareæ Palestinæ, quæ olim turris Stratonis vocabatur, episcopus, sub Seuero principe aduersum eos, qui 14. luna cum Iudæis Pascha celebrabant, cum cæteris episcopis synodicam & valde vtilem composuit epistolam. Bachilus Corinthi episcopus, sub eodem Seuero principe clarus habitus est, & de Pascha, & omnium, qui in Asia erant, episcoporum persona elegantem librum scripsit. Polycrates Ephesiorum episcopus, cum cæteris episcopis Asiæ, qui iuxta quandam veterem consuetudinem 14. luna cum Iudæis Pascha celebrabant: scripsit aduersum Vi-

D ctorem episcopum Romanum epistolam synodicam, in qua docet se apostoli Iohannis & veterum authoritatem sequi, de qua hæc pauca excerpsimus. Nos igitur inuiolabilem celebramus diem, neque addentes neque diminuentes. Etenim in Asia elementa maxima dormierunt, quæ resurgent in die domini, quando venturus est de cœlis in maiestate sua, & suscitaturus omnes sanctos: Philippum loquor de 12. apostolis, qui dormiuit Hierapoli, & duas filias eius, quæ virgines senuerunt, & aliam filiam eius, quæ spiritu sancto plena in Epheso occubuit, sed & Iohannes, qui super pectus domini recubuit, & pontifex eius fuit, auream laminam in fronte portans, martyr & doctor in Epheso dormiuit, & Polycarpus episcopus ecclesiasticum sequens canonem. Ego quoque omnium minimus Polycrates, secundum doctrinam propinquorum quos secutus sum: vii. namque ex parentibus

meis per ordinem fuerunt episcopi, & ego 8. semper Pascha celebraui, quando populus Iudæorum azyma faciebat. Itaque fratres 65. annos ętatis meæ habens in domino, & à multis de toto orbe fratribus eruditus per gratiam omnis scripturæ: non formidabo eos, qui nobis minantur. Dixerunt enim maiores mei, obedire magis oportet Deo quam hominibus. Hæc propterea posui, vt ingenium & authoritatem viri ex paruo opusculo demonstrarem. Floruit Seueri principis temporibus. Eadem tempestate qua Narcissus Hierosolymis extiterat: Hiraclitus sub Commodi, Seuerique imperio, in Apostolum commentarios plurimos composuit. Maximus sub iisdem principibus famosissimam quæstionem insigni volumine ventilauit: vnde malum, & quod materia facta sit à Deo. Candidus, regnantibus supradictis, in Hexameron pulcherrimos tractatus edidit. Apio sub Seuero principe, similiter in Hexameron tractatus fecit. Sixtus sub imperatore Seuero librum de resurrectione scripsit. Arabianus sub eodem principe edidit quædam opuscula ad Christianum dogma pertinentia, Iudas de septuaginta apud Danielem hebdomadibus plenissime disputauit, & superiorum seriem temporum vsque ad x. Seueri principis annum perduxit. In quo erroris sui arguitur: quod aduentum Antichristi circa sua tempora futurum esse prædixerit. Sed hoc ideo, quia magnitudo persecutionum præsentem mundi minabatur occasum. Tertullianus presbyter tum demum primus post Victorem & Apollinion Latinorum ponitur prouinciæ Aphricæ ciuitatis Carthaginensis, patre centurione proconsulari. Hic acris & vehementis ingenij, sub Seuero principe & Antonio Caracalla maxime floruit, multaq; scripsit volumina, quæ quia nota sunt plurimis, prætermittimus. Refert de eo Hieronymus in hunc modum: Vidi ego quendam paulum Concordiæ (quod est oppidum Italiæ) senem, qui se beati Cypriani iam grandis ætatis notarium fuisse dicebat, cum ipse admodum esset adolescens. Qui cum Romam venisset, dicere, referreque solitum, numquã Cyprianum absque Tertulliani lectione vnam præterisse diem: ac quod sibi crebro diceret: Da magistrũ, Tertullianum videlicet significans. Hic vsque ad mediam ætatem presbyter in ecclesia fuit, inuidia postea ac contumeliis clericorum Romanæ ecclesiæ, ad Montani dogma lapsus, in multis libris nouæ prophetiæ meminit. Specialiter autem aduersum ecclesiam texuit volumina, de persecutione, de pudicitia, iei[illegible]niis, de monogamia, extasi libros 6. & 7. quem aduersum Apollonium composuit. Ferturque vixisse vsque ad decrepitam ætatem, & multa, quæ non extant, opuscula condidisse. Adamantius x Seueri Pertinacis anno, aduersum Christianos persecutione commota, Leonide patre Christi martyrio coronato, cum 6 fratribus & matre vidua pauper relinquitur: annos natus circiter 17. Rem autem familiarem ob confessionem Christi fiscus occupauerat. Hic Alexandriæ dispersæ ecclesiæ, 17. ætatis suæ anno opus aggressus, Demetrio eiusdem vrbis episcopo, in locum Clementis presbyteri confirmatus, per multos annos floruit. Qua tempestate Perpetua, & Felicitas, pro Christo passæ sunt, Nonis Martiis apud Carthaginem Aphricæ, in castris bestijs deputatæ. Alexander quoque ob confessionem dominici nominis clarus extitit. Per hæc tempora Narcissus Hierosolymorum episcopus, insignis ac famosissimus extitit: de quo supra fecimus mẽtionem. Nos vero vnum eius memorabimus, ex quo cæteris quæ de eo narrantur, merito fides possit adhiberi. Accidit aliquando in die solemni vigiliarum Paschę, oleum deesse luminaribus. Cumque id per ministros in[illegible] notuisset, mœror plebi maximus fuit, sed Narcissus fi[illegible]de fidens, ministris imperat haurire aquam, sibique [illegible]referri. Cumque detulissent, orauit & benedixit aquæ [illegible], & infundi luminaribus pręcepit. Tum repente miro & seculis inaudito genere virtutis: natura aquę in olei pinguedinem versa, splendorem etiam solito reddidit clariorem. Ad fidem autem rei à plurimis religiosorum fratrum ex eodem oleo, quod versum de aqua fuerat reseruatum est: ita vt per multa tẽpora huius miraculi perseueraret indicium. Animi vero virtus quanta in eo fuerit, alio nihilominus vno ex eius gestis opere declarabitur. Is namque cum inter cætera virtutum suarum bona esset valde constantis animi, & iusti rectique indeclinabiliter tenax: quidam homunculi nequam male sibi conscij, metuentes ne criminum suorum, si arguerentur, non possent effugere vindictam, præueniunt factionibus & circumuenire parant, cuius iudicium verebantur. Concinnant igitur aduersum eum infame satis & noxium crimen. Conueniunt delatores, testes ex semetipsis producunt, qui sub sacramento iuramenti, quæ obiiciebantur confirmarent. Quorũ vnus testis ita si non igni consumeretur, vera se dicere testabatur: Alius, ita ne regio morbo corriperetur. Tertius, ita ne luminibus orbaretur, & quamuis ne iuramentis quidem istis quisquam fidelium & Deum timentium crederet, eo quod vita Narcissi & institutio ac pudicitia ab omnibus nosceretur: ipse tamen earum, quæ mota sunt, indigna ac molestiam non ferens, simul & secretam ac philosophicam vitam semper habere desiderans, subterfugit ecclesiæ multitudinem, & in desertis locis atque agellis secretioribus delitescit annis quam plurimis; at non ille magnus diuinæ prouidentiæ oculus quiescit in longum, sed in impios vltionem per ea ipsa, quæ sibi in perjurijs statuerant, maledicta molitur. Primus namque ille testis, parua ignis scintilla noctis tempore domo sua succensa, cum omni genere, omnique familia flammis vltricibus conflagratur: alius repente ab imis pedibus vsque ad summum capitis verticem morbo regio, quod fuerat imprecatus, repletur atque consumitur. Tertius autem priorũ exitum videns & oculum diuinum non se latuisse perspiciens, prorumpit in medium, & audientibus cunctis sera pœnitentia, vniuersum concinnati sceleris ordinem pandit. Tantis autem lachrymis immanis commissi facinora deflet, & tamen die noctuque perdurat in fletibus, vsquequo luminibus orbaretur. Hi igitur quidem figmenti sui, huiuscemodi pœnas dederunt.

Igitur Narcissus solitariam ac philosophicam ducens vitam quovsque tres successiones episcoporum suo rogarentur in loco. Narcissus vero cum ita desertum petisset ac locis semet secretioribus abdidisset, vt vbinam degeret nullus agnosceret: necessarium visum est episcopis, vt alium pro ipso ordinarent, cui nomen erat Dius. Qui cum paruo tempore præfuisset ecclesiæ, succedit Germanus, & Germano Nigordius, cum ecce subito velut rediuiuus, cœloque redditus ex improuiso apparuit Narcissus: & rursus à fratribus ad præsidendum rogatur ecclesiæ. Multo enim vehementius erga eum amor omnium fuerat incitatus, vel pro eo quod criminosis innocens cessit, vel quod secretam & philosophicam vitam dilexit: & quod in eo compleuit dominus dicens: Mihi vindictam, ego retribuam. Hæc ideo de Narcisso retulimus: quia in quibusdã chronicis, quartus ab eo Hierosolymis alius Narcissus episcopus asseritur, ab ijs nimirum, qui eius reuersionem tribus interpositis, ad pristinam sedem minime perpendunt. Nunc autem, quia multorum sub prædictis principibus fecimus mentionem doctorum & de eorundem actuum gestis, stomacho lassescente, calamoque deficiente, finem secundo imponimus libro.

Tomi II. Libri II. Finis.

FRECVLPHI EPISC. LEXOVIENSIS, CHRONICORVM

TOMI SECVNDI, LIBER III.

De flagitiis atque sceleribus pessimi principis M. Aurelii Antonini.

CAP. I.

IGITVR hac tempestate persecutionum quanti qualesve ecclesiarum extiterint doctores ac robusti pro fide nostra propugnatores, ex parte adnotare curaui: vt miram Dei dispensationem cernentes illius omnipotentiam & circa genus humanum eiusdem clementiam propensius laudare ac gratias agere, pro vt ipse donauerit, satagamus. Quoniam mirabiliter ecclesiam suo redemptam sanguine dilatare dignatus est, dum totus aduersus eam assurgeret mundus. Ab externis terrores, & mortes à nostris: diuersaque schismatum dogmata superbus hostis antiquus non cessabat inferre: dolens dum humanam salutem, suique expoliationem & eiectionem cerneret. Sed vt magis vndique premebatur à perfidis, & ab schismaticis viris diabolica fraude deceptis, eo amplius nobiliter propagabatur & crescendo confortabatur in plurimis Christi ecclesia. Nunc autem tertium inchoantes librum ad cœptum redeamus opus. Marcus Aurelius Antoninus, 20. ab Augusto imperium, adeptus tenuit annis 4. Hic sacerdos Heliogabali templi, nullam sui nisi stuprorum flagitia, totiusque obscœnitatis infamem satis memoriam reliquit. Is cum Romam ingenti militum & Senatus expectatione venisset, probris se omnibus contaminauit: cupiditatem stupri, quam assequi defectu naturæ nondum poterat, in se conuertens, muliebri nomine Bassianam se pro Bassiano iusserat appellari. Vestalem virginem, quasi matrimonio iungens suo, abscissisque genitalibus matri se magnæ sacrauit. Hinc Marcellum, qui post Alexander dictus est, consobrinum suum Cæsarem fecit, ipse tumultu militari interfectus est. Huius corpus per vrbis vias more canini cadaueris à militibus tractum est: militari cauillo appellanti indomitæ auidæque libidinis catulam: nouissime cum angustum foramen cloacæ corpus minime reciperet, vsque ad Tyberim deductum in fluuium proiectum est: vixit annis XVI.

De Aurelio Alexandro principe. Et quid eo imperante gestum sit. Ac de Origene præcipuo doctore.

CAP. II.

AVrelius Alexander 21. ab Augusto Senatus ac militum voluntate imperator creatus, 13. annis dignæ æquitatis præconio fuit, matre Mammea Christiana, quæ Origenem presbyterum audire curauit. Nam statim expeditione in Persas facta, Xerxē regem eorum maximo bello victor oppressit. Vlpiano vsus assessore, summam sui moderationem Reipubl. exhibuit, sed militari tumultu apud Mogontiam interfe-

A ctus est. Quo imperante Romæ Thermæ, quæ vocantur Alexandriæ, factæ sunt & in Nicopoli Actiaca (id est Epiro) editio, quæ sexta dicitur, diuinarũ scripturarũ in dolio reperta est. Vrbanus Romę episcopus, multos nobilium ad fidem Christi & martyriũ perduxit. Origenes Alexandriæ imo toto orbe clarus habetur. Deniq; (vt præmisi) Mammea mater Alexandri eũ audire curauit: & ad Antiochiũ accitũ in summo honore habuit. Igitur quia superius de eodem Origene, qui & Adamantius vocabitur, & nunc mentionem fecimus latius disseramus. Hic cum jam mediæ ætatis esset, & propter ecclesias Achaiæ, quæ plurimis hæresibus vexabantur, sub testimonio ecclesiasticę ecclesię eatenus per Palestinam pergeret, à Theotisto & Alexandro Cæsareæ & Hierosolymorũ episcopis presbyter ordinatus, Demetrij offendit animos. Qui tanta aduersus eum debacchatus insania est, vt per totũ orbem super nomine eius scriberet. Constat eũ antequam Cæsareā

B migraret, fuisse Romæ sub Seuerino episcopo, & statim Alexandriam reuersum, Heraclam presbyterũ, qui in habitu philosophi perseuerabat, adiutorem sibi fecisse: qui quidem & post Demetriũ Alexandriam tenuit ecclesiam. Quantæ autem gloriæ fuerit, hinc apparet, quod Firmillianus Cæsareæ episcopus, cũ omni Cappadocia eũ inuitauit & diu tenuit: & postea sub occasione sanctorũ locorum Palestinam veniens diu ab eo in sanctis scripturis erudit' est. Sed & illud quod ad matrem Alexandri Imperatoris religiosam fœminā rogatus venit Antiochiam, & summo honore habitus est. Et ad Philippum Imperatorem, qui primus de regibus Romanis Christianus fuit, & ad matrem eius literas fecit, quæ vsq; hodie extant. Quis ignorat, quod tantum habuerit in scripturis sanctis studiũ, vt Hebręā linguam, contra ætatis & gentis suæ naturam edisceret, & exceptis 70. interpretibus aliasque editiones in vnum congregaret: Aquila scilicet pontici proselyti, Theodotionis, Bebionei, & Symmachi eiusdem dog-

C matis: qui in Euangelium quoque cata Matthæũ scribit commentarium: de quo & suũ dogma affirmare conatur. Præterea v. & vi. editionem, & vii. quas etiā nos de eius bibliotheca habemus, miro labore repperit, & eam cæteris editionib. comparauit, & vt de immortali eius ingenio penitus non taceam, quod dialecticam quoque & Geometriam, Musicam, Grammaticam, atque Arithmeticam & Rhetoricam, omniaque philosophorum sectamina didicit, & studiosos quosq; secularium literarum sectatores sui haberet, & interpretaretur eis quotidie, concursusque ad eum mire fecerint. Quos ille propterea recipiebat, vt sub occasione literaturæ secularis in fide Christi eos instituerer. Igitur siquis super Adamantij statu scire velit, quid actum eidem sit primum quidem de epistolis eius quæ post persecutionem ad diuersos missæ sunt: deinde ex 6. Eusebij Cæsariensis Ecclesiasticæ Historiæ libro, & de eiusdem Adamantij voluminibus possit liquido cognoscere. Vixit autem vsque ad Gallum & Volusia-

D num, id est, vsque ad 69. ætatis suæ annum, & mortuus est Tyri, in qua vrbe sepultus est. Ferũt de eo quidam, quod pro multa eloquij facultate, peruersa quædam sit conatus astruere condens libros, quorum est titulus Periarchon. In quibus præter multa sanæ doctrinæ aduersa etiam hoc de commutatione totius rationabilis creaturæ asserit, quod non solum impiorum hominum animæ, sed ipse quoque diabolus post longam purificationem nouatus, rediturus sit in suæ originis dignitatem, succedentibus sibi semper reuolutionibus de bonis ad mala & de malis ad bona: quia hæc alternatio non possit non esse perpetua, vt vicissim & de beatis miseri sint, & miseri sint beati. Tunc etiam Geminus presbyter Antiochenus, & Hippolytus, & Berillus episcopus Arabiæ, Bostrenus, clari scriptores habebantur.

De Maximino principe persecutore, & de successoribus eius Gordianis patre & nepote, qui paruo interuallo sibimet succedentes interfecti sunt.

CAP. III.

MAximinus 22. imperator ab Augusto, Gothico genere ortus, nulla senatus voluntate, Imperator ab exercitu, postquam bellum in Germania prospere gesserat, factus: persecutionem in Christianos vi. à Nerone exercuit, sed continuo, hoc est, iii. quam regnabat anno, à Pupione Aquileiæ interfectus est, & persecutionis & vitæ finem fecit. Cum eo etiam filius eius discerptus est, conclamantibus cunctis militari joco: Ex pessimo genere ne catulum quidem habendum. Qui maxime propter Christianam Alexandri, cui successerat, & Mammeæ matris eius familiam, persecutionem in sacerdotes & clericos, id est, doctores, vel præcipue propter Origenem presbyterũ miserat. Pariter pecuniosos, insontes, noxiosque persequitur, cupiditate allectus. Post euius imperium ii. Gordiani, pater & filius, principatum arripientes, vnus post vnũ interiere. Pari etiam tenore Pupianus & Balbinus regnum inuadentes perempti sunt sub prædicto Maximino, & Antherus Romanæ vrbis episcopus, martyrio coronatus est.

Gordianus Gordiani nepos, xxiii. ab Augusto imperator creatus est, mansitque in eo annis vi. Gordianus admodum puer in Orientem ad bellum Parthicum profecturus (sicut Euthropius scibit) Iani portas aperuit, quas vtrum post Vespasianum & Titum aliquis clauserit, neminem scripsisse memini, cum tamen eas ab ipso Vespasiano post annum apertas Cornelius Tacitus prodat. Igitur Gordianus ingentibus præliis aduersum Parthos prospere gestis, suorũ fraude haud longe à solo Romano interfectus est (vt quidam ferunt) factione Philippi præfecti prætorij. Huicque Gordiano milites tumulum ædificant, qui Euphrati imminet, ossibus eius Romam reuectis.

Quo tempore Iulius Aphricanus claruerit.

CAP. IV.

QVa tempestate Iulius Aphricanus inter scriptores ecclesiasticos nobilis habebatur. Qui in Chronicis quæ scripsit, refert se Alexandriam properare, Eraclæ opinione celeberrima pronocatum, quem & in diuinis & in philosophicis studiis atque omni Græcorum doctrina instructissimum fama loqueretur. Quibus diebus Origenes in Cæsarea Palestinæ Theodorum cognomento Gregorium, & Athenodorum adolescentulos fratres, Ponti postea nobilissimos episcopos, diuina philosophia imbuit.

De Philippis patre & filio imperantibus Christianis primis.

CAP. V.

PHilippus, xxiv. ab Augusto imperator creatus. Philippum filium suũ consortem regni fecit: mansitque in eo annis, vii. Hic primus omnium prætritorum Christianus fuit. Ac post iii. imperij eius annum, millesimus à conditione Romæ annus impletus est: ita magnificis ludis augustissimus omnium priorum fuit, vt innumerabiles bestiæ in circo interfectæ: ludique in campo Martio theatrales tribus diebus ac noctibus populo peruigilante celebrati. & agon M. annorum actus: hic natalis annus ... no Imperatore celebratus est Nec dubium

A est, quin Philippus huius tantæ deuotionis gratiam & honorem ad Christum & ecclesiam retulerit, quando vel ascensum fuisse in Capitolium, vel immolatas hostias ex more, nullus author ostendit. Ambo tamen, quamuis diuersis locis tumultu militari & Decij fraude interfecti sunt. Quibus diebus Origenes aduersus quendam Celsum Epicurum philosophum, qui contra nos libros conscripserat, 8. voluminibus respondit. Qui vt breuiter dicam, in tantum scribendi sedulus fuit, vt Hieronymus quodam loco v. millia librorum eius se legisse meminerit.

De Decio persecutore Christianorum.

CAP. VI.

DEcius xxv. ab Augusto, occisis Philippis inuasit imperium, tenuitque anno 1. & mensibus iii. qui belli Ciuilis incentor & repressor fuit idem continuo. In quo se etiam ob hoc Philippum interfecisse B
docuit: ad persequendos interficiendosque Christianos vii. post Neronem, feralia dispersit edicta; plurimosque sanctorum ad coronas Christi, de suis cruciatibus misit. De qua persecutione Eusebius refert, in libro vi. Ecclesiasticæ Historiæ, & martyrum testantur plurimæ rei gestæ passionum actiones. In qua Fabianus in vrbe Roma martyrio consũmatus est. Alexander Hierosolymorum episcopus, apud Cæsaream Palæstinæ, & Antiochiæ Babylas interficiuntur. Hæc autem persecutio, vt Dionysius Alexandriæ episcopus refert, non ex præcepto Imperatoris sumpsit exordium, sed anno integro (vt ait) principalia præuenit edicta minister dæmonum qui dicebatur in ciuitate nostra diuinus, superstitiosum contra nos exagitans vulgus. Nam Decius filium suum Cæsarem fecit, vir actibus virtutibusque instructus, placidus & communis domi, in armis promptissimus. Sed quia C
persecutionem contra Christianos exercuit: hanc recepit mercedem in solo barbarico, inter confusas turbas gurgite paludis submersus est: ita vt nec cadauer eius potuerit inueniri: filius vero eius bello extinctus est, Getis contra eum dimicantibus.

De Gallo & Volusiano. Et quid gestum sit imperantibus illis, tam in doctoribus quam in cæteris causis memoria dignis.

CAP. VII.

GAllus Hostilianus xxvi. ab Augusto regnum adeptus, vixit ii. annis cum Volusiano filio in imperio. Exercitur vltio violati nominis Christiani: & vsqueque ad profligandas ecclesias edicta Decij cucurrerunt, eatenus incredibilium morborum pestis extenditur, nulla fere prouincia Romana, nulla ciuitas, nulla domus fuit, quæ non illa geD
nerali pestilentia corrupta, atque vastata sit.

Testis est liber Cypriani beati, de hac mortalitate conscriptus: & vt refert Dionysius, etiam hac sola pernicie insignes Gallus & Volusianus dum contra Æmilianum nouis rebus studentem, bellum Ciuile molinntur, occisi sunt. Æmilianus tamen iii. mense inuasæ tyrannidis extinctus est. At ne Gallus quidem malum Decij aut videre potuit aut cauere, sed in eundem lapidem offensionis impegit. Cuius cum regnum floreret in initio, & cuncta ei ex sententia cederent, sanctos viros qui pro pace regni eius Deo summo supplicabant, persequutus est: cum quib. & prosperitatem suam fugauit & pacem, Origenes 70. ætatis anno non ad integrum impleto defunctus est, & in vrbe Tyri sepultus, vt præfati sumus, Cornelius Romæ episcopus, togatus à quadam matrona Lucina corpora

apostolorum de tumbis leuauit noctu, & posuit Pauli quidem via Ostiensi, vbi decollatus est: Petri autem iuxta locum, vbi crucifixus est intra corporum sanctorum episcoporum in templo Apollinis in monte aureo in Vaticano palatij Neroniani, III. Calend. Iulij, sub principibus præfatis; Cornelius martyrio coronatus est. Extant ad eum Cypriani epistolæ. Qua tempestate Nouatus presbyter Cypriani Romam veniens, Nouatianum & cæteros confessores sibi sociat, eo quod Cornelius pœnitentes apostatas recepisset. Elatione quadam Nouatus tumidus, spem penitus eis salutis adimebat, etiam si digne pœnituissent. Ex quo & princeps hæreseos extitit Nouatianorum, qui ab ecclesia separati superbo nomine semetipsos catharos, id est mundos appellarunt. Ob quam rem concilium sacerdotale celeberrimum in vrbe Roma congregatum est episcoporum quidem 70. numero: presbyterorum quoque totidem, cum diaconibus plurimis. Præterea etiam per singulas quasque prouincias, de hac re magna deliberatione habita, decretis significatur, quid facto opus esset.

Statuitur ergo, Nouatum quidem, cum his qui eum mentis elatione tumidum sequerentur, quique ad inhumanam istam, & nihil fraternæ charitatis seruantem sententiam declinauerunt, alienum esse ab ecclesia: eos vero qui lapsi in certamine fuerant, fraterna miseratione curandos, & fomentis pœnitentiæ medicandos. Dionysius mirabilis Alexandriæ doctor, & multorum librorum conditor, qui hoc tempore floruit: de lapsis refert in hunc modum, refutans Nouati errorem: Isti igitur diuini martyres, qui cum Christo in cœlestibus sedent, & regni eius participes atque iudicij, qui cum ipso de lapsis fratribus iudicant: isti, inquit, ipsi susceperunt lapsos ad pœnitentiam, conuersionemque eorum non respuerunt, scientes quod Deus noster, cuius ipsi erant martyres, non vult omnino mortem morientis, sed conuersionem eius & pœnitentiam quærit. Si ergo isti receperunt quosdam, & in ecclesia statuerunt, in oratione quoque eis & in cibo communicauerunt; quid nos facere vultis fratres? Quid nobis agendum putatis? Nonne sequi nos eorum sententias, & iudicium conuenit? Pariter etiam Cornelius hanc vesaniam refutauit validissimis assertionibus. Cyprianus quoque qui de lapsis atque pœnitentibus multa conscripsit, in tantum pœnitentes recipiendos asseruit: vt etiam si in vltimo vitæ termino, errata sua ingemiscendo defleuerint, de salute eorum non esse desperandum, Qui sub præfatis principibus floruerint doctores, & scribendo agonizandoque enituerint, quamuis quorundam iam fecerimus mentionem, breuiter tamen eorum actus, memoria dignos, repetendo adnotare curabimus.

Ammonius vir disertus & valde eruditus in philosophia eodem tempore Alexandriæ clarus habitus est, inter multa ingenij sui & præclara monumenta, etiam de consonantia Mosi & Iesu opus elegans composuit, & Euangelicos canones excogitauit: quos postea secutus est Eusebius Cæsariensis. Hunc falso accusat Porphyrius, quod ex Christiano Ethnicus fuerit: cum constet eum vsque ad extremam vitam Christianum perseuerasse. Ambrosius primus Marcioneus, deinde ab Adamantio correctus, ecclesiæ diaconus, & confessionis dominicæ gloria insignis fuit. Cui eum Protheotisto presbytero, liber ab Adamantio de martyrio scribitur. Huius industriæ sumptu & instantia adhuc infinita Adamantius dictauit volumina: sed & ipse quippe vt vir nobilis elegantis ingenij fuit, sicuti eius ad Adamantium epistolæ indicio sunt.

Obijt autem ante mortem Adamantij, & in hoc à plerisque reprehenditur, quod vir locuples amici sui senis & pauperis non recordatus est. Triphon Adamantij auditor ad quem nonnullæ eius extant epistolæ,

A in scripturis disertissimus fuit. Quod quidem multa eius sparsim ostendunt opuscula: sed præcipue liber quem composuit de vacca rufa in Deuteronomia: & de aromatibus, columba, & turture, quæ ad Abraham ponuntur in Genesi. Minutius Felix Romæ insignis causidicus scripsit dialogum Christiani & Ethnicis, qui Octauius inscribitur. Sed alius sub nomine eius fertur de fato, vel contra Mathematicos; qui cum sit & ipse diserti hominis, non mihi videtur cum superioris libro stilo conuenire. Meminit huius Minutij & Lactantius in libris suis. Gaius disputationem aduersus Proculum Montani sectatorem valde insigne volumen condidit: arguens eum temeritatis super noua prophetia defendenda, & in eodem volumine epistolas quoque Pauli XIII. tantum enumerans. XIV. autem quæ fertur ad Hebræos dicit non eius esse; sed apud Romanos quasi Pauli habetur. Berillus Arabiæ postremus episcopus, cum aliquanto tempore religiosè rexisset ecclesiam, ad extremum lapsus in hæresim quæ Christum ante incarnationem

B fuisse negat, ab Adamantio correctus, scripsit varia opuscula, & maxime epistolas, in quibus Adamantio gratias agit, sed & Adamantij ad eum literæ sunt. Extat & dialogus Adamantij & Berilli, in quibus hæretis coarguitur.

Claruit autem sub Alexandro Mammeæ filio, & Maximino & Gordiano, qui ei in imperium successerunt.

De doctoribus aliquot orthodoxis, qui sub Gallo & Volusiano floruerunt.

CAP. VIII.

Hippolytus cuiusdam ecclesiæ episcopus (nomen quippe vrbis scire non potui) in enarratione Paschæ & temporum canone, quem scribit vsque ad I. annum Alexandri imperatoris perducit, XVI. annorum circulum, quem Græci cyclum vocant, reperit, & Eu-

C sebius qui super eodem Pascha X. & IX. annorum circulum composuit, hac occasione scribit. Edidit nonnullos in scripturis commentarios, è quibus hæc reperit: In Hexameron, in Exodum, & in Canticum Canticorum, in Genesim, in Zachariam de Psalmis, & in Isaiam, de Daniele, de Apocalypsi, de Prouerbijs, de Ecclesiaste, de Saule, & Pythonissa, de Antichristo, de resurrectione, & contra Marcionem, de Pascha & aduersus omnes hæreses, & de laude Domini Saluatoris, de qua præsente Adamantio se loqui in ecclesia significat. In huius æmulatione Ambrosius quem de Marcionis hæresi ad veram fidem correctum diximus, cohortatus est Adamantium in scripturis, commentarios scribere, præbens ei septem & amplius notarios eorumque expensas & librariorum parem numerum: quodque his maius est incredibili studio quotidie ab eo opus exigens. Vnde & in quadam epistola eũ Adamantinum vocat. Alexander episcopus Cappadociæ,

D cum desiderio sanctorum locorũ Hierosolymam pergeret, & Narcissus episcopus eiusdem vrbis iam senex regeret ecclesiam, tunc Narcisso & multis clericorum eius reuelatũ est, Alexandrum altera die mane intrare episcopũ, qui adiutor episcopalis vel sacerdotalis cathedræ esse deberet. Itaq; re ita completa vt prædicta fuerat, cunctis Palestinæ episcopis in vnum congregatis, annitente quoque ipso vel maxime Narcisso Hierosolymitanæ ecclesiæ episcopo, cũ eo gubernaculum suscepit. Hic in fine cuiusdam epistolæ, quam scripsit ad Adamantium, & pro Adamantio, ita super pace ecclesiæ ait: Salutat vos Narcissus senex. Qui ante me tenuit hunc episcopalem locum, & nunc mecum eundem orationib. regit, annos natus circiter 116. & vos mecum precatur, vt vnum idemque sapiatis. Scripsit & aliam ad Antiochenses epistolam per Clementem presbyterum Alexandriæ, de quo supra diximus,

necnon & ad Adamantium & pro Adamantio contra Demetrium, & quod iuxta teſtimonium bonum Adamantium presbyterum conſtituerit: ſed & aliæ eius ad diuerſos feruntur epiſtolæ. Septima autem perſecutione ſub Decio, quo tempore Babilas Antiochiæ paſſus eſt, ductus Cæſaream & clauſus carcere, ob confeſſionem Chriſti martyrio coronatur. Iulius Aphricanus, cuius quinque de temporibus extant volumina, ſub imperatore Marco Aurelio Antonino, qui Macrino ſucceſſerat, fuit: qui legationem ſuſceperat à principe, vt Emaus in Iudæa reſtauraretur, quæ deinceps Nicopolis nominata eſt. Huius eſt epiſtola ad Adamantium ſuper quæſtione Suſannæ, eo quod dicat eam in Hebraïco fabulam haberi, nec conuenire cum Hebraïco: contra quam epiſtolam doctam ſcripſit Adamantius. Extat eius ad Ariſtidem altera epiſtola, in qua ſuper diſſonantia, videtur eſſe in genealogia ſaluatoris apud Lucam, pleniſſime diſputauit. Geminus Antiochenæ eccleſiæ presbyter pauca ingenij ſui monumenta compoſuit, florens ſub Alexandro principe, & epiſcopus vrbis ſuæ Sebenno, eo vel maxime tempore, quo Heraclas Alexandrinæ eccleſiæ pontifex ordinatus eſt. Igitur ab Auguſto 27. Valerianus in Rhetia ab exercitu Imperator creatus eſt.

De geſtis Valeriani & Gallieni principum, & qui doctores vel martyres ea tempeſtate extiterint.

CAP. IX.

ROmæ autem filius eius Gallienus Auguſtus à ſenatu appellatus eſt, manſitque in imperio, quamuis infeliciter, vndique coartantibus malis, annis xv. Itaque mirandum eſt de Valeriano, quomodo ſupra cæteros qui ante ſe fuerunt, hic & humanus & benignus extiterit in famulos Dei, ita vt in initiis multo etiam illis benignior videretur qui nomine falsò Chriſtiani dicebantur. Intantum verebatur ſeruos domini, vt omnis domus eius eſſet eccleſia Dei. Deprauatus autem eſt & è veritate deiectus per quendam doctorem peſſimum, magiſtrum & principem Ægyptiorum magorum, vt iuſtos & ſanctos viros perſequi & interimi iuberet, tanquam qui aduerſarentur magicis artibus, quibus ſeipſum ſubdiderat. Etant enim ueuera, & ſunt etiam nunc, qui poſſunt virtute meritorum ſuorum reſtinguere fallacias dæmoniorum. Ergo reſpirante paulisper ſupra ſolitum, iugi & graui peſtilentia generi humano, prouocat pœnam ſuam obliniosa malitia. Impietas enim flagella quidem excruciata ſentit, ſed à quo flagellatur obdurata non ſentit. Valerianus ſiquidem mox vt arripuit Imperium octauus à Nerone, adegit per tormenta Chriſtianos ad idololatriam, abnegantesque interfici iuſſit, fuſo per omnem Romani regni latitudinem ſanctorum ſanguine. Valerianus illico nefarij author edicti, à Sapore Perſarum rege captus, lumininibus effoſſis, Imperator populi Romani ignominioſiſſime apud Perſas in ſeruitute conſenuit: hanc infamis officii continuam, donec ..., damnationem ſortitus, vt ipſe accliuis humi ...em ſemper aſcenſurum in equum, non manu ſua, dorſo attolleret. Et Gallienus quidem tam claro ... iudicio territus, tanquam miſeri collegæ permo... exemplo, pacem eccleſiis trepida ſatisfactione ...ituit, Sed non compenſat iniuriæ vltioniſque ...ram vnius impij, quamuis perpetua ac ſupra ... abominanda captiuitas, contra tot millia ex... ſanctorum: iuſtorumque ſanguis ad domi... ...mans, in eadem ſeſe terra vbi fuſus eſt, vindi... ...rogat. Non enim de ſolo conſtitutore præcepti ...pplicium, iudicio flagitabatur; ſed etiam exe... delatores, accuſatores, ſpectatores ac iudi...

ces, poſtremo omnes qui iniuſtiſſimæ crudelitati, citata voluntate aſſentiebantur (quia Dominus ſecretorum cognitor eſt) quorum maxima per omnes prouincias pars hominum verſabatur, eadem vltionis plaga corripi iuſtum erat. Soluuntur repente vndique permiſſu Dei ob hoc circumpoſitæ relictæque gentes, laxatiſque habenis, in omnes Romanorum fines inuehuntur, Germani Alpibus, Rhetia, totaque Italia penetrata, Rauennam vſque perueniunt. Alamanni Gallias peruagantes etiam in Italiam tranſeunt. Græcia, Macedonia, Pontus, Aſia Gothorum inundatione delentur. Nam Dacia trans Danubium in perpetuum aufertur: Quadi & Sarmatæ Pannonias depopulantur, Germani vlteriores abraſa potiuntur Hiſpania. Parthi Meſopotamiam auferunt, Syriamque corradunt. Extant adhuc per diuerſas prouincias in magnarum vrbiũ ruinis paruæ & pauperes ædes, ſigna miſeriarum & nominũ indicia ſeruantes: ex quibus (ait Oroſius) in Hiſpania Tarraconem ad conſolationem miſeriæ recentis oſtendimus. Et ne quid forte Romani corporis ab hac dilaceratione ceſſaret, conſpirant intrinſecus tyranni. Conſurgunt bella ciuilia, funditur vbique plurimus ſanguis Romanorum, Romanis Barbariſque ſæuientibus. Sed cito ira Dei in miſericordiam vertitur, & cœpta vltionis maior forma, quam pœna in menſuram plenitudinis reputatur. Igitur primus Genuus qui purpuram Imperii ſumpſerat, apud Mirſam occiditur: Poſthumius in Gallia inuaſit tyrannidem, multo quidem reipublicæ commodo. Nam per decem annos ingenti virtute ac moderatione vſus, & dominantes hoſtes expulit, & perditas prouincias in priſtinam faciem reformauit, ſeditione tamen militum interfectus eſt. Emelianus apud Moguntiam cum res nouas moliretur, oppreſſus eſt. Poſt mortem Poſthumij Marius quidem inuaſit Imperium, ſed continuo interfectus eſt. Deinde Victorinus à Gallis vltro creatus, & poſt paululum occiſus eſt. Huic ſucceſſit Tetricus, qui tunc Aquitanici præſidatus adminiſtrabat officium, multas ſeditiones militum pertulit. At vero in Oriente per Odenatum quendam collecta agreſti manu, victi repulſique Perſæ defenſa Syria recepta Meſopotamia eſt, & vſque ad Teſiphontem ruſticani Syriæ cum Odenato ſuo vincendo venerunt. Gallienus autem cum rempublicam deſeruiſſet, ac Mediolani libidinibus inſeruiſſet, occiſus eſt. Qua tempeſtate Cyprianus Afer primum glorioſè rhetoricam docuit, & inde ſuadente presbytero Cecilio, à quo & cognomentum ſortitus eſt, Chriſtianus factus, omnem ſubſtantiam ſuam pauperibus, erogauit, ac poſt non multum temporis alleuatus in presbyterum, etiam epiſcopus Carthaginenſis conſtitutus. Huius ingenium ſuperfluum iudicem texere, cum ſole clariora ſint eius opera. Paſſus eſt ſub Valeriano & Gallieno principibus, perſecutione octaua, eo die quo & Cornelius, ſed non eodem anno. Pontius Diacon. Cypriani vſque ad diem paſſionis eius cum ipſo exilium ſuſtinens, egregium volumen vitæ & paſſionis Cypriani edidit. Theodorus, qui & Gregorius poſtea appellatus eſt, Neocæſareæ ponti epiſcopus, admodum adoleſcens, ob ſtudium græcarum & latinarum literarum de Cappadocia ad Berithum, & inde Cæſaream Paleſtinæ tranſijt, iuncto ſibi fratre Athenodoro. Quorum cum egregiam indolem vidiſſet Adamantius, cohortatus eſt eos ad philoſophiam. In qua paulatim eos erudiens, ad Chriſti fidem ſubintroduxit, ſui quoque ſectatores reddidit. Quinquennio itaque eruditi ab eo, remittuntur ad patrem. E quibus Theodorus proficiſcens, panegyricum & euchariſtias ſcripſit ad Adamantium, & euocata grandi frequentia, ipſo quoq; Adamantio præſente recitauit, qui vſque hodie extat. Scripſitque in Eccleſiaſten, breue quidem, ſed valde

vtile volumen. Et aliæ eius vulgo feruntur epistolæ. Sed præcipue signa atque miracula, quæ episcopus Neocæsareæ Ponti cum multa ecclesiarum gloria perpetrauit. Ex quibus est, quod cum ecclesiæ faciendæ locus non sufficeret, propter imminentem rupem & fluminis crepidinem, precibus montem mouit, & spaciosum ædificantibus reddidit locum. Qui etiam prælia & mortes virorum furentesque germanos ita sedauit. Stagnum quoddam erat situm in regionibus Ponti piscibus refertum ex quorum captura prædiuites reditus præstabantur. Quæ possessio duobus fratribus sorte hæreditatis euenit, sed cupiditas huius rei fraterna violauit iura, Quos B. Gregorius ad horam stagni exitialis paterno conuocauit affectu, aitque ad eos: Ego iam vos per virtutem domini omni certamine cruentæ contentionis absoluam. Et cum hæc dixisset, in conspectu omnium virgam quam tenebat ad primas littoris vndas defigit, & ipse positis genibus palmas tendit ad cœlum, atque excelso supplicat Deo. Simul vt ille orando finem fecit, statim se vnda subducens, & cursu velociter fugiens, à conspectu, superno iussa discedere abyssis suis redditur, & arentem campum germanis iam concordibus dereliquit. Dionysius de quo supra mentionem fecimus, Alexandrinæ vrbis episcopus, sub Heracla scholam presbyter tenuit, & Adamantij velut insignissimus auditor fuit. Hic in Cypriani Aphricani synodi dogma consentiens, de hæreticis rebaptisandis plurimas ad diuersos misit epistolas, quæ vsque hodie extant. Sed & ad Fabium Antiochenæ ecclesiæ episcopum, scripsit de pœnitentia, & ad Romanos per Hippolytum, alteram ad Sixtum, qui Stephano successerat, & ad Philemonem, & ad Dionysium Romanæ ecclesiæ presbyterum, & ad Nouatianum, causantem quod inuitus Romæ episcopus ordinatus esset, cuius epistolæ hoc exordium est: Dionysius Nouatiano fratri salutem; Si inuitus vt dicis ordinatus es, probabis, cum volens recesseris. Est eius ad Dionysium & Didymum altera epistola, & de Pascha plurima declamatoriè conscripta. Est & ad Alexandrinam ecclesiam de exilio, & ad Heraclam in Ægypto episcopum, & alia de mortalitate & de sabbato ad Hetuiam. Nam & alia de persecutione Decij, & duo libri aduersum Nepotem episcopum, qui mille annorum corporale regnum suis scriptis asseruit, in quibus & de Apocalypsi Iohannis diligentissime disputat. Aduersum Sabellium & Hermamonem Beronicis episcopum, & ad Thelesphorum & ad Eufran. quatti libri, & ad Dionysium Romanæ vrbis episcopum, & ad Laodicenses de pœnitentia, item & canones de pœnitentia & de ordine delictorum, de natura ad Timotheum, de tentationibus ad Eufranonem, ad Basilidem quoque multæ epistolæ, in quarum vna asserit se etiam in Ecclesiasten cœpisse scribere commentarios, & aduersum Paulum Samosatenum, ante paucos dies quam moreretur, insignis eius fertur epistola. Moritur XII. Gallieni anno. Nouatianus Romanæ vrbis presbyter aduersum Cornelium cathedram sacerdotalem conatus est inuadere. Nouatianorum, quod græcæ dicitur catharos, dogma constituit, nolens apostatas suscipere pœnitentes. Huius author Nouatus Cypriani presbyter fuit. Scripsit autem de Pascha, de sabbato, de circuncisione, de sacerdote, de cibis Iudaïcis, de instantia, de Attalo, & alia multa, & de Trinitate grande volumen. Æqualitatem sibi ac similitudinem epitomen operis Tertulliani faciens: quod plurimi nescientes, Cypriani æstimant esse.

A

De Claudio & Quintillo Imperatoribus.

CAP. X.

Claudius XXVIII. voluntate Senatus sumpsit imperium, statimque Gothos iam per annos XV. Illyricum Macedoniamque vastantes bello adortus incredibili strage deleuit. Cui à Senatu cypeus aureus in curia & in Capitolio statua æque aurea decreta est. Sed continuo apud Syrmium, priusquam biennium in Imperio expleret, morbo correptus interiit. Claudio mortuo Quintilius frater eius ab exercitu Imperator electus, vir quidem vnicæ moderationis, & solus fratri præferendus, XVII. die Imperij interfectus est. Quibus diebus in Alexandria Bruchium, quod per multos annos fuerat obsessum, tandem, destruitur.

B

De Aureliani triumphis, atque persecutionibus Christianorum, & qui sub eo floruerint.

CAP. XI.

Aurelianus, XXIX. Imperium adeptus, V. annis & VI. mensibus tenuit, vir industria militari excellentissimus. Expeditione in Danubium suscepta, Gothos magnis præliis profligauit, ditionemque Romanam antiquis terminis restituit. Inde in Orientem conuersus Zenobiamque occiso Odenato marito suo, Syriam receptam sibi vendicauit, magis prælii terrore, quam prælio in potestatem redegit. Thetricum in Gallia minime sufficientem sustinere seditiones militum suorum, scribentemque etiam, eripe me his inuicte malis, ac per hunc proditorem exercitus sui sine labore superauit. Sic Orientis & Aquilonis receptor, magna gloria triumphauit, vrbem Romam muris firmioribus cinxit.

C

Nouissime cum persecutionem aduersus Christianos agi nonus à Nerone decerneret, fulmen ante eum magno pauore circunstantium ruit, ac non multo post in itinere occisus est (vt fertur) fraude serui sui, qui ad quosdam militares viros amicos ipsius nomina pertulit adnotata, falso manum eius imitatus, tanquam Aurelianus ipsos pararet occidere, à quibus interemptus est. Hinc ferunt excellentius aliquid egisse Alexandro magno vel Cæsare dictatore. Nam Romanum orbem triennio ab inuasoribus receptauit, cum Alexander annis XIII per victorias ingentes ad Indiam peruenerit, C. Cæsar decennio subegerit Gallos, aduersum ciues quadriennio congressus. Sub quo in vrbe Roma monetarii rebellauerunt, quos Aurelianus victos vltima crudelitate compescuit. Iste primus apud Romanos diadema capiti innexuit, gemmisque & aurata omni veste quæ adhuc fere incognita Romanis moribus videbatur, vsus est. Itaque fuit sæuus & sanguinarius, & trux omni tempore, etiam filii sororis interfector.

D

Cuius tempore persecutionis beatissima Columba virgo, apud Senones Galliarum metropolim ciuitatem martyrio coronata est. Igitur Aurelianum Romam triumphantem Thetricus & Zenobia præcesserunt. E quibus Thetricus corrector postea Lucaniæ fuit, decernente eum Aureliano eleganti loco sublimius habendum, regere aliquam Italiæ partem, quam trans Alpes regnare. Et Zenobia in vrbe summo honore consenuit, à qua hodieque Romæ Zenobiæ familia nuncupatur. Aurelianus templum soli ædificat & Agon solis ab Aureliano institutus. Huius temporibus Malchion disertissimus Antiochenæ ecclesiæ presbyter, quippe qui in eadem vrbe Rhetoricam florentissime docuit, conuersum Paulum Samosatenum, qui Antiochenæ ecclesiæ episcopus dogma Artemonis instaurauerat, excipientibus

notarijs disputauit, qui Dialogus vsque hodie extat. Sed & alia grandis epistola, ex persona synodica ab eo A scripta, apud Dionysium & Maximum Romanæ & Alexandrinæ ecclesiæ episcopos dirigitur. Floruit sub Claudio & Aureliano principibus. Euthicianus Romæ episcopus tunc martyrio coronatus, in cimeterio Calixti sepelitur, qui & ipse CCC. XIII. martyres manu sua sepelliuit.

De Tacito & Probo Imperatoribus.

CAP. XII.

Tacitus post Aurelianum suscepit Imperium, vir egregius moribus, Qui ducentesimo imperij die apud Tharsim febri moritur. Huic successit Florianus. Sed cum magna pars exercitus equitum Probum, militiæ peritum legisset, Florianus dietum 40. quasi per ludum imperio vsus, incisis à semetipso venis, effuso sanguine consumptus est. Probus genitus patre agresti, hortorum studio Dalmati nomine XXXI. regnum B sortitus obtinuit annis VI. mensibus IV. Gallias jamdudum à Barbaris occupatas, per multa & grauia prælia deletis tandem hostibus, ad perfectum liberauit. Bella deinde ciuilia equidem plurimo sanguine duo gessit, vnum in Oriente, quo Saturninum qui ad restaurationem Antiochenæ ciuitatis fuerat missus, tyrannide subnixum oppressit & cepit. Aliud quo Proculum & Bonnosum apud Agrippinam magnis prælijs superatos interfecit, Iuneas, Gallos & Pannonios abire permisit. Opere militari Almam montem apud Smyrnium & aureum apud Mæsiam superiorem vineis conseuit, & prouincialibus colendos dedit. Hic Syrmij in turri ferrata occiditur. Quibus diebus insana Manichæorum hæresis exorta, à Persa quodam, qui Manes vocabatur, authore. Quorum impietates & sacrilegia ac turpitudines explicare in hoc opere longum est. Archilaus episcopus Mesopotamiæ librũ C disputationis suæ, quem composuit aduersum Manichæum exeuntem de Persida, Syro sermone composuit. Qui translatus in Græcam linguam habetur à multis. Claruit sub Imperatore eodem Probo.

De Caro & filio eius Carino principibus, & qui eo tempore clari haberentur.

CAP. XIII.

Carus Narbonensis XXXIII. suscepit Imperium, ac biennio tenuit. Qui cum filios suos Carinum & Numerianum consortes regni effecisset, & post bellum Parthicum ac regiones Parthorum vastatas duas nobilissimas Parthorũ vrbes Cochem & Thesiphontem cepisset, super Tygridem in castris fulmine ictus interijt. Numerianus, qui cum patre fuerat, dum oculorum dolore correptus, in vehiculo veheretur: impulsore Apro, qui socer eius fuerat, per insidias occisus est. Cum dolo occultaretur ipsius mors, quousq; D Aper inuaderet imperium, fœtore cadaueris scelus est proditum. Hinc Sabinus Iulianus inuadens imperium, à Carino in campis Veronensibus occiditur. [illegible] Carinus omnibus sese sceleribus inquinauit. Plurimos innoxios fictis criminibus occidit, matrimonia [illegible]bilium corrupit: condiscipulis quoque, qui eum in [au]ditorio verbi fatigatione taxauerant, perniciosus [illegible]. Ad extremum trucidatur eius præcipue tribuni [illegible], cuius dicebatur conjugem polluisse. Ana[tolius] Alexandrinus Laodiceæ Syriæ episcopus, sub [Probo] Caroque imperatoribus floruit: mirae doctri[næ] in Arithmetica, Geometria, Astronomia, Grã[mati]ca, Rhetorica, Dialectica. Cuius ingenij magni[tudinem ex] volumine quod super Pascha composuit: ac [decem] libris Arithmeticæ institutionis, quos vix in-

telligere possumus, declaratur. Victorinus Pictauiensis episcopus non æque Latinæ vt Græcæ linguæ distinctionem nouerat: vnde opera eius grandia videntur sensibus, violata compositione verborum. Sunt autem eius commentarij in Genesim, in Exodum, in Leuiticum, in Isaiam, in Ezechiel, & in Habacuc, in Canticum Canticorum, in Apocalypsim Iohannis, aduersum omnes hæreses, & multa alia, ad extremum martyrio coronatus est. Pamphilus Presbyter Eusebij Cæsariensis episcopi Neocæsareæ, tanto bibliothecæ diuinæ amore flagrans, vt maximam partem Adamantij voluminum sua manu descripserit, quæ vsque hodie in Cæsariensi bibliotheca habentur. De quo Hieronymus ait: Sed in duodecim prophetas XX. quoque Adamantij volumina manu eius exarata reperi: quæ tanto amore amplexus seruo gaudeoque, vt Christi opes habere me credam. Si enim lætitia est vnam epistolam habere martyris: quanto magis tot millia versuum, quæ mihi videntur suo sanguine signasse vestigia? Scripsit antequam Eusebius scriberet Apologeticum pro Adamantio, & passus est Cæsareæ Palestinæ sub persecutione Maximini. Pierius ecclesiæ Alexandrinæ presbyter, sub Caro & Diocletiano principibus, eo tempore quo eandem ecclesiam Theonas episcopus regebat, florentissime populos docuit: & in tantam sermonum diuersorumque tractatuum, qui vsque hodie extant venit elegantiam, vt Adamantius iunior vocaretur. Constat hunc mire appetitorem voluntariæ paupertatis, scientissimumque Dialecticæ artis: post persecutionem omne vitæ suæ tempus Romæ fuisse conuersatum. Huius est longissimus tractatus de propheta Oseæ quem in vigiliis Paschæ habitum, ipse simplici sermone demonstrat.

De Diocletiano principe, & Maximiano & cæteris Cæsaribus, quos ipse creauerat, & de eorum præliis, & persecutionibus Christianorum.

CAP. XIV.

Diocletianus tricesimus tertius ab Augusto, Dalmata Anuli senatoris libertus, matre pariter atq; oppido nomine Diocles. Quorum vocabulis donec imperium sumeret, Diocles appellatus: vbi orbis Romani potentiam cepit, Graium nomen in Romanum morem conuertit. Imperauit annis XX. statimque vt potestatis copiam habuit, Aprum interfectorem Numeriani, manu sua interfecit. Carinum deinde, quem Carus Cæsarem in Dalmatia reliquerat, flagitiose viuentem difficillimo bello & maximo labore superauit. De hinc cum in Gallia Amandus & Helianus collecta rusticorum manu, quos Vacandas vocabant, perniciosos tumultus excitassent, Maximianum cognomento Herculium Cæsarem fecit. Quem misit in Gallias: qui facile agrestium hominum imperitam & confusam manum militari virtute compescuit. Deinde Carausius quidam genere infimus, sed consilio & manu promptus, cum ad obseruanda Oceani littora, quæ tunc Franci & Saxones infestabant, positus, plus in perniciem quam in prouectum reipublicæ ageret: ereptam prædonibus prædam, nulla ex parte restituendo dominis, sed soli sibi vendicando accendens suspicionem, quia ipsos quoque hostes, ad incursandos fines artifici negligentia permitteret, quamobrem à Maximiano jussus occidi, purpuram sumpsit, ac Britannias occupauit. Igitur per omnes Romani imperij fines, subitarum turbationum fragores concrepuerunt: Carausio in Britannia rebellante, Achilleo in Ægypto: cum & Aphricam Quinquentiam infestarent, Narseus etiam rex Persarum,

Orientem bello premeret. Hoc periculo Diocletianus permotus, Maximianum Herculium ex Cæsare fecit Augustum, Constantium vero & Maximianum Galerium Cæsares legit, Constantius Maximiani Herculij priuignam Theodoram accepit vxorem. Ex qua sex filios fratres Constantini sustulit.

Constantinum vero filium ex Helena habuit concubina. Carausius Britannia sibi per septem annos fortissime vendicata ac retenta: tandem fraude Adlecti socij sui interfectus est. Adlectus postea ereptam Carausio insulam, per triennium tenuit: quem Asclepiodotus præfectus prætorio pressit, Britanniamque post x. annos recepit. Constantius vero Cæsar in Gallia primo bello ab Alamannis profligato exercitu suo vix ipse subreptus est: secundo autem secuta est satis secunda victoria. Nam paucis horis 40. millia Alamannorum cæsa feruntur. At Maximianus Augustus Quinquentianos in Aphrica domuit. Porro autem Diocletianus Achilleum obsessum per octo menses, apud Alexandriam cœpit & interfecit. Sed immoderata victoria vsus, Alexandriam direptioni dedit: Ægyptum totam proscriptionibus cædibusque fœdauit. Præterea Galerius Maximianus cum duobus iam prælijs aduersus Narseum conflixisset: tertio inter Gallinicum & Charras congressus, & victus, amissis copijs ad Diocletianum refugit: A quo arrogantissime exceptus: ita vt per aliquot millia passuum purpuratus ante vehiculum eius cucurrisse referatur. Veruntamen hac contumelia confusus ad virtutem vsus est ea, per quam detrita rubigine aciem mentis exacuit. Itaque mox per Illyricum & Mesiam, vndique copias contraxit. Statimque in hostem reuersus, Narseum magnis consilijs viribusque superauit, extinctis Persarũ copijs. Ipsoque Narseo in fugam verso 8. castra eius inuasit, vxores, sorores, liberosque cepit: immensam vim gazæ Persicæ diripuit, captiuos quamplurimos Persarum nobilium abduxit. Reuersus in Mesopotamiam, à Diocletiano plurimo honore susceptus est. Postea per eosdem duces strenue aduersus Carpas Basternasque pugnatum est. Sarmatas deinde vicerunt: quorum copiosissimam captiuam multitudinem, per Romanorũ dispersere præsidia. Interea Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculius in occidente, vastari ecclesias, affligi interficique Christianos, decimo post Neronem loco præceperunt: quæ persecutionibus fere anteactis, diuturnior atque immanior fuit. Nam per decem annos incendijs ecclesiarum, proscriptionibus innocentum, cædibus martyrum incessabiliter acta est. Sequitur terræmotus in Syria: ex qua apud Tyrum & Sidonem passim labentibus tectis, multa millia hominum prostrata sunt: Secundo persecutionis anno, Diocletianus ab inuito exegit Maximiano, vt simul purpuram imperiumque deponerent: ac iunioribus in rempublicam substitutis, ipsi in priuato otio consenescerent. Itaque sub vna die Diocletianus apud Nicomediam, Maximianus apud Mediolanum potestatem imperij simul cultumque deposuerunt. Igitur Diocletianus in proprijs agris consenuit. Qui dum ab Herculio atque Galerio, ad recipiendum imperium rogaretur: tanquam pestem aliquam detestans, in hunc modum respondit: Vtinam Salone possetis visere olera nostris manibus instituta, profecto nunquam istud tentandum negotium iudicaretis. Tandem Constantinum ac Licinium veritus, quasi partibus Maximini & Maxentij fauissent, per formidinem veneno hausto interijt.

A *De Galerio & Constantio, qui orbem Romanum primi diuiserunt, & de multis principibus, qui illis diebus scaturientes ebullierunt & perierunt. Et qui doctores ea tempestate, vel martyres extiterint.*

CAP. XV.

Galerius & Constantius Augusti primi Romanorum imperium in duas partes diuiserunt: Galerius Maximianus Illyricum, Asiam, & Orientem: Constantius Italiam, Aphricam, & Gallias obtinuit. Sed Constantius vir tranquillissimus, Gallia tantũ Hispaniaque contentus. Et dũ persecutiones diuersas ecclesiæ in alio terrarũ orbe paterentur: solus Constantius Constantini pater, licenter Christianis in sua consistere religione concessit. Denique tale aliquod eum miraculũ & memoria dignũ egisse cognouimus. Is enim probare volens, quosdam in suo palatio Christianos,
B si boni & solidi essent viri, euocans vniuersos præcepit dicens: vt siquidem venirent ad sacrificandum & eius colerent deos, circa eum essent, & in suo cingulo permanerent: si vero refugerent, egrederentur de palatio, gratias agentes quod minime punirentur. Cumq; in vtroque apparuissent, alij quidem religionis desertores, alij vero diuina præsentibus præponentes: facta deliberatione, ijs amicis & consiliarijs vti decreuit, qui in melioribus fideles constantesq; permanserant. Alios vero velut effœminatos auersatus expulit à suo colloquio, credens nunquam eos circa principem deuotos fore, qui fuerunt Dei sui sic paratissimi proditores. Et ideo adhuc superstite Constantio, non videbatur contra legem quempiam esse Christianum apud eos qui intra Italiam, Galliasque & Britanniam, & qui circa Pireneum habitabant montem, vsque ad Oceanum Hespericum. Galerius porro duos Cæsares legit Maximinum, quem in Oriente constituit: & Se-
C uerum, cui permisit Italiam, ipse in Illyrico constitutus. Constantius vero Augustus summæ mansuetudinis & ciuilitatis in Britannia obijt Eboraci, XVI. imperij sui anno. Attamen ecclesiarum deuastatio, vsque ad septimum Constantini annum, Christianorumque sanguinis effusio feruere per diuersa loca non cessat. Igitur hæc persecutio tam crudelis & crebra flagrabat, vt intra vnum mensem XVII. millia martyrum pro Christo passi inueniantur. Nam oceani limbum transgresso Albanum, Aaron, & Iulium Britanniæ, cum aliis pluribus viris ac fœminis, felici cruore damnauit. Passus est hac tempestate Pamphilus presbyter Eusebij Cæsariensis episcopi Neocæsarius: cuius vitam ipse tribus libris comprehendit, de quo superius mentionem fecimus. Tertio anno persecutionis, quo & Constantius obiit Maximinus & Seuerus à Galerio Maximiano Cæsares facti. E quibus Maximinus maleficia & stupra sua Christianorum persecutionibus accumu-
D lat. Passus est ea tempestate Petrus Alexandriæ episcopus. Lucianus quoque, vir moribus & continentia & eruditione præcipuus, Antiochenus presbyter passus est, & Timotheus Romæ x. Calend. Iulij. Quibus diebus quæ in orbe Romano (vt Paulisper superiora repetamus) gesta sunt propter innoxium Christianorum sanguinem fusum, vno quidem pene tempore Imperatoribus creatis, replicare curabo. Igitur Constantius Constantini pater, atque Armentarius, Cæsares Augusti appellantur creatis Cæsaribus Seuero per Italiam, Maximino Galerii sororis filio per Orientem: eodemque tempore Constantinus Cæsar efficitur. Maxentius Imperator in villa sex millibus ab vrbe distra, in itinere Lauicano. Dehinc Licinius Augustus efficitur, parique modo Alexander apud Carthaginem Imperator fit. Simili modo Valens Imperator creatur. Quorum

exitus iste fuit: Seuerus Cæsar ab Herculio Maximiano Romæ ad tres tabernas extinguitur, funusque eius Gallieni sepulchro infertur: quod vrbe abest per Appiam millibus nouem. Galerius Maximianus, consumptis genitalibus defecit. Maximianus Herculius à Constantino apud Massiliam obsessus, deinde captus, pœnas dedit mortis: postremo fractis laqueo ceruicibus, Alexander à Constantini exercitu iugulatur. Maxentius dum aduersus Constantinum congreditur, muluium pontem nauigiis compositum ab latere ingredi festinans, lapsu equi in profundum demersus est: voratumque limo pondere thoracis corpus vix repertum. Maximinus apud Tharsum morte simplici periit: Valens à Licinio morte mulctatur. Igitur tempore prædictorum principum, qui doctores seu martyres extiterint, ex plurimis paucorum memoriam replicare curabo. Lucianus ergo vir disertissimus, Antiochenæ ecclesiæ presbyter: tanto scripturarum studio laborauit, vt vsque nunc quædam exemplaria scripturarum Luciana nuncupentur. Feruntur eius de fide libelli, & breues ad nonnullos epistolæ. Passus Nicomediæ ob confessionem Christi, sub persecutione Maximini, sepultusque Heliopoli Bethaniæ. Phileas de vrbe Aegypti, quæ vocatur Thymius, nobili genere, & non paruis opibus: suscepto episcopatu elegantissimum librum de martyrum laude composuit. Et disputatione authorum habita, aduersum iudicem qui eum sacrificare cogebat, pro Christo capite truncatur: eodem in Aegypto persecutionis authore, quo Lucianus Nicomediæ.

Arnobius sub Diocletiano principe apud Aphricam florentissime Rhetoricam docuit: scripsitque contra gentes volumina quæ vulgò extant. Firmianus qui & Lactantius, Arnobii discipulus, cuius sub Diocletiano principe, acciti cum Flabuo grammatico de medicinalibus versus compositi extant: Nicomediæ Rhetoricam docuit: ac penuria discipulorum inde in Græciam, videlicet ad scribendum, se contulit. Habemus eius conatum Symposium, quod adolescentulus scholis scripsit, de Aphrica vsque Nicomediam hexametris scriptum versibus. Et alium librum qui inscribitur grammaticus & pulcherrimus. De ira Dei, & Institutionum diuinarum, aduersus gentes libri VII. Aequalitatum & Epitomum eiusdem operis liber I. & ad Asclepiadem II. de persecutione lib. I. ad Probum epistolarum lib. IV. ad Seuerum epistolarum II. lib. ad Demetrium auditorem suum epistolarum lib. II. ad eúdem de opificio Dei vel formatione hominis lib. I. Hic in extrema senectute magister Cæsaris Crispi filii Constantini in Gallia fuit: qui postea à patre (vt fertur) interfectus est. Igitur Eusebio referente, hæc persecutio sub Diocletiano & reliquis principibus eiusdem temporis ab ipsis militibus exordium cœpit: & velut ex parua scintilla, pene totum Romanum inflāmauit orbem, maxime Aegyptum, Aphricam, & Mauritaniam: dum inter se diligentius perquirerent Christianos, repertos autem immolare cogebant: nolentes, militia & vita priuabant.

Inter quos Nicomediæ Augusto Cæsare assistente, Dorotheus cubiculo regis præpositus, & socius eius Gorgonius, qui pene omnes cubicularios sibi subiectos doctrina & fide effecerant Christianos, cum viderent constantiam Petri cuiusdam nobilissimi viri, qui iniquas leges contra Christianos promulgatas publice rapuerat atque minutatim discerpserat; quam ob [illegible] omnia tormentorum genera coram Augusto [illegible]erat: nouissime in craticula positus super pruinam fide lætus exhalat. Tunc prædicti aiunt: Cur Imperator punis in Petro mentis sententiam, quæ in omnibus viget? Vt quid in illo crimen ducitur, quod à nobis omnibus confitetur? Hæc nobis fides, [illegible]us, & vnanimis eademque sententia Quos il[illegible] in medio nihilominus venire iussisset: similibus

A pœnæ, vt priores, suppliciis affectos, ad vltimum laqueo appensos necari iussit. Tunc & Anthymus ipsius vrbis episcopus, in Domini nostri Iesu Christi confessione perdurans, martyrii gloriam capitis obtruncatione suscepit.

Hunc autem tanquam vere bonum pastorem, viam martyrii præeuntem, vniuersa pene gregis sui multitudo prosequitur. Itaque explicari non valet, quanta Dei sanctis martyribus excogitabantur tormenta ea tempestate: seu quanta sanctorum millia nouis & inauditis cruciatuum tormentis interempta sint: quibus Eusebius Cæsariensis episcopus, ecclesiasticæ scriptor historiæ, dum interesset, quæ in veritate comperit & cernendo conspexit, octauo historiarum & nono libris partim manifestare studuit.

B *Qualiter Constantinus ad Imperium euectus sit & quos Imperatores persequentes Christianos oppresserit.*

CAP. XVI.

Constantinus tricesimusquartus gubernacula imperii, à Constantio patre suscepit, quæ vno & xxx. annis felicissime tenuit. Igitur mortuo (vt dixi) Constantio in Britānia, Constantinus Imperator creatus primus Imperatorum Christianus, excepto Philippo qui Christianus annis admodum paucissimis, ad hoc tantum constitutus fuisse mihi visus est: vt millesimus Romæ annus Christo potius quam idolis dicaretur. A Constantino autem omnes semper Christiani Imperatores vsque in hodiernum diem creati sunt: excepto Iuliano, quem impia (vt aiunt) machinantem exitiabilis vita deseruit. Igitur Crispo & Constantino Cæsaribus atque consulibus, Romanę quidem ecclesiæ Syluestrius præsidebat: Alexandrinæ Alexander: & Hierosolymorum Macharius: Antiochiæ C vero, quæ est apud Orontem, post Romanum nondum quisquam fuerat ordinatus, persecutionibus scilicet prohibentibus. Non longo post tempore hi qui Nicææ collecti erant, eloquentiam eius admirantes, Eustachium dignum approbauerunt, qui sedi apostolicæ præsideret, & cum esset episcopus vicinæ Beroæ, eum in Antiochiam transtulerunt.

Tunc ergo Christiani orientales quidem vsque ad terminos Aegypti circa Lespiam commorantes, non præsumebant aperte in ecclesias conuenire, cum Licinius fauorem, quem in eos habuerat, permutasset: sed neque per Occidentem Helladici, vel Macedones, & Illyrici licenter in religione durabant. propter Constantinum qui princeps erat in his partibus Romanorum. Huic enim viro plura postea prouenisse percepimus quibus flexus est Christianorum dogma venerari: præcipue tamen propter signum, quod ei diuinitus est ostensum. Et quoniam ad hæc venimus, paulo latius aliquid referamus. Cum Diocletianus & Maximianus D Herculius, priuatam elegissent vitam, & Maximinus Galerius, qui cum eis imperauerat, tenens Italiā duos Cæsares fecisset, Maximinum in Oriente, & in Italia Seuerum. Tunc Constantinus in Britannia patre mortuo ordinatus Imp. primo anno ducentesimæ primæ Olympiadis, XXV. die Iulii mensis, Romæ vero à pretorianis militibus Maxentius, Maximiani Herculii filius, instituitur Imperator. Hic eius pater imperandi cupiditate noluit filium regno priuare, quod facere nequiuit. Porro Seuerus Romæ contra Maxentium veniens, militum proditione peremptus est. Proinde Maxentius Romæ velut tyrannus habebatur, adulteria impudenter exercens. & earum viros occidens. Quem volens Constantinus opprimere & Romanos cladibus liberare, cogitabat quem in bello Deum haberet auxilio, sciens nihil prodesse Deos quos Diocletianus venerabatur: & quia potius eius pater paga-

norum contempta religione feliciter aduixisset. In his igitur solicitudinibus constitutus, in somno vidit signum A crucis cœlo splendide collocatum, mirantique visionem astiterunt angeli dicentes: O Constantine in hoc vince. Fertur autem & ipsum Christum apparuisse ei, signumque monstrasse crucis, ac præcepisse vt figuram similem faceret: & in præliis auxilium hoc haberet, quo victoriæ iura conquireret. Eusebius itaque Pamphili cum iureiurando ipso Imperatore dissetente audisse refert, quia circa meridiem ,declinante iam sole, crucis sinum ex lumine factum, & scripturam consertam ei dicentem: in hoc vince, vidisset ipse & milites qui cum eo tunc essent. Pergenti namque aliquando cum exercitu per iter: hoc, inquit, ei miraculum est ostensum. Dumque cogitaret quid esset, nox superuenit: & dormienti Christus apparuit cum signo quod vidit in cœlo: iussitque vt fieret eius signi figuratio quæ foret auxilium congressibus præliorum.

Igitur vt præmissa quadem ex parte & aliquoties memorata iterum repetamus, Galerius occiso Seuero, B Licinium Imperatorem creauit. Cumque persecutionem à Diocletiano & Maximiano missam ipse atrocioribus edictis accumulasset, ac postquam per annos x. ex omni genere hominum exhausit prouincias: putrefacto introrsum pectore, & vitalibus dissolutus, cum vltra horrorem humanæ miseriæ etiam vermes eructaret, atque medici vltra iam fœtorem non ferentes, crebro iussu eius occiderentur, à quodam medico constantiam ex desperatione sumente increpitus, iram Dei esse pœnam suam, atque ideo à medicis non posse curari: edictis late missis, Christianos de exiliis reuocauit: ipse autem cruciatus non sustinens, vim vitæ suæ intulit. Ita respublica tũc sub nouis quatuor principibus fuit Constantino & Maxentio filiis Augustorum, Licinio autem & Maximiano hominibus nouis: Constantinus pacem ecclesiis post x. annos quibus à persecutoribus vexabantur, indulsit. Deinde inter Constantinum & Maxentium bellum ciuile exortum C est. Qua necessitate compulsus Constantinus, quem haberet adiutorem Deum in præliis imminentibus, mente solicita pertractabat. Vnde & signa cœlitus ei ostensa sunt, quæ superius memorauimus. Igitur Maxentius sæpe multis præliis fatigatus: vltimo ad pontem Miluium victus, & interemptus est. Maximinus persecutionis Christianorum incentor, executorque infestissimus, apud Tharsum dum ciuile bellũ contra Licinium disponeret, interiit. Licinius repentina rabie suscitatus, omnes Christianos è palatio suo iussit expelli. Mox bellum inter ipsum Licinium & Constantinum efferbuit. Sed Constantinus Licinium sororis suę virum, in Pannoniis primum vicit, deinde apud Cibalas oppressit. Vniuersaque Græcia potitus, Licinium crebris bellis terra marique assurgentem, & repressum, tandem ad deditionem coegit. Sed Herculii Maximiani soceri sui motus exemplo, ne iterum depositam purpuram in perniciem reipublicæ sumeret, D priuatum iussit occidi. Quamuis omnibus iam ministris nefariæ persecutionis exemptis, hunc quoque in quantum exercere potuit persecutorem digna punitio flagitaret. Constantini filii Crispus & Constantinus, & Licinius adolescens Licinii Augusti filius, Constantini autem ex sorore nepos, Cæsares creati sunt.

De vesania Arrij, & de synodo in Nicæa congregata, & quid in ea gestum sit.

CAP. XVII.

His diebus Arrius Alexandrinæ vrbis presbyter, à veritate fidei catholicæ deuians, exitiabile plurimis dogma constituit. Qui simul vt primum Alexandriæ, vel notus vel notatus, inter, confusos vulgi sectatores, insectatoresque factus est: ab Alexandro eiusdem tunc vrbis episcopo pulsus ecclesia est, cum A quo homines quos in errorem seduxerat, etiam in seditionem excitauerat, Qua de re apud Nicæam vrbem Bithiniæ conuentus trecentorum x. & vii. episcoporum factus est: per quos Arrianum dogma exitiabile & miserum esse euidentissime deprehensum, palam proditum ac reprobatum est, Vndecunque ad eundẽ conuentum Syros, simul & Cylicas Phœnicasque & Arabes, atque Palæstinos inter hos & Aegyptios, Thebæos, Lybios, necnon & eos qui ex Mesopotamia oriuntur, etiam Persas ad concilium venisse constat. Verum nec Scytha defuit. Ex eorum choro Pontusque & Asia, Phrygia & Pamphilia: viros probatissimos præbuerunt. Aderant Thraces, & Macedones, Achiui, & Epirotæ, & his quoque interius habitantes. Ipse autẽ Hispanorum valde famosus Osius vnus aderat, & simul plurimis assidebat. Talem itaque solus à secundo vnus Imperator Constantinus Christo coronam vinculo pacis exornans, suo saluatori de victo- B ria inimicorum & hostium Deo decibilem dedicauit. Itaque maximam domum præparauit, in regalibus Imperator sedens: & subsellia in ea poni pręcipiens, quæ sufficerent ordini sacerdotum. Ita decentem pręparans eis honorem: inuitauit ingredi, & de præsentibus habere consilium. Introiuit autem & ipse princeps vltimus cum paucis laude dignam sui magnitudinem habens: & mirabilem speciem, mirabiliorumque gerens dignitatem pudoris in fronte. Minore vero sede quam aliis posita in medio eorum sedit, primo tamen petens, hoc sibi episcoporum iussione concedi. Tunc cum eo resedit sacratissimus ille chorus. Etenim cum ex omnibus pene locis episcopi conuenissent, & (vt fieri solet) diuersis ex causis inter se quædam iurgia detulissent, interpellabatur frequenter à singulis, offerebantur libelli, culpæ proferebantur: & magis ad hæc quam ad id, pro quo ventum fuerat, animos dabant. At ille videns quod per huiusmodi iurgia causa summi C negotii frustraretur: diem certam statuit, qua vnusquisque episcoporum si quid querimoniæ habere videretur, deferret. Et cum resedisset, suscepit à singulis libellos, quos simul omnes in sinu suo continens, nec in eis quid contineretur, aperiens, ait ad episcopos: Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis recte iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium, & vestra iurgia quæcunque sunt, ad illud diuinum reseruentur examen. Vos etenim nobis à Deo dati estis dii, & conueniens non est, vt homo iudicet deos, sed ille solus de quo scriptum est: Deus stetit in congregatione deorum, in medio autem deos discernit. Et ideo his omissis, illa quæ ad fidem Dei pertinent, absque vlla animorum dissensione distinguite. Cum hæc dixisset, omnes simul querimoniarum libellos iussit exuri, ne innotesceret vlli hominum simulatio sacerdotum, sed ecclesiasticum omnes vnani- D mes, ad quod venerant, negotium agere solerter inuigilarent. Igitur venerabili huic concilio ex paucorum memoria coniici potest quam magni interfuerint deo amabiles viri, qui leges ecclesiasticas, quos canones vocamus, sanxerunt: & peruersum dogma Arrii cum ipso authore anathematizantes damnauerunt. Fuit præterea in illo concilio Paphnuntius homo Dei ex Aegypti partibus episcopus confessor: ex illis quos Maximianus dextris oculis effossis & sinistro poplite succiso, per metalla damnauerat. Sed in hoc tanta virtutum inerat gratia, vt signa per eum non minus quam dudum per apostolos fierent, nam & dæmones tantum verbo fugabat, & ægrotos sola oratione curabat: sed & cæcis dicitur visum reddidisse, & paralyticos ad stabilitatem corporum reuocasse. Quem Constantinus in tanta veneratione & affectu habuit, vt sæpius eum intra palatium euocatum complecteretur:

& illum oculum, qui in confessione fidei fuerat euulsus, audioribus osculis demulceret. Ex eorum numero, & si quid adhuc eminentius fuisse dicitur, etiam Spiridion episcopus Cyprius, vir vnus ex ordine prophetatum. Hic pastor ouium, etiam in episcopatu positus permansit. Quadam vero nocte cum ad caulas fures venissent, & manus improbas quo aditum educendis ouibus facerent, extendissent, inuisibilibus quibusdã vinculis astricti, vsque ad lucem velut traditi tortoribus permanserunt. Cum vero oues ducturus ad pascua, matutinus se ageret senior: vidit iuuenes absque humanis vinculis caulis pendere districtos. Cumque causam noxæ comperisset, absoluit sermone, quos meritis vinxerat. & ne eis inanis nocturna cederet occupatio: Tollite, inquit, ô iuuenes vnum vobis arietem, ne sine causa venisse videamini, quem melius prece, quam furto quæsisse conuenerat. Tradunt de eo etiam illud factum mirabile, filiam habuit Hyrenem nomine quæ ei cum bene ministrasset, virgo defuncta est. Post eius obitum venit quidam dicens se ei quoddam depositum commendasse, rem gestam ignorauerat pater, perquisitum in tota domo, nusquam quod poscebatur, inuentum est. Persistebat ille qui commendauerat & fletu ac lachrymis perurgebat. vitæ quoque suæ illaturum se esse exitium, nisi commendata reciperet testabatur: Permotus lachrymis eius senex ad sepulchrum filiæ properat, atque eam nomine clamitat. Tunc illa de sepulchro quid vis ait, pater? Cõmendatum, inquit, illius vbi posuisti? At illa locum designans: illic, ait, inuenies defossum. Regressus ad domum, rem sicut filia de sepulchro responderat, repertam tradidit reposcenti. Sed & multa alia eius gesta referuntur mirabilia: quæ recentium tunc ore omnium celebrabantur. Talis igitur in illis adhuc temporibus permulti viri in ecclesiis domini refulgebant: ex quibus plurimi in illo concilio fuerunt. Sed & Athanasius eodem tempore Alexandri diaconus Alexandrini episcopi aderat consilijs, senem quam plurimis iuuans. Interfuit etiam magnus Eustachius, Antiochenæ fortitus ecclesiæ præsulatum, meritis ac virtutibus insignis. Pariterque Eusebius Pamphili Cæsariẽsis ecclesiæ pontifex, qui tempore persecutionis nobiliter in fide perdurauit, & multorum illustrium opusculorum scriptor fuit sagacissimus. Præterea & alii plures viri probatissimi ibi affuerunt, quorum ingenia sapientiæ & animorum virtutes, tam & principi quam in reliquis dignitatibus claruerunt. Ergo qui per singula scire voluerit, quæ in hoc gesta sunt concilio: omissis aliorum opusculis ecclesiasticis causam Eusebii Cæsariensis historiam perlegat, quæ à Rufino in nostrum interpretata est eloquium: nec non trium virorum illustrium historias, Sozomeni, Socratis & Theodorici. Actus vero & vitam huius principis Constantini qui scire plenius desiderat, Eusebii prædicti opuscula de hoc tantum negotio perlegat. Nos vero ad opus compendii cœptum stilum scribendo reuocemus.

De Helena Constantini matre: & qualiter crucem dominicam inuenit.

CAP. XVIII.

PEr idem tempus Helena Constantini mater, fœmina incomparabilis fide, religione animi ac magnificentia singulari, cuius vero Constantinus & esset filius & crederetur diuinis ammonita visionibus Hierosolymam petit, atque ibi locum, in quo sacrosanctum corpus Christi patibulo affixum pependerat, ab incolis perquirit. Qui idcirco ad inueniendum difficilis erat, quod ab antiquis persecutoribus simulachrum in eo Veneris fuerat defixum: vt si quis Christianorum in loco Christum adorare voluisset, Venerem videretur adorare, & ob hoc infrequens & pene obliuioni datus fuerat locus. Sed cum (vt supra diximus) religiosa fœmina properasset ad locum cœlesti indicio designatum, cuncta ex eo profana & polluta deturbans in altum purgatis ruderibus, tres confuso ordine reperit cruces. Sed obturbabat reperti muneris lætitiam vniuscuiusque crucis indiscreta proprietas. Aderat quidem & titulus ille qui Græcis & Latinis atque Hebraicis litteris à Pilato fuerat conscriptus, sed ne ipse quidem satis euidenter dominici prodebat signa patibuli. Hinc iam in humanæ ambiguitatis incerto, diuinum flagitat testimonium. Accidit in ea vrbe primaria quandam loci illius fœminam graui ægritudine confectam semine cem iacere. Macharius per idẽ tempus illius episcopus erat. Is vbi cunctantem reginam atque omnes pariter qui aderant, videt: Afferte huc, inquit, omnes quæ repertæ sunt cruces & quæ sit quæ portauerit dominum Christum, nunc nobis adaperiet Deus. Et ingressus cum regina pariter & populis ad eam quæ decumbebat, defixis genibus huiuscemodi ad Deum precem profudit: Tu domine per vnigenitum filium tuum salutem generi humano per passionem crucis conferre dignatus es, & nunc in nouissimis temporibus aspirasti in corde ancillæ tuæ perquirere lignum beatum, in quo salus nostra pependit, ostende euidenter ex his tribus quæ crux fuerit ad dominicam gloriam, vel quæ extiterint ad seruile supplicium, vt hæc mulier quæ semiuiua decumbit, statim vt eam lignum salutare contigerit, à mortis ianuis reuocetur ad vitam. Et cum hæc dixisset, adhibuit primo vnam ex tribus, & nihil profuit, adhibuit secundam, & nec sic quidem aliquid actum est. Vt vero tertiam admouit, repente adapertis oculis mulier consurrexit: & stabilitate virium recepta, alacrior multo quã cum sana esset, tota domo discurrere & magnificare domini potentiam cœpit. Sic euidenti iudicio regina voti compos effecta, templum mirificum in eo loco, in quo crucem repererat regia ambitione construxit. Clauos quoque quibus corpus dominicum fuerat affixum, portat ad filium, ex quibus ille frænos composuit, quibus vteretur ad bellum, & ex aliis galeam nihilominus belli vsibus aptam fertur armasse. Ligni vero ipsius salutaris partem detulit filio, partem vero thecis argenteis conditam dereliquit in loco, que etiã nunc ad memoriam solicita veneratione seruatur. Filius vero eius Constantinus in honorem matris ciuitatem condidit, quam ex nomine illius Helenopolim nuncupauit.

Quo tempore populi Hybererum & Armeniorum conuersi sint ad fidem Christi.

CAP. XIX.

QVa tempestate quidam philosophus Merobius nomine exteriorem Indiam lustrando dum peragraret, quæ longo tractu ab interiore distat, quæ diuersis linguis & nationibus habitata est, quam velut lõge remotam nullus apostolicæ prædicationis vomer impresserat) à Barbaris captus atque interemptus est. Duo quidam pueri, quos in liberalibus instituerat disciplinis, Barbarorum miseratione reseruati & ad regem perducti, quos vt comperit industrios ac nobiles, valde dilexit, Ex quibus Frumentio, quem perspicaciorem deprehenderat, rationes suas scriniaque commisit: Edesium vero sibi pincernam fecit, qui postmodum in magno honore habiti sunt, viuente rege, & in maiore post illius obitum cum filio eius, quem hæredem reliquerat regni. In tantum vero sublimati sunt, vt ecclesias fabricarent ibi, & conuenticula Christianorum per loca diuersa celebrarent. Qui cum ad Romanum orbem reuerterentur & suos visitarent propinquos, & quæ acciderant episcopis narrarent suis, tunc

Athanasius nuper Alexandriæ episcopus constitutus, Frumentium ad officium prædicationis delegit, & ad Indiam remisit, per quem gratia domini coruscante, virtutes apostolicæ patratæ sunt plurimæ, & infinitæ Barbarorum multitudines ad Christianismum conuersæ, ex quo in India exteriore fidei semina pullulatunt. Eodem etiam tempore apud gentem Hyberorum, quæ sub axe aquilonico degebat, quædam valde religiosa Christiana habebatur captiua, cuius meritis istãtia vigiliarum, ieiuniorum atque orationum quã plures enituerunt virtutes, adeo denique vt regina eiusdem populi, quę graui infirmitate vexabatur & curatione medicorum desperata, ad cubiculum eiusdem peregrinæ descenderet, & in cilicio eiusdem cubaret. Cuius precibus percepta sanitate ad propria remeauit. Qua occasione rex eiusdem gentis in Christum credidit & templum mirabile condidit, qui etiam ad Constantinum Imperatorem legatos direxit, per exhortationem peregrinæ prædictæ, vt episcopos ad se dirigeret, qui pariter se & populum suum sacra religione informarent. Qua petitione comperta Imperator gauisus est, & quod poposcerat ab eo Hyberorum rex impetrauit. Eodem tempore, vt præmisi, & Indorum gentes, & Hyberorum Christiani dogmatis rudimenta susceperunt; sed etiam Armenios tunc primum cõperimus Christianos effectos. Aiunt enim Tyridate reges tunc gentis illius ex quodam mirabili signo Dei, quod circa eius domum euenit, Christianum fuisse factum: & omnes simul eius ditioni subiector, vna præceptione iussisse, vt similiter Deo colla summitterent. Vnde & ad cæteros confines Christianum dogma trãsiuit, & multitudine dilatatum est.

De solicitudine pii principis Constantini, quam non solum de sibi subiectis, sed etiam externis habuit pro fide Christi.

CAP. XX.

Apud Persas autem initium Christianitatis tunc æstimo celebratum, dum quidam eorum occasione commertii ad Osrænos & ad Armenios venientes (vt assolent) sanctis illic colloquerentur viris, & virtutes eorum experirentur. Cumque tempore procedente crescerent, & ecclesias & sacerdotes pariter cęterosque ministros iam haberent, hoc factum non mediocriter contristabat magos, qui religionem Persarum veluti quædam sacerdotalis tribus per successionem generis ab initio commissa habere noscuntur, Afficiebat enim etiam Iudæos, naturaliter quodammodo Christiani dogmatis inimicos. Quapropter accusauerunt apud Saporem tunc regem Simeonem archiepiscopum Seleuciæ & Thesiphontis ciuitatum in Persida regalium, tanquam amici essent Cæsari Romanorum, eique Persarum negotia depalaret. Quamobrem Persarum rex non solum Simeonem teneri fecit, sed & reliquos sui regni episcopos viros Deo di-
D gnos. & in vincula conijci, & cæteros bonæ vitæ testimonio presbyteros, diaconos, monachos, sacrasque virgines & reliqui vulgi innumeras multitudines, & ex suo palatio vna cum pædagogo ac nutritore suo quamplures sibi charos atque familiares diuersis mortibus tradidit pro Christi dogmate, dum nollent solem Dei creaturam adorare pro Deo. Fertur enim eorum qui tunc martyrio coronati sunt, sub hac persecutione virorum ac fœminarum fuisse millia quasi sedecim in regno Saporis, magis Iudæisque ad hoc piaculum regem concitantibus. Igitur dum hæc apud Persidam calamitas Christianorum pio principi nota fieret Constantino, dum esset solicitus pro vera religione, scripsit ad regem Persarum per Legatos, qui tunc aderant, monita pietatis, rogans vt cultores Dei apud eum digno honore potirentur. Itaque vt in ea conti-

A netur epistola, quam pro fide nostra ad eundem direxit, multa terrendo posuit infausta persecutoribus huius dogmatis euenisse, qua de re & Valerianum Romanorum Imperatorum suum quidem antecessorem à Persis esse captum, & cum maximo dedecore inter eos senuisse, quia Christianos diuersis mortibus affici decreuerat. Hæc igitur optimus Imperator pietate decoratus egit, curam non solum subiectorum habens, sed etiam eorum qui sub alieno gubernaculo regebantur. Quapropter & ipse diuina protectione potitus est, & Europam vniuersam atque Lybiam, super has etiam maximam Asiæ partem tenens, non solum subiectos habebat deuotos, sed etiam Barbarorum alii quidem sponte seruiebant, alii deuicti vbique triumphi videbantur, & victor cernebatur hominibus Imperator. Qui cum tres habuisset filios, eos Cæsares nuncupauit, & singulos eorum per decenos annos Imperii sui principes esse constituit, id est, primum quidem filium sui nominis Constantinum Hesperiarum partium in
B decennali suo fecit habere principatum: secundum vero aui nomine nuncupatum Constantinum, in vicenalibus suis Cæsarem in Oriente constituit: iuniorem vero Constantem in suis tricenalibus ordinauit. Qui cum in Nicomedia degeret, languore grauatus, nec ignorans huius vitæ incertum, gratiam sacri baptismatis est adeptus. Distulerat enim vsque ad illud tempus, in Iordane fluuio hoc promereri desiderans.

Porro autem tres filios imperii reliquit hæredes, & Athanasium magnum reuerti præcepit in Alexãdriam, licet Eusebius præsens esset, & niteretur contraria suadere. Ita facto testamento, tribus filiis constitutis hæredibus, defunctus est. Vixit itaque annis septuaginta quinque, regnauit triginta & vnum. Igitur inter hæc latent causæ, cur tantus vir vindicem gladium, & destinatam in impios punitionem, etiam in proprios egit affectus. Nam Crispum filium suum & Licinium sororis filium interfecit, vt aiunt. De his etiam, qui sub eo scribendo monumenta posteris reliquerunt,
C non silebo.

De diuersis doctoribus sub Constantino Imperatore florentibus.

CAP. XXI.

Arnobius Rethor in Aphrica clarus habebatur, quamuis & prius sub Diocletiano principe, qui cum Siccæ ad declamandum iuuenes erudiret, & adhuc ethnicus ad credulitatem somniis compelleretur, neque ab episcopo impetraret fidem, quam semper impugnauerat, elucubrauit aduersum pristinam religionem luculentissimos libros, & tandem veluti quibusdam obsidibus pietatis fœdus impetrauit.

Firmianus, qui & Lactantius, Arnobii discipulus, sub Diocletiano principe accitus cum Flabo grammatico, cuius de medicina libri versu compositi extant, Nicomediæ Rethoricam docuit, ac penuria discipu-
D lorum illinc in Græciam, videlicet ad scribendum se contulit. Habemus eius commatum symphosium, quod adolescentulus scholis scripsit Aphricæ, & Hodeporicum de Aphrica vsque ad Nicomediam hexametris scriptum versibus, & alium librum qui inscribitur grammaticus, & pulcherrimus de ira Dei, & institutionum diuinarum aduersum gentes lib. VII. & Epitomen eiusdem operis li. I. & ad Asclepiadem lib. II. de persecutione lib. I. ad Probum epistolarum lib. IV. ad Seuerum epistolarum libri duo, ad Demetrianum auditorem suum epistolarum libri tres, & ad eundem de officio Dei vel formatione hominis liber vnus. Hic in extrema senectute magister Cæsaris Crispi filii Cõstantini in Gallia fuit, qui postea à patre interfectus est. Eusebius Cæsareæ Palestinæ episcopus in scripturis diuinis studiosissimus, & bibliothecæ diuinæ cum Pam-

phylo martyre diligentissimus peruestigator, edidit infinita volumina, de quibus hæc sunt. Libri xx. conso- A nantiæ diaphonias, Ecclesiasticę historiæ libri x. Chronicorum canonum omnimodam historiam, & de authoribus eorum, & de euangeliorum tractatu, & in Isaiam libri x & contra Porphyrium qui eodem tempore scribebat in Sicilia (vt quidam putant) libri xxv. pro Adamantio libri sex, de vita Pamphili libri tres, de martyribus, & alia opuscula, & in CL. psalmos eruditissimos commentarios & multa alia. Floruit maxime sub Constantino Imperatore & Constantio, & ob amicitiam Pamphili martyris ab eo cognomentum sortitus est. Rhetitius Heduorum id est; Augustudunensis episcopus, sub Constantino celeberrimæ famæ habitus est in Gallia. Leguntur eius commentarii in Canticum canticorum, & aliud grande volumen aduersus Nouatianum, nec præter hæc quicquam operis eius reperi.

Methodius olim Lyciæ, postea Tyri episcopus, nitidi compositique sermonis, aduersus Porphyrium con- B fecit librum commiatum & symphosium x. virginum, & de resurrectione opus egregium contra Adamantium, & aduersus eundem de pythonissa, & in Genesim quoque, & in Canticum canticorum commentarios, & multa alia quæ vulgo lectantur. Ad extremum nouissimæ persecutionis, siue (vt alii affirmant) sub Decio & Valeriano in Calchide Græciæ martyrio coronatus est. Iuuencus nobilissimi generis Hispanus presbyter, quatuor euangelia hexametris versibus pene ad verbum transferens quatuor libros composuit, & nonnulla eodem metro ad sacramentorum ordinem pertinentia. Floruit sub Constantino principe. Eustatius genere Pamphilus, primum Beree Syriæ, deinde Antiochiæ rexit ecclesiam & aduersus Arrianum dogma multum componens sub Constantino principe pulsus est Traianopolim in exilium Thraciarum, vbi & conditus est. Extant eius volumina de anima aduersus Adamantium, & infinitæ epistolæ, quas enu- C merare longum est. Marcellus Anciranus episcopus sub Constantino & Constantio principibus floruit, multaque diuersarum materiarum scripsit volumina, & maxime aduersum Arrianos. Feruntur contra hunc Aristei & Apollinaris libri, Sabellianæ cum hæreseos arguentes.

Sed & Hilarius in septimo aduersum Arrium libro nominis eius quasi hæretici meminit. Porro ille defendit se non esse dogmatis cuius accusatur, communionem Iulii & Athanasii Romanę vrbis & Alexandriæ Pontificum meruit Eusebius Emissenus elegantis & rhetorici ingenii, innumerabiles, qui ad plausum populi pertineant, confecit libros, magisque historiã secutus. Ab his qui declamatoria volunt studiosissime leguntur. E quibus vel præcipui sunt aduersus Iudæos & gentes & Nouatianos, & ad Galatas lib. x. & in euangelium homiliæ breues, sed plurimæ. Floruit autem temporibus Constantini Imperatoris, sub quo & D mortuus, Antiochiæ sepultus est. Quo etiam tempore Porphyrius misso ad Constantium insigni volumine, de exilio liberatur. Tunc etiam Alexandriæ x x. ordinatur episcopus Athanasius, illis equidem diebus Cõstantinus cum liberis suis honorificas ad Antonium literas mittit, de quibus in subsequentibus, opitulante Deo, latius dicemus. Tunc etiam Nazarei rhetoris filia in eloquentia patri coæquatur, & Tyberianus vir disertus, præfectus prætorio Gallias regit.

Eustatius autem Constantinopolitanus presbyter agnoscitur, cuius industria in Hierosolymis martyrium constructum est. Præterea sub Constantino non solum hi quorum memoriam fecimus, sapientia & virtutibus claruerunt, sed & plures alii quos sub silentio præterimus. Igitur Constantinus Traianum herbam parietariam ob titulos multis ædibus inscriptos appellare solitus est. Hic pontem in Danubio construxit, ha- A bitum regium gemmis, & caput exornans perpetuò diademate. Commodissimus tamen multis rebus fuit calumnias sedare, legibus seuerissimus, nutrire artes bonas, præcipue studia litterarum, legere, ipse conscribere, meditari, audire legationes & querimonias prouinciarum sagaciter studuit. Et dum multas gentes diuersis pręliis subegisset, vrbem nominis sui Romanorum regum vel solus, vel primus instituit. Quæ sola expers idolorum ad hoc breuissimo tempore, condita à Christiano Imperatore prouecta est, vt sola Romæ tot seculis miseriisque prouectæ forma & potentia merito possit æquari. Tum deinde primus Constantinus iusto ordine & pio vertit edictum. Siquidem statuit citra vllam hominum cædem paganorum templa claudi. Et in hoc domini nostri Iesu Christi laudanda atque miranda est omnipotentia, vt quando voluit, mox vnius religiosi principis edicto omnium regum & Imperatorum potentissimorum, & retro seculis fortium ac sapientum industria fana ac mirabiliter ido- B lorum fabricata templa, clausa nullo resistente cultore pene per omnem, & ad nihilum sunt redacta. His itaque gestis prospere tertio finem decreui imponere libro.

TOMI II. LIBRI III. FINIS.

FRECVLPHI

EPISC. LEXOVIENSIS, CHRONICORVM

Tomi Secundi,

LIBER IV.

C

Quomodo post mortem Constantii ad tres eius filios orbis Romanus peruenerit, & quas partes vnusquisque obtinuerit.

CAP. I.

INterea respublica fortuitis casibus vrgebatur. Vnde quædam summatim ac breuiter perstringere, non esse incongruum arbitramur. Igitur quia ædificatore Constantinopolitanæ ciuitatis moriente, tres eius filii Imperium susceperunt, in præcedentibus est enarratum. Sciendum autem quia cum istis imperauit consobrinus eorum nomine Dalmatius, vocabulum patris habens, qui dum paululum imperasset, à militibus interemptus est, non iubente Constantio D vt occideretur, nec tamen prohibente. Ita in tres partes orbis Romani redacta dominatio est, Constantinum & Constantium ac Constantem filios Constantini. Hi singuli has partes regendas habuerunt. Constantinus iunior cuncta trans Alpes, Constantinus à freto Propontidis Asiam atque Orientem, Constans Illyricum Italiamque & Aphricam Dalmatius Thraciam Macedoniamque & Achaiam. Interim ob Italiæ Aphricæque ius dissentire, statim Constantinus & Constans cœperunt. Constantinus latrocinii specie dum incautus fœdeque temulentus in aliena irruit, à ducibus Constantis obtruncatus est, proiectusque in fluuium, cui nomen Alsa est, non longe ab Aquileia.

Qualiter per quendam presbyterum hæretici Arriani ad familiaritatem Constantini peruenerunt.

CAP. II.

INterea maligna semper aduersum Deum verum diaboli insectatio, quæ ab initio mundi vsque nunc à syncero fidei religionisque tramite effusis errorum nebulis lubrica hominum corda perturbat. Postquam Christianis imperatoribus summam regiæ potestatis in meliora vertentibus ecclesiam Christi zelo idololatriæ persequi destitit, aliud machinamentum, quo per eosdem Christianos imperatores ecclesiam vexa- t ret inuenit. Fit igitur Arrio noui erroris authori, cæ- i erisque discipulis ipsius ad familiaritatem Constantii e mperatoris promptus aditus & facilis via, & hoc ita t uenisse contigit. Posteaquam religiosi principis mater Helena, summis Romani regni honoribus affecta, B ex hac luce discessit, Constantia tunc Licinii derelicta ratris Augusti solatiis vtebatur. Huic accidit presbyterum quendam venire in notitiam, latenter partibus Arriani fauentem: sed is primo nihil omnino de his apud sororem principis aperiret. Vbi vero multa familiaritas copiam tribuit, paulatim cœpit sermonem aspergere, inuidiam dicens Arrio generatam, & pro simultatibus priuatis, episcopum suum rem contentiose exagitasse, æmulationis stimulo confixum, quod Arrius apud plebem satis charus haberetur. Hæc atque huiusmodi alia frequẽtius suggerens, animos Constantiæ suos effecit. Quæ cum diem obitura visitaretur à Constantio fratre, atque ab eo blande religioseque compellaretur, extremam dicitur ab eo gratiam poposcisse, vt presbyterum in familiaritatem reciperet, & quæ sibi ab eo pro spe & salute suggererentur, audiret. Se quidem iam ex luce discedentem nihil curare, pro fratris vero statu esse solicitam, ne forte pro in- C nocentum pœnis regni sui pateretur excidium. Quibus ille monitis à sorore susceptis, fidelem pro se germanæ solicitudinem credens, accommodauit aurem presbytero. Constantio vero de hac luce discedente, liberis de successione Romani orbis testamentum hæredibus scriptum dum non adessent, dicitur secreto presbyterum, quem à sorore commendatum supradiximus euocasse, atque sub sacramento tradidisse quod scripserat, dum ex occasione prædicta eius familiaritate potiretur, contestans ne vlli, nisi Constantio cum venisset, in manus traderet. Cui etiam quod eunuchi qui erant in palatio fauebant, arte indicio de Imperatoris morte impresso vsque ad Constantii præsentiam, multis noua tentantibus oppressis, restitutæ integræque mansere. Cum vero Constantius affuisset, depositum presbyter illi restituit. Cuius beneficii gratia Imperator regni cupidus ita ei deuinctus est, vt qui imperare cunctis ambierit, ab illo sibi imperari æquanimiter pa- D teretur. Ex quo deuincto sibi Imperatore, cœpit de Arrii restitutione suggerere, & nolentes acquiescere sacerdotes, vt cogeret persuadere. Tunc Eusebiũ Nicomediæ episcopum partibus Arrii fauentem, cæterosque eius socios Imperatori familiarissimos effecit, annitentibus sibi eunuchis Palatinis, quorũ animos diabolica fraude sibi deuinxerat; Athanasium vero catholicæ ecclesiæ defensorem falsis criminationibus insectantes, adeo vt princeps Constantius vellet eum sæpius interimere, nisi pia Dei prouidentia ad restaurationem ecclesiæ suæ eundem protegeret ac reseruaret. Igitur quibus mirabiliter modis sæpius sit ereptus de manibus animam illius quærentium, Ecclesiastica quæ dicitur Tripartita narrat historia. Ipse etiam qui passus, ordinatim in suis refert opusculis, nec non & Rufinus prædicti temporis Ecclesiasticæ historiæ scriptor.

A *De diuersis Synodis, in quibus catholica Niceni concilii decreta Arriani subuertere nisi sunt.*

CAP. III.

ITaque peruersi dogmatis fautores Eusebius Nicomediensis, cum cæteris satellitibus ecclesiæ Dei hostibus nactus tempus opportunum, paulatim callide decreta Nicæni concilii catholica subuertere nitentes apud Antiochiam primum sub occasione dedicationis templi ibidem à patre Augustorum mirabiliter inchoati, & à Constantio consummati, conuenerunt quasi nonaginta Orientalium episcopi. Vbi contra fidem catholicam Nicæni concilii non tám manifeste, sicut in reliquis, sanxerunt Cõciliis. Deinde procedente tempore diuersa celebrantes Concilia, fidem Nicæni concilii de vna Dei patris & filii substantia abolere cu- B pientes, ipso imperatore eis annitente, cuius & præsentia debacchantes, hæc aliquoties agebant. Sed dum post mortem Constantis synodum Mediolani Constantius fieri decreuisset, in qua Orientales atque Occidentales episcopos in vesania Arriana concordes faceret, ad effectum perducere nequiuit. Vnde & apud Arimenum conuenire præcepit Occidentales, apud Tyrum vero Orientales. In quibus synodis Homousiani nequaquam Arrianis communicantes, ea de re cæteris in locis diuersa celebrantes Concilia, turbulentiorem contra catholicos generarunt tempestatem. Constantius vero hortatu perfidorum nunc bláditiis, nunc minis instans, nec sic ad vnanimitatem eos perducere potuit episcopos, sed frustratus est suis conatibus, & maiores hinc inde in ecclesiis emergebãt discordiæ. Insistentibus autem Arrianis ad tantam peruenit dementiam Constantius, vt quosdam in Deo gradus crederet, in sinũ eius, dum in Deo Deos quæ- C rit, tanquam per Seudo Tyrum inducitur. Peruerso igitur zelo potestas armatur illusa, & sub nomine pietatis vis persecutionis agitatur, de noua nominis electione contenditur, vt Arrianorum potius ecclesiæ, quam catholicorum sint.

De persecutione Athanasii, aliorum catholicorumque episcoporum.

CAP. IV.

ERgo efferatus rex instinctu Arrianorum, primum Athanasium persequitur. Qui cum quæreretur ad pœnam, à Maximino Treuirorum episcopo, qui tunc sanctitatis clarus habebatur, honorifice susceptus est. Paulum vero successorem Alexandri Constantinopoleorum episcopum, virum laude dignum, in exilium detrudi iussit, & in locum eius Macedonium crudelem hæreticum subrogauit. Sed dum Hermogenes magister D militiæ regis imperio & Arrianorum factione Paulum deportare conaretur in exilium. Constantinopolim à populo tractus catholico, interemptus est. Paulus autem præfecti Philippi fraude circumuentus, postmodum in exilium est trusus, & ibi ab eodem strangulatus, quia fautor Macedonii atque Arrianorum erat. Hinc iam Liberius Romanæ sedis episcopus exilio damnatur, qui noluit hæreticis communicare, & damnationem Athanasii subscribere. Sed dum Romam Cõstantius veniret, matronarum nobilium Romanorum pro eo satisfactionem suscipiens, ad propriam eum reuocauit sedem. Tamen quibusdam suspectus fuit, quod tædio exilii superatus, subscripserit. Cognouerat etiam quod Felicis illius successoris, clerus & populus vrbis communionem velut hæretici declinarent, eiusque solennitis nequaquam interessent. Ea quoque tempestate Eusebius Vercellensis & Hilarius Pictauiensis

uiensis, cæterique religiosi ac catholici episcopi & presbyteri per diuersa mittuntur exilia. Hinc variis afflictionum modis non suæ partis Arriani omnes persequuntur episcopos: assensu præbente eis principe. Fiunt intestina bella, ecclesiarum deprædationes, diuersæ conditionis, ætatis & sexus hominum multis in locis clades & mortes. Quas persecutiones nefandas sequitur terræmotus horribilis, qui plurimas orientes solo strauit, sed ista in hoc compendioso sufficiant opere.

De præliis Constantis contra Parthos & Francos, ac de morte ipsius, vbi tunc Franci habitauerint.

CAP. V.

NVnc autem ad cœptam historiæ reuertamur seriem. Igitur Constans aduersus Persas & Saporem qui Mesopotamiam vastauerat, ix. prælus parum prospere decertauit, nouissime seditione atque intemperantia militum noctu adoriri pugnam coactus, patratam pene victoriam insuper victus amisit. Igitur vario euentu aduersum Francos à Constante pugnatur. Demum Franci à Constante perdomiti, & pax cum eis facta est. Porro beatus Hieronymus in vita Hilarionis facit memoriam de Francit, vbi tunc habitarent. Dicit n. Namque Candidatus Constantii imperatoris Rutilius coma & candore corporis indicans prouinciam inter Saxones & Alamannos: gens eius non tam lata quam valida, apud historicos Germania nunc Francia dicitur. Igitur post cū se intolerandis vitiis dedisset Constans, ac pene prouincialium fauorem militum compararet, Magnentii dolis in oppido, cui Helena nomen est, proximo Hispaniæ, interfectus est.

De tyrannide Magnentii atque Nepotiani, & de eorum interfectoribus.

CAP. VI.

MAgnentius enim apud Augustudunum arripuit imperium, quod continuo per Galliam, Aphricam, Italiamque porrexit. In Illirico autem Verranionem ætate grandæuum, imperatorem sibi milites creauerunt: vitum natura simplicem, cunctisque iucundum, sed qui ne prima quidem vnquam literarum elementa didicisset. Itaque cum primas literas, literarumque syllabas imperator senex interdum inuitus meditaretur, à Constantino, qui tunc in Magnentium vltione fratris accensus bellum parabat, deponere iussus imperium, abiiciens cum literis purpuras, contentusque priuatis, palatium simul, scholamque dimisit. Nepotianus deinde Romæ Constantini sororis filius gladiatorum manu fretus inuasit imperium, qui deinde cum improbus ac per hoc inuisus cunctis esset, à Magnentianis ducibus oppressus est. Sequitur bellum illud horribile inter Constantium, Magnentiumque apud Mursam vrbem gestum, in quo multa Romanarum virium profligatio, etiam in posterum nocuit. In quo bello pene nunquam amplius Romanæ consumptæ sunt vires, totiusque imperii fortuna pessundata. Magnentius tamen victus aufugit, ac non multo post apud Lugdunum propria se manu interfecit. Decentius quoque frater eiusdem, quem Cæsarem Gallis præfecerat, apud Senonas laqueo vitam finiuit.

Auct. Biblioth. Vet. Patr. Tom. 2.

A *De Gallo Cæsare facto à Constantio, ac maturius interfecto. Et de Iuliani Galli fratris præliis contra Germanos & Francos. Et qualiter inuasit imperium.*

CAP. VII.

COntinuo Constantius Gallum patrui filium Cæsarem legit, quem rursus crudeliter ac tyrannice agentem, paulo postquam crearet, occidit. Syluanum quoque per Gallias rebus nouis inhiantem, mature circumueniendum, opprimendumque curauit. Igiturque Syluano interfecto, Iulianum patruelem suum Galli fratrem Cæsarem creatum, misit ad Gallias. Itaque Iulianus Cæsar euersas, oppressasque ab hostibus Gallias strenuissime in integrum restituit. Iste

B in campis argentariis apud Gallias cum paucis militibus infinitas hostium copias deleuit.

Stabant aceurui montium similes, fluebat cruor fluminum in modum. Captus rex nobilis Nodomarius: fusi omnes optimates eius, redditus limes Romanæ possessioni, ac postmodum cum Alamannis dimicans, potentissimum eorum regem Badomarium cepit. His elatus successibus fastigium vsurpauit Augusti: & mox Italiam, Illyricumque peruadens, Constantium Parthicis præliis occupatum regni parte priuauit. Hinc Constantius vrgere legationibus, vt in statum, nomenque pristinum reuertatur, monuit. Iulianus mandatis mollioribus refert se sub nomine Celsi imperii multo officiosius pariturum. Constantinus Iuliani scelere comperto, dimissa expeditione Parthorum, dum ad ciuile bellum reuertitur, in itinere inter Ciliciam, Cappadociamque defunctus est: Ita ille, qui discissa pace & vnitate fidei catholicæ, Christianos aduersus Christianos

C armans, ciuili (vt ita dicam) bello ecclesiæ membra dilacerauerat, totum inquieti tempus imperii molestissimum spacium vitæ suæ bellis ciuilibus etiam per propinquos & consanguineos excitatis, exercuit, exegit, expendit. Imperauit autem annos vigintiquatuor, menses qninque cum fratribus Constantino atque Constante. Quibus mortuis, Magnentio, cæterisque tyrannis extinctis, gubernacula totius orbis Romani eius ditioni submissa sunt.

Memoria nobilium scriptorum ac mirabilium patratorum, qui eo tempore claruerunt.

CAP. VIII.

QVo imperante claruerunt viri eruditi, quorum scribendo extant monumenta: Antonius monachus, cuius vitam Athanasius episcopus Alexan-

D drinæ ecclesiæ insigni volumine prosecutus est. Misit Aegyptiacè ad diuersa monasteria, apostolico sensu, sermoneque epistolas septem, quæ in Græcam linguam translatæ sunt: quartum præcipua est ad Arsetas. Floruit præcipue Constantino, & filiis eius regnantibus. Qui de Paulo quodam Thebeo, miræ beatitudinis viro ad se venientibus plurima referebat, cuius exitum Hieronymus breui libello explicuit. Basilius Ancyranus episcopus artis medicinæ, scripsit contra Marcellum de virginitate librum, & nonnulla alia: & sub rege Constantio Macedoniæ partis cum Eustasio Sebasteno fuit. Theodorus Heracliæ Thraciarum episcopus fuit, elegantis, apertique sermonis, & magis historicæ intelligentiæ, edidit librum sub Constantio principe, & commentarios in Matthæum,

X

& in Iohannem, & in Apostolum, & in Psalterium.
Triphilus Cypriledensis siue Leocotheon episcopus
eloquentissimus suæ ætatis, & sub rege Constantio
celeberrimus fuit. Leguntur in Canticum Canticorum
commentarii eius, & multa alia composuisse feruntur,
tur, quæ in nostras manus minime peruenerunt. Donatus,
natus, à quo Donatiani per Aphricam sub Constan-
tino & Constantio principibus, asserens à nostris
scripturas in persecutione ethnicis traditas, totam
pene Aphricam, & maxime Numidiam sua persua-
sione decepit. Extant eius multa ad suam hæresim
pertinentia, de Spiritu sancto liber Arriano dogma-
ti congruens. Asterius Arrianæ philosophus fa-
ctionis, scripsit regnante Constantino in epistolam
ad Romanos, & in Euangelia, & in Psalmos com-
mentarios, & multa alia, quæ à suæ partis homi-
nibus studiose leguntur. Lucifer Caralitanus epis-
copus cum Pancratio & Hilario Romanæ ecclesiæ
c'.ricis, à Constantio Imperatore sub Liberio epis-
copo pro fide in exilium pulsus, cum noller sub no
mine Athanasii Nicænam damnare fidem, & in Pa-
lestinam relegatus, miræ constantiæ animi, & præ-
paratus ad martyrium contra Constantium Impe-
ratorem scripsit librum, eique legendum misit, ac
non multo post sub Iuliano principe reuersus est
Caralis, Valentiniano regnante, obiit. Euse-
bius natione Sardus, & ex lectore vrbis Romæ
Vercellensis episcopus, ob confessionem fidei à Con-
stantino principe Scythopolim & inde Cappado-
ciam relegatus, sub Iuliano Imperatore ad eccle-
siam suam reuersus, edidit in Psalmos commenta-
rios Eusebii Cæsariensis, quos de Græco in Latinum
verterat: & mortuus est sub Valentiniano & Va-
lente regnantibus. Fortunatus natione Apher, A-
quileiensis episcopus, imperante Constantio, in E-
uangelio titulis ordinatis breui sermone ac rustico
scripsit commentarios, & in hoc habetur detesta-
bilis, quod Liberium Romanæ vrbis episcopum pro
fide in hoc tempore ad exilium pergentem primus
solicitauit & fregit, & ad subscriptionem eum hære-
seos compulit. Acatius, quem quia luscus erat, A-
uoni, oaron nuncupabant, Cæsariensis in Palesti-
na episcopus, lib. in Ecclesiasticem, x. & VII. vo-
lumina, & multos præterea, diuersosque tractatus
composuit. In tantum autem sub Constantio Impe-
ratore claruit, vt in Liberii locum Romæ Felicem
episcopum constituerit. Serapion Thimeus episco-
pus qui ob elegantiam ingenii cognomen scholasti-
ci meruit, charus Antonio monacho, edidit aduer-
sum Manichæum egregium librum, & de Psalmo-
rum titulis alium, & ad diuersos vtiles epistolas, &
sub Constantio principe inclytus fuit. Qua etiam
tempestate Iacobus Iusibenus episcopus, qui multis
claruit mirabilibus fuit, Inter cætera per eum pa-
trata miracula, dum Nisibin vastata Mesopotamia
à Sapore Persarum rege ciuitas obsideretur, cum
ingentibus copiis diebus LXX. ac deinceps, murus
impetu fluminis, quem exercitus interpositis cata-
ractis artificiose suspenderat, atque inuadere retro
coegerat.

Quibus sublatis, vim non sufferens, corruit mu-
rus: ipsum verbo murum sacris orationibus suis vir
Dei nocte interposita ad integrum restaurauit: Sa-
pora die sequenti dum per alueum fluminis atque mu-
rorum ruinam ciuitatem inuadere se crederet, vi-
dens murum cum repugnaculis restitutum: quem
cum sibi assistentibus non solum restauratio muri
terruit, sed etiam alia viso perturbauit. Vidit enim
stantem supra murum quendam imperiali schemate
resplendere. Arbitratus autem esse Romanorum im-
peratorem, mortem minatus est eis, qui nunciaue-
rant non eum illic esse præsentem. Quibus affir-
mantibus vera se dixisse, & Constantium Antiochię
A commorari, ex vultu quem videbat, agnouit eo-
rum verba esse veracia, & ait: Deum bella gerere pro
Romanis. Attamen talibus signis cognitis, ab obsi-
dione minime recedebat. Igitur prædictus episco-
pus hortatu obsessorum ad murum accedens, vt Per-
sarum castra aspiciendo malediceret: Quibus aliam
non intulit maledictionem, nisi cyniphes & culices
in eas vt immitteret Dominus, vt per parua anima-
lia supernam virtutem potuissent agnoscere. Cuius
orationem tantæ nebulæ subsecutæ cyniphum & cu-
licum, replentes castra Persarum, vt elephantes, &
equi vim non ferentes, earum acies perturbarent, &
castra confunderent, atque in diuersa discurrendo
deserta peterent. Talibus rex potentissimus cum
innumerabili exercitu perterritus, obsidione soluta
recessit confusus. Hic namque Iacobus vnus ex eo-
rum numero fuit confessorum, qui sub Maximiano
persecutore claruerunt, & qui in Nicæna synodo
Arrianum dogma damnauerunt. Scripsit enim XX.
B & VI. libros Syro sermone, id est, aduersus omnes
hæreses, de charitate generali, de ieiunio, de oratio-
ne, de dilectione erga proximum, de resurrectione,
de vita post mortem, de humilitate, de pœnitentia,
de satisfactione, de virginitate, de sensu animæ, de
circuncisione, de actione benedictionis, quod in Isa-
ia legitur, non exterminatus botrus: de Christo
quod filius Dei sit, consubstantialis patri, de castra-
te, contra gentes; de constructione tabernaculi, de
gentium conuersatione, de regno Persarum, de per-
secutione Christianorum: composuit & chronicon
minoris quidem Græcorum curiositatis, sed maioris
fiduciæ: quia diuinarum tantum scripturarum autho-
ritate constructum, comprimit ora eorum, qui præ-
sumptuosa suspitione de aduentu Christi domini
nostri inaniter philosophantur. Moritur hic vir Cō-
stantii temporibus, & iuxta præceptum patris eius
Constantini, in ara muri Nisibin sepelitur, ob custo-
diam videlicet ciuitatis, quod secundum fidem Con-
C stantini euenit. Nam post multos annos ingressus Iu-
lianus Nisibin, & vel gloriæ sepulti inuidens, vel, fi-
dei Constantii, cuius ob id domum persequebatur,
iussit efferri de ciuitate sancti corpus, & post paucos,
menses consulendæ licet Reipublicæ Iouinianus im-
perator, qui Iuliano successerat, tradidit Barbaris ci-
uitatem. Hinc Sapora Persarum rex Christianos per-
sequitur. Constantio igitur imperante, vt ad ordinem
historiæ redeamus, Gallus Cæsar Iudæos, qui inter-
fectis per noctem militibus arma ad rebellandum in-
uaserant, oppressit, cæsis multis hominum millibus,
vsque ad innoxiam ætatem & ciuitates eorum, Dio
Cæsaream, Tyberiadem, & Diospolim, plurimaque
oppida igni tradidit: nonnulli nobilium Antiochiæ à
Gallo interfecti: Tycianus tunc vir eloquens, præ-
fecturam prætorio apud Gallias administrabat, Victo-
rinus Rhetor & Donatus grammaticus præceptores
Hyeronimi Romæ insignes habentur: è quibus Victo-
D rinus etiam statuam in foro Traiani meruit. Quibus
diebus reliquiæ apostoli Timothei Constantinopolim
inuectæ. Constantio vero Romam ingresso, ossa An-
dreæ Apostoli, & Lucæ euangelistæ à Constantino-
politanis miro fauore sunt suscepta. Hilarius itaque
cum apud Constatinopolim librum pro se Constantio
porrexisset, ad Gallias redit, qui reuersus Arimenses
perfidiæ dolos in Gallia damnat,

*Qualiter Iulianus à Christianismo ad idololatriam sit con-
uersus, ac iustas demum luit pœnas.*

CAP. IX.

IVlianus comperta morte Cōstantii, imperii summā
solus obtinuit anno vno & mensibus octo: Chri-
stianam religioné arte potius, quam potestate insecta-
tus. Vt negaretur fides Christi & idolorū cultus susci-

peteretur, honoribus magis prouocare, quam tormentis cogere studuit. Aperto tamen præcepit edicto, ne quis Christianus docêdorum liberalium studiorũ professor esset. Sed tamen sicut à maioribus cõpertum habemus, omnes vbiq; propemodũ præcepti cõditiones amplexati officium quam fidem deserere maluerunt. Multi etiam Christianorum tunc honores ambiendo sponte, corruerunt. Hic namque Iulianus, qui dudum fuerat Christianus, & postea proditor est effectus, dum esset iuuenculus, tonsus monasticam simulabat vitam, & latenter quidem exercebatur in philosophia, in manifesto autem sacros Christianorum legebat libros. Denique in ecclesia Nicomediæ lector est constitutus, & sub hoc habitu furorem declinauit imperatoris. Hæc quidem pro timore faciebat, quia verebatur Constantinum imperatorem, qui fratrem eius Gallum occiderat, & se suspectum apud eum nouerat. Legebat itaque apud paganorum philosophos, quorum instinctu cœpit imperialia sceptra desiderare. Quamobrem discurrens vniuersam Helladem vates quærebat, responsa reddentes, consulens si ad imperium perueniret, inuenitque virum, qui ei desiderata se dicere fatetur. Is eum perducens ad quendam idolorum locum, & intromittens in adytum, seductores dæmones euocauit. Quibus solenniter apparentibus, terrore compellitur Iulianus in fronte sua crucis formare signaculum. Tunc dæmones, trophæi dominici figuram respicientes, & suæ recordati deuictionis, repente disparuerunt. Quod agnoscens magus, cœpit culpare Iulianum. At ille & terrorem significauit, & crucis se dixit obstupuisse virtutem, eo quod videntes hoc signum dæmones, euanuerunt. Porro magus; non hoc suspiceris, inquit, ô bone vir, quia timuerint, sicut ais, sed abominati hoc signum potius abscesserunt. Et ita capiens miserum, odio repleuit Christiani signaculi Iulianum. Post hæc igitur imperator euocauit Iulianum, & constituit Cæsarem, dansque ei coniugem Constantiam sororem suam, contra Barbaros eum destinauit ad Gallias, vt in superioribus diximus. Igitur Iulianus vt solus obtinuit principatum, primum velut arguens perperam gesta Constantii, episcopos iubet de exiliis relaxari, post vero aduersum nostros tota nocendi arte consurgit. Qui cum astutus atque callidus esset deceptor, Iudæos ob Christianorum odium Hierosolymam vndique conuenire iubens, & ex publico eis expensas largiri præcipiens, vt templum reædificarent, & ibi hostias legales immolarent: vt sic saltem Christianismum abolere posset, Sed mira dispensatione maxima pars Iudæorum, qui illuc conuenerant, terræ motu perempta, reliqui vero flammis vltricibus exusti. Qui autem superfuerunt, signum etiam crucis tam in cœlo quam & in vniuscuiusque veste cernentes, quod si nolentes, nequaquam ex eis delere poterant. Itaque inuiti compulsi sunt Christum Dei filium fateri, quibus signis territi discesserunt. Igitur Imperator dudum studens paganitatem in omni sua ditione dilatare, grauiter ferebat: videns Christianos potius approbari: arbitratus est statum ex vita bona & conuersatione Christianitatis consistere: studuit vbique templa paganorum constructione & ordine Christianæ religionis ornare, sedibus atque processionibus, paganorumque dogmatibus atque monitionibus lectores suæ superstitionis instituit ad instar clericorum, vt horas certas & dies & orationes solenniter obseruarent, præcipiens pariter habere curam, viros philosophari scientes, habitaculis peregrinorum & pauperum, aliaque prouidentia circa egenos exhibita paganorum religione componere, & pietatis habere nomen. Si quis autem sponte vel inuitus peccaret, secundum traditionem Christianorum instituit, vt post pœnitentiam mediocrem

sustinerent correctionem. Hæc itaque faciens Impe-
A rator ad destructionem Christianorum, neque suadere subiectis præualuit, & aperte vim inferre palam erubuit. Habens itaque Iulianus plurimum vanæ gloriæ virium, cunctos ante se principes lacerauit in oratione, quam de Cæsaribus scripsit, & ipse post Iulium imperatorem primus in senatu, quæ commentatus fuerat, recitauit. Hac ergo arrogantia motus etiam contra Christianos conscripsit libros. Vt ergo cocos atque tonsores expelleret de palatio, opus philosophi non tamen imperatoris egit: Vt autem detraheret atque laceraret, neque philosophi neque principis fuit. Qui post omnia contra Christianos argumenta diaboli ac suæ calliditatis per Romanum orbem disposita, nimis gloriæ cupidus (illum enim vanitas flagrantior peruicerat) bellum aduersum Parthos parans, cum Romanas vires contractas vndique ad destinatam secum traheret traditionem, Chri-
B stianorum sanguinem diis suis vouit, palam persecuturus ecclesias, si victoriam potuisset adipisci. Nam & amphitheatrum Hierosolymis extrui iussit, in quo reuersus à Parthis, episcopos, monachos omnesque eius loci sanctos, bestiis etiam arte quadam sæuioribus obiiceret, spectaretque laniandos. Itaque postquam à Thesiphonte castra mouit, dolo cuiusdam transfugæ in deserta perductus, cum vi sitis & ardore solis atque insuper labore arenarum confectus periret exercitus, Imperator tanto rerum periculo anxius, dum per vasta deserti incautius euagatus à suorum erraret agminibus, ab obuio quodam hostium equite, conto ilia ictus, interiit. Qui accepto letali vulnere, sanguinem proprium spargens in aera, clamauit: VICISTI GALILAEE, VICISTI. Solitus quippe erat Christianos vocare Galilæos. Sic misericors Deus impia consilia impii morte dissoluit, quia Deum authorem omnium sponte dese-
C ruit, nefariis confisus artibus magicis suæ leuitatis petulantia, quasi omnibus audacior cunctos anteierit, meritas luit pœnas. Non enim decet Imperatorem audacia aliis præferri, sed moderatione & salubribus consiliis. Cuius salus propria cum semper ad securitatem omnium in bello maxime, conseruanda est.

De pædagogo Christiano & Iuliano Saba, qui impii Iuliani Cæsaris apud Persidem prædixerunt perditionem.

CAP. X.

Qua etiam tempestate in Antiochia vir quidam optimus pædagogus adolescentium habitabat, eratque illic famosissimus sophista Libanius impius, expectansque Iuliani victoriam, habens præ oculis eius minas. Interrogauit ergo pædagogum, quasi nostram deridendo religionem: Nunc, inquit, fa-
D bri filius quid putas agit? At ille quod post paululum contigit, impletus gratia diuina prædixit. Respondit enim: O sophista, creator omnium, quem tu fabri filium nominasti, locellum sepulturæ Iuliano componit. Post paucos enim dies mors illius nuntiatur erronei, & in locello positus, est aduectus, minarumque timor euacuatus est. Tunc etenim Iulianus religiosissimus cognomento Saba, cum illius impii minas audisset, continuo ingemiscendo ac flendo clementi domino supplicans subito lachrymarum eius fluuius restitit, fuitque alacritate completus & eius vultus exhilaratus. Hanc animi permutationem eius ministri respicientes, rogauerunt vt eis causam repentini gaudii patefaceret. Tunc ille dixit: Fetus sacræ vineæ deuastator pœnas exactus est vastationis suæ, iacetque mortuus terroribus, minisque frustratus. Hæc agnoscen-

rum Christianos in gente sua crudelissime persequutus plurimos Barbarorum ob fidem interfectos, ad coronam martyrii sublimauit. Quorum tamen plurimi in Romanū solū, non trepidi velut ad hostes, sed certi, quia ad fratres pro Christi confessione, fugerunt. Valentinianus Saxones gentem in Oceani littoribus, & paludibus inuijs sitam, virtute atque agilitate terribilem, periculosam Romanis finibus eruptionem magna mole meditantes, in ipsis Francorum finibus oppressit. Burgundionum quoque nouorum hostium nouum nomen, qui plusquam septuaginta millia (vt ferunt) armatorum ripæ Rheni fluminis insederunt. Hos quondam subacta inferiore Germania à Druso & Tyberio adoptiuis filiis Cæsaris, per castra dispositos, in magnam coaluisse gentem, atque ita etiam nomen ex opere præsumpsisse, quia crebra per militem habitacula constituta, burgos vulgo vocant, eorumque esse præualidam & perniciosam manum, Galli hodieque testes sunt. Cum quibus præsumpta possessione consistunt, quamuis prouidentia Dei Christiani omnes modo facti, catholica fide nostrisque clericis quibus obedirent receptis, blande, mansuete, innocenterque viuunt, non quasi cum subiectis Gallis, sed vere cum fratribus Christianis. Anno autem xi. regni sui Valentianus cum Sarmatæ sese per Pannonias diffudissent, easque vastarent, bellum in eos parans apud Prigitionem oppidum subita effusione sanguinis, quod Græce apoplexis vocatur, suffocatus & mortuus est.

De filiis Valentiniani, qui post eum regnauerunt partibus occiduis, & de Valente Orientis Augusto.

CAP. XIV.

POst quem Gratianus filius eius occidentis imperium tenuit: Valente patruo in orientis partibus constituto Valentinianum etiam fratrem suum paruulum admodum socium creauit imperii, quamuis non essent de vna matre progeniti. Nam Valentinianus senior dudum laudante Seuera vxore sua, cuius filius Gratianus fuerat, pulchritudinem Iustinæ virginis quam suæ familiaritati vnierat & nudam balneis conspiciendo adamauerat. Hinc amore concepto imperatrix Seuera, venustatem corporis puellæ marito indicat. Qui confestim sibi eam sociauit in matrimonium, nec tamen priore abiecta, legesque propter illas sanciuit, vt omnes viri qui voluissent, impune bina matrimonia susciperent. Accepta ergo (vt diximus) Valentinianus Iustina, edidit ex ipsa Valentinianum iuniorem, & filias tres, Iustam, Gratam, & Gallam. Gallam vero postea maior Theodosius Imperator duxit vxorem, ex qua Placidia ei filia noscitur esse progenita. Nam Archadium & Honorium ex Placella priore coniuge habuisse cognoscitur. Imperantibus prædictis principibus Athanasius Alexandriæ doctrina ac religione vera in pace degens, clarus satis habetur, qui sub Constantio ac Iuliano principibus multa pertulerat incommoda pro fide nostra. Feruntur eius aduersum gentes libri II. & contra Valentem & Vrsatium liber I. & de Virginitate liber I. & de persecutionibus Arrianorum plurimi, & de Psalmorum titulis, & in historia Antonii monachi vitam eius continentes epistolæ, & multa alia, quæ enumerare longum est. Hilarius vrbis Pictauiorum Aquitanicæ episcopus, factione Saturnini Arelatensis episcopi de synodo Biterrensi Phrygiam relegatur, duodecim aduersum Arrianos confecit libros, & alium librum de synodis, quem ad Galliarum episcopos scripsit, & in Psalterium commentarios, primum videlicet & secundum, & à quinquagesimo vsque septuagesimum secundum, & à

A centesimo octauo decimo vsque ad extremum In quo opere imitatus est Adamantium, nonnulla etiam de suo sensu addidit. Est eius & ad Constantinum libellus quem ei viuenti Constantinopolim porrexit, & alius in Constantium quem post mortem eius scripsit, & liber aduersum Valentem & Vrsacium historiam Ariminensis, & Seleucensis synodi continens, & ad præfectum Salustium siue contra Dioscorum, & liber hymnorum & mysteriorum alius, & commentarios in Matthæum scripsit, & tractatus in Iob, quos de Græco Adamantii ad sensum transtulit. Est & alius elegans libellus eius contra Auxentium & nonnullæ ad diuersos epistolæ. Aiunt quidam scripsisse eum in Cantica Canticorum insigne volumen, sed à nobis hoc opus ignoratur. Qui ab exilio reuersus velut splendidum lumen Gallias irradiauit, exterasque prouincias suo facto dogmate à peste Arriana liberauit. Mortuus est Pictauis, B Valentiniano & Valente regnantibus. Titius Bostrenus episcopus, sub Iuliano & Iouiniano atque Valentiniano principibus fortiter aduersum Manichæos scripsit libros, & nonnulla alia opuscula Moritur sub Valente.

De Ambrosio & cæteris doctoribus, qui sub principibus prædictis claruerunt.

CAP. XV.

INterea si quidem, defuncto apud Mediolanum Auxentio hæreticorum episcopo vtriusque partis populi diuersis studiis ferebantur, dissensio grauis & periculosa seditio vrbi propriæ maturum parabat exitium, si pars vtraque cum diuersum vellet, nequaquam quod posuerat obtineret. Ambrosius tunc consulares eiusdem prouinciæ fasces C gerebat. Is cum perniciem ciuitatis uideret impendere, pro loco atque officio suo, confestim ecclesiam seditionem populi mitigaturus ingreditur. Cumque inibi multa secundum leges & publicam disciplinam pro quiete & tranquillitate perorasset, pugnantis inter se & dissidentis subito clamor & vox vna consurgit, Ambrosium episcopum postulantium Baptizari, hunc protinus clamatur, erat enim cathecumenus, & sibi episcopum dari, nec aliter vnum populum fore atque vnam fidem, nisi Ambrosius sibi daretur sacerdos. Hoc Imperator Valentinianus agnoscens, repente iussit & baptisari, & tanquam dignum virum ordinari pontificem. Nouerat enim eius certiorem omni pondere voluntatem, & totius regulæ secreta subtiliora, arbitratus etiam diuinum in eo esse decretum, dum in eius electione etiam pars contraria consonaret. Is ergo sacri baptismatis dono potitus, gratiam quoque suscepit episcopatus. Quo facto hunc hymnum optimus imperator Saluatori & Domino obtulisse fertur, his quippe quæ D gerebantur, intererat: Gratias, inquit, ago tibi Domine omnipotens & Saluator noster, quoniam huic viro ego quidem commisi corpora, tu autem animas, & meam electionem ostendisti iustitiæ conuenire. Ista de Ambrosio in hoc loco sufficiant. Qua tempestate de Gallogræcia Photinus, Marcelli discipulus ordinatus Syrmis episcopus Ebionis hæresim instaurare conatus est, & postea à Valentiniano principe pulsus ecclesia est. Plurima scripsit volumina, in quibus vel præcipuus contra gentes, & ad Valentinianum lib. I. Optatus Afer, episcopus Mileuitanus, ex parte catholica scripsit sub Valentiniano & Valente principibus, aduersum Donatianæ partis calumnias lib. VII. in quibus asserit crimen Donatianorum in nos falso retorqueri. Acylius Seuerus Hispanus, de genere illius Seueri ad quem Lactantii duo epistolarum libri scribuntur composuit

A volumen quasi hodœporicum, totius vitæ suæ statum continens, tam prosa quam versibus: quod vocauit Cintaeipoiam siue pettam, & sub Valentiano principe obiit.

De malegestis Augusti Valentis contra Catholicos, & de persecutione eius.

CAP. XVI.

IGitur tempore, quo Valens à fratre Valentiniano ad consortium imperii est ascitus, apostolicis dogmatibus ordinabatur. Cum vero Gothi transissent Histrum, & Thraciam peragrarent collecta militia pugnare cogitabat aduersus eos. Cui placuit, vt non nullus sacra gratia dimicaret, sed sancti baptismatis munitus armis, & hoc quidem bene placuit, & valde sapienter. Quod vero postea gessit magnam animi molliciem & proditionem significat veritatis, ea namque infelix passus est, quæ progenitor Adam. B Coniugis enim est seductus alloquio, & muliebrib. verbis illaqueatus. Illa namque primitus Arrianæ fallaciæ captionibus irretita, etiam istum secum corruere in blasphemiæ foueam persuasit. Cuius seductionis author fuit Eudoxius. Is enim adhuc Constantinopolitanæ gubernacula tenebat ecclesiæ, non regens, sed suam potius mergens nauem. Tunc ergo in ipso baptismatis tempore iureiurando miserrimum obligauit, vt & in impietate dogmatis permaneret, & vndique contraria sapientes expelleret, Sic igitur ille doctrinam apostolicam derelinquens, contrarias partes sumpsit. Quod viuente fratre timore coactus celauerat, post paululum, quæ iurauerat, adimpleuit. Ergo Valens Imperium IIII. annos Valentiniano mortuo tenuit. Qui cum impie ageret, illico velut effrenata libertatis audacia legem dedit: vt monachi, hoc est, Christiani, qui ad vnum fidei opus dimissa secularium rerum, multimoda actione se redigunt, ad militiam cogerentur. Vastas illas tunc Aegypti solitudines arenasque diffusas, quas propter sitim ac sterilitatem periculosissimamque serpentium abundantiam conuersatio humana non nosset, magna abundantium monachorum multitudo compleuerat. Huc tribuni & milites missi, qui sanctos ac venerabiles milites Dei alio nomine persecutionis abstraherent, interfecta ibi agmina multa sanctorum. Quæ autem per diuersas vbique prouincias his similibus iussis diu aduersus ecclesias catholicas & rectæ fidei populos gesta sint: satis in Ecclesiasticis historiis declaratur. Nam & episcopos egit in exilium, & presbyteros ac diaconos & monachos, vsque ad tormenta deduxit, & ignibus tradidit, multaque nefanda & crudelia in ecclesiam Dei molitus est. Ex diuersis enim in orbe Romano sub impio principe, ex aliis suffocationibus innumerabilibus tormentis, quibus vinea domini vastaretur adinuentis. Quæ historiographi quorum intentio fuit, D vt literis hæc ad futuram posteritatem porrigerent, comprehendere ad liquidum præ multitudine diuersarum mortium nequiuerunt. Nos ex multis vnum in hoc compendioso opusculo inserere curauimus.

Qualiter Edisseni mulierem filium trahentem ad martyrium furorem declinauerint Valentis.

CAP. XVII.

DIcendum quoque est, quod in Edissa Mesopotamiæ gestum esse noscitur. In hac vrbe est apostoli Thomæ basilica clara nimis pariter & ornata, in qua propter loci reuerentiam collectæ sæpius celebrantur: quam volens Imperator inspicere, & agnoscens omnes sibi odiosos ibidem conuenire,

A fertur manu percussisse præfectum
thodoxos non expulerit vniuersos
fectus iniuriam passus inuitus indig
ministrare contenderet, non enim
minibus cædes inferre, latenter ma
illa basilica remaneret. Sed nemo te
silium atque terrorem eius, omne
ad locum orationis pariter conflu
præfectus cum multa militum ma
stinaret vt Imperatoris perficeret in
muliercula cum paupertate degens
nu tractum cursu ad illam basilica
fecti interrupit officium. Indignat
mulierem sibi iussit adduci, dix
infelix mulier, quo sic indecen
la: Vbi & alii; inquit, ire fest
Non audisti, quia præfectus illic
uersos quoscunque comperit? E
inquit, ideoque festino vt illic in
B quo hunc paruulum trahis infant
ait: Vt & iste martyrium suscipe
cum audisset vir ille concurrent
mox recurrens ad principem su
essent omnes mortem pro sua fi
irrationabile dicens, breui tempo
Quo dicto ab ira reuocauit Imp
gò modo Edisseni furorem Im
Per idem tempus ecclesia velu
conflagrante, purior auri metall
enim in verbis vniuscuiusque fide
ceribus probatur, quia non ho
esse, sed pœnæ.

De sanctis viris qui tunc floruerun in cæteris locis

CAP. XV

C FLorebat igitur Aegyptus
lum eruditis in Christiana
rum etiam his qui per vasta
tes signa & prodigia apost
& cordis synceritate facieb
periore eremo, aliusque M
Isidorus in Scythiis, Pampu
Beniamin in Nuria, Scyrio
Apoliote, alius Paulus in Fo
Pispiri, qui appellatur mon
quamplures huiusmodi vi
tunc habitasse fideli comper
pleretur Apostoli dictum:
catum, superabundauit & g
omnibus nationibus supers
rum monstris quondam se
idem tempus etiam Meso
dem studiis pollentes apud
D & in cæteris locis, sed neut
padocia fuit, imo aliquid
Basilium germinauit. An
eruditi, ambo collegæ, a
profitendam Rethoricam
sunt conuersi philosophia
runt. Tulit igitur & ipsa
ctorum segetem satis læt
stolicis actibus congrue
opere annotare distuli, d
ri condita relinquerent
conuersationis eorum ex

De præliis in Aphrica per Theodosium, Theodosii principis patrem, gestis, & de prælio in Gallia per Gratianum acto contra Alamannos.

CAP. XIX.

INterea in Aphricæ partibus Firmus se excitatis Maurorum gentibus regem constituens, Aphricam Mauritaniamque vastauit, Cæsaream vrbem nobilissimam Mauritaniam dolo captam, deinde cædibus incendiisque completam, Barbaris in prædam dedit. Igitur Comes Theodosius, Theodosij, qui post Imperio præfuit pater, qui illuc fuerat à Valentiniano missus, effusas Maurorum gentes multis præliis fregit, ipsum Firmum afflictum & oppressum coegit ad mortem. Post cum experientissima prouidentia totam cum Mauritania Aphricam meliorem pristinis reddidisset, tunc Valente Imperatore quando & alij plures nobiles occisi, instimulante & obrepente inuidia, iussus interfici apud Carthaginem, baptizari in remissionem peccatorum præoptauit: ac postquam sacramentum Christi, quod quæsierat, assecutus est, tunc gloriosam seculi vitam etiam de vitæ æternitate securus, percussori iugulum vltro præbuit. Gratianus interea Imperator admodum iuuenis, cum inexistimabilem multitudinem hostium Romanis infusam finibus cerneret, fretus Christi potentia longe impari militum numero sese in hostem dedit: continuo apud Argentatiam oppidum Galliarum, formidolosissimum bellum incredibili felicitate confecit. Nam plusquam xxx. millia Alamannorum minimo Romanorum detrimento in eo prælio interfecta narrantur.

De Gothis, qui Valentem erroneum principem bello vicerunt, ac demum viuum incenderunt.

CAP. XX.

TErtiodecimo autem anno imperij Valentis, hoc est, paruo tempore posteaquam Valens per totum Orientem ecclesiarum lacerationes, sanctorumque cædes egerat, radix illa miseriarum copiosissimos simul frutices germinauit. Siquidem gens Hunorum diu inaccessis seclusa montibus, repentina rabie percita exarsit in Gothos, eosque passim conturbatos ab antiquis sedibus expulit. Gothi transito Danubio fugientes à Valente, sine vlla fœderis pactione suscepti, ne arma quidem, quo tutius Barbaris crederetur, tradidere Romanis. Deinde propter intolerabilem auaritiam Maximi ducis fame & iniuriis adacti, in arma surgentes victo Valentis exercitu per Thraciam sese miscentes, simul omnia cædibus, incendiis, rapinisque fuderunt. Valens egressus de Antiochia cum vltima infelicis belli sorte traheretur, sera præfecti Maximi pœnitentia stimulatus, episcopos cæterosque sanctos reuocari de exiliis imperauit. Itaque XV. imperij sui anno lacrymabile illud bellum in Thracia cum Gothis, iam tunc excitatione virium, rerumque abundantia instructissimis, gessit: vbi primo statim impetu Gothorum, perturbatæ Romanorum equitum turmæ, nuda peditum vndique deseruere præsidia. Mox legiones peditum vndique equitatu hostium cinctæ, ac primum nubibus sagittarum obrutæ, deinde cum amentes metu sparsim per deuia cogerentur, funditus cæsæ gladiis insequentium contisque perierunt. Ipse Imperator cum sagitta saucius, versusque in fugam, ægre in cuiusdam villulæ casam deportatus lateret: ab insequentibus hostibus deprehensus, subiectus igni consumptus est. Et quo magis testimonium punitionis eius & diuinæ indignationis terribili posteris esset exemplo, etiam communi caruit sepultura. Anno vitæ quinquagesimo tali sorte extinctus est. Qui cum fratre regnauit annis XIII. post fratrem vero III. Gothi itaque antea per legatos supplices poposcerunt, vt illis episcopi, à quibus regulam Christianæ fidei discerent, mitterentur. Valens Imperator exitiabili prauitate dogmatis misit. Gothi primæ fidei rudimentum, quod accepere, tenuerunt. Itaque iusto indicio Dei, ipsi eum viuum incenderunt, qui propter eum etiam mortui vitio erroris arsuri sunt.

De Didymo & aliis doctoribus illius temporis.

CAP. XXI.

QVa tempestate Didymus Alexandrinus, captus parua ætate oculis, & ob id elementorum quoque ignarus, tantum miraculum suis omnibus præbuit, vt Dialecticam quoque & Geometriam quæ vel maxime visu indigent, vsque ad perfectum didicerit. Hic plurima nobiliaque scripsit, commentarios in psalmos omnes, commentarios in euangelium Matthæi, & in Iohannis, & de dogmatibus, & contra Arrianos duos libros, & de spiritu sancto lib. vnũ, quem Hieronymus in latinum vertit, & in Isaiam x. & viii. commentarios, & in Osee commentariorum libros tres, & in Zachariam prophetam libros quinque, & commentarios in Iob, & infinita alia, quæ digererẽ proprij iudicij est. Effrem Edissenæ ecclesiæ diaconus multa Syro sermone composuit opuscula, & ad tantam venit claritatem, vt post lectionem scripturarum diuinarum, publicè in ecclesiis quibusdam eius scripta recitarentur. Edidit de spiritu sancto græcum volumen, quod quidam de Syriaca lingua verterat ex quo acumen sublimis ingenij eius etiam in translatione manifestatur. Discessit sub Valente principe. Igitur sub Valente principe tanta est orta tempestas Constantinopoli, vt miræ magnitudinis decidentes in modum lapidum, grandines multos hominum interfecerint. Fitque euidens indignatio domini omnibus propter exilia & persecutiones seruorum Dei, ab Imperatore & Arrianis exactas. Quibus diebus Melania nobilissima mulierum Romanorum, & Marcellini quondam consulis filia, vnico prætore tunc Vrbano filio derelicto Hierosolymam nauigauit: vbi tanto virtutum, præcipueque humilitatis, miraculo fuit, vt Teclæ nomen acceperit.

De Gratiano, qui de exiliis reuocauit episcopos, & Theodosium constituit Imperatorem Orientis.

CAP. XXII.

GRatianus xl. ab Augusto, post mortem Valentis vi. annis Imperium tenuit, quamuis iamdudum antea cum patruo Valente, & cum Valentiniano fratre regnaret: Igitur defuncto Valente, denuo Barbari vsque ad muros Constantinopoleos venientes, eius suburbana vastabant, quapropter ciues quæ inuenissent arma portantes, hostibus vt poterant resistebant. Vxor enim Valentis Imperatoris, nomine Dominica præmia ex ærario publico bene pugnantibus secundũ consuetudinem, militibus ministrabat. Quibus Sarraceni præbuere solatia, quæ eorum regina nomine Mauia, Romanorum fœderata direxerat. Porro Gratianus Valentiniani filius, cum dudum patre defuncto Europæ sceptra tenuisset, defuncto etiam Valente sine sobole, Asiæ quoque Libyæque regna suscepit, moxque pietatem quam mente susceperat: operibus demonstrabat, initiaque sui regni rerũ omnium domino dedicauit. Scripsit itaque legem, præcipiens vt expulsi pastores ad sua ouilia remearent, sacræque

basilicæ eis redderentur, qui communionem Damasi sequebantur. Is enim Damasus Romanæ vrbis episcopus, laude dignus, vir mirabilis pro apostolicis dogmatibus cuncta festinus post Liberium gubernacula suscepit ecclesiæ: Direxit igitur Imperator cum huiusmodi lege etiam Saporem quendam, tunc nominatissimum militiæ principem: & Arrianæ quidem blasphemiæ prædicatores, veluti quasdam pestes, diuinis sepris iussit expelli, optimis vero pastoribus & sacris ouilibus vniuersa restitui. Hoc ergo in vniuersis prouinciis decreuit obseruari. Gratianus itaque cum iuniore Valentiniano regno potitus, ab exilio reuocatis omnibus lege sanxiuit, vt vnaquæque religio licenter sacra celebraret: solos vero ab ecclesiis prohibuit Ennomianos, Fotinianos, & Manichæos. Qui cum afflictum ac pene collapsum reipub. statum videret, eadem prouisione qua quondam asciuerat Nerua Hispanum virum Traianum, per quem respub. reparata est, legit & ipse Theodosium atque Hispanum, virum restituendæ reipublicæ necessarium, quem apud Firminum purpura induit, orientisque & Thraciæ simul præfecit Imperio.

De Theodosii gestis, & qualiter venit ad imperii fasces.

CAP. XXIII.

Itaque Theodosius afflictam rempublicam ira Dei, reparandam credidit misericordia, omnem fiduciam sui ad opem Christi conferens, maximas illas Scythicas gentes, formidatasque cunctis maioribus, Alexandro quoque illi Magno (sicut Pompeius Corneliusque testati sunt) euitatas, nunc autem extincto Romano exercitu Romanis equis armisque instructissimas, hoc est, Alanos, Hunos & Gothos incunctanter aggressus, magnis multisque prælis vicit, vrbem Constantinopolim victor intrauit, & ne paruam ipsam Romani exercitus manum assidue bellando deteretet, fœdus cum Hathanarico Gothorum rege percussit. Hathanaricus autem continuo, vt Constantinopolim venit, diem obijt. Vniuersæ Gothorum gentes rege defuncto, aspicientes virtutem benignitatemque Theodosij, Romano sese imperio dediderunt. In iisdem etiam temporibus Persæ qui Iuliano interfecto aliisque temporibus sæpe victi, nunc etiam Valente in fugam acto, recentissimæ victoriæ satietatem cruda insultatione ructabant, vltra Constantinopolim ad Theodosium misere legatos, pacemque supplices poposcerunt, ictumque tunc fœdus est, quo vniuersus Oriens tranquillissime fruebatur. Igitur qualiter Theodosius ad fasces imperii peruenerit, paucis expediam dictis. Porro Gratianus Thraciam Barbaros vastare cognoscens, Italia relicta Phœniciam venit. Ea tempestate Theodosius tam propter parentum nobilitatem, quam pro fortitudine propria, nominatissimus habebatur, & ob hanc causam inuidia iudicum fatigatus in Hispania morabatur, vbi ortus fuerat & nutritus. Cumque Imperator quid faceret hæsitaret, quippe cum Barbari elati victoria inexpugnabiles esse viderentur, ducatu Theodosij pugnam credidit terminari. Repente siquidem eum ab Hispaniis euocans, & magistrum militum esse denuncians, cum expeditione ad Barbaros destinauit. At ille fide munitus, confidenter ad Thracias est profectus. Quo dum venisset, vidissetque Barbaros, exercitum ordinauit ad pugnam. Congressione vero facta impetum Barbari non ferentes, suas acies reliquerunt. Et illi quidem fugiebant, hi vero fortiter sequebantur, immensa cædes tunc facta est Barbarorum. Plurimis igitur interemptis, paucisque latenter transeuntibus Histrum, mox dux optimus exercitu disperso per vicinas vrbes, ipse velociter remeauit ad principem, ita vt ipse

A triumphorum suorum nuncius extitis
nec ipsi Imperatori dum miraretur,
videbatur. Inuidi siquidem etiam
bant. At ille derogantes sibi petijt
rent hostium multitudinem peremp
bis Imperator flexus, direxit qui res
eique renuntiarent. Conspexit enim
sanctus Meletius Antiochenæ ciuita
myde eum vestiret imperiali, & coro
Hæc cum nocte vidisset, cuidam retu
ille clarum esse somnium dixit, & ni
nihil dubium continere. Cumque pa
sissent dies, qui pro victoriæ inspecti
remearunt, peremptaque hostium m
uerunt. Quamobrem lætatus prince
fecit Imperatorem. Interea cum e
fuissent Constantinopolim congreg
perator vt nullus proderet, quis n
Meletius: volebat enim ex memori
B illum sibimet indicari. Cum ergo, o
do pontificum regiam introisset in
omnibus ad magnum cucurrit Mel
quidam filius patris amator post m
terna visione potitus amplectebatu
culabatur eum, oculos, labia, pect
ram, quæ eum in somnio coronauer
illi, quam viderat visionem. Cumq
congrue salutasset, rogauit tanqua
bus præsentibus cogitarent. Cum
Barbaros bello superasset, & illi Ro
bere deprecarentur, causa fœderis
Thessalonicam venit, vbi dum in a
risset, ab Acoleo eius ciuitatis episc
licet à progenitoribus Christianu
Nicæni concilij sequeretur.

De Iustina Imperatrice Arrian
brosium in exilium trahe
C *ipsa exilium pass.*

CAP. XX

Eo siquidem tempore, qu
synodis agebatur, gerente
vnitate fidei & statu ecclesiæ,
prouenerunt. Maximus de
contra Romanorum surrexit i
Gratiano contra Alamannos i
vero puero satis existente Vale
Probus exconsul atque præfec
ro Valentiniani mater, cum essi
marito lædere non præualuit
& filio valde iuuenculo, Me
brosio episcopo erat infesta,
beret in exilium; dumque de
Ambrosius ait: Ego sponte h
D septa contradere videar, aut
Hic si placet, occide, hoc lo
pio voluntate. Cumque pop
Ambrosium resultaret, & tr
valde resisteret, potius indig
Beniuolum quæstorem, iub
ret legem, quæ fidem prola
ret. Cumque hoc ille agere
thodoxus, maioribus cingu
lus autem discingens se, bal
projecit dicens, neque ill
iorem velle se pro impietat
que ille hoc facere omni
sunt alij, qui nequitiæ iussi
hæc nunciatur, quia Grati
fuisset occisus. Andragati
ctica portatus, vt occider

opinionem misit in vulgus, quia vxor Gratiani suo virofestinaret occurrere in Lugduno Galliæ ciuitate fluuium transeunti. Gratianus autem credens coniugem reuera venire, quam nuper acceperat, non præcauit eius insidias, & veluti cæcus in foueam, in manus hostis incurrit. Dum ergo Gratianus venisset quasi ad vxoris vehiculum, ex improuiso exiliens Andragatius Gratianum callidus interemit. Mortuus est ergo anno imperij xv. vitæ xx. & iv. Hoc itaque facto, ad præsens contra Ambrosium ira Iustinæ quieuit. Cumque audisset Maximus quæ contra Ambrosium rursus magniloquum prædicatorem veritatis agerentur, scripsit Valentiniano, vt bellum quod agebatur contra ecclesias solueretur, monens vt paternam non amitteret pietatem, adiecitque etiam minas belli, & nisi quiesceret, verba operibus adimpleret. Quamobrem sumens exercitum venit Mediolanum, vbi tunc ille degebat. Porro Valentinianus agnoscens eius inuasionem fugit in Illyricum, experimento cognoscés quæ mala matris consilio sustineret, Iustina vero iusto Dei iudicio in vita exilium passa est, quod iniuste veiviro Ambrosio inferre nitebatur. Porro Theodosius audiens quæ à Iustina fuerant gesta, & à tyranno scripta, fugienti Valentiniano rescripsit, non esse mirandum, si Imperatori quidem terror, tyranno vero potestas accresceret, dum Imperator pietati rebellis extitisset, tyrannus autem ei auxilia commodaret: & propterea ille quidem fugeret nudus, ille vero armaretur aduersus nudum.

Qualiter Theodosius maximum tyrannum, Gratiani interfectorem interemit.

CAP. XXV.

THeodosius xlj. interfecto per Maximum Gratiano imperium Romani orbis obtinuit, mansitque in eo annis xi. cum iam in Orientis partibus vi. annis Gratiano viuente regnasset. Iraque iustis necessariisq; causis ad bellum ciuile permotus, cum è duobus Augustis fratribus; & vltionem vnius interfecti sanguinis exigeret, & restitutionem miseri alterius exulantis oraret, posuit in Deo spem suam, seseque aduersus Maximum tyrannum sola fide maior, nam longe minor vniuersi apparatus bellici comparatione proripuit. Aquileiæ tunc Maximus victoriæ suæ spectator insederat. Andragatius comes eius summam belli administrabat. Qui cum largissimis militum copiis ipsamque magnarum copiarum fortitudinem præcellenti consilio omnes incredibiliter Alpium ac fluminum aditus communisset, ineffabili iudicio Dei dum nauali expeditione incaustum hostem præuenire & obruere parat, sponte eadem, quæ obstruxerat claustra deseruit: ita Theodosius nemine sciente, vt non dicam regnante, vacuas transmisit Alpes: atque ad Aquileiam improuisus adueniens, hostem illum magnum Maximum trucem, & ab immanissimis quoque Germanorum gentibus tributa ac stipendia solo terrore nominis exigentem, sine dolo & sine controuersia clausit, cepit, occidit. Valentinianus recepto Italiæ potitur imperio. Itaque Andragatius comes cognita Maximi nece præcipitem sese de naui in vndas dedit, & suffocatus est.

Quomodo beato Ambrosio reuelata sunt martyrum corpora Protasii & Geruasii.

CAP. XXVI.

QVa tempestate dum B. Ambrosius insania Iustinæ cæterorumque Arrianorum affligeretur insidiis, domino reuelante ostensa sunt ei sanctorum Geruasij & Prothasij martyrum corpora, quasi ipsa hora ibidem reposita, miro odore fragrantia. Ad caput itaque eorum libellum appositum inuenit, in quo hęc continebantur: Ego seruus Christi Philippus intra domum meam sanctorum corpora, quæ cum filio meo rapui, sepeliui: quorum mater Valeria, pater Vitalis dicti sunt. Quos vno ortu geminos genuerunt, vnum Prothasium, alterum Geruasium vocauerunt. Quorum pater Vitalis militans consularianus fuit. Ipsi autem milites Christi effecti, de quibus perfecte dici potest: Isti sunt triumphatores & amici Dei, qui contemnentes iussa principum, meruerunt præmia æterna, nunc coronantur & accipiunt palmas. Quorum virtutibus venerabilis antistes suffultus sapientia ac vitæ honestate insignibusque exemplis ornatus, Mediolanensem ecclesiam muniuit, & à peste Arriana Italiam liberauit.

Qualiter Theodosius ab Ambrosio correptus, pœnitendo satisfactionem promeruit.

CAP. XXVII.

EOdem quoq; tempore audiuit Ambrosius, quod iussu Theodosij principis in Thessalonica, quæ erat valde populosa, vsque ad vii. millia hominum innocentes pariter cum nocentibus essent interempti, absque discretione, per milites qui propter vltionem iudicum, quos populus ciuitatis lapidauerat & traxerat, fuerant illuc directi. Quam indignationem iniustam grauiter ferens Ambrosius, cum princeps Mediolanum venisset, & solemniter in sacrum voluisset intrare templum, occurrit foras ad ianuas, & ingredientem his sermonibus à sacri liminis incessu prohibuit, multis increpans eum aliis & huiusmodi verbis: Nescis Imperator perpetratæ à te necis quanta sit magnitudo: Quomodo manus extendes, de quibus adhuc sanguis stillat iniustus? Recede hinc tecede, ne secundo peccato priorem nequitiam augere contendas. Accipe vinculum quo nunc ligaris: est enim medicina maxima sanitatis. His sermonibus Imperator obediens, erat enim diuinis eruditionibus enutritus, & aperte sciens quæ sunt propria sacerdotum, quæ regum, gemens & deflens, ad regalia remeauit. Cumque viii. mensium continua transissent tempora, propinquauit natiuitatis saluatoris nostri festiuitas. Imperator autem lamentationibus assiduis in palatio residens, continuas lachrymas incessabiliter expendebat. Igitur humiliter veniente Imperatore ad Ambrosium, deposcendo vt ingredi ecclesiam ei permitteretur, taliter communionem promeruit ab eo, vt legem scriberet atque confirmaret, quæ decreta furorem euacuerant, & vsque xxx. dies sententia necis suspensa maneret, & iudicium rationis expectaret. Hanc ammonitionem Imperator animo libenti suscipiens, & optimam esse confidens, legem conscribi repente præcepit, & propriæ literis manus confirmauit. Quo facto vinculum eius soluit Ambrosius, quæ lex hactenus obseruatur. His & aliis Imperator sacratissimus à venerabili episcopo correptionibus illustratus, cum præ omnibus fatebatur in veritate se agnouisse episcopum. Theodosius n. cum Valentiniano iuuenculo in Imperio restituto Romam senior veniens leges multas correxit, addidit, immutauit, & sub suo nomine conscripsit. Quæ aût in ciuitate pernicio sa adhuc superuacua ex consuetudine antiqua conspexit, auferre sanciuit, & quæ reipublicæ supplemento necessaria addere curauit, his propè gestis pace composita, Valentinianum in Hesperia derelinquens, cum filio Honorio Constantinopolim remeauit.

De bello quod Theodosius gessit contra Arbogasten & Eugenium tyrannos. Et de aliis mirabilibus vx:ru illius.

CAP. XXVIII.

IGitur Valentinianus iunior regno restitutus extincto Maximo eiusque filio Victore, quem Imperatorem Gallis Maximus reliquerat, ipse in Galliam transiit, vbi cum tranquilla repub. in pace ageret, apud Viennam dolo Arbogastis comitis sui corruptis custodibus, vt fertur, strangulatus, atque vt voluntariam sibi consciuisse mortem putaretur, laqueo suspensus est. Mortuo Valentiniano Augusto Arbogastes Eugenium tyrannum mox creare ausus est, legitque hominem cui titulum Imperatoris imponeret, ipse acturus imperium, vir barbarus animo, consilio, manu, audacia, potentiaque nimius: contraxit vndique innumeras inuictasque copias vel Romanorum præsidiis, vel auxiliis Barbarorum, alibi potestate, alibi cognatione subnixus. Arbogastes Theodosio paruit, quantitatis instructum præsidiis. Maximum ipse minimus cepit, & nunc aduersus eundem Theodosium collectis Gallorum Francorumque viribus exundauit, nixus etiam præcipuo cultu deorum magna tamen felicitate succubuit. Igitur Eugenius atq; Arbogastes instructas acies campis expedierant, arta Alpiũ latera atque ineuitabiles transitus præmissis callide insidiis occupauerant, etiam si numero ac viribus impares forent, sola tamen belli dispositione victores. At vero Theodosius in summis Alpibus constitutus expers cibi ac somni, sciens quod destitutus suis, nesciens quod clausus alienis, dominum Christum solus solum qui posset omnia, corpore humi fusus cælo fixus orabat. De hinc postquam insomnem noctem precũ continuatione transegit, & testes propemodum quas in precium præsidij cælestis appenderet lachrymarum lacunas reliquit, fiducialiter arma corripuit solus, sciẽs se esse non solum, signo crucis signum prælio dedit, ac se in bellum etiam si nemo sequeretur, victor futurus immisit. Prima salutis via extitit ambitio, hostilium partium comes, qui cum ignarum Imperatorem circumpositis excepisset insidiis, conuersus ad reuerentiam præsentis Augusti, non solum periculo liberauit verum etiam instruxit auxilio. At vbi ad contigua immiscendæ pugnæ spacia peruentum est, continuo magnus ille & ineffabilis turbo ventorum in ora hostium ruit. Ferebantur per aërem spicula missa in hostes, atque vltra mensuram humani jactus, per magnum inane portata nusquam propemodum cadere, priusquam impingerent, sinebantur. Porro aũt turbo continuus ora pectoraque hostium nunc illisis grauiter scutis euerberabat, nunc impressis pertinaciter obstructa claudebat, nunc auulsis violenter destituta nudabat, nunc oppositis iugiter in terga trudebat. Tela etiam quæ ipsi vehementer intorserant excepta venti impetu supinata ac retrorsum coacta ipsos infeliciter configebant. Prospexit sibi humanæ conscientiæ pauor: nam continuo sese parua suorum manu susa, victori Theodosio hostilis prostrauit exercitus. Eugenius captus atque interfectus est. Arbogastes sua se manu percussit. Ita & hic duorum sanguine bellum ciuile restinctum est, absque illis x. millibus Gothorum, quos præmissos à Theodosio Arbogastes delesse funditus fertur, quos vtique perdidisse, lucrum, & vinci, vincere fuit. Theodosius itaque composita tranquillataque republ. apud Mediolanum constitutus diem obiit: vtramque temp. vtriusque filiis, id est Arcadio & Honorio, relinquens. Corpus eius eodem anno Constantinopolim translatum atque sepultum est. Vixit aũt annis lx. ex quibus xvi. imperauit. Contigit itaque vt Ioh. ei remandauerat de euentu belli ad

A quod proficiscebatur, contra Euge[…] de eius morte in Italia futura. Hac[…] baïda monasticam ducebat vitam, præscientiam habens futurorum, a[…] Eutropium eunuchum sibimet fide[…] si vellet venire, deduceret, aut nolẽ[…] li requireret. At ille Iohan. quid[…] præualuit, sed mandatum retulit ei[…] ceret & perimeret tyrannum, & po[…] lia moreretur. Igitur Theodosius[…] regni perueniret, Placellam habeb[…] diuinis legibus cum sæpius amm[…] men perfecte prius erudiens: non e[…] eleuata est, sed potius diuino amor[…] eii namque magnitudo maius ei[…] ctoris adhibebat. Repente namq[…] ram, claudorum atque debilium h[…] seruis, non aliis ministris viens, agens & ad eorum habitacula ve[…] B quod haberet præbens. Sic etiam[…] nodochia discurrens, suis manib[…] ollas eorum tergens, jus gustans, o[…] nem frangens, cibosque ministra[…] & alia cuncta faciens, quæ seruis[…] solemniter operari. His autem q[…] bus nitebantur prohibere, dice[…] buere, opus imperij est. Ego aut[…] hoc opus offero, bona mihi omn[…] viro suo sæpe dicebat. Oportet te[…] tare, quid dudum fuisti, quid mo[…] cogitaueris, ingratus benefactori[…] rium quod suscepisti, legaliter g[…] rerum placabis authorem.

De doctoribus, & mirabilium […] Theodosio claruer[…]

CAP. XX[…]

C IGitur Theodosio imperant[…] claruerunt viri diuinis, ho[…] libuit, Damasus Romanæ vrbi[…] versibus componendis ingen[…] & breuia opuscula heroïco m[…] ctogenarius sub Theodosio[…] Apollinaris Laodicenus Syri[…] bo, magis grammaticis in ad[…] & postea in sacras scriptura[…] volumina, sub Theodosio I[…] eius aduersum Porphyrium[…] eius opera vel maxime prob[…] nei jugis Barcillonæ episco[…] tam vita quam sermone cla[…] de quibus est certus & c[…] Theodosio principe iam in[…] est. Cyrillus Hierosolymæ[…] ecclesia & receptus, ad e[…] D principe vii. annis inconc[…] Extant eius quæ in adolesc[…] Cuzoius apud Ephesum r[…] zianzeno episcopo adoles[…] & eiusdem vrbis postea[…] corruptam iam bibliothec[…] im membranis instaurare[…] Theodosio principe eccle[…] varii multiplicesque tract[…] Gregor. Nazianzenus ep[…] ad xxx. millia versuum o[…] quibus illa sunt de mort[…] chabæorum, laudes Cyp[…] des Maximini philosophi[…] falso nomine quidam H[…] alius l. vituperationem e[…]

quasi non licuerit eundem & laudare & vituperare pro tempore. Et lib. hexametro versu virginitatis & nuptiarum contra se differentium: aduersum Eunomium lib. II. de spiritu sancto lib. I. contra Iulianum Imperatorem lib. I. Docendo secutus est Polemonion Carectera, viuoque se episcopus in loco suo ordinatus, rure vitam monachi exercuit, decessit sub Theodosio principe. Lucius post Athanasium Arianæ partis episcopus, vsque ad Theodosium principem à quo & pulsus est, Alexandriæ ecclesiam tenuit. Extant eius solemnes de Pascha epistolæ & tractatuum & pauci variarum libelli. Ea siquidem tempestate plurimi inter episcopos effulgebant, non solum in philosophica doctrina, qui scribendo monumenta ad nostram porrexerunt posteritatem, sed & quidam inter eos insignibus virtutibus claruerunt. Quorum ex multis trium tantum, qui minus apud nos habentur non laudabiliter facta inserere curaui. Donatus equidem Euriæ Heperi, per quem prouinciales eius miracula multa testantur facta: maximum tamen est, quod de dracone gessit. Is enim circa pontem in via publica iacens, cibum habebat oues, capras, equos, boues, & homines abripiens deuorabat. Ad quam bestiam Donatus, sine gladio, sine quolibet iaculo veniens, dum illa leuasset caput quasi voratura virum; tunc ille vexillum crucis ante faciem digito designans in aëre in os eius expuit. Bestia vero sputum mox in ore suo suscipiens expirauit, quam, sicut fertur, VIII. paria boum in vicinum campum traxerunt, & misso igni combusta est, ne aërem fœtore corrumperet. Huius itaque Donati sepultura insignis est, vbi oratorium ex eius nomine vocitatur, habens fontem aquarum, quem ipse fertur orationibus inuenisse. Nam dum esset locus inaquosus, & illuc ex itinere aliquando venisset, aiunt quia fatigaris, qui cum eo erant, orasset, & mox aquæ inundatio prorupisset, & ex illo hactenus permanet. Eo tempore Thomitanam & Scythiæ ecclesiam Thothimus gubernabat, vir in philosophia nutritus, cuius virtutem diligentes Barbari, trans Histrum habitantes Deum Romanorum hunc esse prædicabant. Nam cum aliquo tempore iter ageret, illius terræ Barbari occurrerunt ei. Et dum qui erant circa eum terrore turbarentur, quasi continuo morituri, ex equo descendens, orauit. Porro Barbari neque eum, neque sequaces eius, nec equos de quibus descenderant, videntes permanserunt. Dum igitur crebro transeuntes Scythas naturaliter feroces epulis muneribusque mansue faceret, quidam Barbarus arbitratus eum esse locupletem, cœpit insidiari, vt eum caperet, alligaret & attraheret. Cum hoc iam præparasset, & dexteram ad hoc haberet extensam, vt eum iactu laquearet: manus in aëre mox ligata, & barbarus ille inuisibilibus vinculis est obstrictus. Tunc alijs pro eo rogantibus supplicauit Deo Tothimus vt Barbarus solueretur, qui mox precibus eius solutus est. Eo quoque tempore fuit Epiphanius Cypriorum episcopus: ad cuius sepulchrum hactenus dæmones expelluntur. Is enim dum substantiam propriam necessitatem sustinentibus erogasset. & multis quoque offerentibus ei pecunias manu largissima dispensaret, contingit vt pecuniis deficientibus œconomus ecclesiæ murmuraret. Quo facto assistens quidam in domo, qua manebat œconomus, sacculum multarum pecuniarum dedit, *& ita disparuit*, vt nec quæ dedit, nec quæ misit, agnosceretur. Quod factum omnes diuinum esse iudicauerunt. Aliud quoque eius libet referre miraculum: Quidam pauperes studentes Epiphanium arte deludere, vt eis aliquid daret. Dum iter ageret vnus eorum, supinum se prostrauit in terram, alter stabat quasi mortuum deflens, nec habens vnde eum sepelire potuisset. Epiphanius autem superueniens orauit, vt sub quiete dormiret, & sepulturæ necessaria præbuit, simulque consolatus est flentem, dicens: Quiesce à lachrymis fili, non enim fletu resuscitari poterit, est enim ineuitabile quod euenit. Cumque discessisset Epiphanium cœpit ille pulsare socium vt exurgeret. Et cum hoc semel & secundo fecisset, dicens: Surge, hodie tuis laboribus epulemur, & ille penitus non sentiret: cognoscens vere mortuum, excurrit ad Epiphanium flens & petens, vt eius socium suscitaret. At ille consolatus est, ne ferret graniter quod euenerat, non tamen defunctum denuo suscitauit. Hoc enim credo proinde gestum, vt non Dei ministri facile deludantur. Quibus diebus in Romana Damasus præsidebat ecclesia, in Alexandria Theophilus, Hierosolymis Iohannes Flauianus, depulsis Arianorum Episcopis, Antiochenam tenebat sedem, Constantinopolitanam Nectarius.

De subuersione templorum atque destructione idolorum.

CAP. XXX.

IGitur Theodosius decreuerat, vt idolorum templa subuerterentur, dij lignei ignibus traderentur, metallini vero conflarentur. Sed dum hæc in diuersis agerentur locis, in Alexandria maxime vbi idolorum inoleuerat superstitio, iuuabant Theophilum episcopum præfectus Alexandriæ, & dux ordinis militaris, ad exequendam Imperatoris iussionem. Idola siquidem deorum conflantur ad faciendas ollas, & Alexandrinæ ecclesiæ diuersas vtilitates, cui ab Imperatore donati fuerant dij ad expensas egentium. Cum igitur Theophilus omnes corruisset Deos, vnum tantummodo reliquit Symiæ simulachrum, iubens eum publice proponi atque seruari: ne sequenti tempore pagani negarent tales adorasse Deos. Iamque templum Serapis, quod in maximo habebatur honore apud Alexandrinos, euerterant non sine ingenti labore, ipsumque Serapin Deum in frusta concidentes igni tradiderunt, verendaque eius, aliorumque deorum risu plena per plateas deportari iusserunt. Quibus portentis ignominiosissimis pagani confusi, alij quidem ad cædes Christianorum orta seditione ruebant, ira etiam commoti pro aliorum destructione templorum, & quod nefanda deregantur eorum mysteria, dum Mettiæ facta, vbi homicidia perpetrabant, inter cæteros ritus spurcissimos publice manifesta fierent; alij quidem ex paganis errores pristinos abdicantes, ad veram Christianorum religionem se contulerunt. Igitur præcedenti libro, vbi sub principe Constantino paganorum clausa sunt templa, finem imposuimus. Huic autem terminus sit in destructione deorum falsorum & in subuersione templorum.

Tomi II. Libri IV. Finis.

FRECVLPHI
EPISC. LEXOVIENSIS,
CHRONICORVM
TOMI SECVNDI,
LIBER V.

De prouectione Arcadii & Honorii post obitum patris ad Imperium, & persecutione Iohannis episcopi Constantinop. qui iniuste damnatus in exilio moritur.

CAP. I.

DEfuncto, vt præmisimus, Theodosio Augusto maiore, Arcadius & Honorius filij eius vtrumque imperium diuisis rantum sedibus tenere cœperũt. Qui xlij. post Octauianũ loco, communiter rempub. administrauerunt: Arcadius quidem orienti præfuit, Honorius vero admodum puer partibus occiduis. Igitur milites, qui circa tyrannum Eugenium profecti fuerant cum principe, post eius obitum, paruo tempore interiecto, reuersi Constantinopolim sunt. Dum vero Imperator Arcadius secundum consuetudinem ad portas occurrisset exercitui remeanti, tunc milites Rufinum præfectum Imperatoris peremerunt. Erat enim suspectus quasi tyrannidem posset assumere. Dicebatur autem, quia Hunos ipse in Romanorum prouincias euocasset, qui tunc Armeniam & partes Orientis valde vastabant, & Imperatori insidias tenderet. Caput eius abscisum cum dextera manu per Constantinopolim ad ludibrium circumductum, vxoreque illius in exilium ablegata, opes cunctas Eutropius spado prometuit. Pauco tempore transeunte, etiam Nectarius Constantinopolitanus episcopus defunctus est. Quãobrem communi consultu placuit imperatori, vt Iohannes presbyter de Antiochia, vir mirabilis vitę conuersationis, & in disciplinis, philosophicis præcipue eruditus, fieret episcopus Constantinopolitanæ sedis. Quod Theophilo Alexandrino episcopo nequaquam placuit: quoniam eandem sedem suo presbytero valde dilecto, contradere nitebatur, Sed præualuit plurimorum sententia. Iohannes quidem factus episcopus, dum nulli parceret euenit illi, quod in antiquo continetur prouerbio: Veritas odium & obsequium amicos parat. Offendit enim clerum sibi commissum, pro diuersis occasionibus, atque imperatricem, & maxime Theophilum cũ suis sequacib. à quorum derogationibus sæpius pulsatus fuerat. In tantum enim inimicorum præualuerunt apud Arcadium principem insidiæ, maxime vxoris, vt pelleretur Iohannes in exilium. Populus autem eum propter sanctitatis reuerentiam, & eius prædicationem, frequenter diligebat. Cuius intercessione, hortatu etiam Imperatricis, reuocatus est ab exilio, ne seditio oriretur in plebe. Qui reuersus nec sic quieuit intolerabiliorem (si dici fas est) se præbuit æmulis suis. Quamobrem iterum per coniugem excitatus Imperator concilia celebrari iubet contra Iohannem episcopum, quamuis & prius in diuersis locis machinationes Theophili contra eundem fierent. Denique iterum pulsus in exilium, vsque ad fines Romani imperij perducitur. Exulans itaque moritur, quem magna pars populi Constantinopoli-

tani secuta, & si non incessu ped
A seorsum collectas fecerunt, & æn
nicare noluerunt, neque successori
multæ seditiones inter alterutros f
plurimi diuersa perpessi sunt mal
centius Romanus antistes, audi
moleste ferens, volensque genera
lium, scripsit Iohanni & clero C
non oportere Iohanni successorem
rum alij parere pontifici. Aiunt en
in exilium duceretur, per visione
qua moriturus esset. Huius igin
abominati sunt præcipue Europa
rum se namque suspendere comm
senserunt in damnationem eius p
eorum pares effecti sunt. Orient
quidem in iustitiam declinaueru
ecclesiæ diuidere noluerunt. Ve
omnium doctore terrarum, non
B episcopi Ægypriorum & Orienta
atque Thracensium sunt ample
quam illius sacratissimi viri nome
res poneretur episcopos, & Acati
eum ordinatus est, nullo habueru
Eo tempore etiam grando vehem
lim & circa eius suburbana desce
que Dei iracundia gestũ, eo quod
nes fuerat condemnatus. Quibu
mors Augustæ, continuo subseci
die post grandinem est defuncta

De tyrannis per Dei potentiam ext
Scythiæ sub Arc

CAP. I

GAinas quidem genere Ge
Irus, studio tyrannico veh
C pore cum esset magister milit
multos etiam Romanorum su
terrorem plurimis etiam ips
tyrannidis inferebat. Eratqu
ler fasces imperij arripere, ir
extinguere, manu valida suor
ctu incenderent. Barbari ve
latium præsidia cernentes in
litum, infecto negotio reuer
minime credens illorum asse
à regia vrbe dispersum sciret
cte. Adeuntibus autem quos
derunt & ipsi vndique agi
Qua visione territi recesseru
perto totam vrbem igni, fe
Hellesponto piratico ritu v
uali prælio dato, multi Go
quoque bello euadens, n
Post cuius oppressionem H
D currentes, ingens dispen
runt. Contra quos Narba
tinuo rependit incommo
lius dux Scythiæ transiuit
exercitu vehementer Th
regiam ciuitatem obsider
Supernis quem iaculis a
mina percutiens, & ipsu
snauit exercitum. Tale a
latore etiam Parthico pr
Romanos vacare cogno
nio constituras debellare
derent, vastatis finibus
perator namque de pace
ad alia bella direxerat.
cissimo & grandine dep

dere non permisit, eorumque ligauit cursum, ita vt xx. diebus totidem ambulare stadia non valerent. Duces venientes & congregantes exercitum primo bello obsidentes vrbem, imperatoris vocabulo nominatam, reprobi sunt inuenti. Cum enim plusquam xxx. dieb. Gorotanus rex prædictam obsideret ciuitatē, & multa machinamenta construeret, turres contra muros ciuitatis excelsas ædificaret, solus Eunomius sacratissimus eius ciuitatis episcopus restitit, & impetum moliminis eorum machinasq; destruxit. Et licet duces nostri hostilibus bellando cessissent, & obsessi ciues resistere non auderent, iste solus orando sine vastatione reddidit ciuitatem. Non multo post tempore, quam Iohannes defunctus est, moritur & Arcadius imperator vir mitis & quietus, sed in hoc culpabilem se exhibuit, quod derogationes non euitauit, quę odiis excitabantur contra ministros Christi. Is ergo cū patre quidem Theodosio XIII. regnauit annis, post mortem vero patris XIV. vixit annis XXX. & I.

De doctoribus, qui sub Arcadio & Honorio scribendo claruerunt.

CAP. III.

IGitur antequam de cladibus miseriarum, quæ exigentibus peccatis in partib. Hesperiarum, seu Galliarum, atque Hispaniarum, necnon & Aphricæ, ea tēpestate contigerunt, dicamus: de illustribus viris, qui adhuc in ecclesiis veluti sydera micantia radiabant, imperantibus Arcadio atque eius fratre Honorio, memoriam facere censuimus; Gregorius Beticus Hiberi episcopus, vsque ad extremam senectutem diuersos mediocri sermone tractatus composuit, & de fide elegantem librum. Tæbadius Agenni Galliarum episcopus edidit contra Arrianos librum. Dicuntur eius & alia esse opuscula. Epiphanius Cypri Salaminæ episcopus, scripsit aduersum omnes hæreses libros, & multa alia opuscula, quæ ab eruditis, propter res, à simplicioribus propter verba quoque ignota lectitantur. Diodorus Tharsensis episcopus, dum Antiochiæ esset presbyter, magis claruit. Extant eius in Apostolum commentarij, & multa alia de Eusebij magis Emisseni charactere pertinentia, cuius cum sensum secutus sit, eloquentiam imitari non potuit, propter ignorantiam secularium literarum. Eunomius Arrianæ partis Cicizenus episcopus, in apertam hæreseos suæ prorūpens blasphemiam, vt quod alii tegunt iste publice fateretur, multa contra ecclesiam scribere ausus. Responderunt, Apollinaris, Didymus, Basilius Cæsariensis, Gregorius Nazianzenus & Emissenus. Priscillianus Abilæ episcopus, qui factione Hidati, & Hitacij Treuiris à Maximo tyranno cæsus est, edidit multa opuscula, qui à nonnullis Gnosticæ, id est, Basilidis vel Marci (de quibus Irenæus scripsit) hæreseos accusatur, defendētibus aliis non ita eum sensisse, vt arguitur. Latroianus Hispaniæ prouinciæ vir valde eruditus & in metrico opere veteribus comparandus, cæsus est & ipse Treuiris, cum Priscilliano, Felicissimo, Iuliano, Eucrocia, eiusdem factionis authoribus. Extant eius ingenij opera diuersis metris edita. Tyberianus Beticus scripsit pro suspicione, qua cum Priscilliano accusabatur hæreseos, Apologeticum tumenti, compositoque sermone. *Sed* post suorum cædem tædio victus, exilij, *mutauit prop*ositum, & iuxta sanctam scripturam, ca*nis reuersus ad* vomitum suum, filiam deuotam Chri*sto virginem* matrimonio copulauit. Ambrosius Mediolanensis ecclesiæ episcopus, de quo supra mentionem fecimus, qui multa nobiliter edidit opuscula, quæ quidem propter notitiam assidue legentium reor non esse recapitulare necessarium, eo tempore defunctus *est. Ambrosius* Alexandrinus auditor Didymi scripsit aduersus Apollinarem volumen multorum versuum

A de dogmatibus, & commentarios in Iob. Sophronius vir apprime eruditus, laudes Bethlehem adhuc puer, & de subuersione Serapis insignem librum composuit. De virginitate quoque ad Eustochium, & vita Hilationis monachi, opuscula Hieronymi in Græcum sermonem elegantissime transtulit. Hieronymus natus patre Eusebio, oppido Stridonis hæc scripsit, vitam Pauli monachi, epistolarum ad diuersos lib. I. ad Heliodorum exhortatoriam & altercationem Luciferiani & Orthodoxi, x. ponicon omnimodæ historiæ in Hieremiam, in Ezechiel Homilias Adamantij XXVIII. quas de Græco in Latinum vertit. De Seraphin & Osanna, de frugi & luxurioso filio, de tribus quæstionibus legis veteris, Homilias in Cantica Canticorum II. Aduersus Heluidium vnam epistolam de Mariæ virginitate perpetua. Ad Eustochium de virginitate seruanda, ad Marcellum epistolarum lib. vnum, consolatoriam de morte filiæ ad Paulam. In epistolam Pauli apostoli ad Galatas commentariorum lib. B 3. Item Pauli ad Ephesios in epistolam lib. 3. In epistolam Pauli ad Titum lib. 1. & in epistolam Pauli ad Philemonem, lib. 1. in Ecclesiasten commentarios. Quæstionum Hebraïcarum in Genesim, lib. 1. De spiritu sancto Didymi, quem in Latinum transtulit lib. 1. In Lucam Homilias XXXVI. In Psalmos à decimo vsque ad XVI. tractatus VII. In captiuum monachum. Vitam beati Hilationis, nouum testamentum Græcæ fidei reddidit. Vetus iuxta Hebraïcum transtulit, epistolarum autem ad Paulam & Eustochium, scripsit in Micheam explanationum lib. 2. In Naum lib. 1. Abacuc lib. 2. In Sophoniam lib. 1. in Aggæum lib. 1. Isaiam vtilitet explanando grādia volumina edidit. Hieremiam etiam exposuit. Danielem quoque explanauit, commentarium etiam in Matthæum, & alia quam plura opuscula fecit. Quibus diebus beatissimus confessorum Martinus Turonensium episcopus, multis ac præclaris mirabilibus patratis vinculis solutus carnis, migrauit ad dominum. Qui nobilitate generis pollēs, C sub Constantio ac Iuliano militauerat. Demum apud Vuangionum Galliarum vrbem deseruit cingulum militiæ sub principe Iuliano & se ad Christi contulit deuotissimam seruitutem: Cuius vitam & mirabiliorum eius actus, Sulpitius Seuerus suo nobilitauit eloquio.

De tyrannide Gildis apud Aphricam.

CAP. IV.

IGitur Arcadius moriens Theodosio filio admodū paruo Orientis imperij summam tradidit. Nunc autem ad partes Hesperiarum vertamus stilum. Cuius Honorius, decedente patre Theodosio, imperium susceperat admodum puer: Interea Gildo comes, qui initio regni eius Aphricæ præerat, simul vt defunctum Theodosium competit, siue (vt quidam ferunt) qua-D dam præmotus inuidia Aphricam Orientalis imperij partibus iungere molitus est, siue (vt alia tradit opinio) minimam in paruulis spem fore arbitratus præsertim cum absque his non facile antea quisquam pusillus in imperio relictus, ad maturitatem virilis ætatis euaserit, istique propemodum soli inueniātur, quos ob regiam patris ac suam fidem & diuersos & destitutos Christi tutela prouexit, Aphricam exemptam à societate Reipubl. sibi vsurpare ausus est Gildo gentili magis licentia contentus, quam ambitu regiæ affectationis inflatus. Huic Mascezel frater fuit, qui nouarum rerum molitiones in fratre perhorrescēs, relictis apud Aphricam militiam duob. filiis adolescentibus in Italiam rediit. Gildo absentiam fratris & præsentiam filiorū eius suspectā habens, adolescētis dolo circūuentos, interfecit. Ad hūc iam vt hostē bello insequēdū Mascezel frater missus est, quē idoneū

procurandæ Reip. fore propriæ orbitatis recens dolor pollicebatur. Igitur Mascezel iam inde à Theodosio sciens quantum in rebus desperatissimis oratio hominis per fidem Christi à Clementia Dei impetraret: Caprasiam insulam adiit. Vnde secum sanctos seruos Dei alios, alios quos permotos precibus suis sumpsit, cum his orationibus, ieiuniis, psalmis, dies, noctesque continuans, sine bello victoriam meruit, ac sine cæde vindictam. Ardalio fluminis nomẽ est, quod fluit inter Teuestem & ad Mercidem ciuitates. Vbi cũ parua manu, hoc est, cum V. millibus (vt aiunt) militum contra lxx. millia hostium castra metatus, cum injecta mora excedere loco, oppositasque præjacentis vallis angustias transgredi vellet, incurrente nocte beatum episcopum Ambrosium Mediolani paulo ante defunctum per somnium sibi videre visus est, significantem manu, & impacto ad humum ter baculo dicentem: hic, hic, hic. quod ille prudenti conjectura intelligẽs, merito annuntiantis fidem victoriæ, verbo locum, numero diem, significati substitit, ac tertio demum die, post noctem orationibus, hymnisque peruigilem ab ipsis cœlestium sacramentorum mysteriis in hostem circumfusum processit. Et cum ad eos, qui primi occurrerant, pia pacis verba jactaret, signiferũ quendam insolenter obsistentem, & iam iamque pugnam excitantem gladio percussit in brachium, cumque manu debilem ipso vulnere coëgit pronum inclinare vexillum. quo viso reliquæ cohortes deditionem iam fieri priorum existimantes, certatim sese ad Mascezelem signis tradidere conuersis Barbaris, quot um magnam multitudinem Gildo ad bellum eduxerat, defectu militum destituti in diuersa fugerunt. Gildo & ipse fugam molitus, arrepta naui in altum prouectus est. Deinde reuocatus in Aphricam, post aliquot dies strangulatus interiit.

De Alarico Gothorum rege, qui Romam vastauit & alio rege Gothorum, qui cum magno exercitu intrans Italiam, cum omnibus copiis periit.

CAP. V.

EA tempestate Ragadaisus, omnium antiquorum, præsentiumque hostium longe immanissimus, repentino impetu totam inuadit Italiam. Nam fuisse in populo eius plus quam CC. M. Gothorum ferunt. Hic supra hanc incredibilem multitudinem, indoctãque virtutem paganus & Scytha erat. Qui (vt mos est Barbaris huiusmodi gentibus) omnem Romani generis sanguinem diis suis propinare deuouerant. Duo Gothorum populi cum duobus potentissimis regibus suis, per Romanas prouincias bacchabantur. Quorũ vnus Christianus, propiorque Romano, & vt res docuit, timore Dei mitis in cæde. Is erat Alaricus, qui cũ Gothis sub Theodosio militauerat. Quo moriente eius filij imperatores facti, donatiua paterna subtraxerunt, à Gothis, sponte Reipublicę subiectis. Qua necessitate cõpulsi contra Romanos conspirauere, quamuis Christiani doluerunt se ab imperatore spretos, regem Alaricum creant. Relicta Pannonia, penetrant Italiam. Honorius quidem Rauennate vrbe regia residebat imperator. Cuius voluntate & jussu properabant ad Gallias absque læsione Italiæ, sed Stiliconis facto sæuientes, non solum Italiam diripiunt, sed & Romam inuadunt. Alius vero paganus Barbarus & vere Scytha Ragadaisus, qui non tantum gloriam aut prædam quantum inexaturabili crudelitate ipsam cædem amaret, & hic iam sinu receptus Italiæ Romam è proximo trementem terrore quassabat. Assunt vidin & Sarus Hunorum & Gothorum duces præsidio Romanorum. Itaque pietate Dei conterritum diuinitus Ragadaisum timor in Fesulanos montes coëgit,

CC. M. hominum in aspero mo
A Agmina, quibus dudum angusta
rendi spe in vnum ac per vnum v
esurientes illi tam immanes hostes
tesque interfecti sunt. Igitur rex R
fugæ sumens, clam suos deseruit,
cidit. A quibus captus & paulisp
de interfectus est. Tanta vero mul
Gothorum fuisse perhibetur, vt
dum more, singulis aureis passim
venderentur. Interea comes Stili
periarum negotia Honorius con
Theodosius moriens hoc fieri decr
biæ elatus, paruipendens quod sub
rabat, Eucherium filium suum ir
deliberans. Quamobrem Alaricum
pro pace optima & quibuscunque
ac simpliciter orantem, occulto fœ
blice bellum denuntians, vt negata
B terrendam Rempub. excitaretur.
thos, sed & Alanos & Sueuos, Vva
Burgundiones in arma solicitans,
luit, sperans miser sub hac necessi
contradere, & Barbaras gentes ta
posse, quam commouerat. Itaque
norio, exercituique Romano hoc
schema patefactum est, commoto
occisus est Stilico. Qui vt vnum
induceret, totius generis humani
Occisus & Eucherius. Adest Alari
mam obsidet, turbat, irrumpit vrbe
cepto, vt si qui ad sancta loca, præci
rum apostolorum Petri & Pauli bas
hos imprimis inuiolatos, securosqu
deinde quantum possent prædæ in
temperarent. Accidit quoque que
ptio indignatione Dei acta, quum
C probaretur, vt B. Innocentius Ro
pus, tanquam iustus Loth subtract
culta Dei prouidentia apud Raue
positus, peccatoris populi non vide
currentibus per vrbem Barbaris, s
potens & Christianus, sacram Dei
prouectam, in quadam ecclesiastica
que ab ea aurum, argentumq; hon
fideli constantia esse apud se plurim
rendum spopondit, ac protulit.
opibus attonitum Barbarum mag
& pulchritudine, ignota etiam vas
telligeret, virgo Christi ad Barbar
apostoli sacra mysteria sunt, præsum
tu videris. Ego quia defendere n
audeo. Barbarus vero ad reuere
more Dei & fide virginis motus, a
nuntium retulit. Qui continuo re
basilicam vniuersa, vt erant, vasa ir
D etiam, simulque omnes, qui se ad
nos, illo cum defensio ne deduci.
sedibus longo (vt fertur) & me
aberat. Itaque magno spectacul
per singulos singula, & super capit
atque argentea vasa portantur,
defensionem gladiis, piam pompa
nos Deo Romanis Barbarisque c
ce canitur. Igitur in ea irruption
sij principis filia, Arcadij & Hono
ror ab Ataulfo Alarici propinquo
rem assumpta, quasi eam diuino i
pignus obsidẽ Roma tradiderit, i
Barbari regis coniugio, multo Re
Alaricus autẽ mira Dei dispensati
vastauit, populumque qui in mu
Roman. magis terrore quã cæde

ab vrbe discessit. Quo mortuo, Ataulfus qui Gothorum rex mox fuerat creatus, & Placidiam sororem Imperatorum duxerat vxorem, cum consilio Honorij Italiam reliquit, & citato gressu ad Gallias tendit, quas diuersæ occuparant gentes Barbaræ.

De diuersis gentibus, quæ se infuderunt per Gallias.

CAP. VI.

INterea ante biennium Romanæ irruptionis excitatæ per Stiliconem, gentes Halanorum (vt dixi) Sueborum, Vvandalorum, multæque cum his aliæ Rhenum transeunt. Gallias inuadunt, directoque impetu Pireneum vsque perueniunt, cuius obice ad tempus repulsæ, per circumjacentes prouincias refunduntur. His per Gallias bacchantibus, apud Britannias Gratianus municeps eiusdem insulæ tyrannus creatur, & occiditur. Huius loco Constantinus ex infima militia propter solam spem nominis, sine merito virtutis, eligitur. Qui continuo vt inuasit imperium, in Gallias transiit, ibi sæpe à Barbaris incertis fœderibus illusus, detrimento magis Reipub. fuit. Misit in Hispaniam iudices, quorum occasione Barbari Pirenei custodia prodita, claustrisque patefactis, cunctas gentes quæ per Gallias vagabantur, Hispaniarum prouinciis immittunt, iisdemque ipsi adiunguntur. Vbi actis aliquandiu magnis cruentisque discursibus, post graues rerum atque hominum vastationes habita sorte & distributa possessione resederunt.

De tyrannis sub Honorio emergentibus subito & extinctis. De Constantio & eius fideli consule, quem demum creauit consulem.

CAP. VII.

ITaque Honorius Imperator videns tot oppositis tyrannis nihil aduersus Barbaros agi posse, ipsos prius tyrannos deleri iubet, Constantio comiti huius belli summam committens. Constantius autem comes in Galliam cum exercitu profectus, Constantinum Imperatorem apud Arelatem ciuitatem, clausit, cepit, occidit, filiumque eius Constantem Gerontius apud Viennam interfecit, & in locum eius Maximum quendam substituit, ipse vero Gerontius à suis militibus occisus. Maximus vero exutus purpura, destitutusque à militibus Gallicanis, aufugit. Iouinus postea vir Galliarum nobilissimus in tyrannidem mox vt assurrexit, cecidit. Sebastianus frater eiusdem hoc solum elegit, vt tyrannus moreretur. Nam continuo vt creatus, occisus est. Attalus vero inter tyrannos mori delegit. Qui cum Aphricæ consulatum assecutus esset, inde elatus supercilio, Sabinum domesticum suum virum ingenio callidum industriaque solertem & sapientem, si animi vires tranquillis studiis accommodauisset, generum allegit, quem pro quorundam periculorum suspicione interfecit, atque aliquandiu Aphrica ab eo annona extra ordinem detenta; ipse tandem cum immensa certe temporibus nostris satis incredibili classe nauium Romam contendit. Nam habuisse tunc tria millia DCC. naues dicitur. Quem numerum ne apud Xerxem quidem, præclarum illum Persarum regem, & Alexand. Magnum, vel alium quenquam regum fuisse, historiæ ferunt. Is simul cum agmine militum ad vrbem pergẽs littore egressus est, occursu comitis Marini territus, & in fugam versus, arrepta naui solus Carthaginem rediit, atque ibi continuo militari manu interfectus est. Hunc omnem catalogum (vt dixi) vel manifestorum tyrannorum, vel inobedientium ducum, optima Honorius Imperator, religione, & felicitate scire meruit, & magna quidem Constantius comes industria, & celeritate confecit, merito sane, quia in his diebus

A præcipiente Honorio, & adiuuante Constantio, pax & vnitas per vniuersam Aphricam ecclesiæ Cathol. reddita est. Constantius itaque comes apud Arelaten vrbem Galliæ consistens, magna rerum industria Gothos à Narbona expulit, atque abire in Hispan. coëgit. Gothorum tunc populis Ataulfus rex præerat, qui post irruptionem vrbis ac mortem Alarici Placidia (vt dixi) captiua sorore imperatoris in vxorem assumpta, Alarico successerat. Is, vt sæpe auditum atque vltimo exitu eius probatum est, satis studiose sectator pacis, militare fideliter Honorio Imperat. ac pro defendenda Rom. Rep. impedire vires Gothorum præoptauit. Qui apud Barcillonem Hispaniæ vrbem dolo suorum occisus est. Post hunc Segericus rex Gothis creatus, nihilominus à suis interfectus est. Deinde Valia successit in regnum, qui pacem optimam cum Honorio Imperatore, datis lectissimis obsidionibus pepigit. Placidiam imperatoris sororem honorifice apud se honesteque habitam, fratri reddidit. Quam B Honorius Constantio, qui eam reuocauerat, matrimonio jungens, Imperatorem apud Rauennam creauit.

De Iohannis tyrannide, & eius matura morte.

CAP. VIII.

IGitur Honorius, qui cum fratre Arcadio, XIII. imperauit annis, ac deinceps cum Theodosio iuniore Arcadij fratris filio XVI. humanis rebus excessit. Quo defuncto, Iohannes tyrannus Hesperiarum inuasit imperium. Contra quem Ardaburius à Theodosio imperatore Patritius dirigitur, qui sæpe contra Parthos dimicando pugnauerat, ac feliciter vicerat. Sed cum nauigando Aquileiam tenderet cum exercitu, ventus mox contrarius surgens, perturbata classi appulit eum ad hostes. Qui comprehensus à tyranno magnam æstuationem intulit Imperatori. Qui solito more se ad domini contulit misericordiam, cum pre- C cibus & lachrymis pro liberatione patriæ & ducis fidelissimi instabat. Quid tunc Imperatoris oratio præualuit, dicendum reor: Angelus enim Dei sub schemate pastoris eduxit Asparem Ardaburij filium, & omnes qui cum eo erant, ac per paludem adjacentem Rauennæ ad loca sperata peruenerunt. Vnde nullus aliquando transisse fertur. Tunc ergo Deus inadibilem terram fecit adibilem. Transeuntes namque per siccum paludis aquas non offenderunt, apertasque inuenientes ciuitatis Rauennæ portas tyrannum quoque detinuerunt. In ea namque ciuitate tyrannus degens, habebat exercitum. Tunc ergo piissimus Imperator reuerentiam, quam circa diuinitatem habebat, ostendit. Dum enim circumspectaret, nuntiatum est ei tyrannum fuisse peremptum. Quamobrem fecit sermonem in populo dicens: Venite, si placet, relinquentes hanc voluptatem, & pergentes ad ecclesiam gratificos Deo soluamus hymnos, cuius manus tyranni D præsumptionibus obuiauit. Quo dicto spectaculo cessante, per medium circum cuncti cum eo concorditer gratias agentes, ad ecclesiam conuenerunt, ita vt tota ciuitas vna videretur ecclesia, venientes ad locum orationis jugi die gratias domino retulerunt. Igitur occiso tyranno cogitabat Theodosius Imperator, cui deberet Hesperiarum regna committere, tunc Valentinianus erat valde puer, natus ex matre Placidia eius quidem amita, filia vero maioris Theodosij, Arcadij & Honorij sorore de patre Constantio, qui ab Honorio Imperij iura susceperat, paruoque tempore cum eo regnauerat. Hunc ergo Valentinianum consobrinum suum Cæsarem factum mittit ad partes Italiæ cum quo matrem Placidiam, eique vniuersam dispositionem commisit imperij.

De gestis memoria dignis in partibus Orientis sub Imperatore Theodosio. Item de Attico episcopo.

CAP. IX.

IGitur Valentiniano apud Rauennam coronam imperij assumente, & partibus occiduis regnante cum matre, quæ sub Theodosij imperio in sceptris orientalibus euenerunt, & memoria habentur digna, aliqua summatim prælibando carpamus. Qua tempestate Atticus Constantinopolis erat episcopus, vir mirabilis in doctrina, religione, & largitate præcipuus. Cuius inter cætera dum quidam Iudæus jaceret paralyticus, medicorum omnium medelis atque Iudæorum superstitiosis purgationib. adhibitis nihil sibi prodesse sensisset, demum cæteris desperatis, ad Christi se contulit sanitatem. Hoc velociter episcopo Attico nuntiatur, quem cathecumenū factum, & spem Christi promittens, deportare cum lecto præcepit ad baptismum. Verum Iudæus paralyticus, vera fide suscipiens, cū de fonte fuisset leuatus, ægritudine repente priuatus est, & de cætero sanus fuit. Hanc igitur curā virtus Christi etiam eo tempore demonstrauit. Qua causa plurimi Paganorum credentes baptizati sunt. Atticus autem largus sic erat, vt non solum pauperib. suarum parochiarum, sed etiam in vicinis ciuitatibus multas pecunias pro egentium consolatione transmitteret. Calliopio namque presbytero ecclesiæ Nicænæ ccc. aureos direxit, hæc mandans. Hos ccc. solidos expende sicut volueris, & maxime illis qui petere confunduntur, & non eis qui propter ventrem magis negotiantur. Ex talibus vnam tantum rem obserua, vt nutrias indigentes. Is namque eidem Callipio mortem suam longe ante prædixit, quo dicto non est mentitus. Qui etiam quendam Iudæum baptizauerat, qui tamen Iudæus turpis lucri gratia, per diuersas hæreses sæpius baptizabatur, & hac arte pecunias congregabat. Postremo ad ecclesiam iterum venit orthodoxorum. Cui post ieiuniorum tempus præparatur baptisma, vestis congrua. Cumque foris fuisset impletus, deducitur Iudæus ad baptizandum. Tunc quædam Dei virtus inuisibilis aquam disparere præcepit. Cumque præsentes non cogitantes Dei virtutem, aquam per cuniculum proprium defluxisse suspicarentur, diligenter vndique clausum rursum impleuerunt fontem, & denuo deducto Iudæo, aqua disparuit. Tunc sacerdos, quid mali, inquit, fecisti ô homo? An certe nesciens baptismate iam potitus es? Ob hanc rem cum diuersi concurrerent, quidam Iudæum recognouit, quem baptizatum ab Attico episcopo ipse susceperat, & hoc modo illius fraus vniuersis apparuit.

De Marutha & Attico episcopis, & de prœliis contra Parthos pro Christianis susceptis.

CAP. X.

EO tempore Maruthas Mesopotamenus episcopus insignis habebatur, quem Theodosius Imperator legationis gratia ad Persarum regem direxit. Qui veniens in Persidem ad Sigerdem regem nimio dolore capitis ex longo tempore vexatum inuenit, qui nullis magorum incantationibus, aut sacerdotum suorū purgationibus, vel etiam medicorum studijs, curari potuit. Quem venerabilis episcopus sola oratione sanauit, & à filio eius molestissimum dæmonium fugauit. Quam ob rem apud Persas Christianitas est dilatata, & magorum illius fraudes detectæ. Quibus etiā diebus Iudæi habitātes in Creta, sollicitati sunt à quodam, qui se Mosen legislatorem à cœlo ad eos denuo missum testabatur, monens vt omnes suas relinquerent possessiones atque pecunias, quoniam illo duce per siccum mare, ad repromissionis gaudia per-

A uenirent. At illi hac spe capti, omi
sua. Cumque venisset dies quam
ctor ille, deduxit eos ad quanda
incumbentem, iussitque vt thaun
metipsos euoluerent. Hoc ergo fa
cum venirent ad rupes, repente m
lacerati acutis rupibus, quam in aq
men mori poterant, nisi Deo prou
Christiani superuenissent piscatore
res, qui alios cum necarentur, eripi
Qui autem euaserant cum voluissi
seductorem, repente disparuit, qu
picati sunt fuisse. Pro hac itaque
Cretensium Iudæorum ad Christi
fidem. Igitur Theodosius pacta I
Christianis ab Attico susceptis epis
orbe Romano, qui dum persequer
rum inde fugissent, sed dum repet
religioso principe minime sunt re
B ducebat, vt fideles ad se confugien
deret ad pœnas. Magis enim bella
per Ardaburium militiæ magistru
sta. Is enim Persicam regionem per
grediens, vnam eius prouinciam Az
stauit. Cui cum plurimo exercitu
thorum regis occurrit, factaque
ctus est. Sic & aliis prœliis domino
exercitus piissimi principis superio
uenti sunt, hoc illis prædicentibus
rent & orarent, & Deo crederent,
ctoria sequeretur, dicentes se me
ctos à Deo. Tandem in confinio I
gressione facta fortissimus Persaru
eis immortalis dicebatur, à Roma
rex Persarum infortunij sui causas a
nem Romanorum suscipiens, pace
fuit. Et hoc modo bellum propte
tum, de Parthorum regione cessau
C

De Theodosii vita optima

CAP. XI.

ITaque erat Imperatori filia ex E
docia. Hanc Valentinianus con
periarum partium ab eo factus Im
rem Cumque Theodosius annui
muniens Hesperias, Constantino
ptias. Quibus celebratis vxore su
Theodosius igitur Imperator pro
latis à Deo gratias referebat, pluri
sto sua vota compensans, conjug
xiam ad Hierosolymam destinaui
votum habuerat, si filiam videret
Hierosolymis ecclesias constitutas
ciuitates positas honorauit, cum p
D nuo remearet Theodosius. Itaqu
que nutritus nihil habuit tepidum
vt inter fabulantes experimentu
causarum. Perdurabat in frigore
plerumque ieiunabat, & maxime
Christianitatis, nec aliter quam
videbantur. Ipse namque matut
pergens, diuinas dicebat laude
etiam sacras literas sine codice
tibus episcopis velut olim sacerd
lectione respondebat, congrega
ces, & quoscunque liber corun
positores. Patientia atque clemen
nibus eminebat, operibus iram, tr
deuincens, & in nullo se vlcisci de
à quodam familiarium interrog
lædentem morti subiiceret: Vtin

possibile ad vitam etiam mortuos reuocare. Sic enim fuit clemens, vt si quando quispiam dignum aliquid morte committeret, nec vsque ad ciuitatis portas moriturus perueniebat, sed ex eius clementia continuo reuocatio sequebatur.

De reliquiis beati Stephani per Orosium ad occidentem porrectis.

CAP. XII.

Igitur Theodosio regnante cum patruo suo Honorio, vel consobrino deinceps Valentiniano Constantij filio: vt omissa repetamus breuiter quæ gesta sunt, Lucianus presbyter, cui reuelauit Deus locum sepulchri & reliquiarum beati protomartyris Stephani, scripsit ipsam reuelationem Græco sermone ad omnium ecclesiarum personam. Quam reuelationem Auitus presbyter Hispanus genere, in Latinum vertit eloquium, & adiecta epistola sua per Orosium presbyterum occidentalibus porrexit. Qui etiam Orosius, ad loca sancta perueniens, quo eum Augustinus ad Hieronymum pro ratione discenda animæ miserat, reliquias beati Stephani accepit, & partiam reuersus primus contulit occidenti. Miracula vero, quæ dominus per venerandas reliquias beati Stephani gessit, eisdem diebus in Aphrica, eximius doctor Augustinus plurima & valde miranda, quæ pro certo nouerat facta, in libris de Ciuitate Dei conscripsit. Cuius ingenij tot extant volumina sano sensu & irreprehensibili ratione edita; vt quidam doctorum de eo ita dixerit: Mentitur, qui de totum legisse fatetur. Illo etiam iubente Orosius discipulus eius prædictus, libros VII. aduersus gentes nobiliter & vtiliter composuit.

De diuersis apud Aphricam & Britanniam, gestis, & obitu Augusti, & hinc Theodosii principis.

CAP. XIII.

Qua etiam tempestate Aphricana prouincia, per Bonifacium comitem Vvandalis tradita, & à Romano iure subtracta est. Qui Bonifacius dum in offensam Valentiniani venisset, malo publico se defendere voluit, inuitatoque ab Hispaniis Gitzerico Vvandalorum rege, qui interfecerat Ermengarium regem Sueuorum, iniuriam sanctæ Eulaliæ in eodem ac si nolens vlciscitur. Consederant enim Vvandali in Betica Hispaniæ regione, annis 54. Hinc transeunt in Aphricam cum omni familia, Alanis secum iunctis & Gothis, omnia ferro, flamma, rapinis simul & Arrianaim pietate fœdauerunt, Tunc beatus Augustinus Hipponensis Episcopus & omnium doctor ecclesiarum, ne ciuitatis suæ ruinam videret, III. obsidionis, eius mense migrauit ad dominum, V. Cal. Sept. cum vixisse t annis lxxvj. Quo tempore Vvandali capta Carthagine, Siciliam quoque deleuerunt. His in diebus Agetius dux vtriusque militiæ Patritius appellatur. Qui Burgundiones contra Romanos rebellantes perdomuit: cæsa XX. millia Burgundionum, Gothorum vero auxilia eis præbentium IX. millia. Qua tempestate Britoni Scothorum Pictorumque infestationem non ferentes, Romam mittunt, & sui subiectione promissa contra hostem auxilia flagitant. Quibus statim missa legio magnam Barbarorum multitudinem sternit, cæteros Britanniæ finib. pellit. Hæc legio domum reuersura præcepit sociis ad arcendos hostes, murum trans Insulam inter 2. maria statuere, qui absque arti fice & magistro magis cespite quam lapide factus, nil operantibus profuit. Nam mox vt discessere Romani, aduectus nauibus prior hostis, quasi maturam segetem, obuia quæque subijcit, cædit, calcat, deuorat. Iterum petituri auxilia Romam aduolant. quæ

A impetrata cæsum hostem trans maria fugant, coniunctisque sibi Britannis murum non terra vt ante puluerem, sed saxo solidum inter ciuitates, quæ ibidem ob metum hostium fuerant factæ, à muris vsque ad mare collocant. Sed & in littore meridiano maris, quia & inde hostis timebatur, turres per interualla ad prospectum maris statuunt. Sic valedicunt socijs tanquam vltra non reuersuri. Tunc equidem ad Scotos in Christum credentes ordinatus à Papa Cælestino Palladeus I. episcopus mittitur. Igitur recedente à Britannia Romano exercitu, hoc cognoscentes Scoti & Picti reuertuntur, & totam ab aquilone Insulam pro indigenis murotenus capessunt. Nec mora cæsis, captis, fugatis, custodibus muri, & ipso interrupto etiam intra illum crudelis prædo grassatur. Mittitur epistola lachrymis ærumnisque referta ad Romanæ potestatis virum Ætium ter consulem, XXIII. Theodosij principis anno petens auxilium, nec impetrat. Interea fames dira ac famosissima profugos infestat. Qua coacti, quidam B hostibus dedere manus: alij de montibus speluncis ac saltib. strenue repugnabãt, ac strages hostibus dabant. Reuertuntur Scoti domum, post non multum tempus reuersuri. Picti extremam insulæ partem, dum primum & deinceps inhabitaturi detinent. Famem præfatam magna frugum opulentia, opulentiam luxuria, & negligentia, negligentiam lues acerrima & acrior mox hostium nouorum. i. Anglorum plaga secura est. Ergo his ita gestis partibus Orientis & Occiduis, Theodosius moritur Constantinopoli post Honorij obitum anno XXVI. regni, ætatis suæ xlviij. post quem Martianus à militibus & ab exercitu Augustus appellatus, sublimatur in regnum.

De præliis Hunnorum regis contra Romanos, & alias gentes.

CAP. XIV.

C Interea Hunnorum rex Attila victos secum Gepidas cum Ardarico Gothosque cum Valamir, diuersasq; alias nationes suis cum regibus omnem Illyricũ, Thraciamque, & vtramq; Daciam, Misiam, Scythiam populatus est. Contra quem Argenisdus magister militum Misiæ egressus, ad Marcionopolim fortiter dimicauit, qui equo sub se decidente præuentus est: & nec sic quiescens bellare, occisus est. Igitur Attila multis triumphis diuersarum gentium atque plurimorum regum, quos subiecerat suæ ditioni, obsequiis elatus, subiectione etiam Ostrogotorum tumidus Gallias inuadere, Vesegothasque opprimere præparabat. Misit itaque ad Valentinianum Imperatorem legatos, simulans pacem, dicendo quod ob iniuriam Romanorum vlciscendam properaret ad occidentem, vt deletis Vesegothis aliisque nationibus partes Galliarum atq; Hispaniam, quas illi tenebant, Reip. redintegraret. Regem vero Vesegotharum solicitare nisus est, vt pariter D cum eo Romanum inuaderet imperium & æqua possiderent sorte. Sed dolus non latuit Imperatorem. Qui celeriter per Ætium qui Galliis tunc præerat Patritium, Theodoricum Gothorum regem partib. suis fauere fecit. Hinc iam truculentissimus rex Attila Galliarum ciuitates atque oppida longe lateque subuersa, ad euertendam Aurelianorum vrbem festinus properabat. Tunc per beatissimum Anianum Aurelianorum episcopum tam Ætius Romanorum Patritius, quã & Gothorũ rex Theodoricus cũ filio suo Thorismodo fœderari obuiã ire Hunis festinabãt, congregatis vndique bellatoribus aduersus regem ferocem. Hi enim affuerunt eorũ auxiliatores, Franci, Sarmatæ, Armoriciani, Burgundiones, Saxones, Riparioli briones quondã milites Romani. Nõnulli etiã Celtici, & Germani. Attila vero dñi multas nationes multosq; reges quos ditioni suæ subdiderat secũ haberet Ostrogorhatũ

exercitus præminebar. Fit prima congressio, vt ferunt, circa Ligerim, sed protractum est bellum & in campis Catalaunicis, qui Mauriaci vocantur, atrox bellum & pertinax conseritur, cui simile in paucis antiquorum inuenitur gestis. Rex enim Attila circa horam diei nonam heri certamen censuit, vt si euictores sui longius prosequendo intercidente nocte ad castra remearet, sin auté victi, noctis præsidio adjuti, vires resumerent. Quo bello famosissimo, clxv. millia ab vtrisque partib. cæsa referuntur exceptis xv. millibus Francorum & Gepidarum, qui mutuis vulneribus conciderunt. Itaque Theodoricus Gothorum rex ibi occubuit. Attila rex victus in castra, quæ de plaustris præparauerat, se recepit. Ætius aũt Thorismodum Theodorici regis interfecti filium solicitans, ne fratres illius patris occisi inuaderent regnum, mox ad Tolosam ire coëgit, quæ sedes erat Vesegotharum regni. Attila vero per legatos monuit simulans amicitias, vt cito ad sua repedaret regna, antequam noui hostes circumfusi maiora sibi inferrent detrimenta. Ipse autem Ætius vtrosque reipublicæ deputans hostes, sic negotio infecto discessit. Attila autem nacta occasione discessu Vesegotharum iam securus Gallias relinquens, ad oppressionem Romanorum mouit procinctum. Primaque adgressione, Aquiliensem diu obsidebat ciuitatem, quam captam ita penitus deleuit, vt vestigia eius ruinæ vix appareant. Inde audacior factus, Mediolanum occupat metropolim, pariter & Ticinum regias vrbes, & quali sorte deiicit vicinaq; loca sæuiens demolitur. Cumq; Romam intentus esset opprimere, Leo Papa per se accedens ad eũ, mitiorem reddidit. Qui deposito furore, vltra Danubium promissa pace discessit.

De Ætii nece, & depradatione Romæ per Vuandalos.

CAP. XV.

AEtius autem patritius, magna occidentalis Reip. salus, ab hostibus liberata Gallia reuertitur in Italiam. Denique factione Heraclij spadonis à Valentiniano principe occiditur, cum quo Hesperiarum cecidit regnum. Valentinianus autem à satellitibus Ætij, quos sibi delegerat milites, dolo Maximi perfossus interijt, imperatorem quoque eiusdem Maximus inuasit. Qui cum Reip. profuturus per omnia crederetur, non sero documento, quid animo habebat probauit. Siquidem interfectores Valentiniani in amicitiam recepit, vxoremque eius Augustam amissionem viri lugere prohibuit, & intra paucissimos dies in conjugiũ suum transire coëgit, sed hac incontinentia non diu potitus est. Nam post alterum mensem nuntiato ex Aphrica Gaizerici regis aduentu, multisque nobilibus ac popularibus ex vrbe fugientibus, cum ipse quoque data cunctis abeundi licentia, trepide vellet abscedere, à famulis dilaniatus est, & membratim deiectus in Tyberim, sepultura quoque caruit. Post hunc Maximi exitum confestim secuta est multis digna lacrymis Romana captiuitas, & vrbem omni præsidio vacuã Gaizericus obtinuit, occurrente sibi extra portas S. Leone episcopo. Cuius supplicatio ita eum domino agente leniuit, vt cum omnia potestati ipsius essent tradita, ciuitatem ab igni tamen & cæde atque supplicijs seruarit. Per xiv. igitur dies secura & libera scrutatione omnibus opibus suis Roma est vacuata, multaque millia captiuorum secum ducens, cum regina Eudoxia, quæ eum inuitauerat, vt ferunt, & filiabus eius Carthaginem victor Gaizericus reuersus est.

A *De restauratione Orientis Imperii*
cipem, & de gestis Germ.
apud Britones

LIBER X

IGitur Marcianus Oriẽtis Imp
decessores prædecessoresque e
vicissim imperantes minuerunt,
sic reparauit, vt exultatio ingen
sibi subiectis. Hic namque cum
Imperatore, quem Romani post
ranni & vrbis deprædationem C
vnanimitatis fœdus composuit.
pub. concorditer administrantes
anno sextoque mense Imperij sui
obijt. Cui Leo successit in regnu
Italia in Gallias secessit vbi ab ex
B auxiliis destitutus reuersus Italiar
centia est factus. Cuius instinctu T
thorum contra Sueuos mouit e
ipsi regiones quas Romanis reddi
vastabant. Fitque congressio con
conensi Campania, vbi plurimi
Richarius rex Sueuorum fugiens
hensus & in custodiam trusus: S
regno tradiderũt se Theodotico r
tempestate gens Anglorum siue Sa
tribus longis nauibus aduehitur
prosperatum domi fama referret
fortior, qui junctus prioribus p
Deinde in socios arma vertens, to
ab orientali eius plaga vsque ad o
ense subigit, conficta occasione, qu
bus Britones sufficienter stipend
rent. Tunc hæresis Pelagiana Bri
C dem, qui à Gallicanis episcopis a
Germanum Vtissiodorensis eccl
Lupum Trecasinum æque apost
tem, fidei defensores accipiunt.
res fidem, verbo veritatis simul &
Sed & bellum Saxonum Pictor
tones eo tempore junctis viribu
virtute retundunt. Cum Germar
ctus, non tubæ clangore, sed clan
exercitus voce ad sydera, leuato, h
immanes.

De crebris mutationibus principum.
tis Imperium amiseri

CAP. XVI

LEo, vt diximus, Orientis I
cianum factus, apud Rauen
nus Cæsar est ordinatus. Qui cũ
segotharum fœdus inijt per leg
D Hispaniæ ciuitate quam tunc v
reuocatus, non tamen sine mag
latione Sueuorum, aliarumq; g
uersis partibus habitantiũ, qua
doricus opprimere atq; depræ
nus autem Imperator pace co
rico rege, tendit ad Hispanias
jusserat, vt inde transiret contr
cam. Sed dum peruenisset ad
riam Vuandali classem, quam p
dunt atq; diripiunt. Itaque Im
frustratus reuertitur in Italiar
occiditur, locumque eius S
ipse tyrannidis suæ III. anno v
buit. Quatempestate inter Fr
Diuione gestum est prælium:

machinante contra fratrem suum Gundebaudum, Itaque Gundeislus cum suis aduersus fratrem suum cũ Francis dimicauit, fugatumque fratrem regnum ipsius paulisper obtinuit. Gundebaudus autem Auinione se muniuit. Eodemque anno resump is viribus Viennam obsedit & captum fratrem suum Gundeislu interfecit, pluresque Burgundionum morte damna-
it, regnumque fratris suo copulauit & tenuit. Tunc
eo Imperator Artemium diui Marciani generum ex
atritio Cæsarem ordinans, ad Hesperium destinauit
nperatorem. Hinc per Ardaburem Asperis filium
genem Getarum regem interemit. Qui etiam Basilis-
m fratrem suæ Augustæ contra Vuandalos cum exer-
u direxit in Aphricam: Qui nauali prælio Cartha-
em sæpe aggressus, pecuniis delinitus abscessit. Igi-
Artemius ilico vt Romam venit, Recimerem gene-
i suum contra Alanos direxit, virum egregium,
& multitudinem Alanorum fugauit, & regem
m Beorgum in primo statim certamine superatum
emit. Theodoricus ergo Vesegotharum rex cre-
i mutationem Romanorum principum cernens,
as suo iure nisus est occupare. Quod comperiens
nius Imperator, Britonum solatia postulauit.
um rex Riotimus cum xii. millibus venit vt ferret
i, contra quos rex Vesegotharum Theodoricus
erum ductans exercitum, diuque pugnans Ro-
i Britonum regem antequam Romanis coniũ-
r, effugauit. Qui amplam partem exercitus a-
, cum quibus potuit, fugiens ad Burgundionũ
vicinam, Romanisque eo tempore fœderatã
. Theodoricus vero rex Vesegotharum Ar-
Galliæ ciuitatem, Artemio principe iam de-
qui cum Ricimere genero suo intestino bello
Romam triuisset, ipseque à genero peremp-
quit regnum Olybrio. Quo tempore in Cõ-
oli Arpar, primus Patritiorum & Gothorum
atus cum Ardubure & Patritiolo filiis illo
lim patre patritio, hoc autem Cæsare gene-
onis principis appellato, spadonum ensib:
vulneratus interiit, & nec dum Olybrio o-
ise in regno ingresso obeunte. Glicerius a-
mam plus præsumptiione quam electione
tus, quem anno vix expleto, nepos Mar-
idam patritii sororis filius à regno deiiciẽs,
mæ episcopum ordinauit, & ipse regnum
antas varietates mutationesque Romano-
um Theodoricus cernens (vt diximus
uernam occupauit ciuitatem, vbi tunc
dux præerat, Cedicius nobilissimus se-
ludum Auiri Imperatoris, qui ad paucos
inuaserat, filius: Gothi capta ciuitate
Narbonam etiam inuadunt. Contra
i magistrum militiæ Nepos Imperator
vero suscepto exercitu venit Rauennã,
: Augustulum filium suum Imperatorẽ
diens Nepos fugit Dalmatias, ibique
defecit, vbi iam Glicerius dudum Im-
atum Solonitanum habebat. Augu-
Oreste in Rauenna Imperatore ordi-
post Odoacer, Torcilingorum rex,
yros Herulos diuersarumq; gentium
n occupauit, & Orestem interfectũ
eius de regno pulsum, in Lucullano
lo exilii pœna damnauit. Sic quoq;
næ gentis imperium, Quod lxxix.
o primus Augustorum obtinuit O-
: Augustulo periit, anno decessorũ
egni, D. xxii. Hinc iam respub.
bus Hesperiarum, quæ hactenus
at, regibus gentium gemens suc-

A *De Theodoro Gothorum rege, qualiter obtinuerit Italiam per Zenonis Imperatoris datum. Et de gestis eius.*

CAP. XVIII.

QVa tempestate Leo Imperator pro Thoma Chalcedonense per vniuersum orbem singulis orthodoxorum episcopis, singulas consonantesque misit epistolas, quid de eodem Thoma sentirent, rescribi sibi postulans. Quorum adeo consonantia de vera Christi incarnatione suscepit omnium rescripta, ac si vno tempore vnoque dictante fuissent vniuersa conscripta. Quibus diebus Theodorus episcopus ciuitatis, quæ à Cyro Persarum rege condita Cyriæ nomen habet, scripsit de vera incarnatione domini saluatoris aduersus Euticem & Dioscorum Alexandriæ episcopum, qui humanam in Christo carnem negant.
B Scripsit & historiam ecclesiasticã à fine librorum Eusebii vsque ad suum tempus, id est, vsque ad imperiũ Leonis huius, sub quo & mortuus est. Tunc & Victorius iubente papa Hilario scripsit paschalem terminũ D. xxxii. annorum, Leo autem nepotem suum Leonem manibus suis coronauit: quo facto Imperatore, moritur anno xvi Imperii sui. Itaque admodum puer Leo dum paruo superesset tempore, patrem suum Zenonem Imperatorem constituens, rebus excessit humanis. Zenon autem annum xvii. Orientis rexit imperiũ. Cognita Theodorici prosperitatis felicitate, quod in Illyrico cum Ostrogotharum exercitu resedisset: postquam è Pannonia cum patre Theodomir, alias quærendo sedes profectus esset, vicinasque gentes ad quas assederant, perdomitas subiugasset, missa ad eum legatione, mandans Zenon vt ad se venire non dissimularet, memor etiam esset quantis honoribus sublimatus à Leone principe dum fere x. annis prius obses apud eum esset, ad genitale solum, & genitoris præsẽ-
C tiam fuisset remissus. Theodoricus itaque nihil hæsitans ad regiam festinus venit vrbem, vbi ab Imperatore Zenone benigne susceptus, magnificeque sublimatus, & consul ordinarius est factus Nec tantum hoc, sed & equestrem statuam ab Imperatore promeruit ante regiam collocari. Inter hæc ergo Theodoricus sub Zenonis imperio fœdere sociatus, dum ipse in vrbe omnibus bonis frueretur gentemque suam in Illyrico (vt diximus) residentem non omnino idoneam aut refertam audiret, elegit potius solito more gentis suæ labore quærere victum, quam ipse otiose frui regni Romani bonis, & gentem suam mediocriter victitate, secumque deliberans ad principem ait: Quamuis nihil deest nobis Imperio vestro famulantib. tamẽ si dignum ducit pietas vestra, desiderium mei cordis libenter exaudiat. Cumq; ei (vt solebat) familiariter facultas fuisset loquẽdi concessa: Hesperia, inquit, plaga quæ dudũ decessorumque vestrorum regimine gu-
D bernata est, & vrbis illa caput orbis, & domina quare nunc sub regis Torcilingorum Rugorumq; tyrannide fluctuat? Dirige me cum gente mea, si præcipis, vt & hic expensarum pondere careas, & ibi si adiutus à domino vicero, fama vestræ pietatis irradietur. Expedit namq; vt ego qui sum seruus vester & filius, si vicero vobis donantibus regnum illud possideam, quam vt ille hostis tyrannico iugo senatum vestrum partemque reip. captiuitatis seruitio premat. Ego nisi vicero, vestro dono vestroque munere possidebo: Si victus fuero, vestra pietas nihil amittit, imo vt diximus, lucratur expensas. Quo audito quamuis, ægre ferret Imperator excessum eius, nolens tamen eum contristare, annuit quæ poscebat, magnisq; ditatum munerib. dimisit à se, senatum populumque ei commendans Romanum. Igitur egressus vrbe regia Theodoricus, & ad suos reuertens, cum omni gente Gothorum, qui tamẽ

ei præbuerunt consensum Hesperiam tendit rectoque itinere per Smirnos ascendit vicina Pannoniæ, indeq; Venetiarum fines ingressus, ad pontem Sonti nuncupatum castra metatus est. Cumque ibi ad reficienda corpora hominum iumentorúque aliquo tempore resedisset, Odoacer armatum contra eum direxit exercitum. Quem Theodoricus in campis Veronensibus magna strage deleuit, castraque soluta diripuit, Italiam cum potiore audacia intrat: transactoq; Pado amne ad Rauennam regiam vrbem castra componit. Tertio itaque anno obsessum Odoacrum regem ad deditionem coegit, hunc priuatum regno interemit. Hinc iam tota Italia Theodorico subiecta, III. ingressus sui anno Italiam consultu Imperatoris, priuatum suæ gentis vestitum deponens, regium assumit amictum: quasi iam Gothorum Romanorumque regnator. His ita gestis prospere gentem Francorum cupiens fœderatam habere, missa legatione ad Ludouicum regem eorum filiam eius petens, impetratam matrimonio suo copulauit, vt Iordanis historicus refert, filiasque suas vicinis regib. in coniugio copulauit, vnam Alarico Vesegothorum & aliam Sigismundo Burgundionum, neptéque suam Amalaburgam Thuringorum regi Ermenfrido, sororem vero suam regi Vuandalorũ Trasemúdo dedit, cupiens sic genus suum nobiliter dilatare. Quo tempore Ioan. Romanæ ecclesiæ pontifex Constantinopolim veniens ad portam quæ vocatur aurea, populorum turbis ei occurrentib. in conspectu omniũ roganti cæco lumen reddidit. Qui dum rediens Rauennam venisset, Theodoricus eum cum comitibus carceris afflictione peremit, inuidia ductus quia catholicæ pietatis defensor Iustinus eum honorifice susceptisset. Qui etiam Symmachum patritium nullis extantib. causis dum truci dari Rauennæ fecisset, ira perculsus diuina & ipse anno sequenti ibidem subitanea morte periit: anno XXX. sui Italici regni, succedente in regnum Atalarico nepote eius. Legimus enim in Dialogo sancti Gregorii quendam sacerdotem visibiliter vidisse Theodoricum vinctum trahi à Ioanne pontifice, & Simmacho patritio ad ollam ignis Siciliensis.

De Zenone principe, qualiter amissum Imperium receperit, & successore eius Anastasio.

CAP. XIX.

IGitur Zenon Imperator Chalcedonia dum degeret, Augusta socrus sua Basiliscum germanum suum in vrbe Augustum appellauit. Quod audiens Zenon secessit Isauriam, ne causa sui ciuilibus bellis aliquod incommodum proueniret. Basiliscus quidem vt fugã Zenonis cognouit, lætatus est, sed non diu: quoniam Zenon reuersus in regnum & à suis receptus Basiliscum exilio damnauit. Quidam autem Illus nomine Zenoni in priuata vita amicissimus, dum secreto detraheret Augustæ Ariagnæ, in zelum concitauit Augustũ. Qui deliberans eam perimere, vni suorum tacite rem demandauit. Quod dum ille agere niteretur, cuidam cubiculario hoc prodidit. Quod dum regina comperisset, subterfugit ad Acatium episcopum, posteraq; die Zenon rem æstimans perpetratam, dum luctum quendam quasi gerens neminem suscepit: Acatius episcopus ingressus, & facti arguit Imperatorem, Augustamque suspitionis innoxiam compromittit, acceptaque fide Augusta reuertitur. Illus autem ab vrbe discessit assumpta tyrannide: ab exercitu principis occiditur, Zenon vero in pace quieuit. Anastasius aũt subito assumptus ab Augusta, Imperator simul & maritus innotuit, regnauitque annis XXVII. tam infeliciter vt diuersis inimicorum vallatus agminibus tam externorum quam & tyrannorum sæpius mœrens & gemens nullam suorum vindictam meruit audire inimicorum, quia nec ipse iura seruauit ecclesiæ, sed fa

uens hæresi Euticis catholicos est
A tem diuino fulmine periit.

De persecutione Catholicorum à regib
quid in diuersis partibus

CAP. XX.

QVa tempestate Honoricus re
rianus catholicas ecclesias cl
affecit suppliciis. Et quidem ab in
scindens & linguas, nec tamen l
confessionis eripere potuit. Itaque
cessor Honorici Vuandalorum re
catholicas clausit, & plures episco
Sardiniam misit. Tunc Symmachi
ecclesiarum opera, quæ vel à fund
prisca renouauit, & iuxta basilicas
B Pauli, atque Laurentii pauperibus
xit, & singulis annis per Aphricam
copis qui in exilio erant, pecunias
bar. Quibus diebus Heldericus V
piscopos quos antecessores sui e
reuerti fecit, & ecclesias restaura
subuomit profanationes. Benedict
rabilibus vita & moribus insignis
illius, beatus Gregorius papa in lib
psit. Eo etiam tempore Sigismund
num à suis Francis traditus est. qu
habitu monachi deducentes eum v
in puteum proiicientes necauerunt
Clodomeris rex Francorum contr
micans (vt fertur) in prælio occid
patritius, qui Arithmeticam latino
duobus libris ediderat, aliosque lib
conscripserat, nouissime damnatus
C consolationis philosophicæ, quos r
prosaico luculentissime dictauerat
diolanensi occiditur.

De Belesario consule Iustiniani, qui i
los deleuit, & in Italia Gothos con
contra Parthos dimic

CAP. XXI.

QVo tempore Iustinus Impera
tatib. reipub. Iustinianum
sua successorem designans imperii
nus per annos XXXVIII. Orientis te
post diuturna bella plurimosque l
thos gesta, per legatos fœdus eum
tum est. Igitur hac securitate pacis
nianus Romanum de finibus Pa
Hinc iam Belesarium delegit cons
exercitu ad Australem plagam co
D tit. qui fauente domino qua ven
leritate Vuandalos superauit, Li
totius reipub. iungens, Vuandalo
Carthago quoque anno excessio
est, pulsis deuictisque Vuandali
eorum capto, Constantinopoli
principi oblatus spectante popul
lesarium de Vuandalis triũphaui
dorico rege defuncto, Atalaricu
dinante successit, vii, annos qua
matre tamen regnante Amalasu
do & Gallias diu tentas Francis
mortuoque Atalarico mater sua
sobrinum suum regni participẽ f
tum ipso iubente occisa est. Et q
lio suo commendauerat principi
eius audiens doluit, nec passu

Salmox eundem ducem belli, qui Pœnorum domitor fuerat & de opibus, Vuandalicis triumphans adhuc in fascibus erat agmini diu rsum proponens nationum ad partes Hesperias destinauit, qui primo accessu mox Siciliam peruadit, duce eius Sinderith superato, vbi dum aliquantum temporis ob ordinandam patriam resideret, comperit in Aphrica ciuilia bella intestinaq; praelia debacchari. Nam Stotzas pene vltimus militum : Marcini clientulus magistri militum tyrannidem arpiens authorque seditiosorum effectus, Cyrillum, Marcellum, Fatam aliosque diuersos iudices dolo pemptos, in ducem Solomonem sæuiebat, totamque phricam tyrannico ritu vastabat. Emenso ergo Beleius à Sicilia in Aphricam pelago, solita felicitate reles fugat, prouinciam liberat, Solomonemque rur- Carthagine collocans Siciliam redit. Vbi mox ermud Theodohadi Gothorum regis gener, qui cō- eum cum exercitu venerat, cernens prosperitatem lulis, vltro se ad partes dedit victori, hortaturque m anhelantem suoque aduentu suspectam veniret :liam. Constructo ergo Belesarius exercitu, & tam li quam equestri agmine vallauit Neapolim, pau- diebus eam obsidens, per aquæ ductum nocte it: & tam Gothis, qui aderant, quam Romanis lantibus interfectis, vrbem plenissime spoliauit. Theodohadus animaduertens, Vitigis vnū in- os ductorem exercitus præponens contra Bele- dirigit. qui cum Campaniam ingressus, mox ad s venisset barbaricos, ilico exercitus consona gem denunciat Vitigis. At ille regno sublima- ctis è sociis Theodohadum Rauennam reuer- extinguit, regnumque suum confirmans expe- n soluit, & priuata coniuge repudiata, regiam Mathesuentam Theodorici regis neptem sibi opulat quam amore. Dūque ille nouis nuptiis r Rauennæ, consul Belesarius Romanam vr- ellus est. Exceptusque ab illo populo quon- iano & senatu iam pene ipso nomine cum multo, confestim vicina occupat loca, vrbium mque munimina. Primaque Getica congres. mila ductante exercitum per Vsinum ad op- lesarius Gothos superat, & plusquam vii. idatis, reliquos Rauēnam vsque perturbat. oro cum ipso Vitigis Romanas arces vallā- rur, machinasque illius & turres quibus tentabat igni consumptis, per anni spaciū dia laborans deludit. Post hæc vsque ad ersecutus exinde cum effugatum Rauen- in deditionem suscepit. Atque vnus con- ra Getas pene pari euentu de Francis, qui berto rege suo vltra cc. milia aduenerant Sed quia ad alia occupatus alibi noluit antibus Francis pacem concessit, & sine dio de finibus Italicis expulit, sumpro- ina simulque & opes palatii, ad princi- userat reportauit, sicque intra pauci tē- ustinianus Imperator perfidelissimum regna duasque respub. suæ ditioni su- alibus atque occiduis partibus his ita pto fœdere Romanorum fines inua- omnia ferro cædibusque fœdando lant, Antiochiam vsque perueniunt. Romanorum vacuam inuenientes, , nec onusti præda recedunt, nec ugiētes insequuntur: quoniam audi- us eorum aduentu relinquens An- Contra quos Imperator aliquos cti ac territi minime præualuerunt Nam iterum necessitate Belesarius igitur, quos non vt alias gētes præ- n à finibus Romanorum recedere oprias sedes repedare, composita ncipem, Ergo, vt assolet, rerū mu-

A tatio & principum voluntas diuersa inuidia quidem senatores ac patritii exarsi, suggesserunt Imperatori, vt Belesarium quasi ad sceptra ospirantem de gradu patriciatus eiiceret, ac dignitatibus priuaret. Quod factū Gothis respirantibus exterisque nationibus Romanis infestis, non modicam intulit audaciam ipsum que Imperatorem non longe post quod fecerat pœnituit, quā aulici Iustinianum regno priuare, & quendam Florianum Imperatorem creare dum aggrederentur, Belesarii viribus adiutus quamuis immerito, trucidatis noua tentantibus restitutus est Iustinia. in regnum.

Iustiniano Imperante Franci contra Gothos dimicantes eos regno Galliæ expulerunt. Qui & contra Saxones pugnantes vicerunt, & Britones subiugauerunt.

CAP. XXII.

B QVa tempestate in partibus Galliarum ortum est bellum inter Alaricum Gothorū regem & Chlodoueum regem Frācorum: quāuis primus inter eos vario euentu plurima existerent certamina. Tunc demū in Campania Voglauense decimo ab vrbe Pictauiensi miliario fit certaminis cōgressio. Vbi Clodoueus Frācorum rex Alaricum Gothorum regem interfecit, & maximam partem illius exercitus trucidauit, regnumque quod Gothi diu tenuerunt, à Ligere fluuio vsque ad Rodanum per montes Pireneos vsque ad Oceanū mare abstulit, & ditioni Francorum subdidit. Mira Dei dispensatione actum est, quantum auaritia consulum Romanorum stipendia sunt subtracta ab eis qui fame & penuria coacti conspirauerunt contra Romanos in arma, Illyricum depopulantes, Italiam inuadentes, Romam gentium dominam deprædantes, vt Alauricus, quem Gothi regem creauerant, ouans diuersis successibus prosperitatum sublimarit gentem suam & regnum. Demum in Alarico gens & regnum Gothorum defecit, sicuti & Romanorum in Hesperia sub C Octauiano Augusto aliarum gentium domina, & nouissime in Augustulo deficiens, vt supra retulimus, gētib. aliis subiecta. Itaque imperante, corpus S. Antonii monachii diuina reuelatione repertum Alexandriā defertur, & in ecclesia B. Iohannis Bapt. humatur. Dionisius etiam paschales scripsit circulos, incipiēs ab anno dominicæ incarnationis, DXXXII. qui sunt anni Diocletiani, CC.LVIII. Tunc quidem codex legum, qui nuncupatur Iustinianus, ab ipso principe institutus, orbi promulgatus est. Victor quoque Capuanus episcopus, librum de Pascha scribens, Victori arguit errores. Qua tempestate Chrammus contra Chlotarium Francorum regem, suum scilicet patrem, rebellare præsumpsit, qui dum à cœpta temeritate non quiesceret, ad Britanniam se contulit, gentemque illam cum rege suo contra patrem armauit, quem Chlotarius insecutus cum reliquis filiis suis & Francorum exercitu interfecto Britonum rege Chrammus est comprehensus, at- D que cum vxore & filiis quadam domo clausus, viuus est incensus. Chlotarius vero de manubiis Britonum triumphās, gentē illam Francis subiectam fecit tributariam. Saxones vero rebellantes grauissimis prœliis prostrauit, & non sine multo suorum sanguine deuicit. Iustinianus igitur dum xxx. & VIII. annis Orientis renuisset imperium, rebus excessit humanis, cui Iustinus successit in regnum.

De Naserte patritio, qui Gothos deleuit in Italia, & demū Longobardos, vt ferunt, prouocauit vt possiderent eam.

CAP. XXIII.

IVstinus quidem minor annis Imperator xi. Qua tempestate post egressum Belesarii consulis ab Italia regem Vitigis Gothorum reginamque & opes palatii ad

principem Iustinianum, qui transportauerat (vt superius diximus) Gothi qui trans Padum in Liguria consistebant, recrudescentes animo ad bella consurgunt, & ordinato sibi regulo Hildebaldo: qui vix emenso anni spacio interficitur. Erarius autem in eius locum successit, qui & ipse necdum anno expleto peremptus est. Tunc Totilam, qui & Baduila, sibi regem constituunt: qui viribus resumptis contra Roma. dimicans, duces vincit, prosternit, inuadit. Romam inde progressus capit Siciliam totam pene insultans Romanis deuastabat Italiam. Contra quem Iustinus Imperator Narseten patritium direxit, qui in Italiam veniens cõtra Gothos viriliter ac fortiter dimicans, Totilam eorum regem occidit, gẽtemque Gothorum cædib. prostrauit. Qui iterum respirantes Teiam sibi regem constituunt, quem ipsum Narses patritius occidit, Gothos funditus deleuit, Italiã ab eorum iugo liberauit. Hinc contra Bucillinum Francorum ducem cõgressione facta pugnauit, quem vt fertur cum omni exercitu suo interemit. Iam ab incursu hostium liberatam Italiam corpori reipub. restituit, Mediolanum vrbem regiam à Gothis & Burgundionibus demolitam reædificauit, aliasque vrbes per Italiam destructas restaurauit. Qui deinde per inuidiam Romanorum pro quibus multa contra Gothos laborauerat, accusatus apud Iustinum & coniugem eius Sophiam, quod seruitio premeret Italiam, secessit Neapolim Campaniæ, scripsitque gẽti Longobardorum, vt venirent & possiderent Italiam. Tunc Iohannes Romanæ ecclesiæ pontifex ecclesiam apostolorum Philippi & Iacobi, quam decessor eius Pelagius cœperat, perfecit & dedicauit.

De beato Gregorio & eius gestis.

CAP. XXIV.

TYberio imperante, qui successerat Iustino, beatus Gregorius legatione fungens apud principem, dũ Constãtinopolim Euticium eiusdem vrbis episcopum in fide nostræ resurrectionis errasse, catholicis allegationibus approbans, Tyberio præsente conuicit, ita vt ipse Augustus librum eius, quem de resurrectione scripsit, deliberaret flammis cremari. Docebat enim idem Euticius, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria impalpabile, & ventis aereque subtilius esse futurum, contra illud dominicum: Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Igitur post Tyberium Mauritio regnante, idem B. Gregorius Romanæ ecclesiæ iam pontifex & doctor maximus, synodum episcoporũ xxiv. ad corpus beati Petri apostoli congregans, de necessariis ecclesiæ decernit. Idem missis in Britanniam Augustino Mellito & Ioanne, & aliis pluribus cum eis monachis timentibus Deum, ad Christum Anglos conuertit. Et quidem Edilberectus mox ad Christi gratiam conuersus cum gente Cantariorum cui præerat, proximisque prouinciis etiam Episcopo doctorique suo Augustino: sed & cæteris sacris pontificibus episcopales sedes donauit. Porro gentes Anglorum ab Aquilone Humbri fluminis sub regibus Aelle & Acdilfrido sitæ, necdũ verbum vitæ audierant, Gregorius scribẽs Augustino, Lũdoniæ quoque & Eboraici episcopis, accepto à sede apostolica pallio metropolitanos esse debere decernit, qui moralia in Iob gratia diuina inspirante conscripsit, librum etiam pastoralem luculentissime edidit, Dialogorũ vero ad imitandos venerabiles viros qui per hæc tempora claruerunt, libros dictans, ad nostram porrexit legendos posteritatem. In Ezechielem opus præclarum condidit. Homiliarum eius liber sal ubertimas & spirituales gustantibus ministrat dapes. Epistolæ vero exstant eius plures pro negociis, quibus sunt compositæ, legentibus vtiles, imperante iam Phoca migrauit ad dominum.

A *De Longobardis Italiam inuaden[...]*
Herminigildi regis G[...]

CAP. X[...]

QVa tempestate Albuinus r[...] Narcete (vt præmisimus) [...] atque incendens Pãnoniam in q[...] ni populo suo veniens comitan[...] inuadit Italiam. Eo etiam tempo[...] uigildi Gothorum regis filius, o[...] fessionem inexpugnabilem à pat[...] uatus insulis, & vinculis alligatu[...] iectus. Ad extremum nocte san[...] ctionis securi in capite percussu[...] terreno rex & martyr intrauit. C[...] mox vt regnum post patrem ace[...] rum cui præerat gentem, insiste[...]
B tano episcopo, qui & Hirmini[...] tholicam conuertit ad fidem.

De gestis Bonifatii[...]

CAP. XX[...]

IGitur Bonifacio papa rogant[...] perator successor Mauritii, [...] postolicæ ecclesiæ omnium ecc[...] quia Constantinopolitana prim[...] ecclesiarum scribebat. Idem etian[...] pa Bonifacio, iussit in veteri pha[...] vocabatur) ablatis idololatriæ s[...] tæ semper virginis Mariæ & omn[...] vt vbi quondam omnium non de[...] rum cultus agebatur, ibi deincep[...] moria sanctorum.

C *De sex vniuersalibus[...]*

CAP. XX[...]

VT omissa superius paulisper [...] vniuersales sex Synodi, qua[...] & concelebrat, qui catholicam f[...] nent, ostendamus. Prima enim [...] Nicæa congregata est contra A[...] temporibus Iulii papæ Constan[...] dam in Constantinopoli, CL. patr[...] & Eudoxium, temporibus Dam[...] principis, quando Nectarius ei[...] episcopus. Tertia in Epheso, CC.[...] rium Augustæ vrbis episcopun[...] gno principe, & papa Celestino[...] ne, patrum D. CXXX. sub Leone [...] ciani principis contra Euticen[...] sulem monachorum. Quinta i[...]
D li temporibus Vigilii papæ f[...] contra Theodorum & omnes [...] dus vniuersalis Constantino[...] sermone conscripta, tempo[...] exequente ac residente piissim[...] intra palatium suum, simulq[...] & episcopis CL. residentibus. [...] ni Iesu Christi ob amorem de[...] dith, aggressus sum opus quo [...] mii doctoris obitum perduxi [...] cii papæ quædam deinceps p[...] manorum iudicibus & Gorl[...] pulsis, his Francis & Longob[...] gnis. Hic terminum censui n[...]

Freculphi Episcopi Lexoui[...]
posterioris,

THEODVLPHI AVRELIANENSIS EPISCOPI EPISTOLA.

OPTIMIS, SALVBERRIMISQVE VITÆ Christianæ documentis referta,

Ex

M. S. Bibliothecæ Vaticanæ Codice excerpta,

ET NVPER AB ILLVSTRISS. CARDINALE CÆSARE BARONIO in Annal. Ecclesiasticorum Tomo nono primum diuulgata.

ELOGIA

Doctorum virorum in Theodulphum Aurelianensem Episcopum.

IOANN. TRITHEMIVS IN LIBRO de Scriptoribus Ecclesiasticis.

THeodulphus episcopus Aurelianensis ex Abbate Floriacensis Cœnobii ordinis S BENEDICTI, *vir in diuinis Scripturis doctus, & in secularibus literis à iuuentute instructus, carmine excellens & prosa. Fertur nonnulla vtroque stylo cōposuisse opuscula, sed in manus nostras adhuc minime venerunt. Hic à Ludouico Imperatore, nescio obquā suspicionem, innocenter missus in carcerem, hymnum* GLORIA LAVS, *composuit, quem cum in die Palmarum, transeunte Imperatore iuxta carcerem alta voce cecinisset, adeo Imperatori complacuit, vt statim abire liberum permiserit. Scripsit autem inter cætera diuerso metro*

Hymnorum Librum I.
Epistolarum Librum I.

SIGEBERTVS GEMBLACENSIS IN Chronico ad Annum 843.

HIs temporibus floruit Theodulphus Abbas Floriacensis, postmodum Episcopus Aurelianensis, de quo refertur, quod illos versus, quos in die Palmarū singulis annis Ecclesia Galliarum decantare in vsu habent, ipse composuerit, id est. GLORIA LAVS ET HONOR. *Quos cum ipse Ludouico Imperatore secus domum, in qua exul detinebatur apud Andegauum, transeunte, decantaret, audiēs imperator, & misertus illius iussit eum absolui.*

IDEM HABENT.

Ioannes Nauclerus volum 3. Chronographia 28.
Philippus Bergomas in Supplemento Chronicorum.
Albert⁹ Crāzius Metropolis Saxonia libro 1. c. 27. & 40
Iudocus Clichtouaus in Elucidario Ecclesiastico.
Cæsar Baronius 9. tom annal. Eccles. ad annum 835.

EX BELLARMINO DE SCRIPTOribus Ecclesiasticis.

THeodulphus Abbas Floriacensis, ac deinde Episcopus Aurelianensis tempore Ludouici Pii Imperatoris floruit laude ingenii. Scripsit enim *multa, & soluta oratione, & versibus*; illius est carmen, quod canitur in die Palmarū, Gloria, laus, & honor tibi sit Rex Christe redemptor. *multa alia carmina ipsius* extant.

Extat etiam apud Card Baronium tom. 9. Annalium Domini 835. *epistola lectu digna ad Clerum Aurelianensem.*

A

THEODVLPHI AVRELIANENSIS EPISCOPI EPISTOLA.

Theodulphus Fratribus & compresbyteris nostris Aurelianensis Parochia Sacerdotibus in Domino Salutem.

OBsecro vos fratres dilectissimi, vt erga subditarum plebium profectum & emēdationem vigilantissima cura laboretis, quatenus illis viam salutis ostendentes
B
& eos verbis & exemplis instruētes, & vos de eorū profectu, & nos de vestro, Domino nostro Iesu Christo auxiliāte, fructuosos illi manipulos reportem⁹. Obsecro etiā fraternitatē vestram, vt hæc capitula quæ ad emēdationem vitæ breuiter digessi, assidue legatis, & memoriæ commendetis. Et eorum, siue sanctarū scripturarum lectione mores componatis, vitam emendetis, & cum subditis plebibus, opitulante Domino, ad regna cælestia porrigere certetis. Veraciter nosse debetis, & semper meminisse, quia nos quibus regendarum animarum cura commissa est, pro his, qui nostra negligentia pereunt, rationem reddituri sumus. Pro his vero quos verbis & exemplis lucrati fuerimus, præmiū
C
æternæ vitæ percipiemus. Nobis n. à Domino dictum est: Vos estis sal terræ. Quod si populus fidelis cibus est Dei, eius cibi condimentum nos sumus. Scitote vestrū gradū nostro gradui secundū & pene coniunctum esse. Sicut n. Episcopi Apostolorum in Ecclesia, ita nimirum presbyteri cæterorum discipulorum Domini vicē tenent, & illi tenent gradum summi Pontificis Aaron, isti vero filiorum eius. Vnde oportet vos semper memores esse tantæ dignitatis, memores vestræ cōsecrationis, memores sacræ, quam in manibus suscepistis vnctionis, vt nec ab eadem dignitate degeneretis, nec vestram consecrationem irritam faciatis, nec manus sacro vnguine delibutas peccando polluatis, sed cordis & corporis munditiam conseruantes, plebibus exemplum bene viuēdi præbentes his quibus præestis ducatum ad cælestia Regna præbeatis.

Matth. 9. Episcopi Apostolorū presbyteri LXX. discipulorum locū tenent.

D
2 Oportet vos assiduitatem habere legendi, & instantiā orandi. quia vita viri iusti lectione instruitur, ornatur & assiduitate lectionis munitur homo à peccato iuxta illum qui dicebat: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Hæc sunt enim arma, lectio videlicet, & oratio, quibus diabolus expugnatur. Hæc sunt instrumēta quibus æterna beatitudo acquiritur. His armis vitia comprimuntur. His alimentis virtutes nutriuntur.

Sacerdotib⁹ lectio & oratio cōmendatur.

Psal. 118

3. Sed si quando à lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi, quia ociositas inimica est animæ, & antiquus hostis, quem à lectione, siue ab oratione vacantem inuenerit, facile ad vitia rapit. Per vsum nāque lectionis discetis, qualiter & vos viuatis; & alios

doceatis. Per vsum orationis & vobis & his quibus in in caritate coniuncti estis, prodesse valebitis. Per manuum operationem & corporis maccrationem & vitiis alimenta negabitis & vestris necessitatib⁹ subuenietis, & habebitis quod necessitaté patiétib⁹ porrigatis.

Op⁹ manuum.

4 Quando more solito ad Synodum conuenitis, vestimenta & libros & vasa sancta cum quibus vestrum ministerium, & iniunctum officium peragatis, vobiscum deferre. Nec non duos, aut tres clericos cum quibus Missarum solemnia celebratis, vobiscum adducite, vt probetur quam diligenter, quam studiose Dei seruitium peragatis.

Sacrificium Missæ.

5 Panes quos Deo in sacrificium offertis, aut à vobis ipsis, aut à vestris pueris coram vobis nitide, ac studiose fiant. Et diligenter obseruetur. vt panis, & vinum & aqua sine quibus Missæ nequeunt celebrari, mundissime, atque studiose tractentur, & nihil in his vile, nihil non probatum inueniatur. Iuxta illud quod ait scriptura: Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.

2. Par. 19.

6 Feminæ, Missam sacerdote celebrante, nequaquam ad altare accedant, sed locis suis stent, & ibi sacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat. Memores esse debent feminæ infirmitatis suæ, & sexus imbecillitatis: & idcirco sancta quælibet in ministerio Ecclesiæ contingere pertimescant. Quæ etiam laici viri pertimescere debent ne Ozæ pœnam subeant, qui dum Arcam Domini extraordinariè contingere voluit, Domino percutiente interiit.

2. Reg 6

Non debet solus celebrare.

7. Sacerdos missam solus nequaquã, celebret quia sicut illa celebrari non potest sine salutatione sacerdotis, responsione plebis, admonitione sacerdotis, respõsione nihilominus plebis; ita nimirũ nequaquam ab vno debet celebrari. Esse n. debent, qui ei circumstent, quos ille salutet, à quibus ei respondeatur, & ad memoriam illi reducendũ est illud Dominicum. Vbicumque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, & ego in medio eorum.

Matth. 18.

8 Videmus crebro in Ecclesiis messes, & fœnum congeri; vnde volumus & hoc penitus obseruetur, vt nihil in Ecclesia præter vestimenta Ecclesiastica, & vasa sancta, & libros recondatur, Ne forte si alia ibi quam oportet negotia exerceantur, à Domino audiamus: Domus mea domus orationis vocabitur. Vos autem fecistis eam speluncam latronum.

9 Antiquus in his regionibus in Ecclesia sepeliendorum mortuorũ vsus fuit, & plerũq; loca diuino cultui mãcipata, & ad offerendas Deo hostias preparata cœmeteria siue poliandria facta sunt. Vnde volumus, vt ab hac re deinceps abstineatur, & nemo in Ecclesia sepeliatur. Nisi forte talis sit persona sacerdotis, aut cuiuslibe riusti hominis quæ per vitæ meritum talem viuẽdo suo corpori defuncto locum acquisiuit. Corpora vero, quæ antiquitus in Ecclesiis sepulta sunt, nequaquam proiiciãtur, sed tumuli qui apparẽt profũdius in terram mittantur & pauimento desuper facto, nullo tumulorũ vestigio apparẽte, Ecclesiæ reuerẽtia cõseruetur. Vbi vero tanta est multitudo cadauerũ, vt hoc facere difficile sit, locus ille ꝓ cœmeterio habeatur, ablato inde altari, & in eo loco cõstructo, vbi religiose, & pure Deo sacrificium offerri valeat.

In templo qui sepeliẽdi.

10. Non debetis ad Ecclesiam ob aliã causã conuenire nisi ad laudẽ Domini & eius seruitiũ faciẽdũ. Disceptationes vero, tumult⁹, & vaniloquia, & ceteræ actiones ab codẽ sancto loco penitus prohibẽdæ sũt. Vbi enim Dei nomẽ inuocatur, Deo sacrificiũ offertur, Angelorũ frequẽtia inesse non dubitatur, periculosũ est tale aliquid dicere, vel agere quod loco non cõuenit. Si enim Dominus illos de templo eiecit, qui victimas, quæ sibi offerrẽtur emebãt, vel vẽdebãt, quãto magis illos iratus inde abiicer, qui mẽdaciis, vaniloquiis, risib⁹, & huiuscemodi nugis locum diuino culti mancipatum fœdant.

In templo quã reuerẽter versandum

Matth. 21.

11. Missarum solẽnia nequaquam alibi nisi in Eccle-
sia celebranda sunt, non in quibus
in vilibus locis, sed in loco quem
iuxta illud quod scriptum est: Vide
sta tua in omni loco, quem videris,
gerit Dominus, vt ponat nomen su

12. Nulla fœmina cum presbytero
bitet. Quamuis n. canones matrem
iuscemodi personas, in quibus null
illo habitare concedant. Hoc nos
circo amputamus, quia in obsequi
larum veniunt aliæ fœminæ, quæ n
te coniunctæ, & eum ad peccandu

13. Obseruandum vobis est, vt & v
stineatis, & vt plebes subditæ abst
& neq; per tabernas eatis bibẽdo au
dom⁹ aut vicos curiositate qualibet
cum fœminis, aut cum quibus libe
cõuiuia exerceatis. Nisi forte pater fa
ad domũ suã inuitauerit, & cũ sua
lut vobiscũ spiritali gaudio lætari, &
refectionẽ accipere, & vobis refecti
tis officio exhibere. Oportet enim, v
fidelium vos reficit epulis: à vobis
ritalibus.

14. Nullus presbyter fidelibus sanc
alterius presbyteri parrochia persua
clesiam concurrant, relicta ꝓpria Ec
mas sibi dent. Sed vnusquisque sua E
contentus q; sibi non vult fieri alteri
iuxta illud Euangelicum: Quæcun
vobis homines, hæc eadem facite ill
contra hæc constituta venerit, aut h
reniti tentauerit, aut gradum se scia
carcere longo tempore detinendum

15. Hoc quoque modis omnibus pr
lus vestrum alterius clericum sollici
quia grauis de hac re in sacris cano
est.

16. Si quis presbyter inuentus fueri
laico munera dare, aut dedisse, vt
presbyteri subripiat: sciat se pro li
cupiditate, aut gradum amissurum,
rũna longo tempore pœnitẽtentiã a

17. Si paruulus ægrotans ad quem
baptismi gratia de cuiuslibet parroc
baptismi sacramentũ nullo modo n
minus petenti concedere detrecta
lus absq; baptismatis gratia mortu⁹
le qui eũ nõ baptizauit, pro ei⁹ anim

18. Nullus presbyter, seu laicus præ
patenam, aut quælibet vasa sacra, &
cipata ad alios vsus retorquere. Na
lice sacrato aliud bibit præter Chri
sacramento accipitur, & patenam
bet quam ad altaris ministerium, d
plo Balthasar, qui dum vasa Domi
nes assumpsit, vitam pariter cum R

19. Si quis ex presbyteris voluerit
aliquem consanguineum ad schol
sia sanctæ Crucis, aut in monast
aut S. Benedicti, aut S. Lifardi, a
cœnobiis, quæ nobis ad regendum
centiam id faciendi concedimus.

20 Presbyteri per villas & vic
Et si quilibet fidelium suos parr
litteras eis commendare vult, eos,
non renuant sed cum summa ca
attendentes illud quod scriptum e
fuerint fulgebunt quasi splendor
ad iustitiam erudiunt multos, ful
læ in perpetuas æternitates. Cum
nihil ab eis pretii pro hac re exiga
eis accipiant, excepto quod eis pa
ctio sua voluntate obtulerint.

11. Cum ergo omnium ſanctarum ſcripturarum paginæ inſtrumentis bonorum operum refertæ ſint, & per ſanctarum ſcripturarum campos poſſint inueniri arma, quibus vitia comprimantur, & virtutes nutriantur: libuit nobis huic noſtro Capitulari inſerere ſententiam cuiuſdam patris de inſtrumentis bonorum operum, in qua magna breuitate quid agi, quidue vitari debeat, continetur. In primis Dominum Deum tuum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute. Deinde proximum tanquam te ipſum. Deinde non occidere, non adulterare, non facere furtum, non concupiſcere, non falſum teſtimonium dicere, honorare omnes homines, & quod ſibi quis fieri non vult, alij ne faciat. Abnegare ſemetipſum ſibi, vt ſequatur Chriſtum. Corpus caſtigare, delitias non amplecti, ieiunium amare, pauperes recreare, nudum veſtire, infirmum viſitare, mortuum ſepelire, in tribulatione ſubuenire, dolentem conſolari. A ſæculi actib. ſe facere alienum. Nihil amori Chriſti præponere, iram non perficere, iracundiæ tempus non reſeruare, dolum in corde non tenere, pacem falſam non dare, caritatem non derelinquere: Non iurare, ne forte periures. Veritatem ex corde & ore proferre: malum pro malo non reddere, iniuriam non facere, ſed & factam patienter ſufferre. Inimicos diligere, maledicentes non maledicere, ſed magis benedicere. Perſecutionem pro iuſtitia ſuſtinere. Non eſſe ſuperbum, non vinolentum, non multum edacem, non ſomnolentum, non pigrum, non murmuroſum, non detractorem, ſpem ſuam Deo committere. Bonū aliquid in ſe cum viderit, Deo applicet, non ſibi. Malum vero ſemper à ſe factum ſciat, & ſibi reputet. Diem iudicij timere, gehennam expaueſcere, vitam æternam concupiſcentia ſpiritali deſiderare, mortē quotidie ante oculos ſuſpectam habere. Actus vitæ ſuæ omni hora cuſtodire. In omni loco Deum ſe reſpicere pro certo ſcire. Cogitationes malas cordi ſuo aduenientes mox ad Chriſtum allidere, & ſeniori ſpiritali patefacere. Os ſuum à malo, vel prauo eloquio cuſtodire, multum loqui non amare, verba vana aut riſui apta non loqui, riſum multum aut excuſſum non amare. Lectiones ſanctas libenter audire, orationi frequenter incumbere, mala ſua præterita cum lachrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. De ipſis malis de cætero emendare, deſideria carnis non perficere. Voluntatem propriam odiſſe, præceptis ſacerdotis & præceptoris in omnib. obedire, etiam ſi ipſe aliter quod abſit, agat. Memores illius Dominici præcepti: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Non velle dici ſanctum antequam ſit, ſed prius eſſe, quod verius dicatur. Præcepta Dei factis quotidie adimplere, caſtitatem amare, nullum odiſſe, zelum & inuidiam non habere, contentionem non amare, elationem fugere: & ſeniores venerari, iuniores diligere. In Chriſti amore pro inimicis orare. Cum diſcordantib. ante ſolis occaſum in pacem redire, & de Dei miſericordia nunquam deſperare. Ecce hæc ſunt inſtrumenta artis ſpiritalis, quæ cum fuerint à nobis die noctuque inceſſabiliter adimpleta & in die iudicij reconſignata, illa merces nobis à Domino recompenſabitur, quam ipſe promiſit: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt eum.

Compendioſa inſtructio omnium bonorum operū. — *Matth. 23.* — *Eſa. 64.*

22. Commonendi ſunt fideles, vt generaliter omnes à minimo vſque ad maximum orationem Dominicam & Symbolum diſcant, & dicendum eis, quod in his duab. ſententiis omne Fidei Chriſtianæ fundamentum incumbit, & niſi quis has duas ſententias & memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione ſæpiſſime frequentauerit, Catholicus eſſe non poterit. Conſtitutum namque eſt, vt nullus chriſmetur, neque baptizetur, neque à lauacro fontis illius ſuſcipiatur, neque coram Epiſcopo ad confirmandum quemlibet teneat, niſi Symbolum & orationem Dominicam memoriter tenuerit, exceptis his quos ad loquendum ætas minime perduxit.

Quid Chriſtianus ſcire teneatur.

23. Dicendum illis, vt ſingulis dieb. qui amplius non poteſt, ſaltem duab. vicib. oret, mane ſcilicet & veſpere, dicens Symbolum, vel orationem Dominicam, vel: Qui pſalmaſti me, miſerere mei, vel etiam: Deus propitius eſto mihi peccatori, & Deo gratias, pro quotidianæ vitæ commeatib. & quia ſe ad imaginem ſuam creare dignatus ſit, & à pecudib. ſegregare. His actis, & ſolo Deo creatore ſuo adorato, Sanctos inuocet, vt pro ſe intercedere ad Maieſtatem diuinam dignentur. Hæc faciant, quib. baſilicæ locus prope eſt, in baſilica. Qui vero in itinere, aut pro qualiber occaſione in ſiluis aut in agris eſt, vbicumque eum ipſa hora matutina vel veſpertina inuenerit, ſic faciat, ſciens Deum vbique preſentem eſſe, dicente Pſalmiſta: In omni loco dominationis eius &: Si aſcendero in cœlum, tu ibi es, &c.

Orandū mane & veſperi. — *Sancti inuocandi.* — *Pſal. 102.* — *Pſal. 138.*

24. Diei vero Dominici, quia in eo Deus lucem condidit, in eo manna in eremo pluit, in eo Redemptor humani generis ſponte pro ſalute noſtra à mortuis reſurrexit, in eo S. Sanctum ſuper diſcipulos infudit, tanta eſſe debet obſeruantia, vt præter orationes, & Miſſarum ſolemnia, & ea, quæ ad veſcendum pertinent nihil aliud fiat. Nam & ſi neceſſitas fuerit nauigandi, ſiue itinerandi, licentia datur, ita dumtaxat, vt harū occaſione Miſſa & orationes nōn prætermittantur. Conueniendum eſt ſabbatho die cum luminarib. cuilibet Chriſtiano ad Eccleſiam. Conueniendum eſt ad vigilias ſiue ad matutinum officium; Concurrendū eſt etiam cum oblationib. ad Miſſarum ſolemnia, & dum ad Eccleſiam conuenitur, nulla cauſa dici debet, vel audiri, nulla iurgia ſunt habenda, ſed tantummodo Deo vacandum eſt in celebratione videlicet ſacrorum officiorum, & exhibitione eleemoſynarum, & in Dei laudib. cum amicis proximis, & peregrinis ſpiritualiter epulandum.

Dominica Miſſa audienda. — *Et offerēdum.*

25. Admonendi ſunt, vt hoſpitalitatem diligant, & nulli hoſpitium præbere detrectent & ſi cui forte hoſpitium præſtiterint, nullam ab eo mercedem accipiant, niſi forte ille, qui à te recipitur, ſponte ſua aliquid det. Dicendumque illis, qualiter multi per hoſpitalitatis officium Deo placuerunt, dicente Apoſtolo: Per hanc enim placuerunt quidam Deo, Angelis hoſpitio ſuſceptis, & iterum. Hoſpitales ſine murmuratione. Et ipſe Dominus ad Iudicium dicturus eſt: Hoſpes eram, & collegiſtis me. Sciant ſane quicumque hoſpitalitatem amant, Chriſtum ſe in hoſpitib. recipere. Nam ille modus hoſpitalitatis non ſolum inhumanus, ſed etiam crudelis eſt, quo numquam hoſpes in domum ante recipitur, niſi prius dandi hoſpitij merces compenſetur, & quod Dominus agere iuſſit pro perceptione Regni cœleſtis, pro acquiſitione terrenarum rerum agatur.

1 Pet. 4. — *Matth. 25.* — *Hoſpitalitas laudata quæ.*

26. Prædicandum eſt etiam vt periurium fideles caueāt, & ab eo ſummopere abſtineant, ſcientes hoc grāde ſcelus eſſe, & in Lege, & Prophetis ſiue Euangelio prohibitum. Audiuimus enim quoſdam paruipendere hoc ſcelus, & leuem quodammodo periuris pœnitentiæ modum imponere. Qui noſſe debent talem de periurio, qualem & de adulterio, de fornicatione, de homicidio & de cæteris criminalib. vitiis pœnitentiam imponendam. Si quis vero perpetrato periurio aut quolibet criminali peccato, timens pœnitentiæ longam ærumnam, ad confeſſionem venire noluerit, ab Eccleſia repellendus eſt: ſiue à communione, & conſortio fidelium, vt nullus cum eo comedat, neque bibat, oret, neque in ſuam eum domum recipiat.

Matth. 5.

27. Dicendum eſt eis vt à falſo etiam teſtimonio abſtineant, ſcientes & hoc grauiſſimum ſcelus eſſe, & ab ipſo Domino in monte Sinai prohibitum, dicente eodem Domino. Non falſum teſtimonium dixeris, ſiue. Teſtis falſus non erit impunitus: Sciat ſe etiam quiſquis

Exod. 20. — *Prou. 19.*

hoc perpetrauerit, aut tali pœnitentia purgandum, vt superius dictum est de periurio, aut tali damnatione, & excommunicatione damnandum, sicut superius insertum est. Dicendumque illis est, quod summa, ne dicam stultitia, sed nequitia est pro cupiditate argenti, & auri, aut vestimentorum, aut cuiuslibet rei, aut quod creberrime cõtingere solet, propter ebrietatem in tam grande scelus corruere, vt aut septem annis in arcta ærumna sit, aut ab Ecclesia sit repulsus, dicente Domino: Quid prodest homini si lucretur totum mundum, & animæ suæ detrimentum faciat? quippe cum aliis videatur pius existere, sibimet crudelis existat.

Mat. 16.

28. Hortamur vos paratos esse ad docendas plebes. Qui scripturas scit, prædicet scripturas. Qui vero nescit, saltem hoc, quod notissimum est, plebib. dicat: Vt declinent à malo, & faciant bonum. Inquirant pacem, & sequantur eam: quia oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum, &c. Nullus ergo se excusare poterit, quod non habeat linguam, vnde possit aliquem ædificare. Mox enim vt quemlibet errantem viderit, prout potest & valet, aut arguendo, aut obsecrando, aut increpando, ab errore retrahat, & ad peragendum bonum opus hortetur. Cum vero Domino opitulante, ad Synodum in vnum conuenerimus: sciat nobis vnusquisque dicere, quantum Domino adiuuante laborauerit, aut quem fructum acquisierit. Et si quis forte nostro indiget adiutorio, nos cum charitate admoneat, & nos cum charitate nihilominus ei pro viribus adiutorium ferre non differemus.

Psal. 36.

Modus orandi plebeiorum.

29. Admonere debet is fideles, vt assiduitatem & studium habeant orandi. Ipse autem orandi modus talis esse debet, vt primum dicto Symbolo, quasi Fidei suæ recensito fundamento, dicat quisquis est, trib. vicib. Qui plasmasti me, miserere mei, & trib. vicib. Deus propitius esto mihi peccatori, & compleat orationem Dominicam. Si ergo locus, aut tempus exegerit, deprecetur sanctos Apostolos, & Martyres, vt pro eo intercedant. Et armata fronte signo Crucis, eleuatis cum corde & manib. & oculis, Deo gratias agat. Si vero tempus ad hæc omnia peragenda minus sufficiens fuerit, sufficiat tantum: Qui plasmasti me, misere mei, &: Deus propitius esto mihi peccatori, & oratio Dominica tantum cum gemitu & contritione cordis.

Inuocãdi ſcti. Signum crucis.

30. Omni etenim die Deo in oratione nostra, aut semel, aut bis, aut quanto amplius possumus, confiteri debemus peccato nostra, dicente Propheta: Delictum meum cognitum tibi feci & iniustitias meas non abscondi. Dixi confitebor aduersus me iniustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Facta etenim confessione cum gemitu; & lachrymis Domino in oratione, recitandus est psalmus quinquagesimus, siue XXIIII. siue XXXI. atque alij ad rẽ pertinentes, & sic complenda est oratio. Quia confessio quam sacerdotib. fecimus, hoc etiam nobis adminiculum affert, quia accepto ab eis salutari consilio, saluberrimis pœnitentiæ obseruationib. siue mutuis orationib. peccatorum maculas diluimus. Confessio vero, quam soli Deo facimus, in hoc iuuat, quia quanto nos memores sumus peccatorum nostrorum, tanto horum Dominus obliuiscitur: & è contrario, quanto nos horum obliuiscimur, tanto Dominus reminiscitur, dicente Propheta: Et peccatorum tuorum non memorabor. Tu autẽ memor esto, quod Dauid Propheta se fecisse testatur, cum dicit: quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.

Psal. 31. Confessio peccatorũ crebra.

Iere. 34. *Psal. 50.*

Confitenda omnia peccata.

31. Confessiones dandæ sunt de omnibus peccatis, quæ siue in opere, siue in cogitatione perpetrantur. Octo sunt principalia vitia, sine quibus vix vllus inueniri potest. Est enim gastrimargia, hoc est, ventris ingluuies: secundo, fornicatio: tertio, acedia, siue tristitia: quarto, auaritia: quinto, vana gloria: sexto, inuidia: septimo, ira: octauo, superbia. Quando er-

go quis ad confessionem venit, dili
A ri, quomodo, aut qua occasione p
uerit, quod peregisse se confitetur,
cti debet ei pœnitentia indicari. D
vt & de peruersis cogitationib. fa
Debet ei etiam iniungi, vt de octo
faciat confessionem, & nominati
vnum quodque vitium dicere, & su
nem accipere.

32. Esurientes satiandi sunt, sitie
operiendi, infirmi, & qui in carce
hospites colligendi, dicente Domi
dedistis mihi manducare: Sitiui: &
re, &c. Nam hæc omnia & in se c
taliter agere, & in aliis corporalite
pene nihil prosunt hæc omnia
compensandam, si luxuriose, supe
singula replicem) si vitiose & inord
à cæteris bonis operib. vacet. Qui
B stum non habere, qui dixit. Ego si
de cælo descendi; & charitatem, qu
non habet, esurit quidem; sed si pe
sto adiungit se & charitatis dulcedi
omnino se pauit. Qui doctrina S. sa
sanctarum fluentis caret, sitiens e
verbi Dei irriget, & mentem suam
cedine ebriet, iste se sitientem pota
ria, siue ceteris bonorum operum
tum, & induit se iustitia, siue cete
se proculdubio vestit. Si in lecto
cet, & morbo iniquitatis suæ labo
totum suorum constrictus est, & vi
dib. obsitus, pariter in tenebris inic
mus quidem; sed si de luto vitioru
egreditur, & per pœnitentiæ lam
rorum absoluitur, & ad lucem bon
ditur, infirmum & in carcere posi
C visitat. Si in huius vitæ via videt se
rum procella quasi quadam aeris i
ri, & receptaculum bonorum o
sciat se in itinere positum hospitio
tutum domum deducat & sese in e
piat, hospitem quidem suscipit. C
spiritaliter exhibet, Christum in
brum est, pascit, potat, vestit, visit

33. Admonendi sunt fideles sa
filios suos, & filias suas doceant pa
exhibere, Dicente Domino: Fi
tuum. Nam, & ipsi parentes erg
suas modeste debent agere, dice
parentes nolite ad iracundiam p
stros. Nam & hoc dicendum e
affectu parcere velint iniuriis filie
ne Dominus sinit, nisi forte digna
tur, & quia leuius est filiis parent
suscipere, quam Dei iram incurr
D 34. Admonendus est populus
ritas, quæ Deum diligit plusqu
tanquam se, & quæ nihil vult ali
vult fieri. Et plura quæ recenser
quicumque in potu & cibo, & d
dis reb. caritatem tantum putan
rant, dicente Apostolo. Regnum
potus. Nam & ipsa quando cum
sunt & inter virtutes computan

35. Admonendi sunt, qui neg
rerum inuigilant, vt non plus re
tam cupiant sempiternam. Na
renis, quam de animę suæ salute
xitatis aberrat; & iuxta quemda
sua perdidit intima sua. Sequen
sicut & in cæteris Apostolicus se
supergrediatur neque circumue

mam ſuum : vindex eſt enim Deus de his omnibus. Sicut enim ab his qui labori agrorum & ceteris laborib. victum atque veſtitum & neceſſaria vſib. humanis acquirere inhiantes ſtant, decimæ, & eleemoſynæ dandę ſunt : ita his quoque qui pro neceſſitatibus ſuis negociis inſiſtunt, faciendum eſt. Vnicuique enim homini, Deus dedit artem qua paſcatur, & vnuſquiſque de arte ſua de qua corporis neceſſaria ſubſidia debet, animæ quoque (quod magis neceſſarium eſt) ſubſidium administrare debet.

Præparatio ad Quadrageſimã.

36. Hebdomada vna ante initium Quadrageſimæ cõfeſſiones ſacerdotib. dandæ ſunt, pœnitẽtia accipiẽda, diſcordantes reconciliandi, & omnia iurgia ſedanda, & dimittere debent debita inuicem de cordib. ſuis, vt liberius dicant. Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ſic ingredientes in beatæ Quadrageſimæ tempus mundis & purificatis mentib. ad ſanctum Paſcha accedant, & per pœnitentiam ſe renouent, quæ eſt ſecundus baptiſmus. Sicut enim baptiſmum peccata, ita pœnitentia purgat. Et quia poſt baptiſmum peccator denuo non poteſt baptizari, hoc medicamentum à Domino pœnitentiæ datum eſt, vt per eam vice baptiſmi peccata poſt baptiſmum diluantur. Septem enim modis peccata dimitti, ſcripturæ ſanctæ demonſtrant. Primo in baptiſmate, qui propter remiſſionem peccatorum datus eſt. Secundo per martyrium, iuxta illud quod ait Pſalmiſta : Beatus cui non imputauit Dominus peccatum. Quia iuxta eiuſdem Dauid ſententiam : Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Remittuntur peccata per baptiſmum, teguntur per pœnitentiam, non imputantur per martyrium. Tertio per eleemoſynam, iuxta Danielem qui profano Nabuchodonoſor Regi ait : Peccata tua eleemoſynis redime & miſericordiis pauperum, & illud : Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna extinguit peccatum. Et Dominus in Euangelio : Veruntamen date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Quarto ſi remittat quis peccanti in ſe peccata ſua iuxta illud : Dimitte & dimittetur vobis. Date & dabitur vobis, & illud : Sic & pater veſter dimittet vobis peccata veſtra, ſi remiſeritis vnicuique de cordibus veſtris. Quinto ſi per prædicationem ſuam quis, & per bonorum exercitium alios ab errore ſuo conuertat, iuxta illud quod ait Apoſtolus. Quoniam ſi conuerti fecerit quis peccatorem ab errore vię ſuę ſaluauit animam eius à morte, & cooperit multitudinem peccatorum. Sexto per charitatem, iuxta illud : Charitas Dei cooperit multitudinẽ peccatorum per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Septimo per pœnitentiam, iuxta illud quod ait Dauid : Conuerſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina.

Septem modis peccata dimittuntur. — *Pſal. 9.* *Ibid.* *Dan. 4.* *Eccl. 3.* *Luc. 6.* *Luc. 11.* *Iac. 5.* *Pet. 4.* *Pſal. 31.*

Quadrageſimæ ieiunium.

37. Ipſa autem Quadrageſima cum ſumma obſeruatione cuſtodiri debet, vt ieiunium in ea præter dies Dominicos qui abſtinentiæ ſubtracti ſunt, nullatenus reſoluatur, quia ipſi dies decimæ ſunt anni noſtri, quos cum omni religione, & ſanctitate tranſigere debemus. Nulla in his occaſio ſit reſoluendi ieiunij, quia alio tempore ſolet ieiunium charitatis cauſa diſſolui ; iſto vero nullatenus debet. Quia in alio ieiunare in voluntate & arbitrio cuiuſlibet poſitum eſt : in hoc vero non ieiunare præceptum Dei tranſcendere eſt. Et in alio tempore ieiunare præmium abſtinenti acquirere eſt : in hoc vero præter infirmos ac paruulos, quiſquis non ieiunauerit, pœnam ſibi acquirit, quia eoſdem dies Dominus, & per Moſen, & per Eliam, & per ſemetipſum ſacro ieiunio conſecrauit.

Infirmi & paruuli excepti à ieiunio.

Ante veſperas non eſt relaxandum ieiunium.

38. Diebus vero ieiunij eleemoſyna facienda eſt, & cibum vel potum quo quiſque vti debuit ſi non ieiunaret, pauperibus eroget : quia ieiunare, & cibos prandij ad cœnam reſeruare, non mercedis, ſed ciborum eſt incrementum.

39. Solent plures, qui ſe ieiunare putant mox vt ſignum audierint ad Nonam, manducare, qui nullatenus ieiunare credendi ſunt, ſi ante manducauerint, antequam veſpertinum celebretur officium : concurrẽdum eſt enim ad Miſſas, & auditis Miſſarum ſolemnibus, ſiue veſpertinis officiis, largitis eleemoſynis, ad cibum accedendum eſt. Si vero aliquis neceſſitate conſtrictus fuerit, vt ad Miſſam conuenire non valeat, æſtimata veſpertina hora, completa oratione ſua, ieiunium abſoluere debet.

40. Abſtinentia vero in his diebus omnium deliciarum eſſe debet, & ſobrie, & caſte viuendum. Qui vero ouis, caſeo, piſcibus, & vino abſtinere poteſt, magnæ virtutis eſt. Qui aut his, aut infirmitate interueniente aut quolibet opere, abſtinere non poteſt, vtatur. Tantum vt ieiunium vſque ad veſperum ſolemniter celebret : & vinum non ad ebrietatem, ſed ad refectionem corporis ſui ſumat. A caſeo vero, lacte, butyro, & ouis abſtinere, & non ieiunare, dementiſſimum eſt, & omni ratione ſemotum. Vini enim ebrietas, & luxuria prohibita ſunt, non lac & oua. Non ait Apoſtolus : Nolite comedere lac & oua, ſed, nolite inebriari vino in quo eſt luxuria. *Epheſ. 5.*

Communio crebra in Quadrageſima.

41. Singulis diebus Dominicis in Quadrageſima, præter hos, qui excommunicati ſunt, ſacramenta Corporis, & ſanguinis Chriſti ſumenda ſunt, & in Cœna Domini, & in Paraſceue, in vigilia Paſchæ, & in die Reſurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum, & ipſi dies Paſchalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi ſunt.

42. In his ieiuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones eſſe debent, ſed in Dei laudibus, & in opera neceſſario perſiſtendum. Arguit enim eos, qui contententiones & lites Quadrageſimæ tempore exercent, & qui debita à debitoribus exigunt, Dominus per Prophetam, dicens : Ecce in die ieiunij veſtri inueniuntur voluntates veſtræ, & omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie. *Eſai. 58.*

A coniugali actu abſtinendum.

43. Abſtinendum eſt enim in his ſacratiſſimis diebus à coniugibus, & caſte & pie viuendum, vt ſanctificato corde & corpore iſti ſancti dies tranſigantur, & ſic perueniatur ad diem ſanctum Paſchæ : quia pene nihil valet ieiunium, quod coniugali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ, & eleemoſynæ non commendant.

Religioſi pæne quotidie cõmunicant.

44. Admonendus eſt populus, vt ad ſacroſanctum ſacramentum Corporis & ſanguinis Domini nequaquam indifferenter accedat, nec ab hoc nimium abſtineat ; ſed cum omni diligentia eligat tempus, quando aliquamdiu ab opere coniugali abſtineat, & vitiis ſe purgat, virtutibus exornet, eleemoſynis, & orationibus inſiſtat : & ſic ad tantum ſacramentum accedat. Quia ſicut periculoſum eſt, impurum quemque ad tantum ſacramentum accedere, ita etiam periculoſum eſt ab hoc, prolixo tempore abſtinere ; ſalua ratione eorum qui excommunicati non quando eis libet, ſed certis tẽporibus communicant, & religioſis quibuſcumque ſancte viuentibus, qui pene omni die id faciunt.

Miſſa ſolemnis audienda.

45. Vt Miſſæ quæ per dies Dominicos peculiares à ſacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, vt per eas populus à publicis Miſſarum ſolemnibus, quæ hora tertia canonice fiunt abſtrahatur, quia peſſimus vſus eſt apud quoſdam, qui in diebus Dominicis, ſiue in quibuslibet feſtiuitatibus mox vbi Miſſam celebrari, etiamſi pro defunctis ſit, audierint, abſcedunt vt per totum diem à primo mane ebrietati & comeſſationi potius quam Deo deſeruiant.

46 Admonendus eſt populus, vt ante publicum peractum officium ad cibum non accedat, & omnes ad ſanctam matrem Eccleſiam Miſſarum ſolemnia, & prædicationem audituri conueniant ; & ſacerdotes per Oratoria nequaquam Miſſas niſi tam caute ante ſecundam horam celebrent, vt populus à publicis ſolemnitatibus non abſtrahatur. Sed ſiue ſacerdotes, qui in circuitu vrbis, aut in eadem vrbe ſunt, ſiue populus, vt præ-

diximus, in vnum ad publicam Missarum celebrationem conueniant, exceptis Deo sacratis fœminis, quibus mos est ad publicum non egredi, sed claustris monasterij cõtineri.

Finis Epist. Theodulphi Aurel. Episc.

THEODVLPHI AVRELIAN. EPISC.

VERSVS, IN FRONTE BIbliorum quæ ipse describi fecit.

QVicquid ab Hebræo stilus Atticus, atque Latinus
Sumpsit, in hoc totum Codice lector habes.
Quo loca prima tenet Genesis; primordia Mundi,
Diluuiumque canens, gestaque magna patrum.
Exodus Ægyptum spoliat, secat æquora rubra:
Pandit iter heremi, lympha ibi lexque datur.
Inde, sacerdotum gentem, Leuiticus ornat;
Et typice exponit dona, sacris typicis
Bella virosque liber Numeri, describit & actus:
Queis fregit Moyses Idola, stupra, duces.
Post; repetit legem, populo benedicit, & alma
Iura dat; ac dicto carmine, victor obit.
Diuidit hinc, proprio terram Nauegius Heros
Libro, desertis vrbibus atque locis.
Pridem iudicibus, quis & ordo cucurrit & actus,
Continuante stylo cecinit inde sequens.
Moxque sedent, quæ Ruth Moabithis fœmina gessit,
Clara piis meritis, clara nepote pio.
Psalmicanique actus, & iniqui gesta Saulis
Prime sequensque liber hinc Samuelis, habes.
Tertius & quartus; Malachim queis nomen inhæsit
Regum Hebræorum, ex ordine, gesta canunt.
Hinc sedet Esaias; Christum de Virgine nasci
Qui canit, & gentes ad pia iura vocat.
Hunc prope Hieremias qui virgam Ollamque tuetur;
Ordine quadruplici, flebile texit opus.
Partibus Ezechiel summis obscurus & imis
Hinc est, stirps qui hominis more vocatur Eri.
Post duodenus inest Vatum pius ordo minorum,
Longe aliud signans quam sua verba sonent.
Nam Mœchã, & prolem & Ioseph, creber intonat Ose,
Samariam, Effraim, Gesdrahel & viduam.
Hinc Iohel, euersum prius atris cladibus Orbem,
Flaminis aduentum concinit inde pij.
Quatuor ĕque tribus probris regna increpat Amos
Se & vidisse boat mystica plura satis.
Percutit Abdias, Edom, almi cuspide verbi,
Emulus & fratris illius ore ruit.
Naufragio Ionæ signatur Passio Christi
Niniuis & vitam nomine Mundus habet.
Filia latronis vastatur femina Michæ,
Quod Ducis Israhel læserit illa genas.
Voce Naum pulsat constanti sanguinis vrbem,
Pacicanosque boat montis in arce pedes.
Abacuc interno in cruce Christum spectat ocello,
Cornibus his vis est, eius operta tonat.
Promit Sophonias à porta & colle quod audit,
Plangorem indigenis fert quoque pila tuis.
Aggeus instaurat templum; celsumque Tonantem.
Motutum recinit æquora, rura, polum.
Michea Zacharias postquam videt ordine plura,
Sessorem dominum dicit, Aselle, tuum.
Munera Malachias Populi inquit abacta prioris,
Agmina cumque suis gentium amata Deo.
Iob quoque verba tenens cum gestis inde libellus,
Hic paruus quamuis pondera magna vehit.
Mox dulcis dulcem depromit cantio Christum,
Psalmorum lyrici quos statuere pedes.
Protinus idiotæ resident tres ordine libri,
Cui nomen Salomon siue Cohel
A Alloquitur primus sub prolis nomin
Corrigit & mores, Ethica, lege r
Omnia vana canit rutilo sub sole, se
Cui res est physicas enumerare la
Tertius, ecclesiæ thalamum Christi
Rebus & in Logicis vertitur eius
Inde Philostoticus Daniel est totius
Omnia qui lapidem frangere reg
Hinc duo ponuntur quis nomen ver
Promere siue labor gesta genusqu
Ponitur hinc Hesdras, legem templ
Et reditum Israel ad sua rura can
Ecclesiæque typum referens mox se
Quæ Plebi extorri lausque decus
Post liber est positus cui dat Sapient
Quod Christi aduentus morsque
Protinus aptatur liber Ecclesiasticus
Quo pia iura sonant lausque beat.
B Hinc pia pauperies pietas & opima,
Est, Tobi, libro rite notata tuo.
Scribitur insignis Iudith mox fæmin
Incestus cecidit qua feriente furo
Hinc gemini libri ponuntur Machal
Gesta quibus fratrum quatuor alr
Promit aperta nouæ Christum hinc
Tegmine hinc typico prompsit
Matthæus, Marcus, Lucas, sanctusq
Vox tonat hunc chorum quatuor
Primus ab humana quia cœpit pro
Humani formam schematis inde
Auia terribili perstringit voce secun
Scribitur & species inde leonis ei.
Estque sacerdotij quia rebus tertius
Forma iuuencalis hinc sibi rite dat
At quia verborum pinnis super æthe
Hinc Aquilæ specimen celsa peter
C Quatuor atque decem hos Pauli scri
Quæ Orbi misit ouis, qui lupus a
Romulidas reuocat à legis pondere
Atque Euangelicam censet habe
Arcades intestos aduerso errore secu
Ad veram scriptis conuocat illa fi
Pœnituisse placet, solatur tertia eosd
Laudansque hortatur ad meliora
Ad fidei Galatas deducit quarta vig
Qua spreta pronos grande premel
Quinta Ephesi populos venerandis
Quod sanctam haud quaquam de
Sexta Philippenses solatur, laudat &
Constanter fidei quod tenuere d
Moxque Colossenses præuentos sep
Vatibus instruit, corrigit atque
Thessala quam genuit fauet hinc oc
Tempora quod cum essent nubil
Extima queis etiam prædicit tempe
D Quoue sit atra lues deiicienda m
At decimæ textus Timotheum info
Ecclesiæ in rebus, ordinibusque
Temporis vndecima supremi prob
Instruiturque viis omnibus ille
Instruit inde Titum, decimæ subie
Quo vitet hæreses, presbyter es
Tertia post decimam, pia dat tibi v
Quæ Roma vinctus misit ab vrb
Vltima per legis vatumque oracula
Hebræis prolem prædicat esse D
His sunt Catholicæ subiunctæ ex o
Paginæ Apostolico quas capit o
Scilicet vna pij Iacobi, Petrique ge
Sunt tres Ioannis, vna tibi, Iuda
Complentque Ecclesiam generali
Instituuntque fidem, iusque sal

Hinc ad Apostolicos quos Lucas protulit Actus,
It salus Ecclesiæ; qui noua gesta canunt.
Visio sancta, libros, quæ sancto visa Ioanne est,
Claudit, & arcano limite signat eos.
Hoc testamenti veterisque nouique sub vno
Calle patens biuium; ducit ad alta poli.
Hic cibus æterno satiat præcordia pastu,
Iustitiæ famem quo mage habetur, alit.
Hic paradisigeno veniens de gurgite polus;
Quem, quo plus quis adit plus sitit omne bonum,
Hæc tuba terribilis mugit per compita Mundi,
Mittit terrigenum ad cælica regna decus.
Hæc lux horrendas errorum decutit vmbras,
Qua retinent mentis te via, recta, pedes.
Sunt hic iura Dei tenebris nudantia Mundum,
Splendidiora Astris, candidiora niue.
Iusta iubent, iniusta vetant, mala cuncta recidunt;
Virtutes gignunt, probra fugant vitia.
Lex pretiosa Dei est, quid enim pretiosius illa,
Quam dat fons vitæ, lux & origo boni?
Est doctrina, potens, superansque scientia cunctas,
Cui valet æquari nulla sub axe poli;
Cui si quam cupias sensu conferre vel arte,
Vt cælo tellus, hæc ita cedet ei.
Quicquid in ingeniis mundana discitur arte,
Artibus, hic currit liberiore via.
Quod ratione viget, vel quicquid amatur in illis:
Hoc à fonte mear, huius ab amne flut.
Cumque has in cunctis vincat fandi ordine, vincit,
Quod sermone vno multa notanda docet:
Verborum atque vnum non mutans tramite callem,
Hic plures, vnus, res bene sermo notat.
Sic narrat textum, tamen vt mysteria prodat,
Maiora insinuat dum modo magna canit.
Magnaque sic paruis componit, paruaque magnis,
Actum vt per vilem, tu pretiosa sones,
In re præterita, monstrat narrando futuram,
Hæc referens, miro prædicat illa modo.
Acta ita describit vt agendi conferat Artem,
In re seu facta, te facienda monet.
Pondere de rerum taceo: quis singula fando,
Expedict; decus hoc queis lucet atque viget?
Quæ, non clausa, metum, fastidia non dat, aperta:
Non hic deterret non ibi vilis inest.
Hic spes quærit eam, tenet illic prompta facultas.
Quo latet, exercet quo paret, ista cibat;
Fortium in obscuris, exercet prælia dictis,
Te sermone humili paruula turba fouet.
Fortibus est panis, pusillis lacteus humor:
Hos solidis dapibus, hos ope lactis alit.
Curat more Meri, ritu demulcet oliui:
Multimodo optatu, sic datur vna salus.
Hæc etiam assiduo fastidia derogat vsu,
Quoque magis capitur quæritur inde magis.
Pluraque cum soleant meditatu horrescere grandi.
Huius amor, quo plus hæc meditatur, adest.
Adiuuat hæc animum, humili sermone legentis;
Sensibus & celsis ad potiora leuat.
Nam se Lectorum rudium bene nosse caterua,
Hanc ratur, at doctis hæc noua semper inest.
Quid quod ad æthereas populi vocat agmina sedes,
Et ad vita sociat non peritura tibi?
Qua mundanus amor fugit, crescitque supernus,
Vertit & ad melius, corda legentis, opus
Adde quod exemplis, mundanos instruit actus,
Et via consiliis, hac tribuente patet.
Scilicet hic quisquam, didicit dum gesta priorum,
Quid vitare queat, quidve sequatur habet.
Erudit externos proprios. sic actibus actus,
Non-que suis sua sic dicta vel acta regit.
Singula quis referat? numero transcendit arenam
Et plu- viæ guttas, Legis opimus honos.
Cui, quæ lecturum totis te nisibus addis,

A Quisquis es, intenta poscito mente Deum.
Vt tua clementer eum hoc nectare corda reuisat,
Cumque hoc inhabitet pectoris antra tui.
Hac veniente, tuæ pandatur ianua mentis,
Qua nitidante, omni sorde carere queas.
Hospitium quo præstet ei qui condidit illam,
Cum lege hanc adeat legis & ipse dator.
Non te peruadat fastus, non gloria fallax,
Non vanæ, aut vacuæ sit tibi laudis amor.
Spiritus effugiet hominis fera pectora ficti,
Hæc habitator adit corpora pressa malis.
Sit tibi mens humilis, cor prudens, actio munda,
Sit florens studium, sit pietatis opus.
Crebra sit in sancta tibimet meditatio lege,
Instato monitis, nocte dieque suis.
Hanc gere corde, manu, proprio non desit ab ore:
Tuque aliorum actus, corrigat illa, tuos.
Hæc in parte thori sedeat, hanc lumina cernant,
Hanc colla, hanc genua, hanc brachia curua vehant.
B Ad caput hæc sedeat; solito dum tempore stertis,
Dumque fugit somnus, te petat illa celer.
Nec solum, vt doctus; sed, & vt sis iustus amato:
Eminet vnum alio, cum sit vtrumque bonum.
Nam tibi cunctipotens. actus non verba requiret,
Illi in vtroque tamen ipse placere vales.
Disce legens, adsuesce frequens, faciendo doceto,
Sitque tibi hic trames, Legis in arte piæ:
Quatenus erudiat mentem tibi lectio crebra,
Detque tuis pulchram sensibus illa viam.
Ne cito labatur, vires sibi colligat vsu:
Lectio crebra tenet, mens quod acuta capit.
Semita sic cælo dumosæ robore syluæ,
Dum teritur crebro fit via lata pede,
Sancta ferant sanctis verbis exempla vigorem:
Quæ canis & facito, quæ facis ipsa cane.
Non verbis, actus, non illis verba repugnent:
Nobile par, tecum currat vtrunque simul.
Quod bene mente capis, humili sermone profare,
C Ne fastu amittas, quod studiosus habes.
Plura referre; mora est: in paucis collige multa,
Lector, cui fuluum mentis acumen inest.
Semine sic messor prouiso, plurima, paruo,
Grana vehit; voto fertiliore cluens.
Dumque opus id cernis, relegis dum carmina nostra,
THEODVLPHI clemens sis memor, oro, vale,

Distichon.

Viue Deo felix per plurima tempora lector,
THEODVLPHI nec sis immemor, oro, mei,

Aliud.

Finis adest operi: his quibus est peragentibus actum:
Sit pax, vita, salus, & tibi Lector aue.

D *Theodulphi Versus præfixi breui Chronico quod Bibliis adiectum fuit.*

Codicis huius opus struxit Theodulphus amore.
Illius hic cuius lex bene dicta tonat.
Nam foris hoc gemmis, auro splendescit & ostro,
Splendidiore tamen virtus honore micat.
Quo post Catholicæ veneranda volumina Legis;
Parua tenet modicum scriptio cerne locum.
Scilicet, initio, sumens exordia ab ipso,
Per Patrum & Regum nomina texit opus.
Et notat annorum numerum, notat ordine regna,
Heracli princeps, tempus adusque tuum.
Gestaque dat paucis reminisci plurima verbis,
Sic modico in nutu grande notatur opus.
Hinc ad aperta sedent Hebrææ nomina linguæ,

Quæ sacræ Legis inclytus vsus habet.
Attica post resident, fidei, quæ sacra vetustas
Contulit Ecclesiæ, queis vocitantur opes.
Conficitur Latio de nomine siluula parua,
Quæ magni fructus pondera digna vehit.
Corpore sub paruo mysteria magna retentant,
Hæ res quas limes Codicis huius habet.
His fluuium Legis poterit lustrare lucernis,
Quærere qui pisces legis in amne cupit.
Restibus his poterit pretiosam prendere prædam,
Ars est cui sancta quærere lege cibum.
Non has, lector ouans, quasi quædam vitia temne:
Vilis, rem pulchram, capsa tenere solet.
Ferrea nam clauis de vili facta metallo,
Argentique auri dat penetrare locum.
Quæque est feruanti seu sarcina parua ferenti,
Quo, grauis est pretij sarcina, monstrat iter.
Nam modicis clauis, grandis structura tenetur,
Marculus & paruus magna metalla polit.
Sic segetes magnæ nascuntur semine paruo,
Pondus & arboreum germine deque leui,
Obstrusa aperiunt panduntque latentia, plura,
Paruaque velamen virgula grande leuat.
Quosque tenent flores librorum grandia parta,
Et simul hic calathus dat tibi; carpe manu.
Vtere seu fœlix quo sis felicior ipse;
Cum tua perpetuas vita capesset opes.
Et memor esse mei dignare per omnia, quæso,
Dum legis & relegis, dumque adis istud opus:
Dumque adis istud opus quod condidit actio nostra,
Mercedem studij, tu mihi redde mei.
Hanc rogo mercedem prome, deposce Tonantem,
Vt mihi det veniam, seu pius addat opem.
Noxia depellat, concedat prospera quæque,
Participem & faciat vita beata tibi.
Componat mores, firmet spem, corrigat actus,
Vtque animæ adueniat, hoc tribuente, salus.
Atque ita me clemens peccamine purget ab omni,
Vt mihi post mortem, det super astra locum.
Cœtibus Angelicis & iungat, munere, cuius,
Terrea progenies scandit ad astra poli.

Eiusdem S. Theodulphi Hymnus In die Palmarum.

GLoria laus, & honor, tibi sit rex Christe redemptor;
Cui puerile decus prompsit Oshanna pium,
Israel tu rex Dauidis & inclyta proles,
Nomine qui in Domini rex Benedicte venis.
Cœtus in excelsis te laudat cœlicus omnis,
Et mortalis homo cuncta creata simul.
Plebs Ebræa tibi cum palmis obuia venit,
Cum prece, voto, hymnis assumus ecce tibi.
Hi tibi passuro soluebant munia laudis:
Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.
Hi placuere tibi, placeat deuotio nostra,
Rex pie, rex clemens, cui bona cuncta placent.

THEODVLPHI ABBATIS
FLORIACENSIS, POSTEA EPISC. AVRELIANENSIS,
Elegiæ Epistolares.

DE SVO EXILIO, AD *Modoinum, & Aigulfum.*

Item

A RESPONSORIA E
ELEGIAC
MODOINI EPI
Ad Theodulphun

Omnia nunc primum ex membra
edita, per Henr. C

HENRICVS CANIS
LECTOREM

QVIS Modoinus,
Theodulphus fueri
Modoinus hic est,
bonis interfuit ann
so, quem hunc ip
sum esse assero. *E*
B quiunt Acta Synod
& apud Baron. tom. 10. anno 853
*iudicum * peccatorum suorum, videli*
cio, Aiulfi scilicet Archiepiscopi, Ba
doini Episcopi, & testificatione testium
pho hæc Card. Baron. in Tom. 9. *I*
Theodulphus Abbas Floriacensis un
iuratione Bernardi aduersus Ludouicu
inuentus implicitus, ob eamque causa
fuisset in carcerem, cum poëticæ facul
ius temporis fuisset excultus, ibidem
siasticum carmen ad diem Palmarum
accommodatum, obseruansque tempu
inde transiret, è fenestra carceris, vt
aures eius, quod cum eidem Imperator
permotus, ipsum iussit quamprimum è
etiam prærogatiua, non solum ipsius se
motus, postea ad Episcopatum Aurelia
C *curauit, Ecclesiasticum autem Melos*

Gloria laus & honor ti

Scripsit & alia plura carmina, qu
stant, nobilis ingenij monumenta, & c.
la eius ad Clerum suæ Diœcesis script
relianensis Episcopus. Hæc Baronius
stolam Annalibus suis intexuit.

INCIPIT E
LA THEODVLI
COPI AD MOD
Episcopum, scribe
D exilio.

Theodulphus Modoin
de suo exi

HOc Modoine ti
exul
Summo Por
melos,
Ito Thalia cele
latu.
Nec mora,
quies.
Donec peruenias Modoini ad te
Præsulis eximij, Pontificisque
Ad quem mox veniens, genibu
Iusserit & sic surgere, surge

Basiaconfestim manibus donabis amicis,
Et spectans paululam, fessa iacebis, humum.
At, si te roget, quæ sis & cuius, & vnde?
Fare age prome animo singula dicta tuo.
Sum Theodulphi Erato, veniens de carceris antro,
Eius vbi immensus hunc tuus vrit amor.
Exul, inops, pauper, tristissimus, anxius,* agens,
Spretus, & abiectus est vbi, siue dolens.
Forsan & ipse roget, quid agam? me viuere dices,
Vita, qua melior mors bona, forte foret.
* Haud legit, haud docet, haud laudum pia munia complet
Cunctipatri Domino qui regit arua polum,
Hunc, pro se poscit, pro te, sine ordine cleri,
Pro * poli, & regis, proque salute Ducum;
Me, qui transmisit, huius tibi dico salutem,
Subdita sunt cuius verba canenda tibi.
Obsecro frater amans nostri memor esse memento,
Frater, pars animi portio magna * mei.
Mens tua semper erit nostros miserata labores,
Nostræ nota tibi quod bene causa rei.
Quo mage res nota est, magis inde adhibeto * dolorem;
Sic medicus morbum dum videt, arte fugat,
...mea præsentis pereunt, scis, gaudia mundi:
Numquam fraternus sed perit almus amor.
...e modo pluris amas, quanquam me semper amasses,
Ægrum aliis natum plus pia mater amat.
...lis opto libens certa succurrere rebus;
Et fratrum mentes sollicitato pias.
...us ego quamuis sim; non est vnius hæc res:
Quod factum est mihimet, esse potest alij.
...commune malum; communis * cura petenda est.
Quod nostrum est hodie, cras erit alterius.
...non quis frater timeat contagia demens,
...e illi, quæ nobis irrepat ista lues?
...e solet febris, seu vulnere crescete vulnus:
...multa ex vno fonte fluenta fluunt.
...nea si placidam sit nacta plagæ medelam,
...stinus & veniat, morbo abeunte, vigor.
...quid vlterius non pars inimica valebit
...perere, & scelus hoc non leue prorsus erit.
...s habet propriam, & mendax ancillula legem,
...ilio, pistor, nauta, subulcus, arans,
...lor, amisit hanc solus Episcopus, ordo
labefactatur, nunc sine lege sua
... & qui aliis legalia promere iura,
...cij, perditius, sine iure, sui.
...acit sæuum confessa petire latronem,
...est confessus Præsul, & ecce petit.
...e suis egeant mundana negotia rebus,
...sa quibus iustum possit habere modum,
...eguit iusto rationis pondere caussa.
...ia excepta, nullum habet ista modum.
...restis inest, iudex nec idoneus vllus,
...aliquod crimen ipse ego fassus eram,
...rem fassus, cuius censura valeret,
...e iudicij congrua fræna mihi?

...s ILLVD ROMANI PRÆSVLIS EX-
...AT.

...ego accepi pallia sancta manu,
...are mihi, libuit tibi carmina quædam,
quibus lusit Musa iocosa patrum.
præterea hoc quædam miracula visa
...ur. breuiter hæc quibus ista canam.
..., SARTAM GALLI dixere priores,
hunc gignit, & Meduana bibit.
...lle suis penetrans Cenomanica rura,
...qui propter illius vrbis abit.
... transire solent prope lintribus illum,
...entum non leue fecit eis.
...scidulas tenebras cum aurora fugaret,
...peterent more fluenta homines,

A Est propriis spoliatus aquis locus ille repertus,
Qui rate, seu remis peruius ante fuit.
Stantibus atque vndis populus hinc, inde stupebat.
Alueus ac plebem ad * inferiora vocat. * interiora.
Nemo ratem quærit, nullus te nauita poscit;
Miranti populo sic stat aperta via.
Et metus, atque rei nouitas intrare vetabat:
Primitus & sensim cœpit abire metus.
Incipit esse vetus, noua res, intratur vtrinque,
Alterutram ripam, plebs petit atque pecus.
Vel pes eis siccus, modicum vel planta madescit:
Dum gradiens populus itque, reditque frequens.
Si olim tale vadum iuuenis Leandrus haberet,
Non foret insignis tam tibi luctus, Ero,
Non ad piscandum * quisquam fert rete, vel hamum, * quis quærit rete, vel.
Saltibus, atque manu, qui volet, illud agit.
Vir tumulandus erat ripæ vlterioris in agro.
Flentibus euehitur, per loca sicca, suis.
Illa sat vrbis timuit, peteret ne se vnda tumescens
B Obrueretque simul compita, rura, domos.
Saxa patent ignota polo, polus ipse patescit
Saxis, cum proprium linqueret humor humum.
Quod vada nulla dabas pediti illic, Sarta, dedisti:
Grande vadum caligas cum tua saxa stupent.
Sarta aliis vicibus hoc ipsum est passa duabus,
Nec hoc, nec procul hoc tempore, siue loco.
Quis neget antiqui * cum meminisse tropæi.
Quo fluuium scindit & * Ierichunta quatit. pro mecum. * gericonta
A prima in quartam modus hic defluxerat horam,
Inde suas reperit post celer vnda vias.
Nomina non ideo narrantum scripsimus isthic,
Sunt quoniam plures, qui cecinere mihi.
At si nosse rei vis lector tempora * gesta: * gestæ
Accipe: promemus sub breuitate tibi,
Forsan nosse diem vis hunc quoque disce, canemus:
Vt res ambigui possit habere nihil.
Bis partem vndenam solidi rota solis Aquari
Scanderat in sexta, lunaque piscis erat.
C Tale quod asseuerant flumen Idonea passum,
Ad quod ab vrbe fluens sat prope Sarta bibit.
Quære locum ex aliis * Dei tibi tempora dicam, * diei, media breui,
Crastina præfatæ res fuit ista rei.
Hunc quoque defectum quod passa sit Angera dicunt:
Sed locus, atque dies sunt mihi nota minus.
Non grandi studio perquirimus ista, quod illi
Qui narrant per me nosse futura volunt.
Non id aperta canit, nec erit vox semper operta
Tempore namque manent ista canenda suo.
Rebus, & exemplis quædam bene nosse valemus,
Cum non diuinem, hæc, scio, res quid agat.
Miraque * sunt per idem tempus quam plurima visa, * sint.
Hoc etiam visum est, quod recitare paro,
Quod mihi Gerhardus retulit, Paschasius illi: De pugna auium.
Hic audita mihi, visa sed ille refert.
Nempe Tolosani locus est, rurisque Caturci,
Extimus hoc finit pagus vterque loco.
D Illi campus inest, cuius sunt extima siluis
Cincta, hominesque manent non satis inde procul.
Quem volucres magno complerunt impete multæ,
Planitie inque eius multa resedit auis.
Quas fluuius, quas habet nemus, & quas squalida tellus,
Quæ scopulis nidos composuisse solent.
Quis cibus est varius; cantus, color, atque volatus, penna.
* Pinna, vngues, rostrum, mos, locus, officium.
Nam Zephyrus * sparsas * Aquilone adiunxerat illas, * parsas, * Aquilonis vexerat.
Partem & vtramque putes signa habuisse sua.
Sederunt campis acies altrinsecus illis;
Et spatium extabat inter vtrasque aliquod.
Inter vtramque aciem legatos ire putares,
Qui pugnæ, aut pacis iura referre parent.
Interea alterutra paucæ ex vtraque volabant
Parte, vices complent ista, vel illa suas.
Egerit illa nihil quod tunc legatio pacis,

exercitus præminebat. Fit prima congressio, vt ferunt, circa Ligerim, sed protractum est bellum & in campis Catalaunicis, qui Mauriaci vocantur, atrox bellum & pertinax conseritur, cui simile in paucis antiquorum inuenitur gestis. Rex enim Attila circa horam diei nonam heri certamen censuit, vt si euictores sui longius prosequendo intercidente nocte ad castra remearet, sin auté victi, noctis præsidio adjuti, vires resumerent. Quo bello famosissimo, clxv. millia ab vtrisque partib. cæsa referuntur exceptis xv. millibus Francorum & Gepidarum, qui mutuis vulneribus conciderunt. Itaque Theodoricus Gothorum rex ibi occubuit. Attila rex victus in castra, quæ de plaustris præparauerat, se recepit. Ætius aūt Thorismodum Theodorici regis interfecti filium solicitans, ne fratres illius patris occisi inuaderent regnum, mox ad Tolosam ire coëgit, quæ sedes erat Vesegotharum regni. Attila vero per legatos monuit simulans amicitias, vt cito ad sua repedaret regna, antequam noui hostes circumfusi maiora sibi inferrent detrimenta. Ipse autem Ætius vtrosque reipublicæ deputans hostes, sic negotio infecto discessit. Attila autem nacta occasione discessu Vesegotharum iam securus Gallias relinquens, ad oppressionem Romanorum mouit procinctum. Primaque adgressione, Aquiliensem diu obsidebat ciuitatem, quam captam ita penitus deleuit, vt vestigia eius ruinæ vix appareant. Inde audacior factus, Mediolanum occupat metropolim, pariter & Ticinum regias vrbes, & quali sorte deiicit vicinaq; loca sæuiens demolitur. Cumq; Romam intentus esset opprimere, Leo Papa per se accedens ad eū, mitiorem reddidit. Qui deposito furore, vltra Danubium promissa pace discessit.

De Ætii nece, & deprædatione Romæ per Vuandalos.

CAP. XV.

Ætius autem patritius, magna occidentalis Reip. salus, ab hostibus liberata Gallia reuertitur in Italiam. Denique factione Heraclij spadonis à Valentiniano principe occiditur, cum quo Hesperiarum cecidit regnum. Valentinianus autem à satellitibus Ætij, quos sibi delegerat milites, dolo Maximi perfossus interijt, imperatorem quoque eiusdem Maximus inuasit. Qui cum Reip. profuturus per omnia crederetur, non sero documento, quid animo habebat probauit. Siquidem interfectores Valentiniani in amicitiam recepit, vxoremque eius Augustam amissionem viri lugere prohibuit, & intra paucissimos dies in conjugiū suum transire coëgit, sed hac incontinentia non diu potitus est. Nam post alterum mensem nuntiato ex Aphrica Gaizerici regis aduentu, multisque nobilibus ac popularibus ex vrbe fugientibus, cum ipse quoque data cunctis abeundi licentia, trepide vellet abscedere, à famulis dilaniatus est, & membratim deiectus in Tyberim, sepultura quoque caruit. Post hunc Maximi exitum confestim secuta est multis digna lacrymis Romana captiuitas, & vrbem omni præsidio vacuā Gaizericus obtinuit, occurrente sibi extra portas S. Leone episcopo. Cuius supplicatio ita eum domino agente leniuit, vt cum omnia potestati ipsius essent tradita, ciuitatem ab igni tamen & cæde atque supplicijs seruarit. Per xiv. igitur dies secura & libera scrutatione omnibus opibus suis Roma est vacuata, multaque millia captiuorum secum ducens, cum regina Eudoxia, quæ eum inuitauerat, vt ferunt, & filiabus eius Carthaginem victor Gaizericus reuersus est.

A *De restauratione Orientis Imperii per Marcianum principem, & de gestis Germani episcopi apud Britones.*

LIBER XVI.

Igitur Marcianus Oriētis Imperator regnum, quod decessores prædecessoresque eius per annos fere lx. vicissim imperantes minuerunt, diuina promissione sic reparauit, vt exultatio ingens cunctis accresceret sibi subiectis. Hic namque cum Auito Hesperiarum Imperatore, quem Romani post Maximi necem tyranni & vrbis deprædationem Cæsarem creauerant, vnanimitatis fœdus composuit. Qui vtramque rempub. concorditer administrantes rexerunt, demum 6. anno sextoque mense Imperij sui Marcianus in pace obijt. Cui Leo successit in regnum. Auitus autem de Italia in Gallias secessit vbi ab exercitu & Gothorum B auxiliis destitutus reuersus Italiam, episcopus in Placentia est factus. Cuius instinctu Theodoricus rex Gothorum contra Sueuos mouit exercitum, quoniam ipsi regiones quas Romanis reddiderant, deprædando vastabant. Fitque congressio contra Sueuos in Tarraconensi Campania, vbi plurimi Sueuorum extincti. Richarius rex Sueuorum fugiens nouissime comprehensus & in custodiam trusus: Sueui destructo eorū regno tradiderūt se Theodorico regi Gothorum. Qua tempestate gens Anglorum siue Saxonum, Britanniam tribus longis nauibus aduehitur. Quibus dum iter prosperatum domi fama referret, mittitur exercitus fortior, qui junctus prioribus primo hostes abigit. Deinde in socios arma vertens, totam prope insulam, ab orientali eius plaga vsque ad occidentalem igni vel ense subigit, conficta occasione, quod pro se militantibus Britones sufficienter stipendia promissa non darent. Tunc hæresis Pelagiana Britannorum turbat fidem, qui à Gallicanis episcopis auxilium quærentes, C Germanum Vtissiodorensis ecclesiæ episcopum, & Lupum Trecasinum æque apostolicæ gratiæ antistitem, fidei defensores accipiunt. Confirmant antistites fidem, verbo veritatis simul & miraculorum signis. Sed & bellum Saxonum Pictorumque aduersus Britones eo tempore junctis viribus susceptum, diuina virtute retundunt. Cum Germanus ipse dux belli factus, non tubæ clangore, sed clamore halleluia totius exercitus voce ad sydera, leuato, hostes in fugam vertit immanes.

De crebris mutationibus principum. Et quo pacto Occidentis Imperium amiserint Romani.

CAP. XVII.

Leo, vt diximus, Orientis Imperator post Marcianum factus, apud Rauennam autem Maiorianus Cæsar est ordinatus. Qui cū Theodorico rege Vesegotharum fœdus inijt per legatos, & ab Emerita D Hispaniæ ciuitate quam tunc vastabat, ad Gallias est reuocatus, non tamen sine magna strage atque populatione Sueuorum, aliarumq; gentium Hispaniæ in diuersis partibus habitantiū, quas per duces suos Theodoricus opprimere atq; deprædari iusserat. Maiorianus autem Imperator pace composita cum Theodorico rege, tendit ad Hispanias, nauesque præparare jusserat, vt inde transiret contra Vvandalos in Aphricam. Sed dum peruenisset ad Carthaginem Spartariam Vvandali classem, quam præparare jusserat, inuadunt atq; diripiunt. Itaque Imperator cœpto negotio frustratus reuertitur in Italiam & apud Tertonam occiditur, locumque eius Seuerianus inuasit, sed ipse tyrannidis suæ III. anno vix expleto Romæ occubuit. Qua tempestate inter Francos & Burgundiones Diuione gestum est prælium: Gundeislo hoc dolosè

machinante contra fratrem suum Gundebaudum, Itaque Gundeislus cum suis aduersus fratrem suum cũ Francis dimicauit, fugatumque fratrem regnum ipsius paulisper obtinuit. Gundebaudus autem Auinione se muniuit. Eodemque anno resumpis viribus Viennam obsedit & captum fratrem suum Gundeislu interfecit, pluresque Burgundionum morte damnauit, regnumque fratris suo copulauit & renuit. Tunc Leo Imperator Artemium diui Marciani generum ex Patritio Cæsarem ordinans, ad Hesperium destinauit Imperatorem. Hinc per Ardaburem Asperis filium Bigenem Getarum regem interemit. Qui etiam Basiliscum fratrem suæ Austæ contra Vuandalos cum exercitu direxit in Aphricam: Qui nauali prælio Carthaginem sæpe aggressus, pecuniis delinitus abscessit. Igitur Artemius ilico vt Romam venit, Recimerem generum suum contra Alanos direxit, virum egregium, qui & multitudinem Alanorum fugauit, & regem eorum Beorgum in primo statim certamine superatum interemit. Theodoricus ergo Vesegotharum rex crebram mutationem Romanorum principum cernens, Gallias suo iure nisus est occupare. Quod comperiens Artemius Imperator, Britonum solatia postulauit. Quorum rex Rotimus cum XII. millibus venit vt ferret auxilia, contra quos rex Vesegotharum Theodoricus innumerum ductans exercitum, diuque pugnans Rotimum Britonum regem antequam Romanis coniũgeretur, effugauit. Qui amplam partem exercitus amissam, cum quibus potuit, fugiens ad Burgundionũ gentem vicinam, Romanisque eo tempore fœderatã aduenit. Theodoricus vero rex Vesegotharum Aruernam Galliæ ciuitatem, Artemio principe iam defuncto, qui cum Ricimere genero suo intestino bello sæuiens, Romam triuisset, ipseque à genero peremptus, reliquit regnum Olybrio. Quo tempore in Cõstantinopoli Arpar, primus Patritiorum & Gothorum genere clarus cum Ardubure & Patritiolo filiis illo quidem olim patre patritio, hoc autem Cæsare generoque Leonis principis appellato, spadonum ensib. in palatio vulneratus interiit, & nec dum Olybrio octauo mense in regno ingresso obeunte. Glicerius apud Rauennam plus præsumptione quam electione Cæsar effectus, quem anno vix expleto, nepos Marcellini quondam patritii sororis filius à regno deiiciẽs, in portu Romæ episcopum ordinauit, & ipse regnum obtinuit. Tantas varietates mutationesque Romanorum principum Theodoricus cernens (vt diximus superius) Aruernam occupauit ciuitatem, vbi tunc Romanorum dux præerat, Cedicius nobilissimus senatorum, & dudum Auiti Imperatoris, qui ad paucos dies regnum inuaserat, filius: Gothi capta ciuitate Aruernorum Narbonam etiam inuadunt. Contra quos Orestem magistrum militiæ Nepos Imperator direxit. Orestes vero suscepto exercitu venit Rauennã, ibique moratus Augustulum filium suum Imperatorẽ fecit. Quod audiens Nepos fugit Dalmatias, ibique regno priuatus defecit, vbi iam Glicerus dudum Imperator episcopatum Solonitanum habebat. Augusto vero à patre Oreste in Rauenna Imperatore ordinaro, non multo post Odoacer, Torcilingorum rex, habens secum Scyros Herulos diuersarumq; gentium auxiliarios Italiam occupauit, & Orestem interfectũ Augustum filium eius de regno pulsum, in Lucullano Campaniæ castello exilii pœna damnauit. Sic quoq; Hesperium Romanæ gentis imperium, Quod LXXIX. vrbis conditæ anno primus Augustorum obtinuit Octauianus, cum hoc Augustulo periit, anno decessorũ prædecessorumue regni, D. XXII. Hinc iam respub. Romanorum partibus Hesperiarum, quæ hactenus gentib. imperauerat, regibus gentium gemens succubuit.

A *De Theodoro Gothorum rege, qualiter obtinuerit Italiam per Zenonis Imperatoris datum. Et de gestis eius.*

CAP. XVIII.

QVa tempestate Leo Imperator pro Thoma Chalcedonense per vniuersum orbem singulis orthodoxorum episcopis, singulas consonantesque misit epistolas, quid de eodem Thoma sentirent, rescribi sibi postulans. Quorum adeo consonantia de vera Christi incarnatione suscepit omnium rescripta, ac si vno tempore vnoque dictante fuissent vniuersa conscripta. Quibus diebus Theodorus episcopus ciuitatis, quæ à Cyro Persarum rege condita Cyriæ nomen habet, scripsit de vera incarnatione domini saluatoris aduersus Euticem & Dioscorum Alexandriæ episcopum, qui humanam in Christo carnem negant. B Scripsit & historiam ecclesiasticã à fine librorum Eusebii vsque ad suum tempus, id est, vsque ad imperiũ Leonis huius, sub quo & mortuus est. Tunc & Victorius iubente papa Hilario scripsit paschalem terminũ D. XXXII. annorum, Leo autem nepotem suum Leonem manibus suis coronauit: quo facto Imperatore, moritur anno XVI Imperii sui. Itaque admodum puer Leo dum paruo superesset tempore, patrem suum Zenonem Imperatorem constituens, rebus excessit humanis. Zenon autem annum XVII. Orientis rexit imperiũ. Cognita Theodorici prosperitatis felicitate, quod in Illyrico cum Ostrogotharum exercitu resedisset: postquam è Pannonia cum patre Theodomir, alias quærendo sedes profectus esset, vicinasque gentes ad quas accesserant, perdomitas subiugassent, missa ad eum legatione, mandans Zenon vt ad se venire non dissimularet, memor etiam esset quantis honoribus sublimatus à Leone principe dum fere X. annis prius obses apud eum esset, ad genitale solum, & genitoris præsẽtiam fuisset remissus. C Theodoricus itaque nihil hæsitans ad regiam festinus venit vrbem, vbi ab Imperatore Zenone benigne susceptus, magnificeque sublimatus, & consul ordinarius est factus Nec tantum hoc, sed & equestrem statuam ab Imperatore promeruit ante regiam collocari. Inter hæc ergo Theodoricus sub Zenonis imperio fœdere sociatus, dum ipse in vrbe omnibus bonis frueretur gentemque suam in Illyrico (vt diximus) residentem non omnino idoneam aut refertam audiret, elegit potius solito more gentis suæ labore quærere victum, quam ipse otiose frui regni Romani bonis, & gentem suam mediocriter victitare, secumque deliberans ad principem ait: Quamuis nihil deest nobis Imperio vestro famuiantib. tamẽ si dignum ducit pietas vestra, desiderium mei cordis libenter exaudiat. Cumq; ei (vt solebat) familiariter facultas fuisset loquẽdi concessa: Hesperia, inquit, plaga quæ dudũ decessorumque vestrorum regimine guD bernata est, & vrbis illa caput orbis, & domina quare nunc sub regis Torcilingorum Rugorumq; tyrannide fluctuat? Dirige me cum gente mea, si præcipis, vt & hic expensarum pondere careas, & ibi si adiutus à domino vicero, fama vestræ pietatis irradietur. Expedit namq; vt ego qui sum seruus vester & filius, si vicero vobis donantibus regnum illud possideam, quam vt ille hostis tyrannico iugo senatum vestrum partemque reip. captiuitatis seruitio premat. Ego nisi vicero, vestro dono vestroque munere possidebo: Si victus fuero, vestra pietas nihil amittit, imo vt diximus, lucratur expensas. Quo audito quamuis, ægre ferret Imperator excessum eius, nolens tamen eum contristare, annuit quæ poscebat, magnisq; ditatum munerib. dimisit à se, senatum populumque ei commendans Romanum. Igitur egressus vbe regia Theodoricus, & ad suos reuertens, cum omni gente Gothorum, qui tamẽ

ei præbuerunt consensum Hesperiam tenditrectoque itinere per Smirnos ascendit vicina Pannoniæ, indeq; Venetiarum fines ingressus, ad pontem Sonti nuncupatum castra metatus est. Cumque ibi ad reficienda corpora hominum iumentorúque aliquo tempore resedisset, Odoacer armatum contra eum direxit exercitum. Quem Theodoricus in campis Veronensibus magna strage deleuit, castraque soluta diripuit, Italiam cum potiore audacia intrar: transactoq; Pado amne ad Rauennam regiam vrbem castra componit. Tertio itaque anno obsessum Odoacrum regem ad deditionem coegit, hunc priuatum regno interemit. Hinc iam tota Italia Theodorico subiecta, III. ingressus sui anno Italiam consultu Imperatoris, priuatum suæ gentis vestitum deponens, regium assumit amictum: quasi iam Gothorum Romanorumque regnator. His ita gestis prospere gentem Francorum cupiens fœderatam habere, missa legatione ad Ludouicum regem eorum filiam eius petens, impetratam matrimonio suo copulauit, vt Iordanis historicus refert, filiasque suas vicinis regib. in coniugio copulauit, vnam Alarico Vesegothorum & aliam Sigismundo Burgundionum, neptéque suam Amalaburgam Thuringorum regi Ermenfrido, sororem vero suam regi Vuandalorũ Trasemũdo dedit, cupiens sic genus suum nobiliter dilatare. Quo tempore Ioan. Romanæ ecclesiæ pontifex Constantinopolim veniens ad portam quæ vocatur aurea, populorum turbis ei occurrentib. in conspectu omniũ roganti cæco lumen reddidit. Qui dum rediens Rauennam venisset, Theodoricus eum cum comitibus carceris afflictione peremit, inuidia ductus quia catholicæ pietatis defensor Iustinus eum honorifice suscepisset. Qui etiam Symmachum patritium nullis extantib. causis dum truci dari Rauennæ fecisset, ira perculsus diuina & ipse anno sequenti ibidem subitanea morte periit: anno xxx. sui Italici regni, succedente in regnum Atalarico nepote eius. Legimus enim in Dialogo sancti Gregorii quendam sacerdotem visibiliter vidisse Theodoricum vinctum trahi à Ioanne pontifice, & Simmacho patritio ad ollam ignis Siciliensis.

De Zenone principe, qualiter amissum Imperium receperit, & successore eius Anastasio.

CAP. XIX.

IGitur Zenon Imperator Chalcedonia dum degeret, Augusta socrus sua Basiliscum germanum suum in vrbe Augustum appellauit. Quod audiens Zenon secessit Isauriam, ne causa sui ciuilibus bellis aliquod incommodum proueniret. Basiliscus quidem vt fugã Zenonis cognouit, lætatus est, sed non diu: quoniam Zenon reuersus in regnum & à suis receptus Basiliscum exilio damnauit. Quidam autem Illus nomine Zenoni in priuata vita amicissimus, dum secreto detraheret Augustæ Ariagnæ, in zelum concitauit Augustũ. Qui deliberans eam perimere, vni suorum tacite rem demandauit. Quod dum ille agere niteretur, cuidam cubiculario hoc prodidit. Quod dum regina compeñsset, subterfugit ad Acatium episcopum, posteraq; die Zenon rem æstimans perpetratam, dum luctum quendam quasi gerens neminem suscepit: Acatius episcopus ingressus, & facti arguit Imperatorem, Augustamque suspitionis innoxiam compromittit, acceptaque fide Augusta reuertitur. Illus autem ab vrbe discessit assumpta tyrannide: ab exercitu principis occiditur, Zenon vero in pace quieuit. Anastasius aũt subito assumptus ab Augusta, Imperator simul & maritus innotuit, regnauitque annis XXVIII. tam infeliciter vt diuersis inimicorum vallatus agminibus tam externorum quam & tyrannorum sæpius mœrens & gemens nullam suorum vindictam meruit audire inimicorum, quia nec ipse iura seruauit ecclesiæ, sed fauens hæresi Eutieis catholicos est persecutus, ipse autem diuino fulmine periit.

A

De persecutione Catholicorum à regibus Vuandalorum. Et quid in diuersis partibus gestum sit.

CAP. XX.

QVa tempestate Honoricus rex Vuandalorum Arrianus catholicas ecclesias clausit, plebem variis affecit suppliciis. Et quidem ab innumeris manus abscindens & linguas, nec tamen loquelam catholicæ confessionis eripere potuit. Itaque Trasemundus successor Honorici Vuandalorum rex, & ipse ecclesias catholicas clausit, & plures episcopos exilio damnans Sardiniam misit. Tunc Symmachus papa inter multa ecclesiarum opera, quæ vel à fundamentis creauit, vel prisca renouauit, & iuxta basilicas sanctorum Petri & Pauli, atque Laurentii pauperibus habitacula cõstruxit, & singulis annis per Aphricam vel Sardiniam episcopis qui in exilio erant, pecunias & vestes ministrabat. Quibus diebus Heldericus Vuandalorum rex episcopos quos antecessores sui exilio damnauerant reuerti fecit, & ecclesias restaurare iussit, hæreticas subuomit profanationes. Benedictus itaque abbas mirabilibus vita & moribus insignis claruit, virtutesque illius, beatus Gregorius papa in libro Dialogorũ scripsit. Eo etiam tempore Sigismundus rex Burgundionum à suis Francis traditus est. quem secum Franci in habitu monachi deducentes cum vxore & filiis, demũ in puteum proiicientes necauerunt. Post cuius necem Clodomeris rex Francorum contra Burgundiones dimicans (vt fertur) in prælio occiditur. Boethius etiã patritius, qui Arithmeticam latino sermone nobiliter duobus libris ediderat, aliosque libellos elegantissime conscripserat, nouissime damnatus exilio, post libros consolationis philosophicæ, quos metrico stilo atque prosaico luculentissime dictauerat, in territorio Mediolanensi occiditur.

B

C

De Belesario consule Iustiniani, qui in Aphrica Vuandalos deleuit, & in Italia Gothos contriuit, qui etiam contra Parthos dimicauit.

CAP. XXI.

QVo tempore Iustinus Imperator consulens vtilitatib. reipub. Iustinianum nepotem ex sorore sua successorem designans imperii moritur, Iustinianus per annos XXXVIII. Orientis tenuit imperium Cui post diuturna bella plurimosque labores contra Parthos gesta, per legatos fœdus cum rege Parthorum initum est. Igitur hac securitate pacis compositæ, Iustinianus Romanum de finibus Parthorum exercitum. Hinc iam Belesarium delegit consulem, eumque cum exercitu ad Australem plagam contra Vuandalos misit. qui fauente domino qua venerat facilitate, ea celeritate Vuandalos superauit, Libyamque ad corpus totius reipub. iungens, Vuandalorum gentem deleuit. Carthago quoque anno excessionis suæ XCVI. recepta est, pulsis deuictisque Vuandalis & Gildemero rege eorum capto, Constantinopolim misso, in vrbe regia principi oblatus spectante populo Imperator per Belesarium de Vuandalis triũphauit. In Italia vero Theodorico rege defuncto, Atalaricus nepos eius ipso ordinante successit, VII. annos quamuis pueriliter viuens matre tamen regnante Amalasuenta degebat, quando & Gallias diu tentas Francis repentibus reddidit, mortuoque Atalarico mater sua Theodohadum consobrinum suum regni participẽ faciens, non post multum ipso iubente occisa est. Et quia dudum se cum filio suo commendauerat principi Iustiniano, is mortem eius audiens doluit, nec passus est inultam transire:

D

sed mox eundem ducem belli, qui Pœnorum domitor fuerat & de opibus Vuandalicis triumphans adhuc in fascibus erat agmini diu rsarum proponens nationum ad partes Hesperias destinauit, qui primo accessu mox Siciliam peruadit, duce eius Sinderith superato, vbi dum aliquantum temporis ob ordinandam patriam resideret, comperit in Aphrica ciuilia bella intestinaq; prælia debacchari. Nam Stotzas pene vltimus militum & Marcini clientulus magistri militum tyrannidem arripiens authorque seditiosorum effectus, Cyrillum, Marcellum, Faram aliosque diuersos iudices dolo peremptos, in ducem Solomonem sæuiebat, totamque Aphricam tyrannico ritu vastabat. Emenso ergo Belesarius à Sicilia in Aphricam pelago, solita felicitate rebelles fugat, prouinciam liberat, Solomonemque rursum Carthagine collocans Siciliam redit. Vbi mox Euermud Theodohadi Gothorum regis gener, qui cōtra eum cum exercitu venerat, cernens prosperitatem consulis, vltro se ad partes dedit victori, hortaturque vt iam anhelantem suoque aduentu suspectam veniret ad Italiam. Constructo ergo Belesarius exercitu, & tam nauali quam equestri agmine vallauit Neapolim, paucisq; diebus eam obsidens, per aquæ ductum nocte inuasit: & tam Gothis, qui aderant, quam Romanis rebellantibus interfectis, vrbem plenissime spoliauit. Quod Theodohadus animaduertens, Vitigis vnū inter alios ductorem exercitus præponens contra Belesarium dirigit. qui cum Campaniam ingressus, mox ad campos venisset barbaricos, ilico exercitus consona voce regem denunciat Vitigis. At ille regno sublimatus, directis è socijs Theodohadum Rauennam reuertentem extinguit, regnumque suum confirmans expeditionem soluit, & priuata coniuge repudiata, regiam puellam Mathesuentam Theodorici regis neptem sibi plus vi copulat quam amore. Dūque ille nouis nuptiis delectatur Rauennæ, consul Belesarius Romanam vrbem ingressus est. Exceptusque ab illo populo quondam Romano & senatu iam pene ipso nomine cum virtute sepulto, confestim vicina occupat loca, vrbium oppidorumque munimina. Primaque Getica congressione Hunuila ductante exercitum per Vsinum ad oppidum Belesarius Gothos superat, & plusquam VII. millia trucidatis, reliquos Rauēnam vsque perturbat. Secundo vero cum ipso Vitigis Romanas arces vallāte congreditur, machinasque illius & turres quibus vrbem adire tentabat igni consumptis, per anni spaciū quamuis inedia laborans deludit. Post hæc vsque ad Ariminum persecutus exinde eum effugatum Rauenna clausum, in deditionem suscepit. Atque vnus consul dum contra Getas pene pari euentu de Francis, qui cum Theodebetto rege suo vltra CC. milia aduenerant triumphauit. Sed quia ad alia occupatus alibi noluit implicari, rogantibus Francis pacem concessit, & sine suotum dispendio de finibus Italicis expulit, sumptoque rege & regina simulque & opes palatii, ad principem qui eum miserat reportauit, sicque intra pauci rēporis spacium Iustinianus Imperator per fidelissimum consulem, duo regna duasque respub. suæ ditioni subegit. In Australibus atque occiduis partibus his ita gestis, Parthi rupto fœdere Romanorum fines inuadunt, Celesyriæ omnia ferro cædibusque fœdando prædantes deuastant, Antiochiam vsque perueniunt. quam præsidio Romanorum vacuam inuenientes, cuncta diripiunt, nec onusti præda recedunt, nec etiam Romanos fugiētes insequuntur: quoniam audito consul Germanus eorum aduentu relinquens Antiochiam aufugit. Contra quos Imperator aliquos duces direxerat victi ac territi minime præualuerunt hostibus resistere. Nam iterum necessitate Belesarius contra Parthos dirigitur, quos non vt alias gētes prædomuit, sed tantum à finibus Romanorum recedere compulit, & ad proprias sedes repedare, composita pace reuersus ad principem, Ergo, vt assolet, rerū mutatio & principum voluntas diuersa inuidia quidem senatores ac patritii exarsi, suggesserunt Imperatori, vt Belesarium quasi ad sceptra ospirantem de gradu patriciatus eiiceret, ac dignitatibus priuaret. Quod factū Gothis respirantibus exterisque nationibus Romanis infestis, non modicam intulit audaciam ipsum que Imperatorem non longe post quod fecerat pœnituit, quā aulici Iustinianum regno priuare, & quendam Florianum Imperatorem creare dum aggrederentur, Belesarii viribus adiutus quamuis immerito, trucidatis noua tentantibus restitutus est Iustinia. in regnum.

Iustiniano Imperante Franci contra Gothos dimicantes eos regno Galliæ expulerunt. Qui & contra Saxones pugnantes vicerunt, & Britones subiugauerunt.

CAP. XXII.

QVa tempestate in partibus Galliarum ortum est bellum inter Alaricum Gothorū regem & Chlodoueum regem Frācorum: quāuis primus inter eos vario euentu plurima existerent certamina. Tunc demū in Campania Voglauense decimo ab vrbe Pictauiensi miliario fit certaminis cōgressio. Vbi Clodoueus Frācorum rex Alaricum Gothorum regem interfecit, & maximam partem illius exercitus trucidauit, regnumque quod Gothi diu tenuerunt, à Ligere fluuio vsque ad Rodanum per montes Pireneos vsque ad Oceanū mare abstulit, & ditioni Francorum subdidit. Mira Dei dispensatione actum est, quantum auaritia consulum Romanorum stipendia sunt subtracta ab eis qui fame & penuria coacti conspirauerunt contra Romanos in arma, Illyricum depopulantes, Italiam inuadentes, Romam gentium dominam deprædantes, vt Alauricus, quem Gothi regem creauerant, ouans diuersis successibus prosperitatum sublimarit gentem suam & regnum. Demum in Alarico gens & regnum Gothorum defecit, sicuti & Romanorum in Hesperia sub Octauiano Augusto aliarum gentium domina, & nouissime in Augustulo deficiens, vt supra retulimus, gētib. aliis subiecta. Itaque imperante, corpus S. Antonii monachii diuina reuelatione repertum Alexandriā defertur, & in ecclesia B. Iohannis Bapt. humatur. Dionisius etiam paschales scripsit circulos, incipiēs ab anno dominicæ incarnationis, DXXXII. qui sunt anni Diocletiani, CC.LVIII. Tunc quidem codex legum, qui nuncupatur Iustinianus, ab ipso principe institutus, orbi promulgatus est. Victor quoque Capuanus episcopus, librum de Pascha scribens, Victori arguit errores. Qua tempestate Chrammus contra Chlotarium Francorum regem, suum scilicet patrem, rebellare præsumpsit, qui dum à cœpta temeritate non quiesceret, ad Britanniam se contulit, gentemque illam cum rege suo contra patrem armauit, quem Chlotarius insecutus cum reliquis filiis suis & Francorum exercitu interfecto Britonum rege Chrammus est comprehensus, atque cum vxore & filiis quadam domo clausus, viuus est incensus. Chlotarius vero de manubiis Britonum triumphās, gentē illam Francis subiectam fecit tributariam. Saxones vero rebellantes grauissimis præliis prostrauit, & non sine multo suorum sanguine deuicit. Iustinianus igitur dum XXX. & VIII. annis Orientis tenuisset imperium, rebus excessit humanis, cui Iustinus successit in regnum.

De Naserte patritio, qui Gothos deleuit in Italia, & demū Longobardos, vt ferunt, prouocauit vt possiderent eam.

CAP. XXIII.

IVstinus quidem minor annis Imperator XI. Quatē-pestate post egressum Belesarii consulis ab Italia regem Vitigis Gothorum reginamque & opes palatii ad

principem Iustinianum, qui transportauerat(vt superius diximus) Gothi qui trans Padum in Liguria consistebant, recrudescentes animo ad bella consurgunt, & ordinato sibi regulo Hildebaldo : qui vix emenso anni spacio interficitur. Erarius autem in eius locum successit, qui & ipse necdum anno expleto peremptus est. Tunc Totilam, qui & Baduila, sibi regem constituunt : qui viribus resumptis contra Roma. dimicans, duces vincit, prosternit, inuadit. Romam inde progressus capit Siciliam totam pene insultans Romanis deuastabat Italiam. Contra quem Iustinus Imperator Narseten patritium direxit, qui in Italiam veniens cõtra Gothos viriliter ac fortiter dimicans, Totilam eorum regem occidit, gẽtemque Gothorum cædib. prostrauit. Qui iterum respirantes Teiam sibi regem constituunt, quem ipsum Narses patritius occidit, Gothos funditus deleuit, Italiã ab eorum iugo liberauit. Hinc contra Bucillinum Francorum ducem cõgressione facta pugnauit, quem vt fertur cum omni exercitu suo interemit. Iam ab incursu hostium liberatam Italiam corpori reipub. restituit, Mediolanum vrbem regiam à Gothis & Burgundionibus demolitam reædificauit, aliasque vrbes per Italiam destructas restaurauit. Qui deinde per inuidiam Romanorum pro quibus multa contra Gothos laborauerat, accusatus apud Iustinum & coniugem eius Sophiam, quod seruitio premeret Italiam, secessit Neapolim Campaniæ, scripsitque gẽti Longobardorum, vt venirent & possiderent Italiam. Tunc Iohannes Romanæ ecclesiæ pontifex ecclesiam apostolorum Philippi & Iacobi, quam decessor eius Pelagius cœperat, perfecit & dedicauit.

De beato Gregorio & eius gestis.

CAP. XXIV.

TYberio imperante, qui successerat Iustinos beatus Gregorius legatione fungens apud principem, dũ Cõstãtinopolim Euticium eiusdem vrbis episcopum in fide nostræ resurrectionis errasse, catholicis allegationibus approbans, Tyberio præsente conuicit, ita vt ipse Augustus librum eius, quem de resurrectione scripsit, deliberaret flammis cremari. Docebat enim idem Euticius, corpus nostrum in illa resurrectionis gloria impalpabile, & ventis aereque subtilius esse futurum, contra illud dominicum : Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Igitur post Tyberium Mauritio regnante, idem B. Gregorius Romanæ ecclesiæ iam pontifex & doctor maximus, synodum episcoporũ XXIV. ad corpus beati Petri apostoli congregans, de necessariis ecclesiæ decernit. Idem missis in Britanniam Augustino Mellito & Ioanne, & aliis pluribus cum eis monachis timentibus Deum, ad Christum Anglos conuertit. Et quidem Edilberectus mox ad Christi gratiam conuersus cum gente Cantariorum cui præerat, proximisque prouinciis etiam Episcopo doctorique suo Augustino: sed & cæteris sacris pontificibus episcopales sedes donauit. Porro gentes Anglorum ab Aquilone Humbri fluminis sub regibus Aelle & Aedilfrido sitæ, necdũ verbum vitæ audierant, Gregorius scribẽs Augustino, Lũdoniæ quoque & Eboraici episcopis, accepto à sede apostolica pallio metropolitanos esse debere decernit, qui moralia in Iob gratia diuina inspirante conscripsit, librum etiam pastoralem luculentissime edidit, Dialogorũ vero ad imitandos venerabiles viros qui per hæc tempora claruerunt, libros dictans, ad nostram porrexit legendos posteritatem. In Ezechielem opus præclarum condidit. Homiliarum eius liber saluberrimas & spiritales gustantibus ministrat dapes. Epistolæ vero exant eius plures pro negociis, quibus sunt compositæ, legentibus vtiles, imperante iam Phoca migrauit ad dominum.

A

De Longobardis Italiam inuadentibus, & de martyrio Herminigildi regis Gothorum filii.

CAP. XXV.

QVa tempestate Albuinus rex Longodobardorũ à Narcete (vt præmisimus) inuitatus, relinquens atque incendens Pãnoniam in qua habitabat, cum omni populo suo veniens comitante fame & mortalitate inuadit Italiam. Eo etiam tempore Herminigildus Leuigildi Gothorum regis filius, ob fidei catholicæ confessionem inexpugnabilem à patre Arriano regni priuatus insulis, & vinculis alligatus, in carcerem est proiectus. Ad extremum nocte sancta dominicæ resurrectionis securi in capite percussus, regnum cæleste pro terreno rex & martyr intrauit. Cuius frater Richardus mox vt regnum post patrem accepit, omnem Gothorum cui præerat gentem, insistente Leandro Hispolitano episcopo, qui & Hirminigildum docuerat, catholicam conuertit ad fidem.

B

De gestis Bonifatii Papæ.

CAP. XXVI.

IGitur Bonifacio papa rogante, statuit Phocas Imperator successor Mauricii, sedem Romanæ & apostolicæ ecclesiæ omnium ecclesiarum esse caput, quia Constantinopolitana primam se esse omnium ecclesiarum scribebat. Idem etiam Phocas, petente papa Bonifacio, iussit in veteri phano (quod Pantheum vocabatur) ablatis idololatriæ sordibus, ecclesiã beatæ semper virginis Mariæ & omnium martyrum fieri: vt vbi quondam omnium non deorum, sed dæmoniorum cultus agebatur, ibi deinceps omnium fieri memoria sanctorum.

C

De sex vniuersalibus synodis.

CAP. XXVII.

VT omissa superius paulisper repetamus, quæ sint vniuersales sex Synodi, quas totus Oriens recipit & concelebrat, qui catholicam fidem sana mente retinent, ostendamus. Prima enim vniuersalis synodus in Nicæa congregata est contra Arrium, CCCXVIII. patrũ temporibus Iulii papæ Constantino principe. Secunda in Constantinopoli, CL. patrum contra Macedoniũ & Eudoxium, temporibus Damasi papæ & Gratiani principis, quando Nectarius eidem vrbi est ordinatus episcopus. Tertia in Epheso, CC. patrum contra Nestorium Augustæ vrbis episcopum, sub Theodosio Magno principe, & papa Celestino. Quarta in Chalcedone, patrum DCXXX. sub Leone papa temporibus Marciani principis contra Euticen, nephandissimorũ præsulem monachorum. Quinta item in Constantinopoli temporibus Vigilii papæ sub Iustiniano principe, contra Theodorum & omnes hæreticos. Sexta synodus vniuersalis Constantinopoli celebrata, & græco sermone conscripta, temporibus Papæ Agathonis, exequente ac residente piissimo principe Constantino intra palatium suum, simulque legatis apostolicæ sedis & episcopis CL. residentibus. Igitur à natiuitate domini Iesu Christi ob amorem dominæ meæ Augustæ Iudith, aggressus sum opus quod vsque ad Gregorii eximii doctoris obitum perduxi. De gestis etiam Bonifacii papæ quædam deinceps prælibando perstrinxi, Romanorum iudicibus & Gothis ab Italia & Gallis depulsis, his Francis & Longobardis succedentibus in regnis. Hic terminum censui meorũ imponere librorũ.

D

Freculphi Episcopi Lexouiensis Chronicorum Tom. posterioris, Finis.

THEODVLPHI AVRELIANENSIS EPISCOPI EPISTOLA.

OPTIMIS, SALVBERRIMISQVE VITÆ Christianæ documentis referta,

Ex

M. S. Bibliothecæ Vaticanæ Codice excerpta,

ET NVPER AB ILLVSTRISS. CARDINALE CÆSARE BARONIO in Annal. Ecclesiasticorum Tomo nono primum diuulgata.

ELOGIA

Doctorum virorum in Theodulphum Aurelianensem Episcopum.

IOANN. TRITHEMIVS IN LIBRO de Scriproribus Ecclesiasticis.

THeodulphus episcopus Aurelianensis ex Abbate Floriacensis Cœnobii ordinis S BENEDICTI, *vir in diuinis Scripturis doctus, & in secularibus literis à iuuentute instructus, carmine excellens & prosa. Fertur nonnulla vtroque stylo cōposuisse opuscula, sed in manus nostras adhuc minime venerunt. Hic à Ludouico Imperatore, nescio obquā suspicionem, innocenter missus in carcerem, hymnum* GLORIA LAVS, *composuit, quem cum in die Palmarum, transeunte Imperatore iuxta carcerem alta voce cecinisset, adeo Imperatori complacuit, vt statim abire liberum permiserit. Scripsit autem inter cætera diuerso metro*

Hymnorum Librum I.

Epistolarum Librum I.

SIGEBERTVS GEMBLACENSIS IN Chronico ad Annum 843.

HIs temporibus floruit Theodulphus Abbas Floriacensis, postmodum Episcopus Aurelianensis, de quo refertur, quod illos versus, quos in die Palmarū singulis annis Ecclesia Galliarum decantare in vsu habent, ipse composuerit, id est. GLORIA LAVS ET HONOR. *Quos cum ipse Ludouico Imperatore secus domum, in qua exul detinebatur apud Andegauum, transeunte, decantaret, audiēs imperator, & misertus illius iussit eum absolui.*

IDEM HABENT.

Ioannes Naucleras volum 3. *Chronographia* 28.
Philippus Bergomas in Supplemento Chronicorum.
Albert⁹ Crātzius Metropolis Saxonia libro 1. *c.* 27. *&* 40
Iudocus Clichtoueus in Elucidario Ecclesiastico.
Cæsar Baronius 9. *tom annal. Eccles. ad annum* 835.

EX BELLARMINO DE SCRIPTOribus Ecclesiasticis.

THeodulphus Abbas Floriacensis, ac deinde Episcopus Aurelianensis tempore Ludouici Pii Imperatoris floruit laude ingenii. Scripsit enim *multa, & soluta oratione, & versibus*; illius est carmen, quod canitur in die Palmarū, Gloria, laus, & honor tibi sit Rex Christe redemptor. *multa alia carmina ipsius* extant.

Extat etiam apud Card Baronium tom. 9. Annalium Domini 835. *epistola lectu digna ad Clerum Aurelianensem.*

A

THEODVLPHI AVRELIANENSIS EPISCOPI EPISTOLA.

Theodulphus Fratribus & compresbyteris nostris Aurelianensis Parochia Sacerdotibus in Domino Salutem.

OBsecro vos fratres dilectissimi, vt erga subditarum plebium profectum & emēdationem vigilantissima cura laboretis, quatenus illis viam salutis ostendentes B & eos verbis & exemplis instruētes, & vos de eorū profectu, & nos de vestro, Domino nostro Iesu Christo auxiliāte, fructuosos illi manipulos reportem⁹. Obsecro etiā fraternitatē vestram, vt hæc capitula quæ ad emēdationem vitæ breuiter digessi, assidue legatis, & memoriæ commendetis. Et eorum, siue sanctarū scripturarum lectione mores componatis, vitam emendetis, & cum subditis plebibus, opitulante Domino, ad regna cælestia porrigere certetis. Veraciter nosse debetis, & semper meminisse, quia nos quibus regendarum animarum cura commissa est, pro his, qui nostra negligentia pereunt, rationem reddituri sumus. Pro his vero quos verbis & exemplis lucrati fuerimus, præmiū C æternæ vitæ percipiemus. Nobis n. à Domino dictum est: Vos estis sal terræ. Quod si populus fidelis cibus est Dei, eius cibi condimentum nos sumus. Scitote vestrū gradū nostro gradui secundū & pene coniunctum esse. Sicut n. Episcopi Apostolorum in Ecclesia, ita nimirum presbyteri ceterorum discipulorum Domini vicē tenent, & illi tenent gradum summi Pontificis Aaron, isti vero filiorum eius. Vnde oportet vos semper memores esse tantæ dignitatis, memores vestræ cōsecrationis, memores sacræ, quam in manibus suscepistis vnctionis, vt nec ab eadem dignitate degeneretis, nec vestram consecrationem irritam faciatis, nec manus sacro vnguine delibutas peccando polluatis, sed cordis & corporis munditiam conseruantes, plebibus exemplum bene viuēdi præbentes his quibus præestis ducatum ad cælestia Regna præbeatis.

Matth. 9. Episcopi Apostolorū presbyteri LXX. discipulorum locū tenent.

D 2 Oportet vos assiduitatem habere legendi, & instantiā orandi. quia vita viri iusti lectione instruitur, ornatur & assiduitate lectionis munitur homo à peccato iuxta illum qui dicebat: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Hæc sunt enim arma, lectio videlicet, & oratio, quibus diabolus expugnatur. Hæc sunt instrumēta quibus æterna beatitudo acquiritur. His armis vitia comprimuntur. His alimentis virtutes nutriuntur.

Sacerdotib⁹ lectio & oratio cōmendatur.

Psal. 118

3. Sed si quando à lectione cessatur, debet manuum operatio subsequi, quia ociositas inimica est animæ, & antiquus hostis, quem à lectione, siue ab oratione vacantem inuenerit, facile ad vitia rapit. Per vsum nāque lectionis discetis, qualiter & vos viuatis; & alios

doceatis. Per vsum orationis & vobis & his quibus in caritate coniuncti estis, prodesse valebitis. Per manuum operationem & corporis macerationem & vitiis alimenta negabitis & vestris necessitatib⁹ subuenietis, & habebitis quod necessitaté patiétib⁹ porrigatis.

Op⁹ manuum.

4 Quando more solito ad Synodum conuenitis, vestimenta & libros & vasa sancta cum quibus vestrum ministerium, & iniunctum officium peragatis, vobiscum deferte. Nec non duos, aut tres clericos cum quibus Missarum solemnia celebratis, vobiscum adducite, vt probetur quam diligenter, quam studiose Dei seruitium peragatis.

Sacrificium Missæ.

5 Panes quos Deo in sacrificium offertis, aut à vobis ipsis, aut à vestris pueris coram vobis nitide, ac studiose fiant. Et diligenter obseruetur, vt panis, & vinum & aqua sine quibus Missæ nequeunt celebrari, mundissime, atque studiose tractentur, & nihil in his vile, nihil non probatum inueniatur. Iuxta illud quod ait scriptura: Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.

2. Par. 19.

6 Feminæ, Missam sacerdote celebrante, nequaquam ad altare accedant, sed locis suis stent, & ibi sacerdos earum oblationes Deo oblaturus accipiat. Memores esse debent feminæ infirmitatis suæ, & sexus imbecillitatis: & idcirco sancta quælibet in ministerio Ecclesiæ contingere pertimescant. Quæ etiam laici viri pertimescere debent ne Ozæ pœnam subeant, qui dum Arcam Domini extraordinariè contingere voluit, Domino percutiente interiit.

2. Reg 6.

7. Sacerdos missam solus nequaquá celebret quia sicut illa celebrari non potest sine salutatione sacerdotis, responsione plebis, admonitione sacerdotis, respósione nihilominus plebis; ita nimirú nequaquam ab vno debet celebrari. Esse n. debent, qui ei circumstent, quos ille salutet, à quibus ei respondeatur, & ad memoriam illi reducendú est illud Dominicum. Vbicumque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, & ego in medio eorum.

Non decet solus celebrare.

Matth. 18.

8 Videmus crebro in Ecclesiis messes, & fœnum congeri; vnde volumus & hoc penitus obseruetur, vt nihil in Ecclesia præter vestimenta Ecclesiastica, & vasa sancta, & libros recondatur, Ne forte si alia ibi quam oportet negotia exerceantur, à Domino audiamus: Domus mea domus orationis vocabitur. Vos autem fecistis eam speluncam latronum.

9 Antiquus in his regionibus in Ecclesia sepeliendorum mortuorú vsus fuit, & plerúq; loca diuino cultui máncipata, & ad offerendas Deo hostias preparata cœmeteria siue poliandria facta sunt. Vnde volumus, vt ab hac re deinceps abstineatur, & nemo in Ecclesia sepeliatur. Nisi forte talis sit persona sacerdotis, aut cuiuslibet iusti hominis quæ per vitæ meritum talem viuédo suo corpori defuncto locum acquisiuit. Corpora vero, quæ antiquitus in Ecclesiis sepulta sunt, nequaquam proiiciátur, sed tumuli qui apparét profúdius in terram mittantur & pauimento desuper facto, nullo tumulorú vestigio apparéte, Ecclesiæ reuerétia cóseruetur. Vbi vero tanta est multitudo cadauerú, vt hoc facere difficile sit, locus ille pro cœmeterio habeatur, ablato inde altari, & in eo loco cóstructo, vbi religiose, & pure Deo sacrificium offerri valeat.

In templo qui se peliendi.

10. Non debetis ad Ecclesiam ob aliá causá conuenire nisi ad laudé Domini & eius seruitiú faciédú. Disceptationes vero, tumult⁹, & vaniloquia, & ceteræ actiones ab eodé sancto loco penitus prohibédæ sút. Vbi enim Dei nomé inuocatur, Deo sacrificiú offertur, Angelorú frequétia inesse non dubitatur, periculosú est tale aliquid dicere, vel agere quod loco non cóuenit. Si enim Dominus illos de templo eiecit, qui victimas, quæ sibi offerrétur emebát, vel védebát, quáto magis illos iratus inde abiiceat, qui médaciis, vaniloquiis, risib⁹, & huiuscemodi nugis locum diuino culti mancipatum fœdant.

In templo quá reueréter versandum.

Matth. 21.

11. Missarum soléni a nequaquam alibi nisi in Ecclesia celebranda sunt, non in quibus libet domibus, & in vilibus locis, sed in loco quem elegerit Dominus, iuxta illud quod scriptum est: Vide ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in loco qué elegerit Dominus, vt ponat nomen suum ibi.

Deut. 12.

12. Nulla fœmina cum presbytero in vna domo habitet. Quamuis n. canones matrem, & sororem, & huiuscemodi personas, in quibus nulla sit suspicio, cum illo habitare concedant. Hoc nos modis omnibus idcirco amputamus, quia in obsequio siue occasione illarum veniunt aliæ fœminæ, que non sunt ei affinitate coniunctæ, & eum ad peccandum illiciunt.

Fœmina cú presbytero habitet.

13. Obseruandum vobis est, vt & vos ab ebrietate abstineatis, & vt plebes subditæ abstineant prædicetis, & neq; per tabernas eatis bibédo aut comedédo, neq; dom⁹ aut vicos curiositate qualibet peragretis, neque cum fœminis, aut cum quibus libet impuris personis cóuiuia exerceatis. Nisi forte paterfamilias quilibet vos ad domú suá inuitauerit, & cú sua cóiuge & prole velut vobiscú spiritali gaudio lætari, & verború vestrorú refectioné accipere, & vobis refectioné carnalé caritatis officio exhibere. Oportet enim, vt si quádo quilibet fidelium vos reficit epulis: à vobis reficiatur epulis spiritalibus.

Tabernæ vetitæ presbyteris.

14. Nullus presbyter fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ de alterius presbyteri parrochia persuadeat, vt ad suá Ecclesiam concurrant, relicta propria Ecclesia, & suas decimas sibi dent. Sed vnusquisque sua Ecclesia, & populo contentus q; sibi non vult fieri alteri nequaquá faciat, iuxta illud Euangelicum: Quæcunque vultis faciant vobis homines, hæc eadem facite illis. Quisquis autem contra hæc constituta venerit, aut his monitis nostris reniti tentauerit, aut gradum se sciat amissurum, aut in carcere longo tempore detinendum.

Matth. 7.

15. Hoc quoque modis omnibus prohibemus, vt nullus vestrum alterius clericum sollicitet, aut recipiat, quia grauis de hac re in sacris canonibus sententia est.

16. Si quis presbyter inuentus fuerit alicui clerico, aut laico munera dare, aut dedisse, vt Ecclesiam alterius presbyteri subripiat: sciat se pro hac rapina & sæua cupiditate, aut gradum amissurum, aut in carceris ærúmna longo tempore pœnitétentiá agédo detinédum.

17. Si paruulus ægrotans ad quemlibet presbyterum baptismi gratia de cuiuslibet parrochia allat⁹ fuerit, ei baptismi sacramentú nullo modo negetur. Si quis hoc munus petenti concedere detrectauerit, & ille paruulus absq; baptismatis gratia mortu⁹ fuerit, nouerit se ille qui eú nó baptizauit, pro ei⁹ anima rationé redditurú.

Paruuli quolibet parrochia baptizandi.

18. Nullus presbyter, seu laicus præsumat calicem, aut patenam, aut quælibet vasa sacra, & diuino cultui mácipata ad alios vsus retorquere. Nam quicumq; de calice sacrato aliud bibit præter Christi sanguiné, qui in sacramento accipitur, & patenam ad aliud officiú habet quam ad altaris ministerium, deterrendus est exéplo Balthasar, qui dum vasa Domini in vsus communes assumpsit, vitam pariter cum Regno amisit.

Dan. 5.

19. Si quis ex presbyteris voluerit nepotem suum aut aliquem consanguineum ad scholam mittere in Ecclesia sanctæ Crucis, aut in monasterio sancti Aniani, aut S. Benedicti, aut S. Lifardi, aut in cæteris de his cœnobiis, quæ nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam id faciendi concedimus.

Scholæ erigendæ cœnobiis.

20 Presbyteri per villas & vicos scholas habeant. Et si quilibet fidelium suos paruulos ad discendas litteras eis commendare vult, eos, suscipere & docere non renuant sed cum summa caritate eos doceant, attendentes illud quod scriptum est: Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Cum ergo eos docent, nihil ab eis pretii pro hac re exigant, nec aliquid ab eis accipiant, excepto quod eis parentes caritatis studio sua voluntate obtulerint.

Dan. 12.

Gratis docendi a Presbyteris.

21. Cum ergo omnium sanctarum scripturarum paginæ instrumentis bonorum operum refertæ sint, & per sanctarum scripturarum campos possint inueniri arma, quibus vitia comprimantur, & virtutes nutriantur: libuit nobis huic nostro Capitulari inserere sententiam cuiusdam patris de instrumentis bonorum operum, in qua magna breuitate quid agi, quidue vitari debeat, continetur. In primis Dominum Deum tuum diligere ex toto corde, tota anima, tota virtute. Deinde proximum tanquam te ipsum. *Compendiosa monitio omniũ bonorũ operũ.* Deinde non occidere, non adulterare, non facere furtum, non concupiscere, non falsum testimonium dicere, honorare omnes homines, & quod sibi quis fieri non vult, alij ne faciat. Abnegare semetipsum sibi, vt sequatur Christum. Corpus castigare, delitias non amplecti, ieiunium amare, pauperes recreare, nudum vestite, infirmum visitare, mortuum sepelire, in tribulatione subuenire, dolentem consolari. A sæculi actib. se facere alienum. Nihil amori Christi præponere, iram non perficere, iracundiæ tempus non reseruare, dolum in corde non tenere, pacem falsam non dare, caritatem non derelinquere: Non iurare, ne forte periures. Veritatem ex corde & ore proferre: malum pro malo non reddere, iniuriam non facere, sed & factam patienter sufferre. Inimicos diligere, maledicentes non maledicere, sed magis benedicere. Persecutionem pro iustitia sustinere. Non esse superbum, non vinolentum, non multum edacem, non somnolentum, non pigrum, non murmurosum, non detractorem, spem suam Deo committere. Bonũ aliquid in se cum viderit, Deo applicet, non sibi. Malum vero semper à se factum sciat, & sibi reputet. Diem iudicij timere, gehennam expauescere, vitam æternam concupiscentia spiritali desiderare, mortẽ quotidie ante oculos suspectam habere. Actus vitæ suæ omni hora custodire. In omni loco Deum se respicere pro certo scire. Cogitationes malas cordi suo aduenientes mox ad Christum allidere, & seniori spiritali patefacere. Os suum à malo, vel prauo eloquio custodire, multum loqui non amare, verba vana aut risui apta non loqui, risum multum aut excussum non amare. Lectiones sanctas libenter audire, orationi frequenter incumbere, mala sua præterita cum lachrymis, vel gemitu quotidie in oratione Deo confiteri. De ipsis malis de cætero emendare, desideria carnis non perficere. Voluntatem propriam odisse, præceptis sacerdotis & præceptoris in omnib. obedire, etiam si ipse aliter quod absit, agat. *Matth.* Memores illius Dominici præcepti: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite. Non velle dici sanctum antequam sit, sed prius esse, quod verius dicatur. Præcepta Dei factis quotidie adimplere, castitatem amare, nullum odisse, zelum & inuidiam non habere, contentionem non amare, elationem fugere; & seniores venerari, iuniores diligere. In Christi amore pro inimicis orare. Cum discordantib. ante solis occasum in pacem redire, & de Dei misericordia nunquam desperare. Ecce hæc sunt instrumenta artis spiritalis, quæ cum fuerint à nobis die noctuque incessabiliter adimpleta & in die iudicij reconsignata, illa merces nobis à Domino recompensabitur, quam ipse *Isa. 64.* promisit: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus his, qui diligunt eum.

22. *Quid Christianus scire teneatur.* Commonendi sunt fideles, vt generaliter omnes à minimo vsque ad maximum orationem Dominicam & Symbolum discant, & dicendum eis, quod in his duab. sententiis omne Fidei Christianæ fundamentum incumbit, & nisi quis has duas sententias & memoriter tenuerit, & ex toto corde crediderit, & in oratione sæpissime frequentauerit, Catholicus esse non poterit. Constitutum namque est, vt nullus chrismetur, neque baptizetur, neque à lauacro fontis illius suscipiatur, neque coram Episcopo ad confirmandum quemlibet teneat, nisi Symbolum & orationem Do-

A minicam memoriter tenuerit, exceptis his quos ad loquendum ætas minime perduxit.

23. Dicendum illis, vt singulis dieb. qui amplius non potest, saltem duab. vicib. oret, mane scilicet & vespere, dicens Symbolum, vel orationem Dominicam, vel: Qui plasmasti me, miserere mei, vel etiam: *Orandũ mane & vesperi.* Deus propitius esto mihi peccatori, & Deo gratias, pro quotidianæ vitæ commeatib. & quia se ad imaginem suam creare dignatus sit, & à pecudib. segregare. His actis, & solo Deo creatore suo adorato, Sanctos inuocet, vt pro se intercedere ad Maiestatem diuinam dignentur. *Sancti inuocandi.* Hæc faciant, quib. basilicæ locus prope est, in basilica. Qui vero in itinere, aut pro qualibet occasione in siluis aut in agris est, vbicumque eum ipsa hora matutina vel vespertina inuenerit, sic faciat, sciens Deum vbique præsentem esse, dicente Psalmista: *Psal. 20.* In omni loco dominationis eius &: Si ascendero in cœlum, tu ibi es, &c. *Psal. 138.*

24. Diei vero Dominici, quia in eo Deus lucem B condidit, in eo manna in eremo pluit, in eo Redemptor humani generis sponte pro salute nostra à mortuis resurrexit, in eo S. Sanctum super discipulos infudit, tanta esse debet obseruantia, vt præter orationes, & Missarum solemnia, & ea, quæ ad vescendum pertinent nihil aliud fiat. *Dominica Missa audienda.* Nam & si necessitas fuerit nauigandi, siue itinerandi, licentia datur, ita dumtaxat, vt harũ occasione Missa & orationes nõn prætermittantur. Conueniendum est sabbatho die cum luminarib. cuilibet Christiano ad Ecclesiam. Conueniendum est ad vigilias siue ad matutinum officium; Concurrendũ est etiam cum oblationib. ad Missarum solemnia, & *Et offerendum.* dum ad Ecclesiam conuenitur, nulla causa dici debet, vel audiri, nulla iurgia sunt habenda, sed tantummodo Deo vacandum est in celebratione videlicet sacrorum officiorum, & exhibitione eleemosynarum, & in Dei laudib. cum amicis proximis, & peregrinis spiritualiter epulandum.

25. Admonendi sunt, vt hospitalitatem diligant, & C nulli hospitium præbere detrectent & si cui forte hospitium præstiterint, nullam ab eo mercedem accipiant, nisi forte ille, qui à te recipitur, sponte sua aliquid det. Dicendumque illis, qualiter multi per hospitalitatis officium Deo placuerunt, dicente Apostolo: Per hanc enim placuerunt quidam Deo, Angelis hospitio susceptis, & iterum. Hospitales sine murmuratione. Et ipse *1 Pet. 4.* Dominus ad Iudicium dicturus est: Hospes eram, & *Matth. 25.* collegistis me. Sciant sane quicumque hospitalitatem amant, Christum se in hospitib. recipere. Nam ille modus hospitalitatis non solum inhumanus, sed etiam crudelis est, quo numquam hospes in domum ante recipitur, nisi prius dandi hospitij merces compensetur, & quod Dominus agere iussit pro perceptione Regni cœlestis, pro acquisitione terrenarum rerum agatur. *Hospitalitas laudata quæ.*

26. Prædicandum est etiam vt periurium fideles caueãt, & ab eo summopere abstineant, scientes hoc grãde scelus esse, & in Lege, & Prophetis siue Euangelio D prohibitum. *Matth. 5.* Audiuimus enim quosdam paruipendere hoc scelus, & leuem quodammodo periuris pœnitentiæ modum imponere. Qui nosse debent talem de periurio, qualem & de adulterio, de fornicatione, de homicidio & de cæteris criminalib. vitiis pœnitentiam imponendam. Si quis vero perpetrato periurio aut quolibet criminali peccato, timens pœnitentiæ longam ærumnam, ad confessionem venire noluerit, ab Ecclesia repellendus est: siue à communione, & consortio fidelium, vt nullus cum eo comedat, neque bibat, oret, neque in suam eum domum recipiat.

27. Dicendum est eis vt à falso etiam testimonio abstineant, scientes & hoc grauissimum scelus esse, & ab ipso Domino in monte Sinai prohibitum, dicente eodem Domino. *Exod. 20. Prou. 19.* Non falsum testimonium dixeris, siue. Testis falsus non erit impunitus: Sciat se etiam quisquis

hoc perpetrauerit, aut tali pœnitentia purgandum, vt superius dictum est de periurio, aut tali damnatione, & excommunicatione damnandum, sicut superius insertum est. Dicendumque illis est, quod summa, ne dicam stultitia, sed nequitia est pro cupiditate argenti, & auri, aut vestimentorum, aut cuiuslibet rei, aut quod creberrime cōtingere solet, propter ebrietatem in tam grande scelus corruere, vt aut septem annis in arcta ærumna sit, aut ab Ecclesia sit repulsus, dicente Domino: Quid prodest homini si lucretur totum mundum, & animæ suæ detrimentum faciat? quippe cum aliis videatur pius existere, sibimet crudelis existat. *Mat.16.*

28. Hortamur vos paratos esse ad docendas plebes. Qui scripturas scit, prædicet scripturas. Qui vero nescit, saltem hoc, quod notissimum est, plebib. dicat: Vt declinent à malo, & faciant bonum. Inquirant pacem, & sequantur eam: quia oculi Domini super iustos, & aures eius ad preces eorum, &c. Nullus ergo se excusare poterit, quod non habeat linguam, vnde possit aliquem ædificare. Mox enim vt quemlibet errantem viderit, prout potest & valet, aut arguendo, aut obsecrando, aut increpando, ab errore retrahat, & ad peragendum bonum opus hortetur. Cum vero Domino opitulante, ad Synodum in vnum conuenerimus: sciat nobis vnusquisque dicere, quantum Domino adiuuante laborauerit, aut quem fructum acquisierit. Et si quis forte nostro indiget adiutorio, nos cum charitate admoneat, & nos cum charitate nihilominus ei pro viribus adiutorium ferre non differemus. *Psal.36.*

Modus orandi plebeiorum. 29. Admonere debet is fideles, vt assiduitatem & studium habeant orandi. Ipse autem orandi modus talis esse debet, vt primum dicto Symbolo, quasi Fidei suæ recensito fundamento, dicat quisquis est, trib. vicib. Qui plasmasti me, miserere mei, & trib. vicib. Deus propitius esto mihi peccatori, & compleat orationem Dominicam. Si ergo locus, aut tempus exegerit, deprecetur sanctos Apostolos, & Martyres, vt pro eo intercedant. Et armata fronte signo Crucis, eleuatis cum corde & manib. & oculis, Deo gratias agat. Si vero tempus ad hæc omnia peragenda minus sufficiens fuerit, sufficiat tantum: Qui plasmasti me, miserere mei, &: Deus propitius esto mihi peccatori, & oratio Dominica tantum cum gemitu & contritione cordis. *Inuocādi sāct. Signum crucis.*

30. Omni etenim die Deo in oratione nostra, aut semel, aut bis, aut quanto amplius possumus, confiteri debemus peccata nostra, dicente Propheta: Delictum meum cognitum tibi feci & iniustitias meas non abscondi. Dixi confitebor aduersus me iniustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Facta etenim confessione cum gemitu; & lachrymis Domino in oratione, recitandus est psalmus quinquagesimus, siue XXIIII. siue XXXI. atque alij ad ē pertinentes, & sic complenda est oratio. Quia confessio quam sacerdotib. fecimus, hoc etiam nobis adminiculum affert, quia accepto ab eis salutari consilio, saluberrimis pœnitentiæ obseruationib. siue mutuis orationib. peccatorum maculas diluimus. Confessio vero, quam soli Deo facimus, in hoc iuuat, quia quanto nos memores sumus peccatorum nostrorum, tanto horum Dominus obliuiscitur: & è contrario, quanto nos horum obliuiscimur, tanto Dominus reminiscitur, dicente Propheta: Et peccatorum tuorum non memorabor. Tu autē memor esto, quod Dauid Propheta se fecisse testatur, cum dicit: quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. *Psal. 31. Confessio peccatorū crebra. Iere.34. Psal.50.*

Confitenda omnia peccata. 31. Confessiones dandæ sunt de omnibus peccatis, quæ siue in opere, siue in cogitatione perpetrantur. Octo sunt principalia vitia, sine quibus vix vllus inueniri potest. Est enim gastrimargia, hoc est, ventris ingluuies: secundo, fornicatio: tertio, accidia, siue tristitia: quarto, auaritia: quinto, vana gloria: sexto, inuidia: septimo, ira: octauo, superbia. Quando ergo quis ad confessionem venit, diligenter debet inquiri, quomodo, aut qua occasione peccatum perpetrauerit, quod peregisse se confitetur, & iuxta modum facti debet ei pœnitentia indicari. Debet ei persuaderi, vt & de peruersis cogitationib. faciat confessionem. Debet ei etiam iniungi, vt de octo principalib. vitiis faciat confessionem, & nominatim ei debet sacerdos vnum quodque vitium dicere, & suam de eo confessionem accipere. *Confessarius quomodo examinare debeat confitētē.*

32. Esurientes satiandi sunt, sitientes potandi, nudi operiendi, infirmi, & qui in carcere sunt visitandi, & hospites colligendi, dicente Domino: Esuriui enim & dedistis mihi manducare: Sitiui: & dedistis mihi bibere, &c. Nam hæc omnia & in se quisque debet spiritaliter agere, & in aliis corporaliter adimplere: quia pene nihil prosunt hæc omnia ad vitam æternam compensandam, si luxuriose, superbe, inuide, & (ne singula replicem) si vitiose & inordinate quis viuat, & à cæteris bonis operib. vacet. Qui ergo videt se Christum non habere, qui dixit, Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi; & charitatem, quæ est pastus animæ, non habet, esurit quidem; sed si per bona opera Christo adiungit se & charitatis dulcedine replet, esuriētem omnino se pauit. Qui doctrina S. sancti, & scripturarum sanctarum fluentis caret, sitiens est; sed si se fluentis verbi Dei irriget, & mentem suam spiritalis poculi dulcedine ebriet, iste se sitientem potat. Qui videt se iustitia, siue ceteris bonorum operum exhibitionib. nudatum, & induit se iustitia, siue ceteris virtutib. nudum se proculdubio vestit. Si in lecto vitiorum suorum iacet, & morbo iniquitatis suæ laborat, & funib. peccatorum suorum constrictus est, & vitiorum suorum sordib. obsitus, pariter in tenebris iniquitatis suæ, est infirmus quidem; sed si de luto vitiorum per confessionem egreditur, & per pœnitentiæ lamenta vinculis peccatorum absoluitur, & ad lucem bonorum operum egreditur, infirmum & in carcere positum se proculdubio visitat. Si in huius vitæ via videt se laborare, & vitiorum procella quasi quadam aeris intemperie inquietari, & receptaculum bonorum operum non habere, sciat se in itinere positum hospitio egere; at si se ad virtutum domum deducat & sese in earum tutamine recipiat, hospitem quidem suscipit. Quæ omnia cum sibi spiritaliter exhibet, Christum in se, cuius ipse membrum est, pascit, potat, vestit, visitat, ac suscipit. *Mat.25. Ioa.6.*

33. Admonendi sunt fideles sanctæ Dei Ecclesiæ vt filios suos, & filias suas doceant parentib. obedientiam exhibere, Dicente Domino: Fili honorifica patrem tuum. Nam, & ipsi parentes erga filios suos, ac filias suas modeste debent agere, dicente Apostolo: & vos parentes nolite ad iracundiam prouocare filios vestros. Nam & hoc dicendum est eis, vt si illi genitali affectu parcere velint iniuriis filiorum, non has impune Dominus sinit, nisi forte digna pœnitentia exhibeatur, & quia leuius est filiis parentum quælibet flagella suscipere, quam Dei iram incurrere. *Filiorum obedientia parentibus. Eccl.3. Ephe.6.*

34. Admonendus est populus, quod hæc sit vera caritas, quæ Deum diligit plusquam se, & proximum tanquam se, & quæ nihil vult alij facere, nisi quod sibi vult fieri. Et plura quæ recensere longum est. Nam & quicumque in potu & cibo, & dandis atque accipiendis reb. caritatem tantum putant, non mediocriter errant, dicente Apostolo. Regnum Dei non est cibus, & potus. Nam & ipsa quando cum caritate faciunt, bona sunt & inter virtutes computanda. *Caritas quæ. Ro.14.*

35. Admonendi sunt, qui negotiis ac mercationib. rerum inuigilant, vt non plus terrena lucra, quam vitam cupiant sempiternam. Nam qui plus de reb. terrenis, quam de animæ suæ salute cogitat, valde à via veritatis aberrat; & iuxta quemdam sapientem, in vita sua perdidit intima sua. Sequendus est enim hac parte, sicut & in cæteris Apostolicus sermo, qui ait: Et ne quis supergrediatur neque circumueniat in negotio proxi- *Documenta pro mercatoribus. 1.Thes.4.*

mum suum: vindex est enim Deus de his omnibus. Sicut enim ab his qui labori agrorum & ceteris laborib. victum atque vestitum & necessaria vsib. humanis acquirere insudantes stant, decimæ, & eleemosynæ dandæ sunt: ita his quoque qui pro necessitatibus suis negociis insistunt, faciendum est. Vnicuique enim homini, Deus dedit artem qua pascatur, & vnusquisque de arte sua de qua corporis necessaria subsidia debet, animæ quoque (quod magis necessarium est) subsidium administrare debet.

Præparatio ad Quadragesimā. 36. Hebdomada vna ante initium Quadragesimæ cõfessiones sacerdotib. dandæ sunt, pœnitētia accipiēda, discordantes reconciliandi, & omnia iurgia sedanda, & dimittere debent debita inuicem de cordib. suis, vt liberius dicant: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et sic ingredientes in beatæ Quadragesimæ tempus mundis & purificatis mentib. ad sanctum Pascha accedant, & per pœnitentiam se renouent, quæ est secundus baptismus. Sicut enim baptismum peccata, ita pœnitentia purgat. Et quia post baptismum peccator denuo non potest baptizari, hoc medicamentum à Domino pœnitentiæ datum est, vt per eam vice baptismi peccata post baptismum diluantur. Septem enim modis peccata dimitti, scripturæ sanctæ demonstrant. (Septem modis peccata dimittuntur.) Primo in baptismate, qui propter remissionem peccatorum datus est. Secundo per martyrium, iuxta illud quod ait Psalmista: Beatus cui non imputauit Dominus peccatum. Quia iuxta eiusdem Dauid sententiam: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. (Psal. 31.) Remittuntur peccata per baptismum, teguntur per pœnitentiam, non imputantur per martyrium. Tertio per eleemosynam, iuxta Danielem qui profano Nabuchodonosor Regi ait: Peccata tua eleemosynis redime in misericordiis pauperum, & illud: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna extinguit peccatum. (Dan. 4. Eccl. 3.) Et Dominus in Euangelio: Veruntamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. (Luc. 11.) Quarto si remittat quis peccanti in se peccata sua iuxta illud: Dimittite & dimittetur vobis. (Luc. 6.) Date & dabitur vobis, & illud: Sic & pater vester dimittet vobis peccata vestra, si remiseritis vnicuique de cordibus vestris. Quinto si per prædicationem suam quis, & per bonorum exercitium alios ab errore suo conuertat, iuxta illud quod ait Apostolus: Quoniam si conuerti fecerit quis peccatorem ab errore viæ suæ saluauit animam eius à morte, & cooperit multitudinem peccatorum. (Iac. 5.) Sexto per charitatem, iuxta illud: Charitas Dei cooperit multitudinē peccatorum per Iesum Christum Dominum nostrum. (1 Pet. 4.) Septimo per pœnitentiam, iuxta illud quod ait Dauid: Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina. (Psal. 31.)

Quadragesimæ ieiunium. 37. Ipsa autem Quadragesima cum summa obseruatione custodiri debet, vt ieiunium in ea præter dies Dominicos qui abstinentiæ subtracti sunt, nullatenus resoluatur, quia ipsi dies decimæ sunt anni nostri, quos cum omni religione, & sanctitate transigere debemus. Nulla in his occasio sit resoluendi ieiunij, quia alio tempore solet ieiunium charitatis causa dissolui; isto vero nullatenus debet. Quia in alio ieiunare in voluntate & arbitrio cuiuslibet positum est: in hoc vero non ieiunare præceptum Dei transcendere est. (Infirmi & paruuli excepti à ieiunio.) Et in alio tempore ieiunare præmium abstinenti acquirere est: in hoc vero præter infirmos ac paruulos, quisquis non ieiunauerit, pœnam sibi acquirit, quia eosdem dies Dominus, & per Mosen, & per Eliam, & per semetipsum sacro ieiunio consecrauit.

Ante vesperas non est relaxandum ieiunium. 38. Diebus vero ieiunij eleemosyna facienda est, & cibum vel potum quo quisque vti debuit si non ieiunaret, pauperibus eroget: quia ieiunare, & cibos prandij ad cœnam reseruare, non mercedis, sed ciborum est incrementum.

39. Solent plures, qui se ieiunare putant mox vt signum audiunt ad Nonam, manducare, qui nullatenus

A ieiunare credendi sunt, si ante manducauerint, antequam vespertinum celebretur officium: concurrēdum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemnibus, siue vespertinis officiis, largitis eleemosynis, ad cibum accedendum est. Si vero aliquis necessitate constrictus fuerit, vt ad Missam conuenire non valeat, æstimata vespertina hora, completa oratione sua, ieiunium absoluere debet.

40. Abstinentia vero in his diebus omnium deliciarum esse debet, & sobrie, & caste viuendum. Qui vero ouis, caseo, piscibus, & vino abstinere potest, magnæ virtutis est. Qui aut his, aut infirmitate interueniente aut quolibet opere, abstinere non potest, vtatur. Tantum vt ieiunium vsque ad vesperum solemniter celebret: & vinum non ad ebrietatem, sed ad refectionem corporis sui sumat. A caseo vero, lacte, butyro, & ouis abstinere, & non ieiunare, dementissimum est, & omni ratione semotum. Vini enim ebrietas, & luxuria prohibita sunt, non lac & oua. Non ait Apostolus: Noli- Ephes. 5.
B te comedere lac & oua, sed, nolite inebriari vino in quo est luxuria.

41. Singulis diebus Dominicis in Quadragesima, præter hos, qui excommunicati sunt, sacramenta Corporis, & sanguinis Christi sumenda sunt, & in Cœna Domini, & in Parasceue, in vigilia Paschæ, & in die Resurrectionis Domini penitus ab omnibus communicandum, & ipsi dies Paschalis hebdomadæ omnes æquali religione colendi sunt. (Communio crebra in Quadragesima.)

42. In his ieiuniorum diebus nullæ lites, nullæ contentiones esse debent, sed in Dei laudibus, & in opera necessario persistendum. Arguit enim eos, qui contententiones & lites Quadragesimæ tempore exercent, & qui debita à debitoribus exigunt, Dominus per Prophetam, dicens: Ecce in die ieiunij vestri inueniuntur voluntates vestræ, & omnes debitores vestros repetitis. (Esa. 58.) Ecce ad lites & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie.

C 43. Abstinendum est enim in his sacratissimis diebus à coniugibus, & caste & pie viuendum, vt sanctificato corde & corpore isti sancti dies transigantur, & sic perueniatur ad diem sanctum Paschæ: quia pene nihil valet ieiunium, quod coniugali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ, & eleemosynæ non commendant. (A coniugali actu abstinendum.)

44. Admonendus est populus, vt ad sacrosanctum sacramentum Corporis & sanguinis Domini nequaquam indifferenter accedat, nec ab hoc nimium abstineat; sed cum omni diligentia eligat tempus, quando aliquamdiu ab opere coniugali abstineat, & vitiis se purgat, virtutibus exornet, eleemosynis, & orationibus insistat: & sic ad tantum sacramentum accedat. Quia sicut periculosum est, impurum quemque ad tantum sacramentum accedere, ita etiam periculosum est ab hoc, prolixo tempore abstinere, salua ratione eorum qui excommunicati non quando eis libet, sed certis tēporibus communicant, & religiosis quibuscumque sancte viuentibus, qui pene omni die id faciunt. (Religiosi pæne quotidie cōmunicant.)

D 45. Vt Missæ quæ per dies Dominicos peculiares à sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, vt per eas populus à publicis Missarum solemnibus, quæ hora tertia canonice fiunt abstrahatur, quia pessimus vsus est li-cpud quosdam, qui in diebus Dominicis, siue in quibuslibet festiuitatibus mox vbi Missam celebrari, etiamsi pro defunctis sit, audierint, abscedunt vt per totum diem à primo mane ebrietati & comessationi potius quam Deo deseruiant. (Missa solemnis audienda.)

46 Admonendus est populus, vt ante publicum peractum officium ad cibum non accedat, & omnes ad sanctam matrem Ecclesiam Missarum solemnia, & prædicationem audituri conueniant; & sacerdotes per Oratoria nequaquam Missas nisi tam caute ante secundam horam celebrent, vt populus à publicis solemnitatibus non abstrahatur. Sed siue sacerdotes, qui in circuitu vrbis, aut in eadem vrbe sunt, siue populus, vt præ-

diximus, in vnum ad publicam Missarum celebrationem conueniant, exceptis Deo sacratis fœminis, quibus mos est ad publicum non egredi, sed claustris monasterij cōtineri.

Finis Epist. Theodulphi Aurel. Episc.

THEODVLPHI AVRELIAN. EPISC. VERSVS, IN FRONTE BIbliorum quæ ipse describi fecit.

QVicquid ab Hebræo stilus Atticus, atque Latinus
Sumpsit, in hoc totum Codice lector habes.
Quo loca prima tenet Genesis; primordia Mundi,
Diluuiumque canens, gestaque magna patrum.
Exodus Ægyptum spoliat, secat æquora rubra:
Pandit iter heremi, lympha ibi lexque datur.
Inde, sacerdotum gentem, Leuiticus ornat;
Et typice exponit dona, sacris typicis
Bella virosque liber Numeri, describit & actus:
Queis fregit Moyses Idola, stupra, duces.
Post; repetit legem, populo benedicit, & alma
Iura dat; ac dicto carmine, victor obit.
Diuidit hinc, proprio terram Nauegius Heros
Libro, desertis vrbibus atque locis.
Pridem iudicibus, quis & ordo cucurrit & actus,
Continuante stylo cecinit inde sequens.
Moxque sedent, quæ Ruth Moabithis fœmina gessit,
Clara piis meritis, clara nepote pio.
Psalmicanique actus, & iniqui gesta Saulis
Primo sequensque liber hinc Samuelis, habes.
Tertius & quartus; Malachim queis nomen inhæsit
Regum Hebræorum, ex ordine, gesta canunt.
Hinc sedet Esaias; Christum de Virgine nasci
Qui canit, & gentes ad pia iura vocat.
Hunc prope Hieremias qui virgam Ollamque tuetur;
Ordine quadruplici, flebile texit opus.
Partibus Ezechiel summis obscurus & imis
Hinc est, stirps qui hominis more vocatur Eri.
Post duodenus inest Vatum pius ordo minorum,
Longe aliud signans quam sua verba sonent.
Nam Mœchā, & prolem & Ioseph, creber intonat Ose,
Samariam, Effraim, Gesdrahel & viduam.
Hinc Iohel, euersum prius atris cladibus Orbem,
Flaminis aduentum concinit inde pij.
Quatuor èque tribus probris regna increpat Amos
Se & vidisse boat mystica plura satis.
Percutit Abdias, Edom, almi cuspide verbi,
Emulus & fratris illius ore ruit.
Naufragio Ionæ signatur Passio Christi
Niniuis & vitam nomine Mundus habet.
Filia latronis vastatur femina Michæ,
Quod Ducis Israhel læserit illa genas.
Voce Naum pulsat constanti sanguinis vrbem,
Pacicanosque boat montis in arce pedes.
Abacuc interno in cruce Christum spectat ocello,
Cornibus his vis est, eius operta tonat.
Promit Sophonias à porta & colle quod audit,
Plangorem indigenis fert quoque pila tuis.
Aggeus instaurat templum; celsumque Tonantem.
Motorum recinit æquora, rura, polum.
Michea Zacharias postquam videt ordine plura,
Sessorem dominum dicit, Aselle, tuum.
Munera Malachias Populi inquit abacta prioris,
Agmina cumque suis gentium amata Deo.
Iob quoque verba tenens cum gestis inde libellus,
Hic paruus quamuis pondera magna vehit.
Mox dulcis dulcem depromit cantio Christum,
Psalmorum lyrici quos statuere pedes.
Protinus idiotæ resident tres ordine libri,
Cui nomen Salomon siue Cohelet inest.
A Alloquitur primus sub prolis nomine cunctos,
Corrigit & mores, Ethica, lege tua.
Omnia vana canit rutilo sub sole, secundus,
Cui res est physicas enumerare labor.
Tertius, ecclesiæ thalamum Christique perornat;
Rebus & in Logicis vertitur eius opus.
Inde Philostoticus Daniel est totius Orbis,
Omnia qui lapidem frangere regna canit.
Hinc duo ponuntur quis nomen verba dierum est,
Promere siue labor gesta genusque ducum.
Ponitur hinc Hesdras, legem templumque reformans,
Et reditum Israel ad sua rura canens;
Ecclesiæque typum referens mox scribitur Hester,
Quæ Plebi extorri lausque decusque fuit.
Post liber est positus cui dat Sapientia nomen,
Quod Christi aduentus morsque patescit ibi.
Protinus aptatur liber Ecclesiasticus isti,
Quo pia iura sonant lausque beata patrum.
B Hinc pia pauperies pietas & opima, beato
Est, Tobi, libro rite notata tuo.
Scribitur insignis Iudith mox fæmina facti:
Incestus cecidit qua feriente furor.
Hinc gemini libri ponuntur Machabæorum,
Gesta quibus fratrum quatuor alma sedent.
Promit aperta nouæ Christum hinc hinc Buccina legis
Tegmine hinc typico prompsit operta vetus.
Matthæus, Marcus, Lucas, sanctusque Ioannes,
Vox tonat hunc chorum quatuor vna simul.
Primus ab humana quia cœpit promere gente,
Humani formam schematis inde vehit.
Auia terribili perstringit voce secundus,
Scribitur & species inde leonis ei.
Estque sacerdotij quia rebus tertius orsus,
Forma iuuencalis hinc sibi rite datur.
At quia verborum pinnis super æthera quartus,
Hinc Aquilæ specimen celsa petentis habet.
C Quatuor atque decem hos Pauli scripta sequuntur,
Quæ Orbi misit ouis, qui lupus ante fuit.
Romulidas reuocat à legis pondere primæ,
Atque Euangelicam censet habere fidem.
Arcades infestos aduerso errore secunda,
Ad veram scriptis conuocat illa fidem.
Pœnituisse placet, solatur tertia eosdem,
Laudansque hortatur ad meliora simul.
Ad fidei Galatas deducit quarta vigorem,
Qua spreta pronos grande premebat onus.
Quinta Ephesi populos venerandis laudibus effert,
Quod sanctam haud quaquam deseruere fidem.
Sexta Philippenses solatur, laudat & ornat,
Constanter fidei quod tenuere decus.
Moxque Colossenses præuentos septima, falsis
Vatibus instituit, corrigit atque docet.
Thessala quam genuit fauet hinc octaua quaternæ,
Tempora quod cum essent nubila firma stetit.
Extima queis etiam prædicit tempora noua,
D Quove sit atra lues deiicienda modo.
At decimæ textus Timotheum informat & apta
Ecclesiæ in rebus, ordinibusque sacris.
Temporis vndecima supremi probra canuntur,
Instruiturque viis omnibus ille bonis.
Instruit inde Titum, decimæ subiecta secunda,
Quo vitet hæreses, presbyter esse queat.
Tertia post decimam, pia dat tibi verba Filemon,
Quæ Roma vinctus misit ab vrbe Pater.
Vltima per legis vatumque oracula, Christum
Hebræis prolem prædicat esse Dei.
His sunt Catholicæ subiunctæ ex ordine septem
Paginæ Apostolico quas capit ore stylus.
Scilicet vna pij Iacobi, Petrique gemellæ,
Sunt tres Ioannis, vna tibi, Iuda, tua est:
Complentque Ecclesiam generali dogmate totam,
Instituuntque fidem, iusque salutis habent.

Hinc ad Apostolicos quos Lucas protulit Actus,
It salus Ecclesiæ; qui noua gesta canunt.
Visio sancta, libros, quæ sancto visa Ioanne est,
Claudit, & arcano limite signat eos.
Hoc testamenti veterisque nouique sub vno
Calle parens binium, ducit ad alta poli.
Hic cibus æterno satiat præcordia pastu,
Iustitiæ famem quo mage habetur, alit.
Hic paradisigeno veniens de gurgite polus;
Quem, quo plus quis adit plus sitit omne bonum,
Hæc tuba terribilis mugit per compita Mundi,
Mittit terrigenum ad cælica regna decus.
Hæc lux horrendas errorum decutit vmbras,
Qua retinent mentis re via, recta, pedes.
Sunt hic iura Dei tenebris nudantia Mundum,
Splendidiora Astris, candidiora niue.
Iusta iubent, iniusta vetant, mala cuncta recidunt;
Virtutes gignunt, probra fugant vitia.
Lex pretiosa Dei est, quid enim pretiosius illa,
Quam dat fons vitæ, lux & origo boni?
Est doctrina, potens, superansque scientia cunctas,
Cui valet æquari nulla sub axe poli;
Cui si quam cupias sensu conferre vel arte,
Vt cælo tellus, hæc ita cedet ei.
Quicquid in ingeniis mundana discitur arte,
Artibus, hic currit liberiore via.
Quod ratione viget, vel quicquid amatur in illis:
Hoc à fonte meat, huius ab amne fluit.
Cumque has in cunctis vincat fandi ordine, vincit,
Quod sermone vno multa notanda docet:
Verborum atque vnum non mutans tramite callem,
Hic plures, vnus, res bene sermo notat.
Sic narrat textum, tamen vt mysteria prodat,
Maiora insinuat dum modo magna canit.
Magnaque sic paruis componit, paruaque magnis,
Actum vt per vilem, tu pretiosa sones,
In re præterita, monstrat narrando futuram,
Hæc referens, miro prædicat illa modo.
Acta ita describit vt agendi conferat Artem,
In re seu facta, te facienda monet.
Pondere de rerum taceo: quis singula fando,
Expediet; decus hoc queis lucet atque viget?
Quæ, non clausa, metum, fastidia non dat, aperta:
Non hic deterret non ibi vilis inest.
Hic spes quærit eam, tenet illic prompta facultas.
Quo latet, exercet quo patet, ista cibat;
Fortium in obscuris, exercet prælia dictis,
Te sermone humili paruula turba fouet.
Fortibus est panis, pusillis lacteus humor:
Hos solidis dapibus, hos ope lactis alit.
Curat more Meri, ritu demulcet oliui:
Multimodo optatu, sic datur vna salus.
Hæc etiam assiduo fastidia derogat vsu,
Quoque magis capitur quæritur inde magis.
Pluraque cum soleant meditatu horrescere grandi.
Huius amor, quo plus hæc meditatur, adest.
Adiuuat hæc animum, humili sermone legentis;
Sensibus & celsis ad potiora leuat.
Nam se Lectorum rudium bene nosse caterua,
Hanc ratur, at doctis hæc noua semper inest.
Quid quod ad æthereas populi vocat agmina sedes,
Et ad vita sociat non peritura tibi?
Qua mundanus amor fugit, crescitque supernus,
Vertit & ad melius, corda legentis, opus
Adde quod exemplis, mundanos instruit actus,
Et via consiliis, hac tribuente patet.
Scilicet hic quisquam, didicit dum gesta priorum,
Quid vitare queat, quidve sequatur habet.
Erudit externos proprios. sic actibus actus,
Nonque suis sua sic dicta vel acta regit.
Singula quis referat? numero transcendit arenam
Et pluuiæ guttas, Legis opimus honos.
Cui, qui lectorum totis te nisibus addis,

A Quisquis es, intenta poscito mente Deum.
Vt tua clementer cum hoc nectare corda reuisat,
Cumque hoc inhabitet pectoris antra tui.
Hac veniente, tuæ pandatur ianua mentis,
Qua nitidante, omni sorde carere queas.
Hospitium quo præstet ei qui condidit illam,
Cum lege hanc adeat legis & ipse dator.
Non te peruadat fastus, non gloria fallax,
Non vanæ, aut vacuæ sit tibi laudis amor.
Spiritus effugiet hominis fera pectora ficti,
Hæc habitator adit corpora pressa malis.
Sit tibi mens humilis, cor prudens, actio munda,
Sit florens studium, sit pietatis opus.
Crebra sit in sancta tibimet meditatio lege,
Instar o monitis, nocte dieque suis.
Hanc gere corde, manu, proprio non desit ab ore:
Tuque aliorum actus, corrigat illa, tuos.
Hæc in parte thori sedeat, hanc lumina cernant,
Hanc colla, hanc genua, hanc brachia curua vehant.
B Ad caput hæc sedeat; solito dum tempore stertis,
Dumque fugit somnus, te petat illa celer.
Nec solum, vt doctus, sed, & vt sis iustus amato:
Eminet vnum alio, cum sit vtrumque bonum.
Nam tibi cunctipotens, actus non verba requirit,
Illi in vtroque tamen ipse placere vales.
Disce legens, adsuesce frequens, faciendo dolero,
Sitque tibi hic trames, Legis in arte piæ:
Quatenus erudiat mentem tibi lectio crebra,
Detque tuis pulchram sensibus illa viam.
Ne cito labatur, vires sibi colligat vsu:
Lectio crebra tener, mens quod acuta capit.
Semita sic cælo dumosæ robore syluæ,
Dum teritur crebro fit via lata pede,
Sancta ferant sanctis verbis exempla vigorem:
Quæ canis & facito, quæ facis ipsa cane.
Non verbis, actus, non illis verba repugnent:
Nobile par, tecum currat vtrunque simul.
Quod bene mente capis, humili sermone profare,
C Ne fastu amittas, quod studiosus habes.
Plura referre; mora est: in paucis collige multa,
Lector, cui fuluum mentis acumen inest.
Semine sic messor prouiso, plurima, paruo,
Grana vehit; voto fertiliore cluens.
Dumque opus id cernis, relegis dum carmina nostra,
Theodvlphi clemens sis memor, oro, vale,

Distichon.

Viue Deo felix per plurima tempora lector,
Theodvlphi nec sis immemor, oro, mei,

Aliud.

Finis adest operi: his quibus est peragentibus actum:
Sit pax, vita, salus, & tibi Lector aue.

D *Theodulphi Versus præfixi breui Chronico quod Bibliis adiectum fuit.*

Codicis huius opus struxit Theodulphus amore.
Illius hic cuius lex bene dicta tonat.
Nam foris hoc gemmis, auro splendescit & ostro,
Splendidiore tamen virtus honore micat.
Quo post Catholicæ veneranda volumina Legis,
Parua tenet modicum scriptio cerne locum.
Scilicet, initio, sumens exordia ab ipso,
Per Patrum & Regum nomina texit opus.
Et notat annorum numerum, notat ordine regna,
Heracli princeps, tempus adusque tuum.
Gestaque dat paucis reminisci plurima verbis,
Sic modico in nutu grande notatur opus.
Hinc ad aperta sedent Hebrææ nomina linguæ,

Quæ sacræ Legis inclytus vsus habet.
Attica post resident, fidei, quæ facta vetustas
 Contulit Ecclesiæ, queis vocitantur opes.
Conficitur Latio de nomine filiula parua,
 Quæ magni fructus pondera digna vehit.
Corpore sub paruo mysteria magna retentant,
 Hæ res quas limes Codicis huius habet.
His fluuium Legis poterit lustrare lucernis,
 Quærere qui pisces legis in amne cupit.
Restibus his poterit pretiosam prendere prædam,
 Ars est cui sancta quærere lege cibum.
Non has, lector ouans, quasi quædam vitia temne:
 Vilis, rem pulchram, capsa tenere solet.
Ferrea nam clauis de vili facta metallo,
 Argenti atque auri dat penetrare locum.
Quæque est seruanti seu sarcina parua ferenti,
 Quo, grauis est pretij sarcina, monstrat iter.
Nam modicis clauis, grandis structura tenetur,
 Marculus & paruus magna metalla polit.
Sic segetes magnæ nascuntur semine paruo,
 Pondus & arboreum germine deque leui,
Obstrusa aperiunt panduntque latentia; plura,
 Paruaque velamen virgula grande leuat.
Quosque tenent flores librorum grandia parta,
 Et simul hic calathus dat tibi; carpe manu.
Vtere seu fœlix quo sis felicior ipse;
 Cum tua perpetuas vita capesset opes.
Et memor esse mei dignare per omnia, quæso,
 Dum legis & relegis, dumque adis istud opus:
Dumque adis istud opus quod condidit actio nostra,
 Mercedem studij, tu mihi redde mei.
Hanc rogo mercedem prome, deposce Tonantem,
 Vt mihi det veniam, seu pius addat opem.
Noxia depellat, concedat prospera quæque,
 Participem & faciat vita beata tibi.
Componat mores, firmet spem, corrigat actus,
 Vtque animæ adueniat, hoc tribuente, salus.
Atque ita me clemens peccamine purget ab omni,
 Vt mihi post mortem, det super astra locum.
Cœtibus Angelicis & iungat, munere, cuius,
 Terrea progenies scandit ad astra poli.

Eiusdem S. Theodulphi Hymnus In die Palmarum.

GLoria laus, & honor, tibi sit rex Christe redemptor;
 Cui puerile decus prompsit Oshanna pium,
Israel tu rex Dauidis & inclyta proles,
 Nomine qui in Domini rex Benedicte venis.
Cœtus in excelsis te laudat cœlicus omnis,
 Et mortalis homo cuncta creata simul.
Plebs Ebræa tibi cum palmis obuia venit,
 Cum prece, voto, hymnis assumus ecce tibi.
Hi tibi passuro soluebant munia laudis:
 Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.
Hi placuere tibi, placeat deuotio nostra,
 Rex pie, rex clemens, cui bona cuncta placent.

THEODVLPHI ABBATIS

FLORIACENSIS, POSTEA EPISC. AVRELIANENSIS,

Elegiæ Epistolares.

DE SVO EXILIO, AD *Modoinum, & Aigulfum.*

Item

A RESPONSORIA EPISTOLA ELEGIACA MODOINI EPISCOPI Ad Theodulphum.

Omnia nunc primum ex membranis m. s. S. Galli edita, per Henr. Canis.

HENRICVS CANISIVS AD LECTOREM.

QVIS Modoinus, quis Aigulfus, quis Theodulphus fuerit, breuiter accipe. Modoinus hic est, qui depositioni Ebbonis interfuit anno 853. vna cum Aiulfo, quem hunc ipsum nostrum Aigulfum esse assero. *Ebbo voce propria* (in-
B quiunt Acta Synodi Suessionensis, quæ & apud Baron. tom. 10. anno 853. num. 7. extant) *& iudicum * peccatorum suorum, videlicet Episcoporum iudicio, Aiulfi scilicet Archiepiscopi, Badaradi Episcopi, Modoini Episcopi, & testificatione testium, &c.* De Theodulpho hæc Card. Baron. in Tom. 9. An. Christi 832. *Cum Theodulphus Abbas Floriacensis vna cum aliis, in illa coniuratione Bernardi aduersus Ludouicum Imperatorem fuisset inuentus implicitus, ob eamque causam Andegaui detrusus fuisset in carcerem, cum poëtica facultatis litteris cæteris huius temporis fuisset excultus, ibidem detentus scripsit Ecclesiasticum carmen ad diem Palmarum in Ecclesia canendum accommodatum, obseruansque tempus, cum eo die Ludouicus inde transiret, è fenestra carceris, vti licuit, illud cecinit in aures eius, quod cum eidem Imperatori mirifice placuisset, eo permotus, ipsum iussit quam primum è carcere liberari, quin etiam prærogatiua, non solum ipsius scientiæ, sed pietatis permotus, postea ad Episcopatum Aurelianensem, promouendum curauit, Ecclesiasticum autem Melos sic habet.*

C

Gloria laus & honor tibi sit, &c.

Scripsit & alia plura carmina, quorum aliqua adhuc extant, nobilis ingenij monumenta, &c. Exstat præterea Epistola eius ad Clerum suæ Diœcesis scripta, cum factus fuit Aurelianensis Episcopus. Hæc Baronius, qui totam hanc Epistolam Annalibus suis intexuit.

INCIPIT EPISTOLA THEODVLPHI EPISCOPI AD MODOINVM

Episcopum, scribens ei de exilio.

D

Theodulphus Modoino suo salutem, de suo exilio.

HOc Modoine tibi Theodulphus dirigit exul
 Summo Pontificum cernuus ecce melos,
Ito Thalia celer, celeri transcurre volatu.
 Nec mora, nec tibi sit vlla in eundo quies.
Donec peruenias Modoini ad tecta beati,
 Præsulis eximij, Pontificisque pii.
Ad quem mox veniens, genibus reuoluta iacebis,
 Iusserit & si te surgere, surge celer.

Basia confestim manibus donabis amicis,
   Et spectans patulam, fessa iacebis, humum.
At, si te rogitet, quæ sis & cuius, & vnde?
   Fare age pro me animo singula dicta tuo.
Sum Theodulphi Erato, veniens de carceris antro,
   Eius vbi immensus hunc tuus vrit amor.
gens. Exul, inops, pauper, tristissimus, anxius,* agens,
   Spretus, & abiectus est vbi, siue dolens.
Forsan & ipse roget, quid agam? me viuere dices,
   Vita, qua melior mors bona, forte foret.
* Haud legit, haud docet, haud laudum pia munia complet
Aut it id. t l. p. c. ro puli.
   Cunctipatri Domino qui regit arua polum,
Hunc, pro se poscit, pro te, siue ordine cleri,
   Pro * poli, & regis, proque salute Ducum,
Me, tibi transmisit, huius tibi dico salutem,
   Subdita sunt cuius verba canenda tibi.
Obsecro frater amans nostri memor esse memento,
a. s. a.   Frater, pars animi portio magna * mei.
Mens tua semper erit nostros miserata labores,
   Nostræ nota tibi quod bene causa rei.
Quo mage res nota est, magis inde adhibeto * dolorem;
abo- u.
   Sic medicus morbum dum videt, arte fugat,
Fumea præsentis pereunt, scis, gaudia mundi:
   Numquam fraternus sed perit almus amor.
Me modo pluris amas, quanquam me semper amasses,
   Ægrum aliis natum plus pia mater amat.
Fessis opto libens certa succurrere rebus;
   Et fratrum mentes sollicitato pias.
Vnus ego quamuis sim, non est vnius hæc res:
   Quod factum est mihimet, esse potest alij.
n. s. a. Est commune malum; communis * cura petenda est.
   Quod nostrum est hodie, cras erit alterius.
Hæc non quis frater timeat contagia demens,
   Ne illi, quæ nobis irrepat ista lues?
Febre solet febris, seu vulnere crescere vulnus:
   Sic multa ex vno fonte fluenta fluunt.
Hæc mea si placidam sit nacta plagæ medelam,
   Pristinus & veniat, morbo abeunte, vigor.
Tale quid vlterius non pars inimica valebit
   Appetere, & scelus hoc non leue prorsus erit.
Seruus habet propriam, & mendax ancillula legem,
   Opilio, pistor, nauta, subulcus, arans,
Pro dolor, amisit hanc solus Episcopus, ordo
   Qui labefactatur, nunc sine lege sua
Debuit & qui aliis legalia promere iura,
   Officij, perdit ius, sine iure, sui.
Culpa facit sæuum confessa perire latronem,
   Non est confessus Præsul, & ecce petit.
Cumque suis egeant mundana negotia rebus,
   Caussa quibus iustum possit habere modum,
Nostra eguit iusto rationis pondere caussa.
   Sæuitia excepta, nullum habet ista modum.
Non ibi testis inest, iudex nec idoneus vllus,
   Non aliquod crimen ipse ego fassus eram,
Esto: forem fassus, cuius censura valeret,
   Dedere iudicij congrua fræna mihi?
Solius illud Romani præsulis extat.
   Cuius ego accepi pallia sancta manu,
Mittere, care mihi, libuit tibi carmina quædam,
   Nostra quibus lusit Musa iocosa parum.
Tempore præterea hoc quædam miracula visa
Sic- ate iusdã uij.
   Dicuntur. breuiter hæc quibus ista canam.
Et fluuius, Sartam Galli dixere priores,
   Perticus hunc gignit, & Meduana bibit.
Fluctibus ille suis penetrans Cenomanica rura,
   Mœnia qui propter illius vrbis abit.
Quod ciues transire solent prope lintribus illum,
   Illic portentum non leue fecit eis.
Denique roscidulas tenebras cum aurora fugaret,
   Et solito peterent more fluenta homines,

A Est propriis spoliatus aquis locus ille repertus,
   Qui rate, seu remis peruius ante fuit.
Stantibus atque vndis populus hinc, inde stupebat.
   Alueus ac plebem ad * inferiora vocat. * interiora.
Nemo ratem quærit, nullus te nauita poscit;
   Miranti populo sic stat aperta via.
Et metus, atque rei nouitas intrare vetabat:
   Primitus & sensim cœpit abire metus.
Incipit esse vetus, noua res, intratur vtrinque,
   Alterutram ripam, plebs petit atque pecus.
Vel pes eis siccus, modicum vel planta madescit:
   Dum gradiens populus itque, reditque frequens.
Si olim tale vadum iuuenis Leandrus haberet,
   Non foret insignis tam tibi luctus, Ero,
Non ad piscandum * quisquam fert rete, vel hamum, * quis quærit rete, vel.
   Saltibus, atque manu, qui volet, illud agit.
Vir tumulandus erat ripæ vlterioris in agro.
   Flentibus euehitur, per loca sicca, suis.
Illa sat vrbis timuit, peteret ne se vnda tumescens
B   Obrueretque simul compita, rura, domos.
Saxa patent ignota polo, polus ipse patescit
   Saxis, cum proprium linqueret humor humum.
Quod vada nulla dabas pediti illic, Sarta, dedisti:
   Grande vadum caligas cum tua saxa stupent.
Sarta aliis vicibus hoc ipsum est passa duabus,
   Nec hoc, nec procul hoc tempore, siue loco.
Quis neget antiqui * cum meminisse tropæi.
   Quo fluuium scindit & * Ierichunta quatit. pro mecum. * gericonta
A prima in quartam modus hic defluxerat horam,
   Inde suas reperit post celer vnda vias.
Nomina non ideo narrantum scripsimus isthic,
   Sunt quoniam plures, qui cecinere mihi.
At si nosse rei vis lector tempora * gesta: * gestæ
   Accipe: promemus sub breuitate tibi,
Forsan nosse diem vis hunc quoque disce, canemus:
   Vt res ambigui possit habere nihil.
Bis partem vndenam solidi rota solis Aquari
   Scanderat in sexta, lunaque piscis erat.
C Tale quod asseuerant flumen Idonea passum,
   Ad quod ab vrbe fluens sat prope Sarta bibit.
Quære locum ex aliis * Dei tibi tempora dicam, * diei, media breui,
   Crastina præfatæ res fuit ista rei.
Hunc quoque defectum quod passa sit Angera dicunt:
   Sed locus, atque dies sunt mihi nota minus.
Non grandi studio perquirimus ista, quod illi
   Qui narrant per me nosse futura volunt.
Non id aperta canit, nec erit vox semper operta
   Tempore namque manent ista canenda suo.
Rebus, & exemplis quædam bene nosse valemus,
   Cum non diuinem, hæc, scio, res quid agat.
Miraque * sunt per idem tempus quam plurima visa, * sunt.
   Hoc etiam visum est, quod recitare paro,
Quod mihi Gerhardus retulit, Paschasius illi: De pugna auium,
   Hic audita mihi, visa sed ille refert.
Nempe Tolosani locus est, rurisque Caturci,
   Extimus hoc finit pagus vterque loco.
D Illi campus inest, cuius sunt extima siluis
   Cincta, hominesque manent non satis inde procul.
Quem volucres magno complerunt impete multæ,
   Planitie inque eius multa resedit auis.
Quas fluuius, quas habet nemus, & quas squalida tellus,
   Quæ scopulis nidos composuisse solent.
Quis cibus est varius, cantus, color, atque volatus, penna.
   * Pinna, vngues, rostrum, mos, locus, officium.
Nam Zephyrus * sparsas * Aquilone adiunxerat illas, * parsas. * Aquilonis vexerat.
   Partem & vtramque putes signa habuisse sua.
Sederunt campis acies altrinsecus illis;
   Et spatium extabat inter vtrasque aliquod.
Inter vtramque aciem legatos ire putares,
   Qui pugnæ, aut pacis iura referre parent.
Interea alterutra paucæ ex vtraque volabant
   Parte, vices complent ista, vel illa suas.
Egerit illa nihil quod tunc legatio pacis,

Sorte patet, post hanc, grandia bella cient.
Vtque diu Pœnos inter, populumque Quiritum,
Currunt legati, donec in arma ruant;
Haud secus inter eas, postquam sat vtrinque volatum est.
Vi, qua quæque valet, in fera bella ruunt.
Ardent ad pugnam volucrum * hinc, inde manipli:
Cumque ala, ala colit, cumque cohorte cohors.
Vis est militiæ diuersa sed vna voluntas,
Quod maior miles vult quoque paruus idem.
Nullum opus, aut currus, nullum aut habet vsus equorũ,
Vsus abest chalybis, spicula nulla volant.
Pro galea, crista est, pro cuspide rostra, vel vngues,
Et sua pro lituis carmina quæque sonant.
Ala leuis parmam, volucris fert pennusa sicam,
Et thoracis habet pluma minuta locum.
Iamque dies sextus conuentus fluxerat huius:
Certatim in bellum parte ab vtraque ruunt;
Inque vicem laniant se hinc morsibus: ictibus, illinc.
Ingenti bellum surgit vtrinque animo.
Hinc Rutulos, illinc videas consurgere Teucros:
Sæuire & Martem parte ab vtraque ferum.
Glans cadit autumno veluti de stipite querno,
Maturum & folium * iam venit ante gelu.

*iam venien. te gelu.

Non aliter auium moriens exercitus illic
Decidit, & magna strage repleuit humum.
Nam teres æstiuis impletur vt area granis,
Campus ita exstincta sic aue plenus erat.
A Borea in Boream veniens pars parua reuersa est,
Tota in vtramque cohors parte perempta iacet.
Res sonat ista, venit populus, factumque stupescunt,
Mirantur variæ membra iacentis auis.
Ipse Tolosana præsul quoque venit ab vrbe,
* Mantio plebs rogat hæc ales an esca fiat:
Illicitis spretis licitas adsumite dixit.
Plaustra onerant auibus: In sua quisque redit.
Tale quid hoc etiam patratum tempore, nobis
Fama dedit velox multa per ora volans.
Qui Romam, Romaque meat, remeantque canunt hoc,
Inter quos mulier hic bona testis inest,
Oratum hæc Turono Romam petit inde reuersa.
Presbytero Arlalto rem canit, ille mihi.
Denique circa Ararim pigrum, Rhodanumque rapacem
Vt supra volucrum, pugna peracta fuit.
Quo rigidas inter cautes, densasque paludes,
Pauca patent * plenis obsita rura locis.
* Illic, vt perhibent, venit genus omne volantum.
Quas * coro paruus nutrit opimus ager.
Pars sedet in scopulis, residet pars plana per arua,
Arboreis ramis pars quoque multa sedet.

*planis. *f. Illuc *Europaruus.

Militiæ ingeminam partem distincta iubentur,
Vtraque conflictum pars meditatur hians.
Quatuor accipitres veniunt hinc, quatuor illinc;
Quatuor & totidem parte ab vtraque capi.
Primo hi congressũ perimunt se hinc, inde vicissim:
Accipitrem accipiter, seu capus ipse capum.
Rostra instant rostris, confligunt vnguibus vngues,
Quo paria arma vehunt, hinc mage se petimunt,
Egit idem * mathus populus Romanus in aruis,
Cum fera bella gerunt, hinc soror, inde gener.
Cum fratrem frater perimit, vel amicus amicum,
Quando pares aquilas, & paria arma vehunt.
Nempe duæ volucres magnę * vauisse feruntur:
Quæ non pugnarunt, cætera turba iacet.

*Æmathiis. Intelligit campos Æmathios. *euolasse.

Vtraque pars vincit, mulcet victoria neutram,
Vtrinque oppletam strage reliquit humum.
Vt furor Annibalis compleuit funere Cannas:
Funere sic auium hæc rura repleta patent.
Quando erit illa dies cum nostrum intrabis in hortum
Atque leges nostras vngue libente rosas?
Et * sua magna sitis mage se accrescere gliscet.
Dum quod semper amas, carmine plenus eris.
Si qua istis fuerint, vt erunt vitiosa Camœnis,

*tua.

Parce precor; scriptor non mihi doctus inest.
A Quæso, tuum fidum nobis transmitte ministrum,
Qui * sua grata mihi * præferat ossa, vale.

*tua *persti-tat.

Ad Aigulfum.

HOc Aigulfe, tibi, præsul sanctissime, mitto,
Theotulphus carmen, exul ab exilio,
Nobilis, & pulchræ fueras puer indolis olim,
* Nunc vires ornas nobilitatis ope.
Quæ fuit in puero docilis solertia paruo,
Nunc manet in magno, dante Tonante, viro,
Signa puer magnæ semper virtut s habebas:
Magna docens magnum te fore, sorte, virum.
Sic fata promittunt fœcundæ præmia messis;
Sic tauri in vitulo forma patet tenero.
* Artes ingenuas studium tibi discere tandem
Exstitit, & cultum pectus habere satis.
At nunc diuini tibi tradere dogmata verbi
B Est labor, & populis iura referre poli.
Qui tunc Grammatico sumebas pocula fonte,
Ambrosio mentes nunc bene rore rigas.
Viuere te sancte, rumor dispergit vbique,
Magna per ora virum sat tua fama volat.
Cuncta quis expediet laudis præconia vestræ,
Iste referre solet *
Vbi probitas, verumque fidesque,
Et bona cuncta simul consociata manent.
Hunc Deus & probitas vitæ, atque electio fratrum,
Prætulerat sancto, me mediante, gregi.
Sed male liuor edax, dolus & pellacia fallax,
* Præsulis, à propria sede remouit eum.
* Ast est in cœlo, proprio hunc qui reddat ouili,
* Cura sit vt proprii, quæ fuit ante, gregis,
Hic de parte tulit vestra mihi verba benigne,
Et mihi * præsentem te dedit ore suo.
Dum bona vestra mihi narrat, me perfouet ægrum
Actibus eque tuis mens mea læta manet
C * Hic * vicere studet à nobis quærere quasdam,
Vestra, & responsum quod tibi portet, habet.
Rettulit ille mihi studiumque, decusque modumque,
Quo vehis officij pondera digna tui:
Qualiter exemplis & verbis ferre ducatum
Non cessas populis ad pia regna poli.
Et bona magna gerens; vt agas maiora precamur.
Poscimus optatam vt det tibi Christus opem.
Sunt exempla tibi Patrum sectando priorum,
A te, vt qui caput es, per pia membra * meent.
* Es Patriarchalis primo prælatus honore
Sedis, & alma Patrum est subdita turba tibi.
Inde manere tibi puro solertia debet,
Omnibus vt specimen sis, decus, ordo, modus.
Quo magis es * celsus; humilis magis esse memento.
Gratia te altithroni ditet vt alma Dei.
Esto bonis agnus: leo feruidus esto malignis.
Pars amet ista patrem, vt illa pauescat herum.
D Cumque piis fueris pius, & districtus acerbis.
Te pars hæc matrem, sentiat illa patrem,
Sit tibi larga manus, placidum cor, dulcia verba,
Sis probus, & solers, promptus ad omne bonum.
Sed quid ago? quo nunc * memet mea fistula ducit?
Doctori similis sum modo factus ego.
Te precor, in terra nostræ memor esto ruinæ,
Oratu, & precibus * fors mala nostra leues.
Forsan, te orante, fratrumque iuuante caterua,
Omnipotens veniam det miserando, mihi.
Et nos exilio releuet miseratus ab isto:
Ioseph qui exemit carcere, siue Petrum.
Ipse, Deo, fateor, peccamina multa peregi:
Quæ superant numero *..... arenas maris.
Et pluuiæ guttas, maris vndas, sidera cœli.
Herbarum frutices, germina cuncta soli,
* Hæc sunt, ærumnas ego sum cur missus ad istas?

*Aigul-phe. *Nunc vires orna-tus. In ms. ... *Quæ ... *Cura ... *merent. *Es ... *... *Hæc sunt ...

Esse nec, vt debent, sunt mala tanta mihi.
Non regi, aut proli, non eius * credo iugali;
Peccaui vt * meritus hæc mala tanta veham.
Crede meis verbis, frater sanctissime, crede:
* Obiecti haud quaquam criminis esse reum.
Perderet vt sceptrum, vitam, * propriumque patronum:
* Hæc tria nunquam sum consiliatus ego.
Addimus & quartum mihi non fuit illa voluntas,
Vtcumque, vt rerum hæc mala tanta forent.
Hoc ego clamaui; clamo; clamabo per æuum,
Hæc donec animæ membra liquor vegerat.
Qui modo non credit, cogetur credere tantum,
Ventum erit vt magni iudicis ante thronum,
Qui mihi testis erit pius, & iustissimus vltor:
Omnia cui semper nuda, & aperta manent.
Qui non acceptat personas, munera siue,
* Diligit æque æquum, diligit omne bonum:
Eius in adspectu falsissima cuncta peribunt:
Hic meus, alterius non ope testis eget.
Me, tua, care, fouet dulcis compassio frater;
Tristitiæque meæ pars tibi magna manet.
Det pater altithronus cœlum, terramque gubernans:
Lætitiæ nostræ * postmodo compos eas.
Te, scio, cunctorum redimitum flore bonorum,
Lampade virtutum seu rutilare satis.
Sit tibi vita, salus, & Christi gratia regis,
Exster & omnipotens fautor vbique tibi.
Viue Deo felix per tempora longa, sacerdos,
Deque bono in melius profice rite, vale.

ego sũ cõmissus in illis. * crede. * meritus. * me obiecti. * Propriumque nepotem, * Hæc tria sum nãque. Diligit æquum æquus, diligit omne bonum. * m. s. post modũ.

INCIPIT RESCRIPTUM MODOINI EPISCOPI, AD THEODULPHUM EPISCOPUM.

Modoinus indignus Episcopus Theodulpho suo.

LVdere nemo potest versu, sine lege polito
Nempe loqui recte nec valet, arte carẽs.
Sed prius accipiter nec tentat viuere in armis,
Quam instructus proprij hoc more parentis agat,
Vtiliter puer in primis non militat annis,
Digna sed expertus præmia tiro capit.
* Non audet intrare ratem nauta absque paratu:
Tentans nauigeras * Tiphis inermis aquas.
Arte rudis cum sim, sic..... me posse negabo,
Respondere tuis versibus eximiis.
Vilis apud doctos namque est mea Musa poetas,
Condere ob hoc nullum carmine nitor opus.
Sed me cunctantem compellit epistola vestra,
Scribere disparibus carmina nam numeris.
Et molli durum nunc ceræ inducere ferrum
Cogor, & insueto texere verba modo.
Quin imo immodicus dicendum est rite libellus
Attulit emissus quod mihi vester, opus.
Audisti antiquos verbis ita ludere amicis,
Sæpe etiam didici hoc & ab ore tuo.
Musarum quod inops norir non antra poeta,
Sed dici de me hoc quoque iure potest.
Nonnulli * affirmant (sed &) insanire poetas:
Carmina dum statuunt mente carere sua.
Ast nobis integra manet mens ipsa, nec audet
Longius amisso ordine abire suo.
Scandala sed propter vitanda, nec appetit alta
Contenta est modico nam moderata loco.
Fac, Theodulphe, meos versus aduerte benigne,

* Non audet nã nauta intrare ratẽ absque paratu. * m. s. tiphim. * adfirmant etiam insanire.

Nec sint despecta carmina nostra tibi.
A Nolo venenato nostra vnquam dente lacessas;
Sed sint iudicio carmina tuta tuo.
Si qua meis * fortasse inerunt errata Camœnis,
Cernuus hæc æquis respice quæso oculis.
Sæpe queror casum deflendo insontis amici,
More fluunt lachrymæ amnis ab ore meo.
Sæpe tuam ingeminans luxi flens ipse ruinam,
Pro dolor amisso exul honore peris.
Exilium innocuus pateris per triste sacerdos;
Inclytus, expertus præsul, * anorme malum.
Nonnulli prodesse solet prudentia multa,
Læsus ab ingenio es pater alme tuo.
Præcipue tua magna tibi sapientia soli
Obfuit, & quod habes triste parauit onus.
Liuor edax petit alta fremens consternere tentans
Id, quod ouans, simplex pectore turba colit.
Pertulit an nescis quod longos Naso labores,
Insons est factus exul ob inuidiam.
B * Ipse Verinus magna est deiectus ab vrbe,
Consul Romana clarus ab arce procul.
Magnus ab infesto est agitatus milite vates
Virgilius propriis expoliatus agris.
Vulnera sæua suo fertur sumpsisse tyranno
Seneca præcipuus * cæde Neronis obit.
Quid memorem ex nostris plures sudasse nefandum,
Pro nostra exilium religione pia?
Qui magis à magno colitur pius ipse Magistro,
Ioannes durum pertulit exilium.
Hilarius sensisti ergastula tu quoque dira:
Missus in ignotum rege iubente locum.
Clauiger ipse Petrus nam, nec non & populorum,
Doctor erat Paulus, carceris in gremio.
Sed tamen hoc egit feritas inculta repugnans,
Gentilis fidei namque inimica piæ.
Adde etiam quod adhuc rudis Ecclesiasticus ordo,
Informisque sua lege careret iners.
C Deposita iam pace fiui, feritate serena
Debuit & proprium iure tenere modum.
Culpa sacerdotum facit hoc: quod vilis habetur
Ordo ministerij maximus ille sacri.
Inter eos effectus nullus fidus habetur:
Commendat sancto gratia quosque loco.
Nemo gemit miserans alienæ incommoda vitæ,
Pro fratris pulsans vtilitate sui,
Vnusquisque studet terreno incumbere lucro,
Sectatur fragiles deliciosus opes.
Ex quorum me nolo putes numero tamen esse,
Qui fucata leui pectore verba ferunt.
Sed qui cessabo numquam certare precando
Pro reditu vestro quiqite laboro libens.
Ergo ego sollicito veteres tibi semper amicos,
Proque tuis damnis ambitiosus ero.
Hæc te nosse reor; quoniam cito spargitur orbe
Fama celer toto aulica dicta gerens.
D Sis quod ab infesta hac demum regione mouendus,
Cæsaris ad nitidum lumen iturus item.
Illius ante oculos veniens, lætumque videbis
Iam dudum vultum, qui tibi tristis erat.
Commissum scelus omne tibi dimittere mauult,
Si peccasse tamen te memorare velis,
Nam prodesse tibi confessio pura valebit,
Si te voce probas criminis esse reum.
Si te dissimulas, de quo tibi crimine dicam,
Scire nota pro quo huc * itur ipse fores.
* Elige sed quid agas, tibi & quodcunque videtur,
Consilium melius mente teneto precor.
Sed mihimet melius visum est, vt sponte fatetur,
Quodque negari vllo non valet ingenio.
Nullo alio superare modo puto principis iram
Posse, probes nisi te criminis esse reum.
Promittit, si te peccasse fateberis, ipse,
Consilium Cæsar dedere velle tibi.

* fortasse, vt erunt. * inorme malum. * Ipse Seuerinus. * m. s. sede. Est Ludouicus Imp. vide Cæs. Baron. Tom. 9. Lud. Imp. anno 4. cõscius n. erat coniurationis Bernardi Regis Italiæ, in Ludouic. & hinc, cũ aliis in exil. exactus. * huc situs ipse fores. * Elige siquid agas, & quod tibi cumque videtur.

* Non tibi promittit, redeat quod pristina virtus, (* sic m. s. sed. Nam legend. * rursus adire gradū.)
Amistum vt possis * rursus adire gregem.
Nescio, frater, amans, mage quid tibi scribere possim,
Cum sint hæc tota non tibi nota minus.
Luce mihi magna tu solis carior exstas:
Nil, fateor quod amem te mage mundus habet.
* Mothfridum crebris appellat epistola dictis, (* Matfridum.)
Lectaque sunt vestra verba frequenter ei.
Ille valet lapsis optatam adhibere medelam,
* Naufragoque pium ferre patrocinium. (* naufragio, vel naufrago.)
Flebilis * exhausto resonat vix carmine Musa: (* m. s. exhaustro mendose.)
Dicere quid possit non habet illa magis.
Sed mandare aliquid dubitaret epistola vestra,
Mirabar vestri cur mihi seruitij.
Nullum vnquam obsequium tibi, * nam mihi crede, (* mihi crede negabo.)
Sed quodcunque iubes, ipse libenter ago.
Idcirco hunc missum nostrum direximus ad te:
Quæcunque, vt mandas, ille mihi referet. (* vt mandes.)
Quique procul dubio satis est, vt credo, fidelis,
Cuius ab ore mea currere verba vides.
Ipse tibi, quæcunque roges, sine fraude recenset,
Absque dolo nostra cuncta vice expediet.
Imber habet liquidas quot guttas, flumina pisces,
Emittit frondes quot nemus omne virens;
Area grana solet quot habere æstate, salutes
Tot tibi mitto pater, semper vbique vale.
Serue Dei summi semper sis, digne perenni
Tempore, quæso mei, frater amande memor.
Nunc in calce precor supplex nam carminis huius,
Vt vestris precibus tutus vbique ferat.

Explicit rescriptum Modoini Episcopi ad Theodulphum Episcopum in exilio morantem.

THEODVLPHI AVRELIAN. EPISC. ET ALIORVM POEmata quædam,

Nunc primum ex Bibliotheca Sancti Galli edita, per eundem Henr. Canis.

VERSVS THEOTOLFI EPISCOPI.

INclite Cæsar aue *Ludouice* serene valeque
Et tibi cuncta cunctipotens, det bona pius.
Orbis te totus laudat, veneratur, amatque,
Et monitis paret, sedulus vnde tuis.
Primus in orbe micas, nulli es virtute secundus,
Viribus armipotens, te scio nemo præit.
Arma es Pontificum, venerandi culmina iuris
Tu vigil instanter, ad meliora leuas.
Tu decus es Cleri, populi, seu norma salutis,
Iudicij callem arbiter æquus amas.
Hæc facis & facienda doces quæ ad sydera tollunt,
Quæ mergunt solers semper ad ima caues.
Es quoque pacificus sapiens Salomonis ad instar,
In specie es Ioseph, viribus inque Dauid.
Est & scripturis patulus tibi sensus in almis,
Lectio te quarum pascit alitque frequens.
Corporeis epulis satiaris corpore parce,
Sed tua diuina mens alimenta sitit.
Nam cibus illatus satiat tua viscera poreds,
Sed cibus æternus mentem animumque cibat, A
Plus epulas animæ quam carnis diligis; ipse,
Has capis ad tempus, has sine fine sitis.
Es quoque tu multum proprio laudandus in actu
Quod caro vult parce, mens quid & optat amas.
Quæ mala sunt refugis, bona quæque amplecteris vltro,
Inde Deus tecum Rex benedicte manet.
Ecclesiæ sanctæ dilectus filius extas,
Quam tibi commisit vnicus ipse Patris.
Hanc tu constanter doctrinis imbuis almis.
Incolis, augmentas, instruis, ædificas.
Nemo fide Christi nam te præstantior extat.
Plus orthodoxus est tibi nemo super.
Est tibi nemo super similis pietate vel actu,
De te vera loqui me tua facta probant.
Diuitias mundi cauto sectaris amore,
Queis tibi constanter regna beata paras.
Non temet mi Rex * Lambus non aureus inflat (* fort. limbus.)
Non diadema micans mentis in arce sedet. B
Regius hæc fastus tua non deuotio quærit
Cui semper dulcis gloria Christus inest.
Moribus eximius, rutilus bonitate coruscus,
Semper adhærere est tibi velle Deo.
Teque tuas laudes liquido depromere nulla
Vox potis est, quas nunc nostra camæna tacet.

Alij versus Theodulphi exstant Tom. VIII. Biblioth. SS. Patrum subsequentibus nullus auctor adscriptus est.

Epitaphion Geroldi Comitis.

MOLE sub hac magni seruantur membra Geroldi
Huius iura loci, cunctis qui viribus auxit,
Pannoniis vera Ecclesiæ pro pace peremptus.
Oppetiit sæuo Septembribus ense Kalendis,
Sideribusque animam dedit. artus Saxo fidelis C
Abstulit, huc retulit, dignoque hic clausit honore.

Epitaphion Constantij.

HIc decus Italiæ tegitur Constantius Heros,
Qui patriæ tegmen, murus & arma fuit,
Inuictus bello, non fictæ pacis amator
Confixus plagis, victor vbique tamen.
Hic mare per medium gentem compescit euntem
Et victis pariter terra negauit opem,
Sobrius, armipotens, castus, moderamine pollens,
Primus in ingenio, primus in arma fuit.
Romanis & blando quantum flagrauit amore,
Tantum Pannoniis gentibus horror erat.
Iste sibi & natis bello mercauit honores,
Munera Principibus colla secata dedit.
Natorum medio pictus pater, anxia mater
Quem plangat, nescit, stat stupefacta dolens, D
Peius Roma dolet tanto spoliata senatū,
Perdidit ornatum, perdidit arma simul,
Tristes stant acies magno ductore remoto,
Cum quo Roma potens, quo sine pressa iacet,
Hunc tumulum Dux magne tuum tibi condidit vxor,
Quæ tecum rursus consociata iacet.
Istud nulla manus tentet violare sepulchrum,
At * Theodora te tuum cupiente parens. (* fort. Theodora)

Hymnus de Natali Domini metro trochaico tetrametro scriptus.

LVmen clarum rite fulget, orto magno sidere
Quod per totum splendet orbem vmbras noctis aufugans,
Christo nato Rege magno totus orbis gaudeat.

Dux de Iuda quem Propheta olim iam prædixerat
Lætus nobis ecce venit Bethlem nascens inclyta.
CHRISTO NATO REGE MAGNO TOTVS MVNDVS GAVDEAT.
Hunc regalis virgo mater partu gaudens edidit,
Quem Gabriel nunciauit Saluatorem gentium
CHRISTO NATO, &c.
Cum Pastores excubantes cura mordet nam gregis
Clarus ipsos ad lætandum exhortatus nuncius
CHRISTO NATO, &c.
Concinebat Angelorum turba læta laudibus
Terræ pacem prædicantes cœlo reddunt gloriam
CHRISTO NATO, &c.
O stupendum mirandumque Sacramentum gloriæ
Quod tonantem supra cuncta virgo gestat paruula
CHRISTO NATO, &c.
Factor cæli terræ factor vulua est clausus feminæ,
Auctor summus Angelorum fit præsepe conditus.
CHRISTO NATO, &c.
* pro pugillo. Palmo cælum qui metitur, terram claudit * pugili.
Pannis paucis obuolutus infans vagit paruulus
CHRISTO NATO, &c.
Quæ diuisit lucem ab vmbris summi primum dextera
Matris mammas ecce tractat lactis potum quæsitans
CHRISTO NATO, &c.
Os præclarum conditoris quod formauit sæculum
En admotum nunc libenter sugit matris vbera,
CHRISTO NATO, &c.
O beata mater Christi Dauid stirpis femina
Tu laus orbis & regina læta Virgo Maria
CHRISTO NATO, &c.
Votis adsis tu piorum omne seruans sæculum
Patriarchis & Prophetis laus, corona gloriæ
CHRISTO NATO, &c.
Ex te sperant lætabunda Angelorum agmina
Christi plebem quod gubernes arcanorum conscia
CHRISTO NATO, &c.
Nam te virgo cælebs nupta sexus omnis appetit,
Tu parentes atque natos deprecando protege
CHRISTO NATO, &c.
Gaude cœlum cum supernis Angelorum millibus
Omnis terræ plenitudo, pontus, astra, flumina.
CHRISTO NATO, &c.

IONÆ EPISCOPI.

Ionas Aurel. Episc. cuius exstant libri de imaginibus contra Claudium Taurinensem.

EN adest Cæsar pius, & benignus
Orbe qui toto rutilat coruscus,
Atque præ cunctis bonitate pollet
Munere Christi
Cernuus, prudens, sapiens, modestus,
Mitis, & clemens, moderatus actu,
Temperans, fortis, probus, & honestus,
Censor, & æquus
Hic decus * Sudam Ecclesiæ paterque
Ornat hanc solers recreat, fouetque
Erudit, munit, colit, instruitque
Dogmate largo.
*Ita M.S. Cod.
Hic potens armis, Domino fauente,
Viribus gentes reprimit superbas
Harum & hic Victor * subiendo calcat
Colla triumphans
*pro subigendo.
Cuius aduentu, miserante Christo,
Et nitens multum facies serenat
Ciuitas temet populosa nempe
Aurelianis,
Hinc Deo laudes agito perennes
Cuius hinc nutu properauit ad te
Huius & vultum tibimet videndum
Præbuit ecce.
Has canat Clerus simul omnis & plebs
Has senex pangat, puer, atque paruus
Pauper, & diues reboent ouantes
Pectore puro:
A Hoc chorus Cleri, populique turba
Supplicum carmen recinens precatur,
Det Ludouico vt Deus imperandi
Tempora longa.
Prosperum clemens ferat omne semper
Pellat aduersum procul & repellat
Huius & vitam tueatur æuo
Tempore clemens
Cæsaris huius valeat per æuum
Nobilis coniux * seu clara proles *Ita cod. M.S.
Gaudeat felix, populus, domusque
pace perenni
Muniunt vrbem hanc proceres fideles
Qui pio Christo sua dedicarunt
Hostis aduersi tolerando, bella,
corpora casta
Hi duces sancti reducesque sunto
Vt tui Cæsar, foueantque temet
B Horum & obtentum superes..... ...deest vocabulum aliquod.
poscimus omnes
Artibus cunctis placeas tonanti
Et Dei leges mediteris almus
Queis viam vitæ valeas tenere
tramite recto.
Temporis huius spacio peracto
Alta conscendens subeas polorum
Te pius captet chorus Angelorum
Et sibi iungat.
O decus Regni, Imperij propago
Macte tu semper vigeas Lothari
Et patris sedem teneas potentem,
secla per ampla
Sit Patri, & Nato, tibi spiritusque
Semper æternus honor, atque perpes
Nunc vt in præsens ita & in futurum
secula semper, Amen.

C

Ad Ludouicum Regem in persona cuiusdam Presbyteri.

REx pie, Rex clemens, almæ virtutis amator,
Suscipe quæ prono vobis fert pectore Paldmant
Grates pro vestra summus pietate rependam
Æterno Patri, qui vos regnare potenter
Et mores sanctos seruare salubiter egit.
Prospera multigenis concedens cuncta triumphis.
Et vos ergo Pater curam sanctissime sanctam
Sumite reddentes Domino pro munere grates.
Multiplici quo vos istam seruarit in horam,
Atque dedit semper felici pace potiri.
Non vos ex vobis disponere tanta potestis,
Sed * sum adest per secla Dei mirabile donum, * fort. suum adest.
Si placitum hoc fuerit, faciam tibi multa per illum
Carmina conscribi supplex, qui scripserat ista.
D Vos Pater, & Gnatus, sanctus quoque Spiritus omni
Tempore concedat Domino præstante valere

In aduentu Caroli Filii Augustorum.

ECce votis apta vestris
Venit hora Psallite
Gaudium cordis patescat
Claritate carminum.
Salue Regum sancta proles
Chare Christo Carole.
Nullus ordo, nulla rerum
Nunc silescat vastitas
Mens & lingua, cor, voluntas
Laudem dando personet. Salue, &c.
Credimus superna votis
Angelorum millia
Nostris congaudere digne

Mox ipsum Dominum didicerunt corda piorum.
Partibus Ægypti differtur passio Christi
Quem simulacra tremunt, & chara habitacula linquūt.
Præcipit Herodes natos cruciare recentes,
Millia lactantum tendunt lætantia cælum.
In senibus potior reperitur pusio doctor.
Qui tamen imperium dignatur ferre parentum.

Explicit de infantia Christi.

Hi versus in dextro pariete Chori;
Isti vero in dextro pariete stationis populi.

BAptizat Dominum serui deuotio summum.
Prædicat hunc genitor, inuisit Spiritus vnctor.
Dæmonis en fraudes Christus contemnit inanes
Eius cunctimodas ducens vt stercora pompas.
Demonstrat placidum Iohannes mitibus Agnum.
Andreas sequitur, fratri comperta profatur.
Imperat os vitreum post se properare Philippum
Nathanael spissa, qui mox subducit ab vmbra,
Testibus hisce nouum fecit de flumine signum,
Conuiciis latices in vitrea pocula vertens,
Retia germani linquunt in nomine Christi,
Mox alii lacrymas spernunt cum naue paternas.
Omnipotens medicus hominum miseratot & vnus
Omnimodis pressos iussit discedere sanos.
Spiritibus diris hominum de corpore pulsis
Das pecorum furiare greges iustissime Iudex.
En verbum domini cura medicamine verbi
Præcipit & sanum proprium portare grabatum.
Principis vt natam sanet vel suscitet ibat.
Furatur mulier sacra de veste salutem.
Reddidit en stupidæ Dominus sua munia dextræ.
fort. Consilium stolidi faciunt de sanguine Christi.
rbæ. Vnicus en viduæ rediuiuus redditur † orbe.
fluidū. Ingeminant plebes, ô vere magne Prophetes.
Saltatrix petiit caput innocuumque recepit,
Lictores * fluuidum linquunt in carcere truncum,
Panibus ex quinis & piscibus haud mage binis,
En hominum large satiantur millia quinque
Christus aquæ fluctu pressit vestigia gressu.
At fidei dubium mergunt vada turgida Petrum,
Hydropicum tangente manu, quæ cuncta creauit.
Pallidus humor abit, facies & læta rubescit
Ecce decem mundans templo se ferre iubebat,
Vnus regreditur grates persoluere Iesu.
Contentus pueros Deus est benedicere paruos,
Talibus atque sui promittit gaudia Regni.
Hic scribæ Domino sistunt in crimina captam,
Quam placidus censor damnatis soluit eisdem,
Ex limo reparat, quidquid natura negabat,
Qui luteum primo torum plasmauerat Adam.

Hucusque de Miraculis Domini dextro pariete. Hi vero in fronte Occidentali, in spacio quod supra thronum est.

ECce tubæ crepitant, quæ mortis iura resignant,
Crux micat in cælis nubes praeedit, & ignis.

Hi etiam subtus thronum inter Paradisum & infernum.

HIc resident summi Christo cum Iudice sancti
Iustificare pios, barathro damnare malignos.

Passio Domini in sinistro pariete stationis populi.

ESse sibi Patrem Domino tractante Tonantem
Plebs furibunda pium certat lapidare magistrum
Mortue quatriduo fœtens & corpore toto
Lazare surge, veni, te morti tollo rapaci.
Funeris obsequium mulier præuenit amicum

A Dum caput atque pedes nardo perfudit * honora *f. odora.
Mansuetum regem plebes deuota frequentat.
Frondea cum festis præiens comitansque choreis.
En vrbis miseræ dignatur flere ruinas,
quæ manibus crudis ipsum discerpere gestit.
Hic sub carne latens deitas per signa patescit,
Dum turbas patria flagro proturbat ab aula.
En ficum viridem sterilem remanere iubebat.
quod sibi ieiuno fructum præbere negabat.
Agricolæ seruos cædentes vulnere sæuo,
Post natum Domini, satagunt hic mittere morti.
Gentiles Dominum cupiunt iam cernere Christum.
Discipulos idem mortem perferre docebat.
Ecce Sacerdotum primi populique nefandi
In fidum famulum censu corrumpere gaudent.

De S. Hilario.

B GAllia me genitum Pictauis ore tonantem
Doctorem Hilarium misit alumna suum.

De S. Ambrosio.

AMbrosius doctor signis insignis & hymnis
Enituit hic multis enite. eloquiis,

De S. Augustino

MEntitur qui te totum legisse fatetur,
Aut quis cuncta tua lector habere potest.
Namque voluminibus mille Augustine refulges
Testantur libri, quod loquor ipse, tui.
Quamuis multorum placeant volumina libris,
Si Augustinus adest sufficis ipse tibi.

De S. Hyeronimo.

C HIeronyme interpres variis doctissime linguis
Te Bethlem celebrat, te totus personat orbis,
Te quoque nostra tuis promit Bibliotheca libris.

CHRISTIANI DRVTHMARI GRAMMATICI

EXPOSITIO IN MATTH. EVANgelist. Item.

EPITOME IN LVC. ET IOANNEM.

EX LIBRO IOANNIS TRITTENHEMII ABBATIS Spanhemensis de scriptoribus Ecclesiasticis.

D *CHristianus qui & Druthmarus monachus & Presbyter Corbeiensis: ordinis sanctæ memoriæ Benedictus Cassinensis, natione Aquitanicus: vir in diuinis scripturis doctus: Græco & Latino sermone imbutus, veniēs ab Aquitania in Galliam, nomen suum scribendo notificauit. De cuius opusculis ego tātum videre hucusque merui, opus grāde & præclarum ad monachos Stabulensis & Malmondariensis cœnobiorum: sub vno abbate consistentium in diœcesi Leodiensis Ecclesiæ, aperto sermone conscriptum, In Euangelium Matth. lib. 1. Incip.* Hunc titulum non fecit Euangelista,

In prologo expositionis secundum Matthæum: etiam in alios Euangelistas se scripturum promisit quod & fecisse dicitur: sed à nobis ignoratur.

INCIPIT PROLOGVS CHRISTIANI GRAMMATICI in Matthæum Euangelistam.

VEnerabilibus in Christo patribus in cœnobiis sancti Petri principis Apostolorum cognominibus stabulariis sedula deuotione Deo militantibus & ad feliciora tẽdentibus: vester fidelis famulus Christianus indignus Sacerdos præsentis æui pacem, ac prosperitatem, futuraque æternæ beatitudinis in splendoribus sanctorum cum Rege regum arbitro sæculorum optat societatem. Omnia verba sonando transeunt, & transeundo deficiunt: necesse est igitur alligari litteris verba quæ aliquid vtilitatis habere videntur; vt desides & friuoli cum perfectioni studere voluerint, abiecta vanitate inueniant iterum vnde ammoneantur, quod aliquãdo iuuenili more citata aure surdaque transierunt. Nã quia perspexi iuuenibus nostris, post expositum bis textum Euãgelii Matthæi obliuioni habere, statui apud me ipsam expositionem eo tenore litteris mandari, quo coram vobis verbis digessi. Etsi aliquis requirit quare post beatum Hieronymũ hoc ausus fuerim agere: respondeo, quia perspexi beatũ Hieronymum multa verba quasi leuia præterisse, & paruulis sensu difficilia reddidisse: idcirco quod mihi aliquãdo difficile visum fuit facile valentibus scire reddidit. Et vsus loquendi melius intelligitur de his, qui de eadem prouincia sũt quam aliquo deprauati vsus. Habet enim vnaquaque prouincia morem proprium loquendi quem alia non habet. Et ideo suauius auditur. Aperta quoque locutione ipsum contextum digessi quoniam stultiloquium est in expositione alicuius libri ita loqui: vt necessarium sit expositorem ipsius expositionis quærere. Eo enim modo quis loqui debet ad aliũ si vult verba sua ab illo intelligi cui ipse loquitur: sicut beatus Paulus Apostolus dicit. Si esses Græcus, Græce tibi loqui deberem. Ad illum verbum Græcum, ad illum verbum Latinum. Studui autem plus historicum sensum sequi, quã spiritalem: quia irrationabile mihi videtur spiritalem intelligentiam in libro aliquo quærere, & historicum penitus ignorare: cum historia fundamentum omnis intelligentiæ sit, & ipsa primitus quærenda, & amplexanda: & sine ipsa perfecte ad aliam non possit transiri. Ego vero nulli nolẽti iussero, aut legere, aut habere hunc librum: sed qui voluerit. Et si aliquis hunc detestatur ordinet meliorẽ, & ego voluntarie ipsum suscipio. Nam iste nihil vlli nocet. Amicis in hoc facto parui, inimici mea voluntate non tangent, ne forte de bono æmulationes fiant. Si ergo videro quod vobis hoc primum factum placeat, ad Euangelium Ioannis manum mittam: quia Augustinus aquilam sequens, id est beatum Ioannem, qui aquilæ assimilatus est cum ille vltra nubes, iste prope nubes incedit, propterea paruulis sensu necessarius est humilis & terræ gradiens expositor, vt possunt intelligere quod ille quasi omnibus notum reliquit intactum. Nam in Marco non est necessarium manum mittere, post beatum Bedam. In Luca quoque audio post sanctum Ambrosium eundem Bedam manum misisse. Sed non potui inuenire adhuc in tota eius expositione, nisi quasdam eius homelias. Si vero nec inuenero, & vestrum omnium cohortatio affuerit: & in hoc quoque laborare tentabo si tamen gratum vobis fore sperauero. Supra enim omnes homines vestra mihi est gratior societas, quia est sincera & absque dolo, & quam Deus docuit: sanctique eius Apostoli tenuere, ac posteris tenendam tradiderunt. Non enim est fel amaritudinis in vobis, neque zelus iniquitatis, sed fides firma, charitas inuiolabilis erga Deum ac proximos. Et licet rebus terrenis egentes sitis, virtutibus tamen repleti estis ita vt qui vos perfecte agnouerit vlterius dilectione à
A vobis non possit separari. Sed si modico tempore vobiscum quis moratus fuerit pro certo intelliget quia Deus cohabitator vestri sit, & Spiritus sanctus regat opera vestra. Neque enim habitabit diu malus inter vos neque permanebit in consortio vestro: quia sicut aurum & argentum in camino probationis sordes abiiciunt, ita & quis inter vos venerit, aut desinet à malo opere, aut certe alienus efficietur à consortiis vestris. Qui namque inter vos conuersantur, non multum mirentur, si plurimi sancti in his monasteriis probabiles fuerunt, sed pro certo experientur quia qui apud vos non est bonus, sine dubio nusquam alicubi erit; quoniam vos estis, qui veraciter audistis vocem Domini dicentis. Estote prudentes vt serpentes, & simplices sicut columbæ. Etsi reges & principes atque vulgaris populus vos veraciter agnouissent, vt veros Christi discipulos amarent, supra omnes homines venerarentur ac diligerent. Christus custos vester qui cœpit vos custodire in sæcula, concedat in concepto bono opere permanere, vsque ad finem vitæ vestræ.

B

Incipit expositio Christiani Grammatici in Euangelium secundum Matthæum.

CAP. I.

HVnc titulum non fecit Euangelista, scilicet interpres qui interpretatus est. Nam Matthæus libri sui titulum: *Liber generationis imposuit*: iuxta consuetudinem Iudæorum ad quos scribebat, qui soliti sunt libris suis in principiis nomina imponere: vt *Genesis*, hoc est, *Generationis*: quia ibi scriptum est. Istæ sunt generationes cæli & terræ. Similiter *Exodus* id est exitus & numerorum & reliqui. Similiter beatus Matthæus quoniam de generatione domini primitus scripsit: *Liber generationis* nomen imposuit. Incipit, hoc est inchoat. Compositum verbum ex, *in* præpositione & *capio* verbo mu-
C tata *a* in *i*. Euangelium Græcum nomen est, & dicitur Latine *bonum nuncium*. Eu *bonum* Angelum, *nuncium*. Vnde & Angelus dicitur. Tamen sciendum est, quia apud Græcos per duo gamma scribitur. Et Angelus similiter per duo gamma sicut & Priscianus dicit. Sed quia apud nos absonum videbatur: apud Latinos prima per n, secunda syllaba per g, Et non est iungendum u, cum a, sed cum e, est iungendum: quia, *bonum* dicitur. In omnium principiis librorum tria quærenda sunt tempus, locus, persona: Similiter de isto Euangelio hæc tria tenenda sunt, Locus Iudæa extitit, vbi conscriptum est Hebraica lingua ad Hebræos qui in Christum credidere. Tempus Caii imperatoris qui singularem monarchiam vniuersi orbis Romæ tenebat. Persona Matthæus, leuita genere, sacerdos extitit dignitate, cuius nomen interpretatum in nostra lingua *donatus* dicitur. Digno vaticinio sic vo-
D catus quia in præsentia Dei ordinatus fuit & donatus ad narranda gesta Christi, ante multa secula ostensus à Prophetis in specie hominis. quia gesta quæ Dominus noster in carne iuxta humanam carnem gessit, narraturus erat, ob hoc in effigie hominis visus est. Marcus quoque in specie leonis apparuit: quia Euangelium suum ab actu leonis inchoauit cui proprium est in deserto rugire. Dixit enim, vox clamantis in deserto. Lucas nihilominus ore iuuenci similatus apparuit: quia ab eo cœpit, qui vitulos frequentius offerre solitus fuit videlicet à Zacharia sacerdote. Ioannes vero more aquilæ volans, illum qui supra astra sedet verbo petiit inquiens, *In principio erat verbum, & verbum* &c. Requirendum vero quare cum multa Euangelia ordinata fuisse legamus: & in nomine 12. Apostolorum & etiam aliorum doctorum sicut Lucas refert, nullum

illotum placuit Deo legi vel ſuſeipi in Eccleſia ſua niſi hæc quatuor : neque plus neque minus. Nam hæc quatuor Euangelia propter quatuor climata mundi, à Deo ordinata ſunt & ante multa ſecula oſtenſa à Prophetis Appellata autem ſunt animalia : quoniam propter animam hominis Enangelium prædicatur. Idcirco vero plena oculis ante & retro, intus & foris à Prophetis prædicta ſunt, quia & præſentia Domini geſta & futura de iudicio venturo narrauere: Crura dicuntur recta habere, qnia nihil prauum in Euangeliis inuenitur. *Eratrota in rota* : ſubnixum eſt de veteri Teſtamento : & quitquid Enangelium annunciat, in veteri prædictum fuit : & ambo in ſimile concordant. Quod dieit, vbi erat ſpiritus impetus, illuc gradiebantur : oſtendit nihil aliud Euangeliſtas narraſſe niſi quæ ſpiritus in cordibus eorum profudit. Figuræ iſtorum animalium etiam domino conueniunt : qui homo factus eſt naſcendo, vitulus moriendo, Leo factus eſt reſurgendo, aquila extitit aſcendendo. Quia ſic ordinata à Deo & oſtenſa ſunt iſta quatuor Euangelia, longo ante tempore :ideo reſpuit Eccleſia Catholica aliorum pſeudodoctorum deliramenta, & ſuſcipit hæc quatuor, in ſimilitudine quatuor fluminum : quæ profluunt de vno fonte ex paradiſo, ſimiliter hæc ex ore Domini Ieſu Chriſti. Per *geon*, qui dicitur terrenus ſignificatur Matthæus qui terrena acta de Chriſto narrauit. Per *tygrim*, qui velocitas interpretatur, Marcus : qui curſim acta Domini expoſuit. Per *eufraten* qui fertilitas interpretatur, Lucas qui vberius & latius domini geſta decurrit. Per *phiſon*, qui in ſuffla io poteſt dici, Ioannes : qui excellentius afflatus Spiritu ſancto de domini dignitate attigit. Sicut iſta quatuor flumina irrigant omnem mundum ſic 4. Euangelia irrigant omnem Eccleſiam. Multa ſacramenta inueniuntur in ſcriptura ſacra : quæ hunc numerum ſacratum reddunt. quatuor ſunt elementa per quæ mundus ſubſiſtit, cœlum, terra, ignis & aqua. Per *aquam*, Marcus : qui dixit. *Vox clamantis in deſerto.* Per *terram*, Matthæus, qui dixit. *Liber generationis.* Per *ignem*, Lucas, qui ait. *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis,* Per *cælum*, Ioannes, qui tranſit omnes creaturas dicens. *In principio erat verbum.* Homo ex quatuor elementis conſtat ſuperius comprehenſis. Adam ex quatuor litteris compoſitum nomen habet, quæ principia ſunt in quatuor climatibus mundi. in Græca lingua a, anathole i, alpha oriens d, delta diſis i, occidens Item a, atton i, ſeptentrio, m, imſimbrio i, meridies. Archa Teſtamenti quatuor circulis aureis portabatur, & per vectes 4. ex aureo coopertos, quatuor Euangelia ſignificantur. Archa Eccleſiam, vectes Doctores. Sicut illi circundati erant annulis, ita ſacerdotes de veteri & de nouo Teſtamento docti, & de 4. Euangeliis defendunt Eccleſiam ab hæreſibus. Vas linteum quod vidit Petrus ſignificat Eccleſiam. quatuor lineæ per quas dimittebatur 4. Euangelia ſignificant, munda & immunda animalia habebat, quia Eccleſia de omnibus gentibus colligitur. Etiam apud paganos iſte quaternarius numerus ſacratus fuit, quia in omni parte ſolidus ſtat : ſeu propter 4. virtutes, prudentiam, temperantiam, fortitudinem atque iuſtitiam. Quare placuit domino duos Apoſtolos Euangeliſtas fore, & duos diſcipulos diſcipulorum ; vt oſtenderet ſeipſum eſſe, qui elegit filios Iacob in populum peculiarem ſibi de duabus vxoribus & de duabus concubinis aggregatum & natum. Sicut in ordine habentur, ſic edita ſunt. Primum Matthæi Euangelium : quoniam tempore Caij factum eſt. Secundum Marci, quod Claudii tempore in Roma Græco ſermone ſcriptum fuit. Tertium Lucæ, in Achaia Græco eloquio. Quartum Iohannis, in Aſia in ciuitate Epheſo Græco eloquio nihilominus

A tempore Neruæ imperatoris. Quia Romani qui omni mundo dominantur Græca lingua loquebantur; & de Romanis habebant per omnes gentes qui tenebant terras; propterea illi tres Græce ſcripſerunt. Ipſa quoque ſonorior omnibus linguis habetur. Poteſt ipſe ordo Euangeliorum ideo ſic haberi, vt vnus Apoſtolus ſit in capite, alter in fine. Et illi duo qui inter ipſos habentur, auctoritatem ab ipſis duobus habeant. Vidi tamen librum Euangelii Græce ſcriptum, qui dicebatur ſancti Hilarii fuiſſe, in quo primi erant Matthæus & Ioannes & prius alij duo. Interrogaui enim Euſemium Græcum cur hoc ita ineſſet, dixit mihi. In ſimilitudinem boni agricolæ, qui, quos fortiores habet boues primo iungit. Habet autem vnum quodque Euangelium tres titulos, vnum qui oſtendit qui canon ſit, qui vſque ad decem aſcendit non amplius : ſecundum in quo Euangeliſtæ concordatio continetur, de quibus habet Matthæus 300. 55. Marc. 200. 34. Luc. 300. 42.
B Ioan. 100. & 31. Tertium vniuſcuiuſque proprium, in quo oſtendit in quo ordine ſententiæ habeantur in ipſo Euangelio. De quibus ſunt Matthæi 81. Marc. 47. Luc. 79. Ioan. 14. Tria genera Philoſophiæ apud omnes ſapientes fuerunt, quæ & ipſa inueniuntur in ſcriptura diuina videlicet, Phyſica, Ethica, Logica, hoc eſt, naturalis, moralis, rationalis. In Phyſica, id eſt, in naturali ſcientia, ordo inquirendi per naturam rerum & per conditionem, quia & ipſam Phyſicam diuiſerunt ſapientes in quatuor virtutes, hoc eſt, Arithmeticam, Geometriam & Muſicam atque Aſtronomiam. Dicuntur autem numeralis, menſuralis, cantilenaris, ſideralis, quia iſtæ artes naturales nobis & ſine iſtis mundus non poteſt conſiſtere, nec nos aliquid boni ſcire. Ethicam autem, id eſt, moralem, ſimiliter diuiſere in quatuor virtutes, hoc eſt, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem atque temperantiam, & præceperunt ſapientes, vt vnuſquiſque homo ſecundum iſtas virtutes aptaret mores
C ſuos, vt que ſtuderet quantum poſſet eſſe prudens de diuinis & humanis rebus, & in ipſa prudentia eſſet Iuſtitia, & prius fortitudo animi, vt ſiue euenirent ei aduerſa ſiue proſpera, ſemper vno modo eſſet tranquillus, vt neque aduerſa eum deiicerent, neque proſpera in ſuperbiam eleuarent. Poſt omnia iſta & in omnibus iſtis teneret temperantiam & in prudentia, & in iuſtitia, & fortitudine, vt in neutris modum excederet. Logicam quoque, hoc eſt rationalem, diuiſerunt in tres diuiſiones, id eſt, in Grammaticam & Rethoricam & Dialecticam, vt prius naturales & morales cauſas que rebus per rationem, & morales & ſuperas cauſas quantum diſcendo & diſputando plus poſſet ſcire, Et omnes iſtæ diffinitiones inueniuntur etiam in diuinis ſcripturis. Inuenitur etiam Phyſica, id eſt, naturalis in Geneſi : vt vnuſquiſq; in lege naturæ habuit facere proximo quod ſibi vellet, & non faceret alteri quod pati nollet. Mo-
D ralis quoque in prouerbiis inuenitur, vt *dominum time & mandata*[illegible]*s obſirua*, hoc eſt enim omnis homo. Loyca in Ca[illegible]tis Canticorum, quia omnia quæ ibi dicuntur ſuper ſponſum & ſuper ſponſam, ſuper dominum & ſuper Eccleſiam eius rationabiliter & per logicem interpretantur. Et eſt locus in ſcripturis, vbi ſingulæ iſtæ ſapientiæ, inueniuntur ſeparatim, & locus vbi duæ ſolummodo & locus vbi tres. Vtputa de vno exemplo ſufficiat quærere, ſimili modo in aliis quæ ſuperius diximus. De duabus in Adam dormiente, ſecundum hiſtoriam & Phyſicam ſic fuit, & ſecundum logicam Chriſtū intelligere debemus dormientem in cruce hoc eſt morientem, quia & mortui dormientes vocantur, vt Paulus ait: *Nolumus autem vos ignorare de dormientibus.* Et ſicut dormiente Adam formata eſt vxor, ſic Chriſto moriente formata eſt Eccleſia. De tribus vt Noe. Secundum Phyſicam, qui fecit voluntatē Do-

mini, eripuit eum Dominus à perditione impiorum Iuxta Ethicam quicunque studuerit mores suos ita cōponere liberabitur à perditione futura, quæ comprehensura est impios. Secundum logicam, id est, rationabilem, in Noe, Christum in Archa Ecclesiam. In tribus filiis Noe, omne hominum genus, qui Trinitati crediderunt, & de eius numero esse studuerint. Vbicumque ergo fuerint istæ intelligentiæ, prout Dominus dederit deducemus ad notitiam. Liber duobus modis dicitur, quia & liber dicitur à libertate, hoc est absolutus à seruitio, siue de alia re liber quod Græcè *eleuteros* dicitur & liber interior pars corticis dicitur de aliqua arbore, vnde apud antiquos ante inuentionem pergameni libri fiebant, & ab illa consuetudine descendit vt libri eo nomine vocentur etiamsi sint de alia re, pergameno vel papiro, vnde & Virg. de illo dicit *Liber hæret in vlmo.* Est autem & Synonimum hoc nomen, quia & volumen à voluendo, & codex quasi caudex dicitur. Generationis, deriuatum est hoc nomen à Græco quod est ,ι, ν. Inde genus & Iudæ generatio dicitur, quia qui generātur de terra sunt (Iesu) Iesus Hebræum nomen est & dicitur Latine Saluator vel saluaturus. Et hoc nomen Moyses Iosuæ primitus imposuit quando de bello victor regressus est. Sed tamen per omnes litteras scribitur, istud autem cum tribus litteris, id est, *iotha*, & e longo & *sigma*, vt significet quia Trinitas litteris non potest nec comprehendi, nec explicari, sed ineffabilis est, vel cum *iotha & sigma* & apice desuper, vt ostendat quæ supradiximus. Si nominatiuus casus fuerit sic scribitur. Si autem alius in fine *u*, debet scribi. Et Græci non coniungunt ipsum *iotha* cum *e*, sed separatim profertur vt sit vocalis semper *iotha*, dicitur enim Iesus (Christus) Græcum nomen est & interpretatur Latine vnctus, & Hebraice dicitur Messias. Non autem habebat istud nomen ante latinitas, sed habere poterat, vocati sunt autem in Iudæorum gente hoc nomine sacerdotes & reges, quia ipsi vngebantur de crismate quando ordinabantur, vnde & propter ipsos dicitur in Psalmis: *Nolite tāgere Christos meos.* Et sicut in Romanorum regno omnes vocati sunt Cæsares & Augusti ab Iulio & Octauio, qui primi sic vocati sunt, ita illi omnes reges Christi vocantur vnde & Dauid de Saule dicebat. *Non mittā manum meam in Christum Domini.* Quando vero de Domino per *chi* & *ro* & *sigma* & apice desuper, vt hic illa significet quæ de Iesu nomine diximus, hoc est, ineffabile esse. Similiter Deus & Dominus quando de homine per litteras, quando de Deo comprehensiue fieri debet, quia nullum nomen proprie potest Deo dici, quod eius maiestatem valeat ostendere. Non est autē vnctus Christus Deus noster oleo vel chrismate corporali, sed spirituali sicut scriptum est, *vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, quia nec regnum terrenum aliter habere voluit nisi sicut modo habet cum parte in potestate, ideo noluit vngi oleo temporali. (Filii Dauid.) Quatuor modis dicuntur filii, id est natura, vt Isaac filius fuit Abrahæ, secundo imitatione, vt Iudæi dicuntur filii diaboli imitando eum, vt ad eos Dominus dixit. *Vos ex patre diabolo estis.* Et item: *Cuius opera facis eius filius & vocaberis.* Tertio adoptione, vt Hester dicta est filia Mardochæi. Quarto doctrina, vt Paulus dicit, *Per Euangelium ego vos genui.* Dauid dicitur *fortis manu* quia præualuit Goliad. [Abraham] dicitur pater multarum subauditur gentium futurus per fidem. Quare autem istorum dicitur filius? Quia ad hos facta est repromisso de Christo. Ad Abraham quidem dictum est. *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Ad Dauid autem. *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Quare primum posuit Dauid & postea Abraham? Quia de illa gente nullus excellentior fuit quam Dauid. Et quia narraturus erat & repetiturus in generationis ordine Abraham, idcirco primum posuit Dauid & postea Abraham,

vt diceret: *Abraham genuit Isaac*: Filius autem
A istorum dicitur, quia non solum dicuntur filii, qui generantur à patre sed & hi qui de eadem progeni, sunt, sicut filii Israel dicuntur omnes, Iudæi, & filii Ismahel omnes Sarraceni [Filii Abraham] De Abraham & Isaac & Iacob, non est necesse quicquam dicere, quia notum vobis est, qui fuerint & quam iuste vixerunt, & quia dominum in suis actibus præfigurauerunt. (Abraham genuit Isaac) Abraham dominum patrem significauit, Isaac dominum Iesum Christum. Et sicut Abraham obtulit filium suum, sic Dominus pro nobis obtulit filium suum immolandum. Et sicut Isaac non est immolatus, sed aries pro eo, sic nec diuinitas passa, sed humanitas, corpus videlicet quod inter peccatores conuersabatur, quasi aries inter spinas. Isaac risus interpretatur quia mater eius risit, quando promissus ei fuit nascendus. (Iacob autem genuit Iudam & fratres eius.) Et Iacob *supplantator* interpretatur, & ipse figuram domini gessit, habens 12. filios, sicut Dominus postea habuit 12. discipulos
B quasi 12. filios (Iudas autem genuit Phares, & Zara de Thamar.) Iudas interpretatur confessor seu confitens, quia mater eius dixit quando eum peperit. *Nunc confitebor Domino.* Et idcirco dicitur confitens seu confessor, & ipse & fratres Dominum præfigurauere. Iudas genuit Phares & Zara de Thamar. Requirendum est quare peccatrices mulieres commemorentur in genealogia domini, & non iustæ vt Sara & Rebecca & aliæ quæ ibi multæ fuere, vt mater Dauid & Iosaphat. Sed propterea illæ peccatrices mulieres ponuntur, vt ostendatur illum cuius genealogia est propter peccatores venisse: sicut ipse dixit, *Non veni vocare iustos sed peccatores*, & vt nullus peccator desperaret conuerti ad Dominum. Verumtamen nec illæ fœminæ nimis vituperandæ, si quis earum causam velit diligenter animaduertere. Si quidem ipsa Thamar secundum litteram inspecta, optimam fidem marito mortuo custodi-
C uit, quæ tanto tempore fratrem expectauit & non est nupta alteri. Et cum vidit quod non ei daretur, non quæsiuit de alio genere filium, sed de ipso vnde maritum habuerat. Et hoc etiam non ante de Iuda, nisi cum vxor ipsius mortua fuit, omnes enim tunc desiderabant filios habere, quia mundus vacuus erat, & volebat vnusquisque dici populos de se & regna quia nec dum erat præcepta virginitas nec viduitas, nec ipsa amplius quæsiuit nisi vt conciperet, propterea non est tam vilis vt à multis æstimatur. Thamar interpretatur *Palma* vel *amaritudo*. Palma propter sanctos qui de eius progenie orti sunt, de quibus scriptum est. *Iustus vt palma florebit.* Amaritudo ipsi conuenit propter virum quem cito perdidit. Peperit quoque filios mysticum præfigurantes populum videlicet Iudaicum & gentilem. Zara enim interpretatur *oriens*, quia de ipsa plures sancti fuerunt. Phares autem
D interpretatur *diuisi*, à quo Pharisæi dicti sunt. (*Phares autem genuit Esrom.*) Esrom interpretatur sagittam vidit, hoc est Christum in carne præuidit venturum, à qua sagitta vulneratus est diabolus. Esrom autem genuit Aram Aram dicitur excelsus, significans in suo nomine Dominum Iesum Christum de quo dicit Propheta, quia excelsus reputatus est ipse. Et Psalmista. *Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cælos gloria eius. Quis sicut Dominus Deus noster qui in altis habitat*, &c. (*Aram autem genuit Aminadab.*) Aminadab spiritus meus spontaneus dicitur, & in hoc nomine Dominus Iesus significatur, qui spontanea voluntate spiritus sui natus est in mundo. (*Aminadab autem genuit Naason*) Naason serpentinus interpretatur & Dominus figuratus est, sicut ipse dixit. *Sicut exaltauit Moyses serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.*

(*Naason autem genuit Salmon.*) Salmon autem dicitur pax, & ipse in nomine suo Dominum prætendit qui est pax nostra, & qui pacificauit ea quæ in cœlo & in terra erant, interficiens inimicitias in semetipso, (*Salmon autem genuit Boos de Raab.*) Raab ascẽdens dicitur, in qua Ecclesia præfiguratur de gentibus, quæ ascensura erat de lauacro Baptismi, munda & immaculata à pristinis erroribus facta. Quæ nec nimium vituperanda, sed laudanda, cum per exploratorum susceptionem præuidit sibi salutem, & studuit vniri populo Dei, sicut & Ecclesia postea ex gentibus. Salmon iste est princeps Iudææ cui præceptum est numerari in Heremo populum cum aliis. Boos sonat *in quo virtus* siue *in fortitudine*. Et his nominibus, quis alius rectius quam Dominus noster Iesus exprimitur, qui est Dei patris virtus. Ipse quoque in fortitudine fecit, quia resurrexit à mortuis vt Leo, & confregit claustra inferni. [*Boos autem genuit Obed ex Ruth.*] Et hic Ruth commemoratur alienigenà, quia & ipsa licet alienigena fuerit: tamen bonam fidem habuit, reliquit enim Deos suos, & quæsiuit Deum Hebræorum, & seruiuit, & propter amorem viri sui dereliquit parẽtes suos, adhæsit parentibus viri sui.

Et nequaquam ad peiores, aut vagabũda, sed ad meliores & legitime se coniunxit non luxuriando. Vnde & mulier virtutis appellata fuit. Interpretatur quoque festinans vt nomine suo signet Ecclesiã. Et Boos Christum prætendit, qui accepturus erat sponsam ex gentibus. (*Obed autem genuit Iesse.*) Obed seruiens dicitur. in quo ille significatur qui dixit: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Iesse binomius fuit, qui Isai vocatus est. Iesse *aperiens* sonat, illum nihilominꝰ annuncians in nomine suo, de quo scriptũ est: *aperuit eis sensum, vt intelligerent scripturas.* Isai etiam sacrificium dicitur, siue incensum, patenter illum ostendens esse venturum qui seipsum sacrificiũ faceret pro multis in odorem suauitatis. (*Dauid autẽ rex genuit Salamonem, ex ea quæ fuit Vria.*) Et hic peccatrix mulier memoratur: Vt ostendat illum pro peccatoribus de hominibus natum, & Vrias de alienigenis erat, non erat de Iudæis. Qui quãuis bonus esset, diaboli expressit typũ, cuius coniugio erat prius copulata Ecclesia quã Christus concupiuit, cum vidit illam lauantem, hoc est semetipsam à sordibus seculi per lauacri vndam purificantem. De istis qui modo in medio interponuntur nõ est necesse aliud dicere, quia nota est historia in regum qui fuerint vel quid fecerint, nisi tantũmodo interpretationes nominum ponere. Dauid interpretatur fortis manu, qui iecit manu lapidem de funda, vnde occidit Goliath & significat in hoc facto Dominum Christum, qui vicit diabolũ per suam patientiã, & hic passus est persecutiones Saulis sicut Christus Iudæorũ, & sicut Dauid derelictus fuit à suo consiliario & proditus similiter Christus à Iuda discipulo suo, & sicut Dauid deiectus est à regno à filio suo: ita Dominus eiectus est à populo Iudæorum, quia filius eius dictus est per adoptionem, extra ciuitatẽ Hierusalem eiectus & occisus, siue etiam quia idem Dominus Christus ex eius stirpe processit. Salomon interpretatur *pacificus*, & ipse Dominum præfigurauit pace sua quã in regno habuit, quia Dominus & pax nostra & pacificus noster est, quia de ipso dictum est, *orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis, donec extollatur luna & quia ædificauit domum domino Salomon*: sic & Dominus ædificauit cælestem Hierusalem de lapidibus viuis. (*Roboã autem genuit Abia.*) Roboam interpretatur *latitudo populi*, sed per antiphrasim dicitur apud Grammaticos quãdo aliter est res quam sonat in nomine. vt bellum dicitur eo quod sit minime bellũ. Similiter & hic dictꝰ latitudo per contrarium: eo quod ab illo defecerunt decẽ tribus: & eo angustiatum est in illo regnum Iuda: Abia interpretatur pater Dominus, & non debet coniungi *b.* cum i. sed *ab*, per se & *ia* per se, quod est nomẽ Domini. Et recte hoc nomine vocatus est, quia cognouit patrem Dominum esse creationis & salutis suæ. (*Abia autem genuit Asa*) Asa dolens: siue sustollens interpretatur. (*Asa autem genuit Iosaphat.*) Iosaphat Domini iudicium: & hic Domino adhæsit. (*Iosaphat autem genuit Ioram*) Iste enim Iosaphat qui coniunctus fuit Achab, malo regi & abiit cum illo bellum, & debuit ibi mori, quia contra volũtatem Domini adiutor erat illius, pro quare & à Propheta increpatus est, eo quod præberet ei auxilium. Sed & naues fecit quæ irent in Asionager cum nauibus illius & Domini nutu confractæ sunt. Quod intelligens Iosaphat: voluit vlterius naues suas coniungere cum nauibus illius (*Ioram autem genuit Oziam.*) Non filius eius sed nepos eius fuit, sed dicuntur filii qui de longinqua progenie exierunt alicuius. Nam *Iorã genuit Ochoziam: Ochozias Ioam, Ioas Amasiam, Amasias Osiam.* Sed quia Ioras accepit filiã Iezabel, quæ occidit Naboth & persecuta fuerat Heliam & Prophetas & sacerdotes Domini & cultũ eius, propterea quia de prole eius nati sunt, tollũtur de genealogia Domini vsque in tertiam generationem. Etiã & propositum erat Euangelistæ tres ordines ponere, vnum ante legem, de Patriarcharum tempore, aliũ sub prophetarum æuo. Tertium sub sacerdotum dominio hoc est per tres vices quatuordecim: hoc sunt *[Greek] τέσσαρες καὶ δεκάδες*, tres tessares, & decades, id est, quatuor, & decem & septem, propter septenarium numerum sabbati, quia septem & septem quatuordecim faciunt. Et sicut filii Israël per quadraginta duas mansiones venerunt ad terram promissionis duce Mose: ita & nos duce Domino qui per istas venit ad nos, perueniemus ad vitam æternam. Matthæus qui generationem Domini terrenam narrauit, ostendit qualiter ille de cœlo descenderit per generationem terrenam, Lucas vero specialem ordinem tenens, ostendit qualiter illi omnes qui studuerint eius membris incorporali, ascẽsuri essent in cœlum. Et ideo per quinquaginta generationes quæ significant requiem Iubilæi: seu per septuaginta duas generationes, in quo numero gentes legũtur in initio esse diuisæ: vt ostenderetur de omnibus gentibus crediturus in Christo & ascensuros in cœlum: siue si per septuaginta septem generationes velis computare, quæ sunt de Christo ad Adam, quem numerum Dominus in peccatorum remissionem posuit, quãdo dixit, non dico tibi fratre dimittẽdi septies, sed vsq; septuagies septies, vt ostenderet se omnia peccata nostra in baptismo remissurũ. Et sicut nulla generatio prætermissa est, non numerata ab Adam vsq; ad ipsum, sic nullum peccatum esse quod non remittatur in baptismo. Et sub hoc exemplo præcipitur vt in nos peccantibus, septuagies septies remittamus. Matthæꝰ autem laborem certaminis quod Dominus sanctique sui habituri essent ostendit, per quadraginta duas, quæ prætenderunt labores in Heremo: Ioram autem excelsus, Hoc etiam per antiphrasim, quia deiectus fuit propter Achab & Iezabel: Ozias fortitudo Domini & iuste sic vocatus est quia confisus est in Domino & fecit quæ placuerunt ei, excepto quia per se voluit hostias offerre: quod sacramentum erat. Et ob hoc percussus lepra, & habitauit liber à se in domo seorsum extra ciuitatem & populum, habuit autem duo nomina. (*Ozias autem genuit Ioatham.*) Ioatham perfectus dicitur, & pulchra etymologia & conueniens illi est quomodo ipse perfectus fuit, coram Domino & ædificauit portam templi. (*Achas autẽ genuit Ezechiã.*) Achas sonat apprehendens, subauditur nequitias omnes: quia dereliquit Dominum & vidit altare in Damasco & veneratus est illud, & iussit simile fieri in Ierusalem. Ecce pater malus genuit filium bonum. Ezechias *fortitudo* Domini dicitur, quia ipse in Domino visus est, & in diebus eius Dominꝰ cẽtum octuaginta quinque millia de Assyriis occidit, & cum decem viris fugit Sennacherib de terra eius: & occisis est à filiis suis

cum adoraret Nesrac Deum suum, & diceret: *quare me dimisisti fugere sic de Iudaa, qui etiam filios meos immolassem tibi si iussisses?* Et cum audiuissent filii eius hæc, occiderunt eum timentes ne occideret eos pro *tali* voto, & fugerunt in montem Ararat. (*Ezechias autem genuit Manassen.*) Manasses dicitur *obliuiosus*: quia ipse per multa scelera oblitus est Domini, in tantum vt filium suum transferret per ignem dæmonibus, & ecce iterum malum filium bonus pater genuit: sed postea tamen suscepit Dominus preces eius propter patrem, & liberauit eum de Babylone vbi fuerat ductus captiuus propter peccata sua. (*Manasses autem genuit Amon.*) Amon sonat *infidelis*. Siquidem Ammon per duo m, sonat *filius populi mei*: per vnum m, *infidelis* dicitur: & iste propterea infidelis dicitur quia recessit à via Domini. (*Amon genuit Iosiam.*) Iosias dicitur: *vbi est incensum Domini*, & hoc digne dictus est, quia ipse digne seruiuit Domino, & destruxit idola & cultores idolorum & phase Domini mirabiliter celebrauit (*Iosias autem genuit Iechoniam.*) Iechonias *præparatio domini* sonat, Iechonias autem primus pater intelligitur, & Iechonias post transmigrationem filius eius fuit, & dicitur alio nomine Ioachim, primus per c & h & m, secundus per c & n, & primus Ioachim *præparatio Domini*: secundus *præparatio Dei dicitur*. Nã si voluerimus vnum Iechonia in computare, non erunt nisi tredecim generationes. Sed sic est verum, quia primus Iechonias is est, quem rex Ægypti regem constituit. Sed venit super eum Nabuchodonosor, & exegit ab eo iusiurandum & tributum. Et quia mentitus est ei occidit eum, & proiici iussit corpus ei⁹ in plateam. Sed filius istius cui Nabuchodonosor occurrit, antequam veniret Hierusalẽ cum matre & vxore: & dedit ei Nabuchodonosor beneficia in terra sua, & tradidit fratri eius Sedechiæ. Sed quia mentitus est ei sacramentum quod ei iurauerat, venit iterum Hierusalem, & comprehendit eum, & occidit filios suos in oculis eius: & eruit oculos eius & misit eum in caueam more ferarum: quia dixerant Prophetæ eius vt Leo esset: & duxit eum in Babylonem & misit eum in carcerem & demisit eum ibi vsque quo ipse Nabuchodonosor mortuus est, & ibi etiam habuit nepotẽ suum cum illo Euilmerodar quem in regno inuenerat quando de bestiis reuersus fuit. De quo etiam scriptũ est, quod sublevauit Euilmerodar caput Ioachim de carcere, & locutus est cum eo benigna, & dedit ei villas, & constituit cibos mensæ eius, quia socij erant in carcere. Quod dicit fratres eius, ille est vnus quem Nachor rex Ægypti iunxit, & duxit in Ægyptum. Et alius Eliachim qui regnabat in Iudæa quando primum Nabuchodonosor ad Hierusalem venit, quando per tres vices deprædatus est ipsam terram, & tres reges in ea abstulit, illum quem modo dixi Eliachim: quem Nechao constituerat post interfectum fratrem, & alium quem cum matre eduxit, & tertium Sedechiam.

Transmigratio autem fuit in Babylone, quia migrare cogebantur à Nabuchodonosor de sua terra in Babylonem. (*Salathiel autem genuit Zorobabel*) Salathiel *petitio* dicitur *Domini*, & recte petitio Domini dicitur, vt ostendat omnes antiquos patres petiisse Dominum venire ad redemptionem generis humani. (*Zorobabel autem genuit Abiud*) Zorobabel ipse qui custodiebat Assuerum regem dormientem cum aliis duobus: dixeruntque ad inuicem, *dicamus ad inuicem singuli sententias: & apparebit quis meliorem sententiam dicat.* Vnus dixit: *rex est fortior sub cœlo.* Alius dixit. *vinum est fortius sub cœlo* tertius Zorobabel dixit, *veritas est fortior & mulieres.* Et exurgens rex approbauit eum suis hominibus, quia Zorobabel melius dixisset, & tunc dedit ei principatum super omnes Iudæos qui erant in regno eius, & licentiam reuertendi cum omnibus Iudæis in Hierusalem. Et zo, *iste*, ro, *magister*, Babel, *Babylonis*, hoc est iste magister de Babylone, & significat ipse Do-

A minum Christum, quia Babylon *confusio* dicitur, quia significat istum mundum, vnde Dominus Christus auctor est ipse & magister, vnde & educit populum suum in terram repromissionis, hoc est in vitam æternã.

De his qui in medio sunt, qui in captiuitate fuerunt, non habemus scriptum quid fecerint: nisi tantummodo interpretationes dicamus. (*Abiud autem genuit Elyachim.*) Abiud patris robur, & per ipsum Dominus Christus ostenditur, qui est Dei virtus per quam facta sunt omnia. *Et ab* per se debet, quia *ab* pater dicitur. Elyachim *resurrectio* interpretatur, quia videlicet ipsum significabat, per quem resurrecturus erit omnis mundus. (*Elyachim autem genuit Azor*) Azor interpretatur *adiutor* illum præfigurans, de quo scriptũ est, adiutor in oportunitatibus, in tribulatione. (*Azor autem genuit Sadoc.*) Sadoc dicitur *iustus*, illum profecto prætendens, qui est iustus absque comparatione, de quo Psalmus, *iustus Dominus iustitias dilexit*. (*Sadoc autem genuit Achim.*) Achis sonat *frater meus*. Et ipse

B illum prætendit in nomine qui dicit. *Nunciabo nomen tuum fratribus meis* Ille videlicet qui Deus erat per maiestatẽ. frater factus est populo Christiano per humilitatẽ, & resurrectionẽ. (*Achim autem genuit Eliud.* Eliud dicitur *Deus adiutor*, & *el* per se & *iud* postea. Et ipse etiam ex nomine futurũ adnuntiat saluatorẽ, qui vocãdus esset Emmanuel, hoc est *nobiscum Deus*. (*Eliud autem genuit Eleazar.*) Eleazar *adiutorium Domini* sonat: illum de quo Psalmus ait: Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram [*Eleazar autẽ genuit Nathan.*] Nathã *dulcedo*, siue *saturans*: recte dulcedinẽ sonat, præfigurans illum de quo Euangelista postea dixit. Mirabãtur omnes super his, quæ dicebantur de illo. Saturans autẽ, & hoc ad ipsum pertinet de quo scriptũ est, *saturauit Dominus quinq; millia hominũ* [*Nathã autem genuit Iacob.* Iacob. *supplantator* dicitur, & hic suo nomine Dominũ prænunciat, qui supplantauit vitia & erexit virtutes: de istis vero, qui in fine generationis ponũtur videdũ est, quare Matthæus dicat.

C *Iacob genuit Ioseph*, & Lucas dicat, *quia Ely genuit Ioseph.* Sed hoc sciendũ quia lex præcipiebat, vt quãdo frater moriebatur, & non relinquebat filium, acciperet frater alius ipsius vxorem cum sua vxore, & generaret filios in vxore fratris sui, & illi qui nascerentur filii fratris mortui dicerẽtur. Tali ergo causa est varietas in Euãgeliis, & Matthæus ordinẽ naturalẽ sequẽs, dicit eum filiũ esse Iacob, Lucas autẽ secundũ legem veterẽ dicit filiũ Eli fuisse. Eli dicitur *ascẽdens*. Iacob interpretatur, *supplãtator*, Ioseph *augmentũ*. Et ipse etiã illum intonat venturũ, qui auxit populũ suũ dicens. *Et alias oues habeo quæ nõ sũt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocẽ meã audient, & fiet vnũ ouile & vnus pastor.* [*Virũ Mariæ*] Cum audis virũ, require inuenies in scriptura, quod & sponsi vocãtur viri, & spõsæ vxores, & etiã consuetudo historiographorũ est historiã sic scribere, sicut eo tempore putatur quando res agitur. Vnde de Herode dicitur, quia contristatus fuerit ad petitionem capitis

D Ioannis, non quod vere contristatus, sed quia sic putatum est ab his qui viderunt.

In tertio ordine generationis Christus quartusdecimus est, quia ista generatio sic facta fuit ad capiendum diabolum, sicut hamus ad capiendos pisces, sicut in fine occultatur hamus per escam, sic diuinitas Christi abscõsa fuit de carne, quia misit hamum Deus pater, qui filium incarnari præcepit. Momordit diabolus & transfixus est à diuinitate eius, hoc est fecit carnem crucifigi, & comprehensus est & religatus ab ipsa diuinitate quæ latebat sub carne. Virga in qua hamus insertus, est Abraham ex stitit, qui origo huius generationis fuit.

Diximus iam quare per tres ordines diuisit istam generationem, videlicet propter tria tempora, ante legẽ, sub lege, & Prophetis & sub sacerdotibus, siue propter Trinitatem. Quatuordecim autem propter

ſeptenarium numerum qui eſt ſacratus apud Iudæos pro ſabbatho, quia ſeptem & ſeptem, quatuordecim faciunt, (de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.) Sicut ſcitis, Matthæus Domini poſt aſcenſum in cœlis, tempore Caij Caligulæ Euangelium ſcripſit, propterea ſic vtroque nomine dicit illum vocari, id eſt à credentibus in eum. Quid pertinuit narrari generationem Ioſeph, cum Chriſtus eius filius non fuerit? videlicet pro quatuor cauſis. Prima, vt per generationem Ioſeph Mariæ noſceretur origo, quia de vna generatione fuiſſe noſcuntur, quia præceptum erat, vt vnuſquiſq; homo de ſua tribu vxorem ſumeret, quod Ioſeph qui iuſtus erat, hoc cuſtodiebat. Sicut apparuit in cenſus profeſſione, quia cum præceptum eſſet, vt vnuſquiſque reuerteretur in terram & in patriam ſuam, & ibi profiteretur nomen ſuum, & artem, & ſolueret cenſum: *aſcendit Ioſeph & Maria de Galilæa in Bethleem, ad profitendum nomen in patria ſua.* Nec enim conſuetudo eſt ſcripturæ hiſtorias de fœminis texere. Licet enim Adam multas filias habuerit, & ne vel alij, de nullis tamen ſcriptura ſic refert ſicut de Abel & Cain, Sem, Cham & Iapheth, & regnorum libro. Fuit vir vnus de Ramatha Sophim: ſimiliter in aliis hiſtoriis.

Secunda cauſa, ne lapidaretur à Iudæis, ſi eſſet ſine viro & habuiſſet filium. Omnium enim incredibiles Iudæi lapidaſſent eam ſi Ioſeph ab illa ſe ſeparaſſet. Maluit enim de ortu ſuo dubitare quoſdam, quã matrem ſuam falſis ſuſpitionibus infamari, vel etiam per tormenta cruciati quæ erat & tenere nutrita, & inferioris ſexus. Tertia cauſa, vt in Ægyptum iens, vel reuertens, is qui vir erat procuraret quæ neceſſaria fœminæ erant, focum vel victum; & vt infantem tanto itinere ferret ac referret. Quarta cauſa, vt partus eius diabolum lateret, qui ſi eum de virgine natum ſciſſet, nunquam eum crucifigere ſuaſiſſet Iudæis. Vnde & hoc requiſiuit per tentationes, ſi eſſet filius Dei. Sciebat namque per ſcripturas, quia naſceretur, ſed in hoc deceptus eſt, quia de muliere putauit eum fuiſſe natum. Chriſti autem generatio ſic erat, ſubauditur ſicut ſuperius dictum eſt. Ideo autem Ieſu Chriſti, vt dimittat Angelo narrandum. *Vocabis inquit nomen eius Ieſum.* Chriſtus Græcum eſt nomen, & dicitur Latine *vnctus*, & Hebraïce dicitur *Meſsias.* Non habebat autẽ ante latinitas hoc nomen, ſed habere poterat, ſicut apparet modo. Fuit autem hoc nomen apud Iudæos celebre, quamdiu eorum regnum ſtetit, quia ſicut apud multas gentes dignitatis nomina ſunt, quæ reges & principes per ſucceſſionem habent, vt apud Ægyptios *Pharaones*, & *Ptolomæi*, & apud Romanos *Cæſares & Auguſti* vocantur, ita & apud Iudæos tuis hoc nomen. Vnde enim ab Iulio, qui primus vocitatus eſt Cæſar, eo quod cæſo matris vtero mortuæ eductus ſit, in reliquum omnes Cæſares ſunt nuncupati, & ab Octauiano, cui Romani cum occurriſſent, poſt ſubiugatum orbem terræ cum ſcuto aureo & lapidibus, dederunt nomen *Auguſto*, quia adauxerat imperium eorum, in reliquum omnes *Auguſti* appellati ſunt. Simili modo quia Aaron iubente Domino inunctus eſt à Moyſe in ſacerdotem, omnes ſacerdotes *Meſsias* vocantur. Similiter omnes reges à Saule qui primus rex eorum à Samuele inunctus eſt in regem *Meſsias* idem Chriſti vocati ſunt. Vnde & Dauid dicebat. *Non mittam manum meam in Chriſtum Domini*, & in Pſalmo. *Nolite tangere Chriſtos meos.* Interpretatio vna eſt, *Meſsias & Chriſtus*, ſed tamen quia lingua ſonantior & cõptior eſt, omnibus linguis ſub cœlo, & etiam notior, tũ erat propter Romanos qui per totum mundum dominabantur, & ob Græcos qui ſapientiores fuerunt aliis, idcirco placuit Euangeliſtis & interpretibus in ea lingua illud nomen dimittere, quæ magis nota erat & amabilior.

A

In vigilia Natalis.

C*Vm eſſet deſponſata.*] Sponſus & ſponſa ab *ſpondendo* dicti ſunt, eo quod ante ſpondebant ſibi cautiones matrimonij conſentire, & dabant fideiuſſores, etiam annulo ſubarrabantur. Tali ergo modo deſponſata erat Maria Ioſeph, non tamen in concupiſcentia iuncta. Quare deſponſata fuerit, ſuperius dictũ eſt. [*Mater eius.*] Cuius eius? Mater immaculati, mater vnici, qui in cœlis ſine matre, in terra ſine patre natus eſt. Mater dicta, quia exinde efficiatur aliquid. Maria dicitur *illuminatrix*, ſiue *ſtella maris*: genuit enim lucem mundi, ſermone Syro *domina* vocatur, & iuſte, genuit ſaluatorem mundi dominumque vniuerſi orbis. [*Antequam conuenirent.*] hoc eſt ea conuenientia, quæ vſus erat conuenire ſponſum & ſponſam (*inuenta eſt.*) Videlicet ab ipſo Ioſeph inuenta, qui pene licentia maritali, vt putabatur, futuræ vxoris omnia ſecreta

B nouerat. Erat enim vſus in illa gente, vt qui vxorem debebat accipere, ad templum eam deſponſaret, & poſtea ſi diues eſſet, haberet miſſos ſuos cum ea, aut ſi pauper, ipſe cuſtodiret ſimul cum patre & matre vſq; ad præfinitum tempus. Eo igitur tenore inuenta eſt à Ioſeph. [*In vtero habens de Spiritu ſancto*] quia pro certo ſciebat, quod nullus homo ad eam eo modo iunctus fuiſſet, vt concipere potuiſſet.

De iſta ſolummodo hoc ſcriptũ eſt, quod & in vtero habuerit Sp. S. Iſta autem & in mente & in vtero, ἅγιος Pneuma dicitur, quando de Spir. S. intelligitur: quando vero de alio ἅγιος pneuma dicitur, [*cum eſſet iuſtus.*] Teſtimonium Euangeliſtæ eſt de Ioſeph, quia iuſtus erat & in conſummata lege erat, & hoc etiã ex apparitione Angeli credere poſſumus, ex verbis ipſius dicentis. *Noli timere.* Si enim in eam malam ſuſpicionem habuiſſet, nec ipſe iuſtus eſſet, nec Angelus dixiſſet: *Noli timere*, ſed *noli deſpicere.* [*Et nollet eam traducere*, hoc eſt diffamare, ſiue tranſducere, id eſt, certa

C ducere quo tunc erat, & in blaſphemiam mittere (*voluit occulte dimittere eam.*) Si iuſtus erat, & nullam malam ſuſpitionem in ea habebat, quare ſanctam & iuſtam vellet dimittere? Sed ſciebat conuerſatione eius fore ſanctam, & appropinquare ſe indignum reputabat, ſicut B. Petrus faciebat cum viſo miraculo piſciũ dicit. *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* Vel ſicut centurio mittens miſſos ad Dominum dicens. *Non ſum dignus vt intres ſub tectum meum*, nec me ipſum dignum exiſtimaui ad te venire. Ita & iſte dicebat. *Longe faciam eam à me & à cognatione mea.* Quia perſpicio in ea quoddam magnificum ſacramentum. [*Hæc autẽ eo cogitante.*] Hoc eſt indignum ſe iudicante appropinquare. Si enim aliud inique cogitaſſet, Angelus ei non apparuiſſet. A ſuperbis enim potius refugit quã appropinquat, & idcirco apparet non fuiſſe deſpectũ ſuperbiæ, ſed humilitatis elongationem. (*Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis ei dicens.* Viſionum qui-

D bus Deus omnipotens locutus eſt ante incarnationẽ, quibus loqui voluit, ſeptem genera ſunt. Primum genus per aures corporis, vt ſicut vidit Moyſes rubum ardere & audiuit vocem Dei per aures corporis & omnis turba exercitus Iſraelis audiuit Dominum dicentem decem verba legis. Secundum, genus extaſis, ſicut Petro quando miſit ad eum Cornelius. *Et cecidit ſuper eum mentis exceſſus, & vidit vas linteum ſubmitti de cœlo.* Tertium ſicut Nabuchodonoſor, quando vidit ſtatuam de metallis. Vel arborem abſciſam radicitus, & nihil intellexit. Quartum per nubem ſicut ad Iob, poſt plagam locutus eſt. Quintum in corde ſicut multis ſanctis, vel etiam Balaam quando miſit verbũ in ore eius, & aſſumpta parabola locutus eſt. Sextum repletio Spirit. S. ſicut repleuit ſeptuaginta ſenes in heremo. Septimum in ſomnis viderunt, mente intellexerunt. Alij [*quod verius eſt*] tria genera eſſe dixe-

runt, vnum per corporeos oculos sicut Abraham & Loth Angelos viderunt, & locuti sunt cum eis. Aliud in corde sicut Danieli locutus est in corde, quæ Balthasar oculis corporalibus viderat & non intellexerat. Tertium in somnis & in corde, sicut ad Esaiam & ad omnes Prophetas & ad istum Ioseph quæ visio excellentior est aliis. Nihil enim prodest oculis videre corporalibus sicut vidit Balthasar, nisi quis & mente videat, sicut vidit Daniel eandem visionem. Similiter nihil prodest videre in somnis, vt vidit Pharao, & Nabuchonosor, nisi assit qui sic videat, sicut viderunt Daniel & Ioseph. Eo ergo modo quo perfectis ab initio locutus est Deus, eo etiam isti Ioseph, quia quæ vidit in somnis intellexit & credidit, quia sicut Deus omnipotens inter cæteros Archangelos Gabrielem qui fortitudo Dei dicitur ordinauit ad annuntiandum mysterium Saluatoris nostri, quem etiam & huic Ioseph locutum esse credimus, sic ordinauit perfectos viros ad tractandum incarnationem Domini nostri, & non curauit per diuites hoc agere qui solent esse pleni vitiis; sed per pauperes plenos virtutibus à perfectione. Vnde iste vnus fuit, qui dignus habitus est nutritius fieri Dei, & custos matris eius, & dignum hoc erat, vt qui totos homines in potestate habebat, sanctiores & perfectiores sibi appropinquare faceret. *Ioseph fili Dauid.*] Non solum filius quia de eius prosapia, sed etiam imitando fidem eius. [*Noli timere accipere Mariam, coniugem tuam.*] Noli trepidare, noli te indignum iudicare illi, vel matri eius seruire, quia illa digna & ordinata inuenta fuerat ad generandum eũ: & tu ad nutriẽdum electus es. Fuit autem tuus æquiuocus castus inuentus & bonus, sed non tu eo inferior, cui credita est virginitas matris, & bajulatio nascentis, dicatur interim conjux tua, vt liberes eam de persecutionibus Iudæorum, sed melior tibi erit, quam si habuisses tantas vxores, quantas habuit Salomon. *Ipse qui nascetur ex ea dicetur ad tempus filius tuus*, sed est & creator tuus, qui melior erit tibi quam si habuisses quadraginta filios: vt Abdon habuit. Propterea serui vt Domino dominorum & regi regum. Conjugem tuam dicito vt Diabolus & Iudæi nesciant de virgine natum qui nasciturus est. Si non est conjũx tua more aliorum hominum: erit conjunx tua vt recipias mercedem, cum illa receperit pro generatione: tu recipies pro educatione in vita æterna. Conjuges dicũtur propter jugum quod imponitur matrimonio coniungendis, siue desponsationis à prima fide, qua quis adhuc ignorat conjugales concubitus, *quod enim in ea natum est, de Spiritu s. est*, instruitur Ioseph melius, quod ante sentiebat de S. Maria, videlicet quod de Spiritu sancto sit, quod in ea videbat. (*Pariet autem filium.*) quamuis de Spiritu sancto sit quod in ea natũ est, tamen pariet filium, quod nunquam audisti vt fœmina peperisset filium de Spir. S. (*Et vocabis nomen eius Iesum.*) Ego dico tibi nomen eius, quod ante sæcula. Non tu pones ei nomen ex libitu tuo, vel mater eius, sed voca eum nomine quod habuit ante sæcula. Saluatorem eum esse testare: quia ipse saluum fecit ab initio omnem mundum. *Iesus* Hebræum nomen est, & Angelus Dei expressit Etymologiam & interpretationem quando dixit. Ipse enim saluum faciet populũ suum à peccatis eorum. Scribitur autem Iesus *iota*, & ita, & sigma, & apice desuper apud nos. Nam in Græcorum libris solummodo per *iota*, & sigma, & apice desuper inuenitur scriptum, & sicut alia nomina Dei comprehensiue debent scribi, quia nomen Dei non potest litteris explicari: quando purum hominem significat, per omnes litteras scribitur. Debemus autem scire, vbi primitus istud nomen fuerit inuentum, hoc est à Moyse primum impositum filio Nun, quando reuersus victor de pugna Amalech, ad quam miserat eũ Moyses cum aliqua parte populi. Tunc ierunt ei obuiam reliquus populus cum sacerdotibus, & imposue-

A runt ei hoc nomen, vt vocaretur Iosuæ, hoc est Saluator, quia saluauit populum de Amalech. Et nomine & in facto ille Iosuæ figuram gessit Domini, quia Amalech qui interpretatur populus lambens, Diabolum significat, de cuius lambitione, id est seductione, sẽper liberat populum suum. Hoc est qui sui esse festinat ore & opere, & à nomine eius Christiani vocantur. Non enim absolutè dixit populum, sed suum addidit, id est qui fidem & spem suam in eum posuerunt. [*Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est,*] hoc est, ideo prædicta sunt, quia sic erat futurum & ideo factum est, vt acta concordarent dictis, vt esset verus Dominus in Prophetis, & in omnibus operibus suis. Hoc totum factum est, id est quia missus est Angelus, quia concepit Maria, quia peperit, omnia ista prædicta sunt à Prophetis. Istum vero per Esaiam dictum, sed ibi accipiet, quia ille de futuro, iste habet, habebit, quia iam præterita narrabat. (*Et vocabunt nomen Emmanuel.*) Emmanuel quid sit eius Euangelista

B aperuit dicens: nobiscũ Deus. Emmanu, *nobiscum*, el, *vnum* de decem nominibus quo Deus vocatur apud Hebræos. Fuit Deus cum Patriarchis & patribus, sed aliter fuit cum his, de quibus Propheta hoc dixit: *quia versatus est cum eis in carne & audierunt eum viua voce loquentem, & viderunt miracula facientem*: quod multi Prophetæ & reges voluerunt videre & audire, hoc fuit tunc cum illis. [*Exsurgens Ioseph à somno fecit sicut præceperat ei Angelus Domini.*] Ex isto facto apparet quia & Ioseph perfectè eruditus est ab Angelo de illo facto, & quia vir sapiens fuerit, qui non quæsiuit cõsilium postea de hac re, nec interpretem, sed statim fecit sicut præcepit ei Angelus. [*Accepit vxorem ad custodiendum,*] quia conjunx à conjungendo dicitur [*Et non cognouit eam donec peperit filium suum primogenitum.*] Ex his locis hæretici extiterunt, qui dixerunt quia ideo dicit donec peperit, quoniam postea cognouit eam. Sed tamen non habet talem sensum in scriptura diui-

C na, sicut in humana locutione. Dicit enim in Psalmo. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos scabellum pedũ tuorum.* Nũquid non sedebit amplius Dominus Christus ad dexteram patris, nisi quo vsque inimici ponantur sub pedibus eius? Et in alio loco scriptura dicit, *donec consenescatis, ego sum Dominus.* Nunquid non erit amplius Dominus, nisi quo vsque illi senes fierent cũ quibus hæc loquutus est? Sed *donec* in scriptura diuina pro æterno ponitur, vt intelligatur: *sede à dextris meis in æternum, & ponam inimicos tuos scabellum pedũ tuorum*: similiter in alio loco. *Ego sum Dominus in æternum, & cum viuetis & cum senescetis etiam & cum morietmini*, hoc est, *in æternum*. Ex alio hæretici fuerunt verbo, qui dixerunt, quod non diceretur primogenitus, nisi quem alij fratres sequuntur, sed non est ita. Lege vetus Testamentum & inuenies quia omnes qui prius vuluam aperiunt (licet non habeant fratres) primogeniti dicuntur: ipsi & vnigeniti & primogeniti vocantur. Qui amplius de istis requirit, legat librum

D S. Hieronymi quem fecit contra Eluidium de hac re.

In Epiphania Domini.

CAP. II.

CVm natus esset Iesus in Bethleem Iuda in diebus Herodis regis.] Quia Euangelistæ ordinante regenteque Spiritu sancto diuisis inter se gestis Domini narrant, debet lector ad memoriam reducere, quæ alius de ipsa dicat Euangelista. Lucas enim narrat, quomodo Angelus Gabriel ad Mariam venerit, & beata Maria audiendo & credendo conceperit. Matthæus quomodo Ioseph desponsata fuerit. Iterum Lucas quomodo de Galilæa propter professionem census ascenderint. Denuo Matthæus quomodo natus à magis adoratus sit. Ait enim. [*Cum natus esset Iesus.*] Visus

fuit historiographorum, vt quando historiam scriberent tempus adnotarent, sicut etiam nunc fit, non solũ in gestis, sed etiam in chartis. Hac etiam de causa Matthæus tempus Hero dis ponit, qui in Iudæa regnabat. Lucas vero longius & excelsius repetens & nomen imperatoris & nomina consulum, & tempus professionis census adnotauit dicens: *Exiit edictum à Cæsare Augusto*, videlicet *Octauiano*, quia quadragesimo secundo anno imperij Octauiani Christus natus est, & census exactus. Et sicut Abraham qui in figura Domini præcessit, quadragesimo secundo anno Nini qui primus rex in mundo fuit, natus est: sic Christus quadragesimo secundo anno Octauiani, qui primus Imperator appellatus fuit, natus est: & ipsa die multa prodigia extiterunt, quæ eum creatorem orbis ostenderunt. Ipso die de taberna meritoria per totum diem fons olei largissimus fluxit, vt ostenderet quia nascebatur is qui Christus diceretur, id est *vnctus* oleo spirituali atque ab eius Ecclesia Christiani essent dicendi. Eodem die Angeli cantauerunt: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et vt ista vox compleretur, tanta pax in orbe terrarum facta est per duodecim annos, quantam nullus rex potuit facere in vna prouincia: ita, vt sicut Propheta dixit, conflarent gladios suos in vomeres & lanceas suas in falces, & Psalmista dixerat: *Orietur in diebus eius abundantia pacis.* Eodem tempore hic Octauianus, ad quem omnium rerum summa concesserat: Dominum se hominum appellari non passus est, imo non ausus, quo verus Dominus totius generis humani inter homines natus est. Nam vna die cum eo spectante ludi agerentur, & quidam mimus pronuntiasset: *ô Dominum æquum & bonum*, vniuersique exultantes approbassent, statim manu vultuque adulationes cõpressit, & cum grauissimo edicto se post hæc nec à liberis appellari aut à nepotibus vel à seruis, nec vocari Dominum passus est. [*In Bethleem Iudæ.*] Bethleem *domus panis* dicitur, ante vocata *Effrata*, id est frugifera. Sed post quam Iacob ibi pauit pecora sua, appellauit eam Bethleem. Siquidem secunda littera apud Hebræos, *Beeth* dicitur, & ipsa domus interpretatur, & vtraque nomina Ecclesiæ conueniunt. Et dignum fuit, vt domus in qua Christus nascebatur, his nominibus ante vocaretur, quia in Ecclesia ipsius verus panis, & satietas æterna reperitur ab omnibus in veritate quærentibus. Non autem debet haberi in libro Iudææ, sed Iuda, quia non inuenitur extra Iudæos alia gens habuisse ciuitatem eodem nomine vocatam. Attamen duæ sunt ciuitates in Iudæa, quę Bethleem vocantur, vna in Galilæa in sorte tribus Zabulon. Altera autem Bethleem, ciuitas Dauid in sorte tribus Iudæ, in sexto ab Hierusalem milliario contra meridianam plagam, iuxta viam quæ ducit Hebron, vbi & sepulchrum Dauid & patris eius est, & sepulchrum Archelaï regis, & iuxta ipsam turris Adtherto est gregis, vbi Angelus Domini locutus est pastoribus. In hac ciuitate Dominus natus est noster. [*In diebus Herodis regis.*] Iste est Herodes Antipatri filius, qui cum à latronibus fuisset prædatus, tantæ paupertatis erat, vt eundem Antipatrem nequiuerit redimere, huius filius fuit iste Herodes. Quique cum Hircano regi Iudæorum Simonis Machabæi nepoti fuisset adiunctus, direxit idem Hircanus eundem Herodem in legationem ad Pompeium. Et quia legationis fructu potitus, per eam gratiam parte regni affectus est, & senatusconsultu sub Antonio Iudæis regnare præceptum est. [*Ecce magi ab oriente venerunt.*] Magi sunt qui vulgo malefici vocantur, propter quod malefaciunt, elementa concutiunt, mentes turbant. De hac arte fuerunt illæ gentes doctæ, vnde isti venerunt. Fuerunt autem de genere Balaam isti tres reges. De tribus regnis fuerunt de terra Euilat, vbi effoditur aurũ optimum sicut dixit Moyses, & vicini Persis: vnde dicit Iunecus. *Iuuat Persis pertendere gressum.* In Prophetia autem Balaam cognouerũt, quod is qui natus erat, & rex & homo erat, in hoc quod dixit: *orietur stella, cognouerunt eum Dominum*, pro cuius ortu mirabilior & maior stella oriebatur, in hoc quod dicit, *consurget virga de Israel*, intellexerunt quia homo esset futurus, quia de Hierusalem nasceretur: in hoc vero, *confringet duces Moab*: regem didicerunt fore, & vsq; ad aliud tempus permissum est illis posse diuinare in stellis, vt potuissent ibi Christum cognoscere, post vero nullus ibi potuit veritatem inuenire. Dicebant Mathematici idem: quia & ortus hominũ, & mores, & qualitates, & obitus, poterant scire in stellis. Christus quidem in Iudæa natus est, sed illi in oriente positi, stellam viderunt, & quem indicaret agnouerunt. Duxit autem eos stella aliquib. diebus, sed cũ appropinquauerũt ad Iudæam, tunc dimisit eos stella Dei nutu, vt illi deserti à stella ad regiam ciuitatem venirent, & loquerentur cũ compari suo Herode. [*Quia vnum regem Cæsarem habebãt.*] Vt interrogaret Herodes Iudæos, & fierent inexcusabiles, quia hoc à gentib. audissent, & magis certiores audientes ita fuisse prophetatum. (*Venerunt Hierosolymam,*) Hæc ciuitas primitus fuit ædificata à Sem, filio Noë, quia vocatus est Melchisedec, id est, *rex iustus*, & ipsa eius ciuitas Salem, id est *pax*, vocata est. Sub Abraham solyma dicta est. Homerus postea Hierosolymam dixit, quia Ieros Hebraïce *munitio* dicitur, quam postea Iebusæi tenuerunt, & Hiebus vocauerũt, inde ex his duob. nominibus Hierosolyma dicta est, inde à Salomone dicta est Hierosolyma, id est Hiebus Salomonis, id est *pacifica*. In ea Syon turris, quæ vertitur in speculũ. [*Vidimus enim stellam eius in Oriẽte, & venimus adorare eũ.*] Stellam eius dicunt, quia credebant vnumquemq; hominem nasci sub stellarũ fato & vnũquemque suam stellam habere. Sed tamen ista stella nõ fuit ante nec post, sed ad hoc fuit tũc creata, vt gentes per eam docerentur & ducerentur ad Christum. Et multa dicunt aliqui de stella hac, qui quia non habent fontẽ veritatis, prætermittere malui. [*Venimus,*] & de præsenti potest accipi, quasi modo venimus, & ad huc in itinere sumus, producta penultima syllaba, & de præterito correpta nihilominus ipsa penultima, quasi dicant, eum vidimus, venimus huc vsque. (*Adorare eũ.*) Non vt deserto imperatore nostro, illi tributum daremus, sed vt cum ipso terreno Domino cœlestem agnosceremus, & veneraremur Deum creatorem mundi, & nostri. (*Audiens autem Herodes rex turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo.*) Herodes ideo turbatus est, quia ipse sciebat, quod non esset de regali progenie Dauid, & quia fraude regnum quæsisset, etiam & ipse aliquando iam scripturas adurere iussisset, ne qua posteris suis vel de præscripto veteri quæstio moueretur, æstimans, quod si indicia publica sustulisset, nullis aliis testimoniis clarere potuisset, qui de Patriarcharum vel proselitorum veterum genere dimaneret. Hierosolyma cum illo turbata est, videlicet per synecdochen, per continentem, id quod continetur ostendens, id est per ciuitatem habitantes in ciuitate. Idcirco tamen & ipsi turbati sunt, quia solent immutatione regis alij cadere, & alij exaltari, sicut Daniel dicit de Nabuchodonosor. *Quos volebat exaltabat, & quos volebat humiliabat.* [*Et conuocans omnes principes sacerdotum & scribas populi, sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur.*] Quia Herodes Iudæus non erat, nec scripturas credebat, vel vsitabat, propterea Iudæos interrogabat. Sciscitari enim interrogare est: Enimuero & Deus legem sacerdotes interrogare iussit, & vbicumque populus erraret, ad sacerdotes referendum censuerat. Scribæ à scriptura quam vsitabant vocabantur. (*At illi dixerunt ei. In Bethleem Iudæ.*) Apparet, quia in vsu scripturas habebant, quia tam cito respondere potuerunt, & ex corde protulerunt

restimonium, in quo loco dux debuisset nasci. Similiter præcipit Petrus Apostolus nobis dicens, *parati ad rationem reddendam omni poscenti vos de ea spe quæ in vobis est.* Sic enim scriptum est per Prophetam. *Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux qui regat populum meum Israel.* Micheas hoc dixit, ac si diceret, *tu Bethleem, quæ es in sorte tribus Iuda, nequaquam minima es inter principales & laudabiles ciuitates Iuda*, quia tu protulisti Dauid, qui istud regnum nobilitauit & extulit, sed iterum exiet ex te, qui regat populum meum Israel, hoc est, qui Dominum videre mente voluerint, quia Israel *vir videns* dicitur Deum, qui regat populum meum Israel. Attendendum quod dixit populum meum Israel, quia qui Dei populus sunt, Dei reguntur imperio, & ea faciunt quæ Dei sunt. Qui autem ea non faciunt, non sunt populus Dei, sed Diaboli. (*Tunc Herodes clam vocatis magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ, quæ apparuit eis.*) Clam, id est occulte. Occulte cum eis locutus est, quia timebat Iudæos, ne ipsi puerum ei subijcerent. Nam sciebat quod Iudæi eum odio haberent, quia ipse de alienigenis erat. Hic deficit historia quia non narrat, quid ipse ad eos dixerit, vel quod ipsi de stellæ tempore responderint. Sed ex eo quod Herodes paruulos iussit occidere, à duobus annis & infra, volunt colligere quod dixerint, quod annus esset ex quo stellam vidissent, & inde accepisset vnum annum, & alium exspectasset in reuersionem eorum. Quidam autem dicunt, post annum, & duodecim dies venerunt ad Christum, & quidam dicunt, quod cum dromedis in duodecim diebus venerunt, post quam stellam viderunt. Est autem Dromeda genus camelorum, minoris quidem staturæ, sed velocioris: vnde & nomen habet à velocitate. Nam Dromos Græce, cursus & velocitas appellatur. Vnde & naues veloces Dromones appellant. Centum enim milliaria & eo amplius, vno die Dromeda currere dicitur. [*Et mittens illos in Bethleem, dixit.*] Quia audierat à scribis illic nasci oportere nouum ducem, propterea dirigit eos, vt cum viderent eum adorare custodes infantis, putarent, quod similiter vellet facere Herodes post reuersionem magorum. [*Ite & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum.*] Aspexit Herodes & intellexit quia isti magi fideles erant iam eius quem quærebant, propterea dicit se velle eum adorare, etiam & Iudæis noluit confiteri, quia sciebat quod eum odirent, & de sua gente regem gestirent fore. Sed si latebat homines, non latebat eum qui erat in corpore paruo, qui solus hominum corda agnoscebat. Nam quia fideles erant puero ad Herodem reuersi essent, nisi à puero in somnis prohibiti essent. [*Et ecce stella quam viderant in oriente.*] Ista stella non erat in illo cœlo vbi aliæ stellæ, sed proximior terræ & clarior quam reliquæ stellæ. (*Antecedebat eos, vsque dum veniens staret supra vbi erat puer.*] Herodes non fuit dignus videre stellam propter malitiam suam, quia Deus intemptator malorum est, hoc est, non est adiutor eorum, qui male agunt, sed permissor malorum, quia multa permittit agere, quæ contra eius voluntatem sunt, non tamen adiuuat, sed Diabolus. [*Videntes autem stellam gauisi sunt gaudio magno.*] Solent enim homines maius gaudium habere de perdita re, cum rem inuenerint, quam primo cum habere cœperunt. (*Et intrantes domum inuenerunt puerum cum Maria matre eius.*) Quia pro puero venerant, nomen pueri præponitur. [*Et procidentes adorauerunt eum.*] Adorare aliquando pro *inclinare* ponitur, quod & ad homines & ad Deum commune est. Vnde de Chusi dicitur: *Adorauit regem pronus in terra.* Verumtamen non habet hic talem intellectum, sed adorauerunt, vt Deum & Dominum pro remissione peccatorum & pro adeptione vitæ æternæ. Vnde & in oratione nostra dicimus. *Infunde cordibus nostris, quod trium magorum mentibus aspirasti.* Hoc adorationis cultu Mardochæus recusabat adorare Aman. (*Et apertis Thesauris, obtulerunt ei munera.*) Thesaurum medium est Græcum, medium Latinum. Thesis Græce dicitur *positio*, & Thesaurum positio auri. Recte quæritur verum singuli singula obtulerunt, aut singuli tria. Sed credimus quia quod corde crediderunt, muneribus ostenderunt, vnusquisque tria obtulerit: Aurum vt regi, quia illud est gloria mundi, & reges à subditis sibi hoc exigunt. Thus vt Domino, quia semper & apud paganos & apud Deicolas hoc pigmentum domino fuit oblatum & consecratum. Denique semper fuit vsus apud paganos, sicut Solinus narrat, vt quando colligendum erat, mundi pueri cũ lotis vestibus hoc colligerent. Est autem arbor Arabiæ quod ipsum fert immẽsa atq; ramose, lenissimi corticis, ad aceris qualitatem, in modum amigdalæ, fundens aromaticum succum album, & cum frangitur resoluitur in puluerem, & igni appositum ardescit facile, & appellatur apud nos masculus, eo quod sit rotundum, in similitudine testiculorum. Istud est optimum, reliquum planum & scabrosum, & hoc vilius est, & dictum est à tundendo, id est percutiendo, eo quod vbi percussa arbor fuerit, ibi amplius exit, hoc & Libanum vocatur à monte Arabiæ, vbi Sabæi sunt, quia mons eorum Libanus dicitur vbi thura colliguntur. Myrrham dederũt, quia moriturum pro mundi salute cognouerunt. Fuit enim consuetudo apud multos, & maxime apud Iudæos, qui resurrectionem credebant, vt cum aliquis charus mortuus fuisset, nobilis vel potens, vacuaretur ab intestinis, & contunderetur Myrrha cum aloë, vel aliis pigmentis, & primitus inlineretur de Balsamo totum corpus intro & extra, & post aspergeretur de ipso puluere, vt conseruaretur integrum corpus per secula, vnde & Ioseph attulit ad sepulturam Domini mixturam Myrrhæ & aloës libras centum, quamuis non fuerit necessariũ, etiam ipsa in Arabia nascitur, eo more quo & Thus de arbore patua. Maior arbor cubitorum quinque, similis spinæ: quam Achantum dicunt cuius gutta viridis & amara. Vnde accepit nomen Myrrha, id est amara, gutta eius sponte manans pretiosior est, elicita corticis vulnere vilior. Nulla est autem pretiosior quam illa, quæ de Troglodita insula affertur. (*Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem.*) Sicut solent reges terreni legationibus responsa reddere, similiter fecit Dominus noster regibus qui ad se adorandum venerant, ipse per se reddidit responsum etiam in somnis: sicut Prophetis & perfectis viris, vt ipsi erant. Et monuit eos ne redirent ad Herodem, quia via ipsorum non fuerat per eos venire, nisi pro causis superius comprehensis. Ante enim Bethleem est venientibus de oriente, quam Hierusalem.

Quia vt potuimus historicum intellectum transcurrimus, nunc spiritalem videamus.

Sicut enim diximus retro, inueniuntur omnes illæ tres Philosophiæ Græcorum, etiam in diuina scriptura. Et omnis etiam Philosophia, & omnes modi locutionum ante fuerunt in scriptura diuina, quam apud sophistas seculares, quia si quid habuerunt, de Dei dono habuerunt, ipso largiente. [*Cum natus esset Iesus in Bethleem.*) Bethleem sicut diximus, *domus panis* interpretatur, & significat Ecclesiam in qua verus panis inuenitur, id est Christus qui dixit: *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi. & si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.*

Magi tres significant gentilem populum, qui ex tribus filiis Noë orti sunt, siue quia in Trinitatem credere habent.

Ab oriente venerunt. Siue quia de Paradiso patris nostri, ad diabolum venerunt: siue quia Oriens Dominus noster vocatur, & ab ipso acceperũt, vt ad eum

uenirent, quia *nemo venit ad patrem nisi per filium*, quia ipso in corde incrementum dante, credimus. Stella eius lux fidei est, qua aspirati sumus, vt in eum credere deberemus.

Hierusalem sacra scriptura hic intelligi potest, per quam Dominum cognoscimus. Herodes qui *pellicius* dicitur, hoc est, *subdolosus*, significat Diabolum, qui quærit in cordibus electorum extinguere Christum, id est à memoria eorum aboleri. Scribæ & Pharisæi sequaces Diaboli & membra eius, siue hæretici qui nobis insinuant Christum, quia instigantibus plerumque hæreticis, de Christo cognoscimus, quod nos latebat, siue circumimus alias sectas, & abundantia vitiorum quæ in eis deprehendimus, Dominum intelligimus, quia vitia odit & virtutes diligit; cognoscimus tunc, quia in Bethleem, hoc est in Ecclesia Catholica quærendum est. Si autem aliquis de illis nobis bona dixerit, facere debemus sicut Magi fecerũt, quia scriptum est, *quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite*. Cum autem à Diabolo elongati fuerimus stellam videmus, quia quanto magis Domino appropinquamus, eo amplius Dominum cognoscimus, & ab ipso responsum accipimus, vt viam qua venimus non repetamus: promittimus renuntiaturos nos Diabolo, & Angelis eius, quia sicut via bonorum & bona opera: ita vita malorum, & vitia, quia patria nostra Paradisus fuit: Vnde per parentem primum decessimus per gulam, auaritiam, vanam gloriam & reliqua his similia: Si ergo ad patriam nostram redire cupimus, non imitemur primum Adam, sed secundũ, qui prohibita ab eo faciendo discessit: Iste, viam vitæ tenendo & nobis monstrando in cœlum ascendit, & sedet nunc à dextris Dei.

Ecce Physica intelligentia in historia nobis patuit Logica in spiritali: Ethica quoque inueniri potest, si secundum Anagogen requiramus, videlicet si cor nostrum Bethleem efficiatur, vt vbi abundet spiritalis meditatio scripturarum, quod est verbum Dei, & credens in sanctam Trinitatem: etiam de tribus virtutibus ornatus ante Dominum appareat; hoc est de fide spe & charitate, quæ ita charæ sunt regi sæculorum, & Deo creatori cunctorum & homini facto in fine sæculorum, qui est vnus Dominus, & super aurum & thopasion ea delectetur in fidelium suorum mentibus. Si igitur cum istis muneribus ante conspectum Domini semel venerimus, videamus ne postea ad Herodem, id est ad diabolum reuertamur.

Quia autem istud Euangelium in Epiphania legitur apud nos, dicamus breuiter quam sacra ista dies habeatur. Nam in Græcia in natali Domini legitur hoc Euangelium & in ista die Euangelium de baptismo eius legitur. In principio autem in pascha legitur, vt sicut solemnitates super alias festiuitates præclarissimæ sunt, ita Euangelia præclarissima in iisdem festiuitatibus legantur. Nam in natali eius legitur de natiuitate carnis, in pascha de natiuitate diuinitatis. Ergo quia consuetudo est istud Euangelium, in hac die legi dicamus etiam de miraculis quæ in hac die facta sunt.

Et quidem in hac die non solum magos primitias gentium suscepit Dominus: verum etiam in hac die baptisari placuit à Ioanne in Iordane. De aqua quoque vinum fieri elegit, atque etiam quinque millia de quinque panibus saturauit, non tamen in vno anno, sed per reuertentia annorum curricula. Hoc nihilominus die, (quem Græci *Epiphania*, Latini dicere possunt *apparitionis*) hora tertia puro ac sereno cœlo, circulus ad speciem cœlestis arcus solis vrbem Romam ambiuit: quasi eum vnum ac potissimum, in hoc mũdo, solumque clarissimum in orbe monstraret natum esse, qui ipsum solus solem mundumque totum fecisset & regeret. Dicitur autem & ipse dies à quibusdam Theophania, id est, *Dei apparitio*, quam nos pro tantis

A mysteriis totâ deuotione percolere debemus, quia illi magi primitiæ gentium fuerunt, & nos in Christum credituros prætenderunt, propterea summa cum deuotione amplectenda est ista dies à nobis. Potest autem & ipsa dies qua pastoribus Hebræorum per Angelos manifestatus apparuit. (Quia de eis scriptũ est venerunt & inuenerunt, sicut dictum est ab ipso.) Epiphannia appellari, sed ista propterea nostra est, quia nobis per stellam demonstratus est, per eam creaturam quam ipsa gens plurimum colebat, & venerabatur.

In natale Innocentum.

CAP. III.

Q*ui cum recessissent ecce Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph dicens.*]

Sunt aliqui qui volunt dicere, quod in Ægypto magi ad eum venerint, propterea quia occisio infantum B ante celebratur, quam Epiphaniorum dies, quod nequaquam esse potest, quia infantes post duos natiuitatis Christi annos occisi sunt, sed & magi in Bethleem inuenerunt Dominum, vt certi magis fierent per prophetiam Micheæ de Christo, & Euangelium aperte dicit, quia cum illi recessissent, Angelus Domini monuit Ioseph transferendum puerum in Ægyptum. [*Surge & accipe puerum, & matrem eius.*] Attendendum est, quod non dicat iam coniugem tuam, sed mater pueri. Puer tribus modis dicitur, vno pro ætate & puritate: quia puer à puritate dicitur, vt Esaias de domino, puer natus est nobis: puer solum pro ætate, vt infans septem annorum. Puer pro obsequio & obedientia, vt Dominus ad Ieremiam, *Puer meus es tu, noli timere*. Et in libro regum pueri Dauid, *Ecce fecit Dominus quod suis postea præceptum erat, si vos*, inquit, *persecuti fuerint in ciuitate ista, fugite in aliam*, dans exemplum, vt qui pondus persecutionis se posse perferre C desperant, non peccant si secedant in alium locum: tantum caput suum, id est Christum, in sua mente custodiant, & ea faciant quæ ipse præcepit, quia in omni loco dominationes eius, & ipse vbique est, & oculi eius super iustos & aures eius in preces eorum.

Ægyptus sicut scitis, postquam Iudæi illic habitauerunt, semper fuit domestica Iudæis, & semper Ægyptij Deum Hebræorum timuerunt, & ipsos Hebræos venerati sunt. Quapropter vt Iosephus & alij referunt auctores, sub Philadelpho rege. Onias Sacerdos vir bonus & iustus expulsus à Iudæa, templum in Ægypto ædificauit, & morem holocaustorum instituit, vt in Iudæa agebatur. Ob hanc causam plus placuit Deo in Ægyptum ire, quam ad alias terras, vbi minus erat religionis.

Ægyptus autem à quodam homine Ægypto nomine vocata est, regio cœli imbribus insueta & pluuiis ignara, solus Nilus eam irrigat sua inundatione. D Vnde & ferax frugibus, aliis etiam mercibus valde repleta. [*Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum.*] Futurum, hoc est venturum venit à verbo quod est sum, & non habet præsens participium, nisi istud solum quod est victurus. [*Ad perdendum eum.*] Hoc apparuit in pueris, quos pro illo occidit. [*Qui consurgens accepit puerum & matrem eius.*] Quando fugit nox memoratur, quando reuertitur nihil tale memoratur. Refertur in Ecclesiastica historia Eusebij quod quando Ioseph ferebat in Ægyptum Dominum, transierunt per Eliopolim ciuitatem & erat in plateis eius Therebinthus miræ magnitudinis, in quo habitatores loci illius diuinabant. Cumque Ioseph cum puero transiret, prostrauit se arbor obuiam ei in terram, & iacuit donec pertransiit, & iterum erecta stetit sicut ante steterat. [Et cum peruenisset in Ægyptũ.] vt compleretur quod Propheta dixerat, ecce

ascendet super nubem leuem, & ingredietur in Ægyptum, & Idola Ægypti corruent. Cum transiit Ioseph cum puero ante templum, corruerunt omnia idola in terram, vt ostenderetur quia idem erat Deus ante cuius arcam Dagon pronus & abscisis manibus & pedibus iacuerat. (*Vsque ad obitum Herodis.*) scil. vsque ad tres annos. Et hoc est tempus ablactationis, quo antiqui filios suos ablactabant, & inde separationis faciebant conuiuium, sicut fecit Abraham de Isaac filio suo. Et quanto longiori tempore ablactatus infans vel pecus lacte matris fuerit, tanto melius crescit. [*Vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam.*) videlicet Michæam, etiam & hoc Balaam dicit. [*ex Ægypto vocaui filium meum.*] vno modo intelligitur, de Israel carnali, qui vocatus est per Moysen ex Ægypto, verius autem de Domino, qui est naturalis filius. (*Tūc Herodes videns quomodo illusus esset à magis.*) Hoc est exspectato vno anno, illusus est. Delusus est in eo quod dixerant se reuertendos & non sunt reuersi. [*Et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omnibus eius finibus.*] In omnibus finibus, id est in villis quæ ád eius comitatum pertinebant, sicut tradunt, expectauit, vt venirent ad solemnitatem quam illo tempore celebrabant: & tunc cum ibi fuerunt, præcepit militibus, vt occiderent eos. [*A bimatu & infra.*] Bimatus annus dicitur, biduo, id est bis a, præpositione, id est à duobus annis. Et infra, hoc est qui minus habuerunt vel vnum annum, vel dimidium, vel vnam noctem. [*Secundum tempus, quod exquisierat à magis.*] Quomodo, vt diximus, vnum annum accepit de magorum dictu, quasi annus quando venisset iam esset, alium exspectauit, pro reuersione eorum. [*Vox in Rama audita est.*] Rama non putemus nomen loci esse, sed Rama excelsum interpretatur, quasi dixisset, vox longe lateque audita est. Nam Rama quod in regum legimus, iuxta Gabaa est. [*Rachael plorans filios suos.*] Quomodo Rachael dicitur plorasse illos, qui non fuerunt de sua progenie, sed de alia? Sed sciendum quod Rachael sepulta est in Bethleem, & hoc Prophetico more agi dicitur: siue per metonimiam speciem per id quod continetur, id quod continet ostendens, seu etiam quia Benjamin tribus juncta erat tribui Iudæ, & cum his fuerunt de Bethleem occisi & iam propterea dicitur Rachael plorasse filios suos. [*Et noluit consolari quia non sunt.*] subauditur vltra reuocandi in mūdum, qui bono exitu habent finitum mūdum, seu alio modo noluit consolationem recipere, quia putabat eos perditos fore. (*Defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.*) Species quædam est, quę apud Grammaticos dicitur synecdoche, quando plus minusue pronuntiatur, sicut hic est cum pro vno pluraliter dicitur mortui sunt, cum solus Herodes mortuus esset. Sed & esse potuit, vt alij morerentur in tanto spacio qui malam voluntatem habuissent in Christum.

De hoc Herode Iosephus refert, & alij, quod suspecte vixerit, & pessime finierit. Refert namque quod occidit Mariam vxorem suam, filiam Aristoboli regis, quam nobiliorem habebat, eo quod accusata fuerit apud eum, quod veneno petimere eum voluerit, ex qua iam habebat Hircanum & Aristobolon filios Imperatori Octauiano commendatos: quos & ipsos similiter occidit, quia pro matre sua ei irati esse videbantur. Post hæc tertium filium Antipatrem, qui fratres suos consenserat occidi; ad vltimum incidit ipse in infirmitate graui, & vocauit ad se generum suum & amicos sibi credulos, dixitque ad eos. *Ego noui quod Iudæi exultabunt de meo interitu*, quia oderunt me. Vos autem poteritis facere, vt lugentes exequias habeam, si feceritis quod dicerem. Ego iubebo omnes recludere omnium nobilium filios, vt cum ego spiritum exhalauero, vos eos occidatis, & tunc inuiti lugebunt exequias meas. Illi vero promiserunt se ita facturos, tamen non fecerunt, sed vt ipse mortuus fuit, dimiserunt eos foras. Ille vero cum aliis tormentis habuit ignem actum in suis vetendis & computruerunt: ita vt vix posset aliquis accedere ad eum: vnde & voluit se occidere, nisi prohibitus fuisset ab illo, qui eum custodiuit, & qui innocentes occidit cum multis tormentis hinc egressus ad maiora. Ecce audiuimus de morte Herodis. Cum venerimus ad passionem dicemus qui sit ille Herodes. Hoc solum sufficiat dixisse, quia de isto Herode non audietis amplius in hoc Euangelio, sed de aliis. (Qui consurgens accepit puerū & matrem eius.) Et hic notandum quomodo non dicit conjugem: cum iam tres anni essent post natum puerum, & idcirco mentitus est Eluidius qui dixit habuisse sanctam Mariam filios de Ioseph. (*Venit in terram Israel.*)

Omnes Iudæi Israel vocantur: Iuda autem vna tribus. Audiens autem quod Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre suo, timuit illo ire. Post mortē Herodis Imperator regnum eius inter Archelaum & fratres eius, id est, Philippum & Herodem & Lisiam diuisit, & caput regni Hierusalem Archelao tradidit, quo paruo tempore fruitus est, quia Imperator propter insolentiam morum eius accusatum. Viennam à Iudæis quæ est in Burgundia ciuitas exilio relegauit, & regnum eius Pilato commendauit, non tamen dedit: nec nomen regium permisit habere. Ideo dicit, quia noluit ire in locum illum quo Archelaus regnabat: quoniam Deus qui monuit eum diuertere in aliam partem, prouidebat quod ipse eiusdem voluntatis foret cuius & pater. Fratres autem eius non adeo dilexerant patrem pro interfectione parentum idcirco diuertit in Galilæam, vbi Herodes regnabat. (*Vt adimpleretur quod dictum est per Prophetas, quoniam Nazareus vocabitur.*) Vbicumque dicit Euangelista per *Prophetas*, plurali numero, non fixum ponit exemplum, sed tamen omnes Prophetæ hoc prædixere quod Nazareus esset, id est sanctus. Verum Esaias dicit hoc modo secundum Hebraïcam. Exiet virga de radice Iesse, & Nazareus de radice eius ascendet. Est autem aliqua differentia inter Nazarenum & Nazareum. Nazarenus à loco, Nazareus à religione.

Tractatus Christiani de prædicatione Ioannis.

CAP. IV.

IN *diebus autem illis.*) id est illius regis qui tunc regnabat in Galilæa videlicet Herodis, quod Lucas apertius indicat dicens: *Anno quintodecimo Imperii Tyberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam: tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius*, &c. (*Venit Ioannes Baptista.*) Ioannes interpretatur gratia Dei, quod nomen illi à Domino impositū est: quia veraciter fuit in eo gratia Dei, sicut in Euangelio audistis. Baptista nomen Græcum est & dicitur Latine lauator, & venit à Græco verbo, quod est baptiso, id est lauo. Fuit autem Ioanni Epitheton super suum nomen, quod venit à Domino, scilicet missus. Angelus namque ad Zachariam dixerat: ipse præcedet ante illum. Et Zacharias filio dixerat. Tu puer Propheta altissimi vocaberis, præibis ante faciem Domini parare vias eius. Nec æstimandum quod Ioannes hoc non intellexerit, cum non haberet nisi octo dies: cum adhuc nominatus intellexit sanctam Mariam loquentem & exultauit in vtero matris suæ. (*Prædicans in deserto.*) Et secundum historiam in deserto, quod iuxta Iordanem est Ioannes conuersatus est, iuxta Betharaba siue quod alio nomine Ennon dicitur, vbi aquæ multæ erant, siue spiritualiter Iudæa iam tunc deserta erat ab illa custodia quam antea habuerat, & destitutæ ac derelictæ, solatium redemptoris annuntiabat. (*Pœnitentiam*, inquit, *agite, appropinquabit enim regnum cælorum.*)

cælorum.] Sicut Iohannes præcessit Dominum in sua Prophetia: sic etiam in sua prædicatione & in suo baptismo, ne occasionem Iudæi haberent erga Christum dicentes: *nouas causas nobis annuntiat, & facit, propterea non recipimus prædicationem eius. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnũ cælorũ.* Nullus ante Iohannem ista prædicauit nisi de terrenis rebus dicens: si hæc vel illa feceris longo viues tempore, ad terram ad quam ingrederis possidendam. Nunc per præconem iustitiæ dicitur. *Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cælorum.* Honoratur enim præco Domini, quod ipse de Domino nuntiat, quod nullus ante ipsum prophetauit, quia videlicet ipsa via quæ clausa fuerit homini primo per peccatum reseranda sit cito. Regnum enim cœlorum in hoc Euangelio aliquando præsens Ecclesia, aliquando vita æterna, aliquando ipse Dominus accipitur. In hoc vero potest vtrumque intelligi & ipse Dominus, quod iam in proximo sit, quod audiant vocem eius prædicantis, seu quod vita æterna cito aperienda sit, per bona quærentibus opera. Hic enim est qui dictus est per Esaiam Prophetam. Non solum quæ Dominus facturus erat in carne prædicta sunt à Prophetis, sed etiam quod præco ipsius. Et dignum fuit, vt magnum Dominum magna & innumera præuenirent oracula. Dictus est ante Iohannes, vox, ab Esaia, quia verbum præcessurus erat. Scitis enim quod Dominus Christus verbum Patris dictus est, *quia per ipsum facta sunt omnia*, & verbum in humana locutione sonus, id est vox solet præcedere. Sicut igitur vox præcedit verbum: sic Iohannes quia præibat verbum vox dictus est à propheta, quid autem ipsa vox clamaret adjungitur, parate viam Domini. Omnis qui fidem rectam & opera bona prædicat, quid aliud quam venienti Domino ad cor audientium viam parat? vt vis gratiæ cor penetret, & illustret lumine veritatis & rectas Deo semitas faciat, dum mundas cogitationes in animo per sermonem bonæ prædicationis format. Via namque Domini ad cor dirigitur, dum veritas sermonis humiliter auditur. (*Rectas facite semitas eius.*) Semitæ prauæ sunt in cordibus hominum, quando superbia vel cætera vitia ibi habitaculum habent, quasi enim quidam montes sunt ipsa vitia quæ abhorret Dominus sicut ipse dixit: *super quem requiescam, nisi super humilem & quietum, & trementem verba mea?* Tali ergo modo viæ prauæ à prædicatoribus rectæ fiunt, si per prędicationem Euangelii hi qui ante fuerant superbi, humiles efficiantur: qui luxuriosi, casti, qui crudeles misericordes fiant. Tunc non solum veniet Dominus in cordibus talium, sed etiam mansionem faciet, sicut ipse ait: *si quis diligit me, sermonem meum seruabit: & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus,* [*ipse autem Iohannes habebat vestimentum de pilis Camelorum.*] Austera vestis inditium est pœnitentiæ, fiunt autem cilicia & vestes ex lana Camelorum, quæ de Camelis tonditur. Habet enim sub ventre lanam cum qua miscetur alia lana etiam & caprina, & fiunt aliquando mira & dura de quibus Iohannes vestitus fuit. Vnde & à Domino laudatus est de ipsa re. [*Et zonam pelliceam circa lumbos eius.*] Zona autem pellicea accinctus quoque & Helias fuit, quia in omnibus similis illi. Zona vero pellicea mortificationem carnis designat, quam Iohannes in suo corpore habuit. [*Esca autem eius erant locustæ.*] Et de locustis audiui quendam dicere, quod istæ locustæ auiculæ fuerunt paruæ cum rubeis tibiis, alium etiam dicere, quod Iohannes super Iordanem conuersabatur, locustas pisces marinos ederit, sed neutrum verum est. Sed istas locustas quas vidimus in pratis: quæ etiam in veteri Testamento permittuntur manducari, sic etiam Origenes dicit. Sed tamen in illa terra maiores, quam in nostra inueniuntur, quare enim lauda-

A retur de abstinentiæ rigore, si marinas delitias ederet: aut volatilia quæ desiderauerunt Iudæi? (*Mel siluestre.*) Et istud Mel cadit adhuc hodie copiosius in illam terram plusquam in alias terras, quia & inde dicta est fluere mel, ipsum est manna; vnde filij Israel pasti sunt per quadraginta annos. Sed filij Israel exeuntes de illa terra in qua non viderant cadere, quoniã necibi vnquam pluerat: dixere, *quid est hoc:* & postea sic semper eam vocate, hoc est Manna, vidimus, & de ipsa afferentibus his qui de illa terra venere, habet vero similitudinem niuis vel salis, & dulcedinem nostri mellis. [*Tunc exibat ad eum Hierosolyma*] quia Iohannes Spiritu sancto repletus erat. Pater quoque eius vt nobilis pontifex erudierat eum litteris sacris: effluebat abundans prædicatio ex ore eius: & audierant virtutes quæ factæ fuerant in ortu eius: & videbant austeram vitam eius secundum morem Prophetarum: propterea exibant turbæ audire eum & consulere de vita sua. Omnis Hierosolyma ciuitas Dei & regum,
B vbi Sacerdotes & omnis scientia amplior, quam in reliquis ciuitatibus: & omnis Iudæa. Propter regalem tribum, Iudæam dicit, quia & ipsa semper inter reliquas tribus primatum tenuit. Et omnis regio circa Iordanem ibi erat melior ipsa terra, propter irrigationem Iordanis, quia ibi erat Hiericho & Segor: vbi balsamum crescit, sicut legimus de Sodoma, quod fuerit quasi Paradisus Dei. [*Et baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.*) Non poterat baptizare in remissionem peccatorum, sed tamen vt esset præco Domini, & in factis sola corpora aqua lauabat, & præcipiebat vt quicunque suo baptismo baptizaretur, crederet in illum, qui post ipsum venturus esset, & acciperet alium baptismum in remissionem peccatorum. Dicebat autem quando eos baptizabat. *Baptizo te, vt credas in eum qui post me venturus est.* Vnde postea dixit: *Hic est qui baptizat, qui tollit peccata mundi per suum baptismum.* Videns autem multos Pharisæorũ & Saducæorum venientes ad suũ baptismũ di-
C xit. (*Progenies viperarũ*] Vipera dicta eo quod vi pariat. Nam cũ venter matris intumuerit de partu, catuli non expectantes maturam solutionem naturę, corrosis eius laterib. erũpunt. Fertur autem quia cum masculus ore inserto semen viperæ expuit: illa ex voluntate libidinis in rabiem versa, caput masculi ore receptum pręcidit; & ita fit vt parens vterque moriatur: masculus dũ coït, mater dum parit. Fiunt autem pastelli ex viperis qui tiriaca à Græcis vocantur: vt qui ex eis comederit vel biberit, vlterius iam leprã non habeat: & si habuerit, vltra non crescit. Sunt autem alia genera viperarũ, de quib. Paulum vna apprehendit, quam ille excussit in ignem. Tales dicit Iudæos fuisse Iohannes: quia parentes suos occiderunt; vt Naboch, Hieremiam: & Ozias, Zachariam; & Manasses rex, auunculũ suum Esaiam secuit, & pro tali facto generatio viperarũ esse dicuntur. (*Quis ostendet vobis fugere à vẽtura ira.*] Ventura ira, dies est iudicij, quæ ventura est super oẽs impios, qui Dei no-
D luerint obtẽperare mandatis. Quisquis autem de peccatis suis sollicitus est vt ei remittantur, per bona opera fugit à vẽtura ira, quia festinat se tollere de sinistra parte hœdorũ. & fugit in dexteram cum agnis: quomodo hœdi cruciabuntur, agni protegentur à Dño. (*Facite ergo dignũ fructum pœnitentiæ.*) *Fructũ dignum pœnitentiæ facere,* est pręterita mala fletib. punire, & bona è contrario agere, vt *sicut exhibuimus mẽbra nostra seruire iniustitiæ, ita exhibeamus eadẽ iustitiæ in sanctificatione.* Vel fructus dignus pœnitẽtię, bona agere, & mala cõmissa eleemosynis redimere & ne velitis dicere, *patrẽ habemus Abraham: Nolite gloriari de nobilitate Patriarcharum, quia si non fueritis imitatores in fide & in operibus eius, non dicemini filii Abraham: de vobis enim dixit Deus per Prophetam. Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa.* (*Dico enim vobis quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.*) De lapidib. istis gentiles dicit,

quod lapides appellantur, quia lapides colebant. Scriptum est enim. *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis:* vel lapides quoscunque materiales dicit, quia qui mundum ex nihilo creauit potens est de lapidibus homines creare. Imitando autem fidem Abrahæ, dicuntur omnes gentes filij Abrahæ, & Iudæi diaboli imitando diabolum dicũtur: vt postea ad eos dixit Dominus, *vos ex patre vestro diabolo estis, & opera patris vestri vultis facere,* [*iam enim securis ad radices arboris posita est.*] Allegoria est hic per similitudinem infructuosæ arboris, quomodo autem arbor infructuosa succiditur, & in ignem mittitur: sic *homo qui non facit fructum bonum, eradicatur anima eius de corpore ab angelis: & in ignem mittetur æternum: vt ardeat, scilicet vt crucietur sine fine.* Et vtinam finis potuisset in illo igne occurrere: sed quod est acerbius adhoc duratur, vt æternaliter ardeat. Securis sententia Dei est, quæ separat animam à corpore. *Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Comparatio est parabolæ de inferiori ad superiorem & de inanimali ad animale: de arbore ad hominem, & dicitur sub magna certitudine & diffinitione: quod *omnis arbor*, id est *omnis homo qui non facit fructum etiam bonum:* id est opus bonum *excidetur & in ignem mittetur, & præcidetur à sententia Dei in æternum.* [*Ego quidem baptizo vos in aqua pœnitentia.*] Ego videlicet paruus homo sum, solummodo corpora vestra aqua lauo, sed mentes per veniam non lauo: in pœnitentia autem hoc faciebant turbæ vt essent testimonium ad illum venire, qui possit etiam mente per veniam lauare. [*Qui post me autem venturus est*] scilicet prædicando [*fortior me est diuinitate*] quia creauit omnes. Iohannes Spiritu sancto repletus per ordinem paulatim turbis annuntiabat Christum, & in fine dixit. *Ego vidi & testimonium perhibui*, quia hic est Christus. Non enim poterant rudes turbæ capere, quod Deus homo factus esset. (*Cuius non sum dignus corrigiam calciamenti portare.*) Hic humiliat se Iohannes, in alio loco Euangelista dicit: *Non sum dignus corrigiam eius calciamenti soluere.* Mos fuit in illa gente (vt superius dixi) vt quando frater moriebatur, frater eius aut propinquus eius acciperet vxorem propinqui sui, & suscitaret semen fratris vel parentis sui. Si vero nollet eam accipere, tunc veniebat in placito, & soluebatur illi calciamentum de pede eius quia illam noluisset accipere; & qui secundus erat accipiebat eam. Inde quasi Iohannes mysterium tangit, quasi dicat. Non sum dignus sponsam Christi, quæ est Ecclesia, mihi vsurpare. Siue alio modo, calciamenta ex mortuis animalibus fiunt: & quasi calciata ad nos diuinitas venit, cum morticina nostræ carnis induta apparuit. Inde quasi Iohannes dicit. Non sum idoneus reserare mysterium, quomodo diuinitas carne induta est. (*Ipse vos baptizauit in Spiritu sancto & igni,*) baptizamur in Spiritu sancto, non solum cum quotidie baptismate renascimur: verum etiam cum per donum eiusdem Spiritus sancti incendimur ad agenda diuina mandata, & accipimus per septem modos, remissionem quotidie peccatorum: baptizamur igne siue quia Spiritus sanctus est secundum actus Apostolorum ignis. Et sicut ignis ligna solet delere: sic etiam Spiritus sanctus peccata, seu etiam in futuro secundum Apostoli dicta baptizabimur igne, quia transibimus per ignem cum ex hoc corpore migrauerimus. Et si cuius opus arserit, detrimentum patietur, si cuius opus manserit ipse saluus erit: sic tamen, quasi per ignem. [*Cuius ventilabrum in manu sua.*] Ventilabrum alio nomine *pala* appellatur. Dat per metaphoram comparationem de minori ad maiorem: & est species quæ Græcè parabola dicitur, genere dissimilium & dat examinationem siue separationem, quia per angelos boni à malis segregabuntur: seu tempestatem quæ præibit vultum iusti iudicis in tremendo die. (*Et mundabit aream suam.*) id est Ecclesiam suam (*& congregabit triticum in horreum suum.*) Triticum suum vult intelligi electos suos, horreum vitam æternam. Vnde quidam martyr cum torquebatur dicebat. Triticum Dei sum, molor dentibus bestiarum. (*Paleas autem comburet igni inextinguibili.*) Paleæ intelliguntur impij: qui nihil bonorum operum habent, sed leues & faciles ad omnes seculi vanitates inueniuntur: ipsi comburentur igni, qui non extinguetur in sempiternum.

Tractatus de Baptisatione Domini.

CAP. V.

T*Vnc venit Iesus à Galilæa in Iordanem*) subauditur, quando ipse populus exibat ad Iohannem. Secundum Euangelia & Chronicas inuenimus, quia Iohannes vicesimo nono ætatis suæ anno exiit in desertum & Dominus tricesimo incipiente ætatis suæ anno venit ad baptismum, & in tricesima ætate omnis mundus resurget in quacunque ætate quis mortuus fuerit: sic enim dicit Apostolus: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi:* & in tali ætate Adam creatus est. Ob tres causas venit Dominus ad baptismum Iohannis. Vna vt per aquam Iordanis sanctificaret omnium aquarum fluenta. Secunda, vt iustitiam omnis legis impleret & humilitatis omnibus præberet exemplum: non dedignatus est baptisari à seruo suo, sic creator baptisatus est à creatura sua. Tertia, vt comprobaret baptismum Iohannis à seipso & à patre fuisse præceptum fieri. Iohannes autem prohibebat eum dicens: Propter humilitatem, vt dignum erat, obuiam creatori Iohannes ista dicebat. Nam nouerat eum à se baptisandum, vt ipse dixit: *Super quem videris spiritum Domini descendentem & manentem ipse est qui baptisat.* Apparet in hoc verbo, quia nouerat eum. [*Ego à te debeo baptisari.*] In illo verbo, quod dixit superius nouerat Iohannes, quia Dominus suos fideles baptisaturus esset, in eo quod dicit: *hic est qui baptisat*: videlicet quicunque baptiset de fidelibus suis ipse baptisaturus est per illos. Respondens autem Iesus dixit ei: (*Sine modo*) id est dimitte me modo sic agere, vt ego baptiser à te, & tu postmodum baptiseris à me vt qui formam serui suscepi expleam & humilitatem eius. Alioquin scito te in die iudicij à me baptisandum. Sine, verbum est imperatiui modi quod venit à verbo sino. Modò vero aduerbium est significans præsens tempus. Sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Non addidit iustitiam naturæ suæ siue legis; sed dixit omnem iustitiam, vt nos illas omnes intelligamus. (*Tunc dimisit eum,*) id est tunc consensit quod antea expauerat. Vt enim beatus Petrus expauit humiliari creatorẽ omniũ ad lauandum pedes suos: ita & iste pertimuit manus mittere super creatorem. Sed Petro dictum est. *Nisi lauero te non habebis partem mecum.* Sic isti dictum est; Sine vt fiat sicut ego volo, & fiet quod tu vis, Consequens est enim: si non feceris voluntatem meam, nec ego tuam. (*Baptisatus autem confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt cœli.*) Trinitas hic ostenditur, & propter nos vtique omnia fiunt: vt nos sciamus quomodo in Dominum patrem nostrum credere debeamus. Ecce Dominus noster qui baptisatus: Patris vox testimonium filio præbentis auditur: *Spiritus apparet in specie columbæ.* Aperiuntur cœli non reserratione elementorum, sed spiritalibus oculis, quibus & Hiezechiel apertos eos vidisse se narrat in principio voluminis sui. (*Seditque super eum columba*) ne quis ad Iohannem vocem factam putaret. Sicut stella illa ad hoc fuit creata, vt mysterio Domini tunc deseruiret, & postea non comparuit: sic etiam dicunt de columba, quia ad hoc creata fuit, vt per eam

Spiritus sanctus monstraretur & postea non comparuit. Sic audiui tradere eum, qui mihi primus Euangelium exposuit (sed nec Hieronymus neque Beda de hoc quicquam dicunt) quod vera columba fuerit, & veram carnem habuerit & verum corpus, (*Hic est filius meus dilectus*) non adoptiuus vt Israel, sed proprius quem ante secula genui. Dilectus singulariter, hæc omnia propter nos monstrata sunt: namque Deus omnipotens pater filium nouerat, quia vnus Deus erat cum eo. Spiritus quoque sanctus in ipso & cum ipso erat, quia simul inseparabilis trinitas est, Spiritus sanctus cum patre & filio. Sed vt nos trinitatem agnoscamus, & credamus vnum esse, propterea hæc monstrata sunt. Quod cœli tibi aperti esse monstrabantur, indicatur quando homo baptisatur janua cœlestis regni panditur, quæ peccanti protoplasto generi humano posito custode Cherubin clausa erat. Extinguitur enim illa flamma, quæ ibi interposita fuit: cum aquis sacri baptismatis homo mergitur: quia Spiritus sanctus visus est super eum descendisse; hoc mõstratur quia per baptismum, & post baptismum, per inuocationem Sacerdotum super vnumquemque fidelem descendat. Quod vero dicit *quia mansit super eum*: hoc specialiter ad Dominum nostrum pertinet, cuius hoc speciale fuit, vt postquam semel eum impleuit, nunquam ab illo recederet, quia ille non effugauit eum de se pro aliquo peccato, vnde immunis fuit. Itaque super sanctos venit, & recedit ad tempus. Est [illegible] cum eis semper ad custodiam eorum, & ad conseruandam dilectionem cum proximo, sicut Dominus discipulis dixit: *in vobis erit, & apud vos manebit.*

De tentatione Domini.

CAP. VI.

TVnc *Iesus ductus est in desertum à spiritu,*) quod dicit *tunc* (quod est aduerbiũ temporis) respicit ad hoc quod dixerat: *venit Iesus ad Iordanem, quia ipso tempore post baptismum exiit in desertum & ieiunauit.* In ipso namque die sicut tenemus ex traditione maiorum, fecit de aqua vinum & crediderunt in eum aliqui discipulorum, & tunc Iesus ductus est in desertum, quia dicit Lucas: *Iesus plenus Spiritu sancto regressus est ab Iordane & agebatur à spiritu in desertum diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo.* Desertus erat locus vltra Iordanem, qui ideo dicebatur desertus, quia non erat aptus ad laborandum. Et quia non erat acceptus, erat derelictus. vbi Theodas populum adduxit de Hierusalem quatuor millia. (*Ductus à spiritu*) scilicet à sancto suo spiritu, de quo dicit Euangelista, *quia plenus Spiritu sancto regressus est à Iordane.* Dignum fuit, vt illuc eum suus spiritus duceret vbi hunc ad tentandum spiritus malignus inueniret. Exemplum nobis etiam præbens, vt post acceptum baptismum fugiamus pompas huius seculi, vnde fideiussores dedimus in ipso baptismo renuntiaturos nos diabolo, & pompis eius. [*Vt tentaretur à diabolo.*] Postquam Dominus iuuenis factus est adhæsit illi diabolus tentando sicut & reliquos homines. Sed nunc instauratis armis fortius bellum aggressus est, sicut tradunt Doctores. Audiuit itaque in baptismo vocem dicentem, *hic est filius meus dilectus in quo mihi complacuit*: & voluit explorare si ipse esset, qui per Prophetas prænuntiatus esset verus filius Dei, aut adoptiuus sicut de Israel audierat, *filius meus primogenitus* Israel. Sciuit vero Dominus, quod Sathanas magnopere quæreret locum: & vt fortis prætiator non denegauit ei campum in quo posset confligere cum illo. Imo non inuenit diligere eum caput serpentis vltra modum, sicut faciebat Eua: non diligebat fœminas sicut faciebat Salomon: non meretrices, vt Samson, non habuit vxorem, vt Iob:

A idcirco non habuit quomodo, vel per quem deciperet eum. Recurrit ad illud vnde omnis mundus periclitatur: per suggestum ipsius, videlicet de gula, auaritia, & vana gloria. Accepit de aëre, & accessit ad illum, vt videri posset ab homine. Dominus autem dedit occasionem, vnde sciebat illum velle tentare: Ieiunauit quadraginta diebus, & postea esuriit. Si non esuriisset, forsitan pro illa voce quam audierat, & quia absque peccato videbat eum viuere, ad eum non accessisset tentando. Vidit eum esurientem & æstimauit eum inferiorem Moyse & Helia, de quibus nihil tale refertur quod esuriissent, & iam quia esuriit, gestu corporis ei permisit videre. Nam aliter diabolus non potest cognoscere cogitationes hominum. [*Et cum ieiunasset quadraginta diebus & noctibus.*] Nisi addidisset noctibus, putaretur diebus ieiunasse, & nocte mãducasse. Sed 14. ducti, quadraginta faciũt: quia ille decalogum bene custodiuit, qui Euang. quod per 4 Euãgelistas expositum est, cum isto conjungit. Hic autem

B numerus in scriptura sacra pœnitentiæ & tribulationi semper aptatur, vt in hoc loco, & in veteri Testamento, vbi per quadraginta dies mundus cum aqua delebatur: & populus Israel per quadraginta dies & annos in heremo itineris labore fatigabatur. Moyses vt legem acciperet secundo quadraginta dies abstinuit, & Helias totidem, vt de persecutionis malo liberaretur. Et nos si volumus diabolum vincere, de persecutionibus seculi huius vel liberari, seu etiam ad terram repromissionis, id est ad vitam peruenire æternam, exemplo Domini quadraginta dies non solum à cibis, sed etiam ab omnibus vicijs ieiunemus: & carnem nostram quater decies affligamus [*Dic vt lapides isti panes fiant.*] Simili modo homini vt dixerat primo, *gustate & eritis sicut dii*: sic secundum gulam tentat, & post de auaritia, ad vltimum de vana gloria: quia putauit eodem modo vincere, sicut illum vicerat, quem Deus per se erudierat. Lucas ordinem historiæ tentationis Domini tenuit, & Matthæus ordi-

C nem tentationis Adæ secutus est. Sic enim Adæ dixit, *gustate*: ecce de gula: *Eritis sicut dii*: ecce de auaritia, quia auaritia non solum est de pecunia adipiscenda; sed etiam de honore, quod Paulus insinuat, qui de Domino dicit: *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Domino.* Ac si aperte dicat: Si natura illi non fuisset æqualem & Domino esse voluisset, rapina putaretur. Post auaritiam suadet de vana gloria, scientes bonum & malum: quia scire velle malum ad nullum profectum pertinet, nisi ad vanam gloriam. Eodem ordine diabolus Dominum tentat. Primo de gula, secundo de auaritia, quando omnia regna mundi ei ostendit: tertio de vana gloria, quamuis eodem Matthæus non narrat ordine. Et notandum quod illæ duæ tentationes in heremo factæ fuerunt: illa autem tertia in Hierusalem supra pinnaculum templi. [*Respondit ei Iesus. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.*] Ac si aperte dicat, quare suades petere

D me panem terrenum: cum verbo Dei possit viuere corpus & anima: Vt Moyses per quadraginta dies intentus eloquiis Dei, & pastus ex eloquiis Dei, etiam in carne non esuriit? Et Moyses eodem modo dixit ad filios Israel. Pauit te Dominus quadraginta annos Manna: vt scires quia non in solo pane viueret homo, sed ex verbo Dei posset refici. Mente vero retinendum nobis est, quod Dominus dixit, non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei animam in æternum victuram: quam corpus quandoque moriturum: quia illa anima, quæ verbo Dei non pascitur, profecto mortua iacet. *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem.*] Sicut in heremum voluntariè Dominus abijt: sic etiam sanctam ciuitatem ascendit: vt daret tentatori locum accedendi ad se. Sancta autem Hierusalem

dicitur propter templum Domini & altare, ac religionem: seu multos bonos viros, qui adhuc ibi erant, nam & post Ascensionem Domini Apostoli omnes quam diu ibi fuerunt in templo adorauerunt. [*Et statuit eum super pinnaculum templi.*] Mos erat in illa prouincia tecta æqualia facere, vt homines desuper ambulare possent & eo more erat præparatum desuper templum, & habebat in gyro cancellos, ne quis inuitus decideret ad terram, hoc frequenter auditis in Euangeliis. Ibi soliti erant Sacerdotes legem legere, & turbis deorsum stantibus exponere, hic ergo de ipso loco suasit diabolus Dominum exilire ad terram, vt videretur à turbis, & laudaretur si sanus adstaret. Sicut fuit vana gloria quando dixit, scientes malum sic esset vana gloria de alto salire ad terram in neutro profectus. [*Si filius Dei es mitte te deorsum.*] Deorsum aduerbium est loci, per omnes tentationes hoc inquirit, quali modo esset filius Dei: vtrum adoptiuus, an proprius. Sed Dominus qui exemplum nobis venerat dare & in dictis & in factis, & diabolum dubium reddidit, & nobis insinuauit quid facere debeamus quando tentamur. Videlicet ad mentem reducere verba sacri eloquij & nostras tentationes per eadem verba compescere. Suadet autem diabolus, non simplici verbo suo, sed cum additamento scripturæ diuinæ dicens. *Scriptum est, quia angelis suis mandauit de te: & in manibus tollent te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.*] Totus iste Psalmus de Ezechia rege scriptus est de illa defensione, quam ei Dominus fecit aduersus Sennacherib Assyriorum regem, & potest de vnoquoque electo accipi; quia autem diabolus purū hominem credebat Deum, ob hoc istud exemplum, quod de iusto dictum est, ei proponebat. [*Ait illi Iesus rursus.*] Sic jungendum est rursum, quia aduerbium est, & verba Euangelistæ sunt, & habet sensum, iterum. Postea vero inserendum est, *scriptum est*, quia istud Domini verbum, non illud. Ac si apertè dicat Diabolo, propterea non debeo nec ego nec alius quilibet homo te auscultare, quia est diuinum eloquium, quod me omnesque prohibet pro vana gloria, & nullam vtilitatem habentibus Deum petere. [*Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde.*) Ista tentatio in hereino facta fuit cum prima tentatione, & istum montem vel Thabor, vel Hermon intelligimus, sed verius Thabor. [*Et ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.*] Sicut Deus omnipotens diabolo ad libitum suæ tentationis permisit ei superiora quæ audistis: sic potest fieri, vt permiserit ei sub vna visione totum mundum ostendere, eo modo quo & beatum Benedictum legimus vidisse. Vel alio modo, species quædam est, quæ frequenter inuenitur in scriptura diuina, & vocatur Græcè Sinecdoche, cum totum dicitur & pars intelligitur. Videlicet ostendit ei partem aliquam, & promisit ei reliquam cum toto daturum. Gloria autem mundi aurum est & gemmæ, inde gloriatur iste mundus. Et regna mundi id est homines in mundo habitantes: quæcunque habere possunt mundiales homines, hæc est fiducia eorum: & tamen nihil aliud faciunt de illo nisi ad gloriandum: & ad ostentationem possident. Non enim inde arant, aut aliud necessarium operantur, nisi solummodo viuunt, & portantes onerant & custodiunt die ac nocte. (*Dixit illi, hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.*) Sicut mendacium fuit quando dixit, *ponam sedem meam ad Aquilonem: & ero similis altissimo*, sic etiam istud mendacium esset: si Dominus illum adorasset dicentem. *Hæc omnia tibi dabo.* Sed diabolus non curat de profectibus seductorum: nec curat nec veretur in futuro mendax haberi, tantum vt in præsenti nunc possit seducere quos vult si. Sic fecit de Adam quando dixit, *eritis sicut dii.* Sciendum est vero secundum dictum ipsius, quia cadit omnis qui adorat Diabolum: & non solum qui adorat, sed etiam qui auscultat, quia adorare venerari est, quia tunc homo illum veneratur, quando eius suggestiones Dei mandatis præfert, & illum auscultat, & Dominum prohibentem dimittit. [*Tunc dicit ei Iesus, vade Sathanas.*] In aliis suasionibus non tam potenter Dominus diabolo respondit sicut in ista, quia nimis superbe locutus est, quando vel à Deo, vel à puro homine se iussit adorari, & quantum peruersus tanta peruersa locutus, dixit ei Dominus, *vade Sathanas*, hoc est in Abyssum siue in perditionem. Non autem simili responsione Petrum confutauit, quia illi dixit: *vade retro*, hoc est sequere voluntatem meam. (*Dominum Deum tuum adorabis.*] Adorare duobus modis intelligitur in nostra lingua, adorare enim dicimus inclinare. Vnde scriptum est, *adorauit regem ille*, vel ille, hoc est inclinauit se. Adorare alio modo, hoc est cultum debitum Domino exhibere, de quo scriptum est. *Adorauit Salomon Dominum.* Isto ergo modo præceptum est antiquis ne adorarent Deos alienos, nec quemquam excepto Domino solo: inde ergo dictum est *Dominum Deum adorabis.* Adorare est autem, tota fide Dominum credere & ex totis præcordiis diligere, remissionem peccatorum petere, & omnia bona ab illo sperare præsentia & futura. Græcè autem differentius hoc dicitur vbi adorare quod ad Deum pertinet *procinisce* dicitur προσχύνησαι. Adorare quod ad hominem pertinet κλιν[illegible] dicitur: [*Et illi soli seruies.*) Quid est hoc quod dici[illegible]ominus, *illi soli seruies*: cum Paulus Apostolus dicat *per charitatem seruite inuicem?* Nunquid aliud Dominus præcipit, & aliud Paulus? Non, sed & seruitium quod pertinet ad Deum solum, & non ad hominem quod nulli alteri impendi debet, nisi Deo soli, videlicet credere illum firma fide, omnem spem suam in illo ponere, hostias illi offerre, cultum diuinum illi exhibere, & reliqua quæ ad solum Deum pertinent. In Græco quoque sermone similiter est differentia de hac re. Siquidem seruitium quod ad hominem pertinet duleusis δύλευσις dicitur & seruus dulos δῦλος dicitur. Illud vero seruitium quod ad solum Deum pertinet λάτρευσις vocatur. Vnde in cantico Zachariæ non dicitur *duleusate* δυλεύσατε, sed *latreum* λατρεύωμεν αὐτῷ *seruiamus illi.* Has discretiones debemus scire inter creaturam & creatorem, vt à nullo sancto petamus remissionem peccatorum: sed per eos studeamus impetrare vt detur nobis à Deo, neque credamus in aliquem nisi in Deum: quia credimus sanctos, sed non credimus in sanctos. [*Tunc reliquit eum diabolus, & ecce angeli accesserunt & ministrabant ei.*) quod diabolus in Deum suaserat facere, hoc ei fecerunt angeli, id est adorauerunt eum: vt ostenderent, quia ipse merito adorandus esset, non diabolus. Angeli ministrant vt victoris dignitas comprobetur. Omnes istas tentationes Dominus patientia vicit, vt nobis exemplum præberet patientiæ. Si is qui creator est & tentatorem suum in abyssum vno verbo mergere poterat, sustinuit, & sacri verba eloquij ei respondit: Et nos quando tentamur visibiliter vel spiritaliter, semper ad memoriam reducamus, quæ præcepit Deus, & quia creator est audiendus non diabolus. Diabolus enim Hebraïcè *deorsum fluens* interpretatur, quia de cœlo decidit. Græcè vero *criminator* sonat quod electorum innocentiam fictis criminibus accuset. Vnde in Apocalypsi dicitur: *Proiectus est accusator fratrum nostrorum qui accusabat illos in conspectu Dei nostri die ac nocte.* Sathanas in Latinum sonat *aduersarius*, quia semper contrarius est virtutibus sanctorum. Notandum vero quod omnia testimonia, quæ in hoc agone Dominus protulit, de Deuteronomio assumpsit: & rectum fuit, vt Dominus de Deuteron. ea sumeret: nam ibi perfectior lex habe-

tur, quia quod secundo fit, melius fit. Deuteronomium enim *secunda lex* dicitur, deuteros Græcè *secūdus*, nomos *lex*, & non est separandum absque quia tunc habebit sensum quasi sit præpositio *de* & *vtero* nomen, sed Deuteronomium, quia compositum est apud Græcos ex duobus nominibus, & non est fœminini generis apud Græcos, sed masculini.

Quod Iohanne tradito incipit Dominus prædicare.

CAP. VII.

CVm autem audisset quod Iohannes traditus esset, secessit in Galilæam.) Antequam Iohannes traditus esset prædicabat Dominus: sed post religationem eius cœpit attentius prædicare ne deesset populo monitor salutis. [*Venit de heremo.*) vbi tentatus fuerat, (*in Nazareth.*) vbi nutritus fuerat, [*& relicta ipsa Nazareth.*] propter incredulitatem, [*abiit in Capharnaū in finibus Zabulon, & Nephtalim.*]In hac terra primum Israel captiuatus est ab Assyriis, & conuenienter ibi Dominus incœpit prædicare, vbi hostis quōdam propter peccata dominatus est. Zabulō interpretatur habitaculum pulchritudinis. Nephtalim quoque idem affirmat qui conuersantis dicitur: quia antequam Deus veniret in hunc mundum, omnes sedebant in tenebris ignorantiæ: sed per Christū orta fuit lux, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Et vmbra mortis nobis erat: quia ad cōparationem secūdæ mortis, vmbra mortis est in hoc sæculo, in futuro vera mors quia æterna. [*Exinde cœpit Iesus prædicare & dicere,*] exinde, postquam Iohannes missus est in carcerem; quia cessante lege Euangelium successit. [*Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.*] quod Dominus eadem prædicat quæ & Iohannes, ostendit se illius esse filium à quo Iohannes missus est, diximus superius quomodo appropinquauerit regnum cœlorum. Appropinquauit enim quia iam in proximo erat, post peractam prædicationem, & passionem, ac eius ascensionem, Aperienda via ad vitam æternam digne pœnitentibus: hoc est punientibus in se veterem conuersationem, & incipientibus nouam. Pœnitentia namque, quasi punientia dicitur.

De vocatione Apostolorum.

CAP. VIII.

AMbulans Iesus iuxta mare Galileæ, vidit duos fratres.] Diuersa videntur Euangelistæ de vocatione ista scribere, sed intelligentibus non sunt contrarij. Primitus factum est quod Iohannes scribit, quia beatus Andræas audiuit à Iohanne de Christo testimonium, & venit ad eum & mansit cum illo: & post adduxit fratrem suum Symonem & cognouerunt eum: sed iterum abierunt ad opera sua. Iterum factum est quod Lucas refert. Qualiter ascendit Iesus nauim Petri, & prædicauit de ipsa, & post prædicationem iussit relaxare retia in capturam: & dixit ad Petrum, *Ex hoc iam homines eris capiens.* Sed tunc duxit Petrus nauim ad littus, & secutus est illum aliquo tempore, & iterum reuersus est ad nauim. Nam ideo eam ad littus duxerat. Nunc vero retibus relictis & naui, secuti sunt eum, vt semper cum illo essent. Similiter intelligendum de Iacobo & Ioanne quod ante crediderunt in eum, quando de aqua vinum fecit: sed non sunt secuti continue, nisi modo. Et dicunt magistri Ecclesiæ: quod aliquid diuinitatis tunc resplenduit in facie eius, quod eos ad illum attraxit, vt continue iam sequerentur illum, Tradunt autem quia tribus vicibus resplenduit ipsa diuinitas in facie eius in hac carne. Vnum, quando discipulos vocauit. Alio, quando ementes & vendentes de templo ejecit. Tertio, quando transfiguratus est in monte. Sed
A tunc tanta fuit ipsa maiestas vt non possent discipuli eam ferre. Vnde scriptum est, *ceciderunt in facies suas.* Quid mare sit Galilææ in sequentibus dicemus, similiter de Apostolis, cum de aliis dixerimus in Catalogo eorum dicemus & de his. [*Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.*) Conueniens est prædicatio piscationi, quia sicut rete multas maculas habet, similiter prædicatio multa testimonia. Sicut illa capit paruos & magnos, ita ista sapientes & insipientes. Mare seculum istud in quo homines semper se persequuntur. Sicut cœpit pisces Petrus, sic postea homines cum verbo. Ab isto Zebedæo illi duo discipuli Zebedæi vocati sunt. Zebedæus dicitur *donatus,* siue *fluens.* Iste digno eloquio sic vocatus, quia fluxit, & recessit à prædicatione Domini, pro qua re & à filiis suis relictus est. (*Reficientes retia sua,*) id est reparantes, quia vetus erat. (*Relictis retibus & patre secuti sunt eum.*) Nunc appatet, quomodo cum tota
B diffinitione secuti sunt eum. Hoc non dixit in aliis apparitionibus.

De primis virtutibus Domini.

CAP. IX.

ET circuibat Iesus totam Galilæam docens.] Studium docentis Domini ostenditur, quia non expectabat vt populus ad eum veniret: sed ipse veniebat ad eos, exemplum dans beatis doctoribus vel Episcopis, quid facere debeant de subiectis plebibus. [*Docens totam Galilæam.*) In hoc quod dicit totam: ostendit sine personarum acceptione docens præsentes, prædicans aduenientes. (*In synagogis eorum.*) Per omnes ciuitates Iudæi synagogas agebant in diebus Sabbatorum & cæteris festis, in quibus diebus nihil aliud agebant (præter cibum & potum) nisi lectioni atque orationi vacabant. Et synagoga *congregatio* dicitur. (*Et*
C *prædicans Euangelium regni.*) Euangelium regni, bonum nuncium regni cœlestis, quia hoc omnes prædicatores prædicare debent, quia pro vita æterna adipiscenda Christiani laborare debent. (*Sanans omnem languorem,*] id est animarum, quia sicut languet corpus quando officia sua nequit peragere, ita anima quæ torpet in præceptis Dei, languere dicitur. (*Omnem infirmitatem.*) ad corporum infirmitates respicit, & est species Synecdochica, à toto pars intelligenda. (*Abiit opinio eius in totam Syriam.* [Opinio, *fama* dicitur, *malum quo non velocius vllum.* Syria, hic Tyrus & Sydon intelliguntur, in qua Syri habitabant. (*Et obtulerunt ei omnes male habentes,*) leuiores infirmitates habentes. (*Tormentis comprehensos,*) fortiores infirmitates vult ostendere, quia tormenta à torquendo vocantur. (*Et qui dæmonia habebant.*) Hoc est de quibus certum erat quia sine intermissione tenebantur. (*Lunaticos,*) & ipsi dæmoniaci erant: sed propter
D infamationem creatoris, ad tempus eos dimittebant, vt infamaretur creator, qui bonam creauerat lunam. Sunt aliquæ infirmitates, quæ plus nocent vna luna quam altera. Quia crescit corpus & decrescit cum elementis de quibus creatum est. Homo namque ex terra, aqua, igne, & aëre factus est. Paralyticus Græce, Latine dissolutus dicitur, & qui pro sanguinis effusione officia corporis habet amissa. (*Et secutæ sunt eum turbæ multæ,*) propterea discipulis dixit. (*Messis multa de Galilæa*) De illa nutritus fuerat. Quia duæ Galilææ sunt. Ista Iudæorum circa Tyberiadem, & stagnum Genesar, in tribu Zabulon. Altera Galilæa gentium vicina finibus Tyriorum, vbi Salmon dedit Hiram regi viginti ciuitates, & est in sorte tribus Neptalim: & Decapoli. Græcum nomen est, & dicitur *decem ciuitatum.* Est regio vltra Iordanem, habens decem ciuitates. Siquidem

Græcè *polis*, Latine *ciuitas* dicitur, deca decem, inde compositum nomen Decapolis. [*Et de Hierusalem ciuitate regia & de Iudæa.*] Iudæa regio Palæstinæ ex nomine Iudæ appellata est : ex qua reges habuit ipsa terra : initium longitudinis eius à vico Atsa, vsque ad vicum Iuliadem porrigitur, latitudo eius à monte Libani vsque ad Tyberiadis lacum extenditur. (*Et de trans Iordanem.*) Videlicet de illis tribus tribubus & dimidia, quibus Moyses dedit possessionem trans Iordanem.

De octo beatitudinibus.

CAP. X.

Videns autem Iesus turbas, ascendit in montem.] Tria refugia sibi Dominus elegit, quandocumque turbæ multæ ad audienda verba ipsius conuenerunt. Montem istum Thabor, & lacum Genesar, & templum Domini. Sex quoque turbæ sequebantur eum, diuersa voluntate, primo discipuli propter amorem & prædicationem eius audiendam. Alij propter sanitatem. Alij propter admirationem videre eum cupientes miracula facere. Alij propter indigentiam cupientes saturari ab illo, vel aliquid eleemosynæ in denariis, aut in alia re accipere. Pharisæi vero vel ministri eorum ob reprehensionem. (*Ascendit in montem.*) in superiori montis, secretiora loquens discipulis, in inferioribus autem, turbis: vbi etiam quinque millia hominum satiauit. (*Et cum sedisset.*) Videlicet segregatus à turbis. *sedere Dei*, est spiritaliter incarnatum eum esse, quia quasi contractum eum, esse incarnatū hoc est non esse talem, qualis est in sua diuinitate. [*Discipuli eius accesserunt ad eum.*] Sicut alacres, sicut domestici, sicut electi de turbis, digni audire mysterium regni cœlorum, quod turbæ audire nequibant. (*Et aperiens os suum.*) Qui prius ora aperuerat Prophetarum. [*Docebat eos.*] Qui docuerat aliquando per legislatores & Prophetas, nunc per semetipsum dicens, [*Beati pauperes spiritu.*] Non dicit absolutè *pauperes*, sed addit *spiritu*: quia multi inuiti sunt pauperes; sed de his dicit, qui cum possint esse diuites, propter Deū paupertatem sectantur, siue non habent voluntatem, sicut Apostoli ad quos hæc loquebatur. Siue *pauperes spiritu*, humiles : de quibus scriptum est, *& humiles spiritu saluabit.* Et de his per Esaiam, *spiritus Domini super me, ad annuntiandum pauperibus misit me.* [*quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*] Vita feliciter æterna. (*Beati mites.*) id est mansueti. Hanc virtutem Dominus à se discere iussit dicens; *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Mansuetus manu assuetus dicitur, hoc est qui non despiciunt alios, sed omnes vt proximos amant & recipiunt, qui non sunt superbi, nec dedignantur cæteros. (*Ipsi possidebunt terram.*) Non istam quæ spinas & tribulos profert, quam crudelissimi & superbi magis possident : sed illam de qua dictum est, *Credo videre bona Domini, in terra viuentium.* Cuius possessorem describēs Psalmista, quasi pro triumphato diabolo dicit: *Intende prospere, procede & regna, propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam, &c.* Per tria ista, illa terra Domini possidetur: videlicet veritatem, mansuetudinem, & iustitiam. [*Beati qui lugent.*] Est luctus malus pro terreno damno lugere: quia tristitia huius sæculi mortem operatur. Et beatus Gregorius dicit: *Absit vt aliquis fidelium de interitu mundi lugeat, nec de mundo, nec de mundana re Christianus lugere debet.* Est autem luctus bonus quem debent habere Christiani. Lugere, eorum est, in quibus memores sunt Dei præcepta præterisse, vel non egisse quæ Dei sunt, vel proximos suos debent lugere, qui à Deo exorbitant. Sicut Samuel lugebat Saül præterisse mandata Dei. Perfectorum quoque lugere est pro dilatione vitæ æternæ & pro desiderio

A visionis Dei: Qui ergo aut pro recordatione peccatorum suorum, aut proximorum, seu pro futuro iudicio, vel pro peregrinatione à cœlesti patria lugent, isti consolabuntur consolatione æterna, quæ terminum non habebit. (*Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam.*) Qui semper faciunt iustitiam, hoc est iusta operantur, & semper plus cupiunt facere: & quasi faciendi famem patiuntur, isti saturabuntur de æternis bonis *quæ oculus non vidit: nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se.* [*Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*] Misericordia, non solum est in re terrena: sed etiam in spiritali, vt adiuuemus proximos vbicūque possumus. qui autem perituro non subuenit, si potest, occidit: & æqualis ille qui facit & qui facienti consentit vt faciat. Misericordia autem à misero corde vocatur, si aliquid non possumus, vel in corde condoleamus, hoc de terrenis damnis, & erga nos commissis.

B Cæterum qui peccat in Deum, non est nostrum remittere, donec Deum credamus dimissum habere. Exemplum nobis est resuscitatio Lazari, quem discipuli non antea soluerunt, quam Dominus habuisset resuscitatum: nec pastor Ecclesiæ peccatorem potest absoluere à peccatis, donec resuscitatus, hoc est immutatus fiat in anima. Quam diu aut in voluntate aut in opere talis est qualis fuit, frustra illi veniam promittit peccatorum. De talibus Dominus dicit, *personam in iudicio cognoscere non est bonum.* Et iterum, *ne declines cor ad dexteram neque ad sinistram.* Item, *si peccauerit vir in virum placari ei potest Deus: si autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* (*Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*) Illi sunt mundo corde, quos non remordet conscientia criminalis peccati, vel qui non cogitant aliud nisi quod bonum est. Mundus enim Deus à mundis corde videbitur in hoc sæculo oculis cordis, & sub quadam imagine in futura vita facie ad faciem. (*Beati pacifici, quoniam filii Dei*
C *vocabuntur.*) Pacifici compositum verbum est, à pace & facio. Illi sunt pacifici, qui primum faciunt pacem in se viciorum, vt non pugnent vicia contra virtutes, sed habeant pacatum Deum: Deinde studeant pacificare proximos suos in bono, non in malo. Non enim est bona pax quam mali habent, nec eam iustus debet consentire, vel consors illius esse, quoniam proximum diligere, vicium debemus odire. (*Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.*] Qui bona faciunt, & mala pro eisdem bonis recipiunt: vt sanctus Lampertus, & sanctus Leodegarius, vel alij innumeri. Sed & qui pro Christo persecutionem patiuntur, vt fecerunt omnes martyres. (*Beati estis cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes, propter me.*) Exponit istam octauam beatitudinem, quomodo sustineatur persecutio propter iustitiam. Si male dicant nobis iniuste & mentiātur: si
D persequātur iniuste, si dixerint omne malū mentientes, nam si verum dixerint, non erimus beati. Et si propter peccata nostra persecutionem patiamur, non cōtinuo erimus beati: sed si patienter sustineamus, & recognoscamus quia iuste: & non tantum quantum meriti sumus, perueniemus quandoque ad beatitudinem si futura non adcumulemus. [*Gaudete & exultate, ecce enim merces vestra copiosa est in cœlis.*] Si bona facientes aduersis tundamur, certi esse possumus si patienter sustinemus, quia in futuro mercedem recipiemus. Si vero aliquid boni facimus, & prospera nobis arrident: timere debemus ne pro bonis quæ fecimus, hic mercedem recipiamus. Si autem & mala facimus & prospera habemus, de inferno certi esse possumus. Si etiam & male habemus: & tamen de ipsis malis murmuramus, certi sumus, quia de his malis ad peiora perueniemus. Omnes istas beatitudines Christus

compleuit, qu a nihil docuit nisi quæ ante ipse compleuit. Pauper fuit & rebus & corde, qui ait: *Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Mitis fuit: qui dixit: *discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* Luxit aliorum peccata: qui *videns ciuitatem fleuit super illam.* Esuriuit & sitiuit iustitiam qui dixit, *meus cibus est, vt faciam voluntatem patris mei.* Misericors fuit: qui dixit, *misericordiam volo, & non sacrificium.* Mundo corde fuit: qui dixit. *Sancti estote quia ego sanctus sum.* Pacificus fuit: qui dixit, *pacem meam relinquo vobis.* Persecutionem passus est: qui dixit, *si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Sic enim persecuti sunt Prophetas qui fuerunt ante vos. Samuel de principatu eiecerunt: Esaiam secuerunt: Heliam de terra eiecerunt: Hieremiam lapidauerunt: & non fuit bonus à seculo, qui persecutionem non sustinuit in seculo Ideo gaudete in persecutionibus, si vultis esse socii in beatitudinibus. (*vos estis sal terra.*) Sal dictum est, eo quod igne exiliat. Sunt autem multa genera salis. Est tamen naturalis, necessaria ad omnem escam. Pulmentis n. saporem dat: excitat auiditatem & appetitum in omnibus cibis: Ex eo quippe omnis victus, delectatio, & summa hilaritas. Omnes pecudes si semel gustauerint delectantur eo: Corpora astringit & siccat: defuncta etiam à putrescendi labe vindicat, vt durent. Omnis ista natura spiritualiter conuenit Doctoribus, faciunt enim Doctore auiditatem spiritualis cibi: scripturæ, quæ ante viles nobis erant, eorum reseratione delectabiles nobis fiunt: appetitur ab omnibus animalibus, quia & doctrina Apostolorum suscipitur ab omnibus gentibus: Restringit corpora sicut fit per doctrinam: vel luxuriosi casti fiunt: fugat muscas, id est diabolos. Et ideo iure dixit illis Dominus, *vos estis sal terra*, id est habitantibus in terra. *Quod si sal euanuerit: in quo salietur?* Si doctor errauerit, à quo doctor emendabitur? Ad nihil vltra valet: nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Sicut sal in omnibus agris nociuum est: quia sterilis efficitur omnis terra ab eo. Vnde & subuersis ciuitatibus hoc legimus aspersum: ne quis ibi postea vellet manere: quod Abimelech fecisse legimus: Ælio Adriano de Hierusalem. Hac similitudine, si Doctor ad hæresim conuersus fuerit, eiicitur de Ecclesia, & habetur contemptui ab omnibus, ita vt nec aue ei dicatur: sed ab omnibus execretur sicut Paulus dicit: *hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita* (*Vos estis lux mundi*) Estis lux participando lucem illam de qua scriptum est *Erat lux vera qua illuminat omnem hominem.* Sicut enim per lucem omnia noxia fugantur: fures videlicet, & nociuæ bestiæ, ac fantasmata dæmonum: similiter per prædicationem Apostolorum omnia nociua animarum detecta sunt, & reiecta: & illuminata corda credentium. [*Non potest ciuitas abscondi, supra montem posita.*) Ciuitatem, Ecclesiam dicit ædificatam super Dominum: quam debent Apostoli innotescere cunctis gentibus: vt congregentur ad eam: si non corpore, corde omnes electi eius, vt dicatur *Catholica*, id est *vniuersalis.* [*Neque accendunt lucernam & ponunt eam sub modio, sed super candelabrũ.*] id est doctrinam Euangelicam, excelsam in prædicatoribus, vt innotescat omnibus perfectè, qui in Ecclesia sunt. Nec debent eam ponere sub modio, id est timore aliquo vel metu alicuius abscondere: sed vt ideant opera vestra bona ad ædificationem & profectum animarum suarum. Et glorificent patrem vestrum qui in cœlis est, non vos quærentes laudari: sed Deum cuius donum est, si quid in vobis boni est. [*Nolite putare, quod veni soluere legem aut Prophetas.*) Putare dicit æstimare soluere dissoluere siue adnihilare Non veni soluere sed adimplere, id est, vbi bene non intelligebatur veni exsoluere: sicut est de dimittenda muliere. Vbi perfectio deerat, volo addere: sicut est de homicidio: quia & iram volo primitus re-

A secare. Nam sicut beatus Augustinus dicit: *Omnia quæcunque in veritate præcepta sunt antiquis, absque figuralibus præceptis: & ea quæ legislator secundum duritiam cordis eorum eis concessit: Alia tenenda sunt:* & ex hoc loco hoc affirmat. (*Amen dico vobis*) id verum dico vobis (*Donec transeat cœlum & terra, iota vnum aut vnus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.*) ac si dicat. Vsquequo cœlum & terra transeat etiam ea quæ per *iota* & *apicem* significantur in lege non præteribunt, sed perficientur à meis electis. Iota autem & Hebræum est & Græcum: Hebraicè dicitur *Iot*, Græcum *Iota*, Latine, id est, Apex autem titula dicitur, quæ in aliquibus literis apud antiquos super quibusdam litteris ponebatur, siue causa differentiæ, siue vt ostenderetur geminandam esse litteram. Verbi gratia, populus quando gentem significat non ponebatur: quando vero arborem significabat, tunc ponebatur apex desuper: vt admoneret lectorem ab vsitato intellectu
B recedendum, & longam esse syllabam. Geminationis quoque causa ponebatur vt in Alleluia, quia duo *l.* ibi esse debent: scribebaturque vnum & apex desuper, exinde intelligebatur geminandam esse litteram *Luia*: quoque similiter super i vt ostenderet geminandum esse illud, i. Ostendit ergo Dominus tales differentias non prætereundas in scriptura diuina: quia si negligerentur, sensus quoque vna interiret. Alio intellectu, i, *Iota* id est *x* apud Græcos decem significat sine apice, cum apice decem millia. Exinde coniicere possumus, quod decem verba legis nisi à nobis spiritualiter custodiantur, decem millia talenta à nobis exigẽda: secundum illam parabolam Domini de seruo, qui oblatus est regi decem millium talentorum. Secundũ Latinos *i* vnum significat: apex desuper mille demõstrat. Ex quo credere possumus, mille quadrantium & vnius nos debitores fore: & non exituros, donec illum vnum reddamus. Qui ergo soluerit vnum de
C mandatis istis minimis & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum. Ac si patenter dicat. Omnis Doctor qui soluerit id est dissoluerit & spreuerit vnum de mandatis istis minimis, siue non fecerit: minimus vocabitur in regno cœlorum, id est, in præsenti Ecclesia. Quia cuius vita despicitur, restat, vt eius prædicatio contemnatur. Qui autem fecerit & docuerit magnus vocabitur in regno cœlorũ. Quia dignum est, vt qui verbo & exemplo ædificant Ecclesiam, in honore habeantur: sicut & Paulus dicit: *Presbyteri duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo.*

De adimpletione legis.

CAP. XI.

Dico autem vobis.] Modo incipit legem adimplere [*Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum, & Pharisæorum, nõ intrabitis in regnum cœlorum.*]
D Iustitia Pharisæorum est non occidere, non adulterare, non facere furtum, decimas & primitias dare ex omnibus quæ possident. Iustitia Christi & omnium Christianorum est, non odire, non concupiscere, proximum propter Deum amare, persequentes ex animo diligere. Sensus igitur talis est. Pharisæi homicidia, furta, pro crimine habent discipuli mei etiam cogitationes, & verba iniqua deuitent. [*Qui autem occiderit, reus erit iudicio.*] Ecce iustitia Pharisæorum. [*Ego autem dico vobis. Ego nouus homo, noua præcepta vobis pono. Quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.*] Ecce iustitia Christianorum. Ea pœna reus habetur in Euangelio qui fratrem suum odit qua in veteri habetur qui occidebat aliquem. Et sciendum vbicunque in hoc libro positum est antiquis, subauditur patribus: illud approbat Deus: vult vt illud custodiatur: do-

nec transeat cœlum & terra. Illud vero vbi non est additum antiquis: non præcepit Deus, sed Moyses concessit populo adhuc rudi & carnali: quibus si illud præcepisset, intellexit non esse facturos, sicut dicit Dominus de muliere dimittenda. (*Moyses enim ad duriciam cordis vestri scripsit vobis: ab initio autem non fuit sic: qui autem dixerit fratri suo racha: reus erit consilio.*] Totum est istud iustitia Christianorum: modo tulit iram absconsam de corde: modo aufert sub maiori pœna iram cum voce. *Racha* interiectio est apud Hebræos: & tantummodo iratum amicum demonstrat: & potest dici inanis seu absque cerebro: quam iniuriam in vulgata locutione in vsu habemus: quia qui cerebrum non habet & non est sanæ mentis, quasi dicat, quemcunque ira commouerit ira, vt in voce eam ostendat proximo suo, plus est plectendus, quam ille qui in corde iratus non protulit in voce. Et ideo iam consilium de illo est, habendum qua pœna plectendus sit. Sicut creuit ira, sic crescit & pœna. In primo ira absconsa, & mors cum gladio cito finienda. In secundo, ira cum voce: iam excogitatio generis est tormenti, quomodo moriatur ille. In tertio ira cum improperio, & diffinitio quot pœnis infernalibus tradendus sit. Rachus quoque Græcè *pannosus* dicitur: sed superior intellectus melior [*Qui autem dixerit fatue.*) Subauditur sicut in superioribus, *fratri suo.* Nullus n. alius nobis frater est, nisi qui eundem patrem nobiscum in cœlis se confitetur habere, hoc est omnis Christianus (*Reus erit gehennæ ignis.*) Iam de ipso qui cum ira in vicium fratris prorupit, non tenetur consilium: sed aperta sententia vltricibus flammis deputatur. Et qua ratione fatui nomen imponitur fratri, quia similiter credit in Deum, sicut & nos, & Spiritum sanctum se habere confidit, qui n. non honorificat fratrem suum iniuriam facit Spiritui sancto qui in illo habitat, sicut Petrus ad Ananiam loquitur: *non es mentitus hominibus sed Deo.* (*Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te.*) Munus hoc in loco non solum de sacrificio, sed & de omni oratione accipitur. Quia & in ipsa oratione dicimus: *dimitte nobis, sicut & nos dimittimus* Quod vero ait: *quia frater tuus habet aliquid aduersum te*, hoc est si habet aliquid iustæ querelæ aduersum te: quod tu læseris eum in aliquo. (*Relinque ibi munus tuum ante altare: & vade prius reconciliari fratri tuo*,] si prope fuerit, pedibus corporis eundum est, si autem longe fuerit, animo eundum & Domino promittendum, quia vt citius potueris, & corpore eundum sit & emendandum quodcunque ei malum intuleras. Et tamen multi verbo veniam petunt: & malum quod ei intulerunt non emendant: non est talis venia Deo accepta, quia sicut beatus Hieronymus dicit de Iuda. *Quia si opus non destruit homo vel non emendat, frustra postulat pœnitentiam, peccatum ipsius crescit quotidie, licet ipse sit mortuus & ille vult habere veniam*, Verbi gratia, quidam acquisiuit hominem iniuste vel tulit allodium alicuius & venit ad confessionem, & dicit mea culpa, peccaui in tali facto, da mihi pœnitentiam, & dicit illi: Abstine tanto tempore à vino & carne. O quam aperta seductio: nepotes illius seruiunt omni die & in fine mundi: aut centum aut ducenti erunt serui de illo vno: Et iste seductor dicit illi, saluus eris Allodium & aurum, quod tulit ipse habet: & abstinet à suo vino: vnde accipiet cras solidos plures quam si bibisset. O diabole confessor, si nescis illum saluare, vt quod scis teipsum perdere? Debueras dicere: *destrue opus, & accipe tunc pœnitentiam*: quare plus amasti aurum quam Dominum, qui tibi ista prohibuit? nonne diabolus quando anima eius egreditur à corpore in malo erat, & adhuc malum crescit? nonne dicit Iohannes, *peccatum vsque ad mortem*: non dico vt roget quis

A pro eo? *Stulte lignum in quam partem ceciderit, ibi manebit* Vtrumque autem possumus dicere: & reconciliare fratrem tuum. Hoc est ad te illum reducere in pace: & reconciliari fratri tuo, hoc est te illi reconciliari. [*Esto consentiens aduersario tuo.*] Aliqui exponunt hoc verbum super diabolum: vt simus benigni cum illo ne faciamus mala, quia tunc ille amplius cruciabitur pro malis quæ nobis suggessit, quam de inimicis nostris, vnde superius præcepit, vt reconciliaremus nos cum illis: & infra præceptutus est, *diligite inimicos vestros*: nam vt in Græco eunuon εὔνουν habet, id est *beniuolum*: & ita potest recte accipi, vt cum omnibus hominibus quantum ex nobis est pacem habeamus. Sed & de verbo Euangelii non inconuenienter potest accipi, qui quasi aduersarius noster est, quia ea præcipit quæ contraria sunt voluptatibus nostris. Veruntamen melius est vt concordemus cum eo dum sumus in corpore, & in via istius seculi: ne forte contemnat nos ipsum verbum, cui
B non obediuimus, & iudex angelus tradat nos ministro diabolo qui nos mittat in carcerem pœnarum æternarum. *Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Donec* hic etiam pro æterno ponitur, quia qui in infernum introierit vlterius non exibit. Quasi dicat in æternum non exies inde: & ibi persolues tormenta pro minimis etiam peccatis, quæ per quadrantem intelliguntur, quadrans enim genus nummi est, qui habet duo minuta, id est quinque denarios, & similiter Hebraicè vocatur. Vnde in vno Euangelio mulier quadrantem, in alio duo minuta, misisse in corbonam scribitur: (*Audistis quia dictum est antiquis, non mœchaberis. Ego autem dico vobis: quod omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est eam in corde suo*) Ego qui legem dedi per Moysen, quod deerat adimpleo qui viderit ad hoc, vt deliberet se ita velle facere, iam tenetur reus in conspectu Domini. Dicit beatus Hyeronimus quod aliud est passio, aliud propassio, aliud quod tentatur ex diabolo, vel ex carne: &
C tamen non deliberat vt ita faciat: non tenetur reus in conspectu Dei. Exemplum possumus capere de latrocinio. Si quis tactus fuerit quod velit equum alterius furari, & tamen non mittit in effectum: tentatus per suggestionem est, sed non per effectum. Si quis cogitat & deliberat vt faciat si potuerit, locus illi deest: sed in conspectu reus tenetur, & de tali dicitur, iam adulteratus est eam in corde suo vel furatus. (*Quod si oculus tuus dexter scandalisat te, erue eum & proiice abs te.*) Per oculum & manum & pedem, spiritales concupiscentias intelligere debemus: vt quando videt oculus & concupiscit, illum oculum abscindamus, id est concupiscentiam: similiter de pede & manu. Alio etiam sensu per oculum, manum, & pedem parentes & amicos intelligamus: vt si aliqui sint qui in via Dei contrarii sint nobis & non possimus eos conuertere, melius sit illis carere & illorum amicitia quam offensam Dei in-
D currere. Vnde & de summo Sacerdote præcipitur: vt neque pro patre, neque pro filiis polluatur: nisi illum immaculatæ custodiat, cuius cultui dedicatus est. [*Dictum est autem, quicunque dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudii.*) Ecce nunc non habetur antiquis subiunctum: idcirco manifestum est [sicut in posteriori parte dicet] quod Moyses ex suo hoc dicit: non tamen Deus mandarit. Cognouit enim legis lator quia si viuerent, antequam velint tenere illas, quod occiderent eas, & iudicauit melius fore separationem, quam homicidium. Libellum autem cartam dicit repudii id est separationis: quia *repudio, reiicio* dicitur: & repudium est quod testimonio testium datur, aut mittitur. *Ego autem dico vobis, quod omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari: & qui dimissam duxe-*

rit, *adulteram.* Simplex Domini præceptum est: quod si & propter fornicationem dimiserit, nec ille debet aliam habere, quoadusque illa viuit, nec illa alium. Si autem legaliter occiderit eam in iudicio, tunc potest alteram habere. Similem autem legem habet vir cum vxore, sicut mulier cum viro, vt si vir mulierem adulterauerit non posset eam occidi nisi & ipse moriatur, quia similiter reus est de adulterio. Si vero in monasterium abire voluerint, neuter alium potest dimittere, nisi ambo voluerint, & neuter habebit socium quandiu ambo viuunt. Iterum dictum est antiquis, (*non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua.*) Ne Iudæi per idolorum nomina iurarent, permisit eis Dominus iurare per nomen suum nec nobis etiam inhibuit, sed perfectionem nos docuit, quod ea fides sit habenda in Christianos, vt non sit necesse testem nomen Domini interponere, periurium nobis & illis prohibitum est. Debemus n. dicere non peierabis sine r. quia in verbo non habetur, r: sed *peiero & deiero* dicimus. Peierare male iurare, deierare, valde iurare. Iurare est namque quasi iute orare, quod denique dicit, reddes Domino iuramenta tua, hoc est ad illum referes vt per nomen eius iures, & non per nomina deorum externorum, quidam iurant in arte, & putant non esse periurium, sed tamen sic Deus accipit illud sicut is cui iuratur etiamsi nullæ reliquiæ sanctorum ibi habeantur, quia maius est nomen Domini, quam corpora sanctorum. Et enim Deus non reputauit Sedechiæ aliud quando Nabuchodonosor iurauit, nisi quia nomen Domini despexit, quando illud peierauit, dicens. *Iuramentum quod spreuit, ponam super caput eius, & tradam eum in manu Nabuchodonosor*, & tamen non credebat in Deum, is cui iuratum fuerat. Sed quia ille nomen Domini spreuerat, & pro nihilo duxerat, propterea traditus est in manum eius cui fidem promiserat. *Nolite iurare neque per cælum: quia thronus Dei est.* Thronus, Græcum est & Latine *sedes* dicitur, habuerunt Iudæi consuetudinem iurandi per creaturas, Deus hoc nobis prohibet, quia per quem homo iurat, hunc colit & veneratur, sicut Paulus dicit, *homines n. per maiorem sui iurant.* Cœlum sedes Dei dicitur, eo quod splēdor diuinitatis eius ibi amplius à sanctis contemplatur, vel quia sancti in quibus habitat habeātur. Neque per terram, quia scabellum pedum eius vocatur, eo quod sancti eius qui membra ipsius sunt, adhuc ambulent in terra. *Neque per Hierosolymam*, quia ciuitas est magni regis. Hierusalem ciuitas regis magni dicitur, videlicet Domini: quia de ea dictum est, *fundamenta eius in montibus sanctis.* Et licet ista terrena non abiecta, tamen est alia Hierusalem, quia ibi est vera pax, & securitas æterna. De qua Psal. dicit: *Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas. Neque per caput tuum iuraueris.* Per ista quatuor prohibetur nobis, vt de cæteris elementis seu membris, non esse iurandum doceatur. [*Sit autem sermo vester, est est, non, non.* Non est cōtra præceptum Domini iurare per nomen ipsius, sed dum vsum iurandi assuescimus, plerunque periurii & mendacii crimen incurrimus. Ideo quasi perfectis præcipit vt veritas inter Christianos habeatur, & veritatem vnusquisque proximo suo loquatur [*Quod autem his abundantius est, à malo est,*) subauditur à malo auditore qui non credit, à nobis amplius vtendum est, sicut & ipse Dominus fecit addendo, Amen. Et Paulus Apostolus dicendo, *coram Deo in Christo loquimur. Audistis quia dictum est antiquis.* Nec hic illa subauditio est, *antiquis* quia & hoc Moyses de suo præcepit *oculum pro oculo, dentem pro dente*, subauditur *tollendum erat in veteri lege.* (*Ego autem dico vobis non resistere à malo,*) hoc est non reddere malum pro malo, [*sed si quis te percusserit in dextram maxillam, præbe illi & alteram.*] Ecclesiasticus vir describitur, vt per omnia fiat imitator eius, qui dixit, *discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Et Dauid loquitur in Psalmo: *Si reddidi retribuentibus mihi mala.* Spiritaliter

A non iubemur sinistram præbere sed alteram dextram, iustus enim sinistram non habet, (*& ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere: remitte & pallium.*) Tunica est vestis appellata, quia in motu incedentis sonum facit, à tonando. Pallium est quo ministrantium scapulæ apud antiquos tegebantur, vt dū ministrarent expediti discurrerent, quod non est in vsu apud nos. Nam illud quod fibula infrenante induimus, chlamis vocatum est apud antiquos [*qui petit à te da ei,*] hoc non potest esse de terrena re: sed de spiritali melius accipitur, vt qui à nobis alimoniam verbi petierit, quantum ex nobis non negemus, quod ei ad ædificationem prodesse possit, [*& quicunque te angariauerit mille passus, vade cum illo alia duo.*] Mille passus (ad mensuram geometricam dicit) id est vnum milliarium: qui habet pedes quinque millia. Nam iuxta geometricos sedecim digiti transuersi, pedem faciunt, duo vero pedes & dimidius, gressum faciunt,

B duo gressus, passum implent. De his passibus, Dominus in hoc loco dicit, *quoniam* sequitur, *vade cum illo alia duo milliaria. Angariare* à Græco venit, & significat cogere ambulare, & videtur esse sensus, Si quis te cogerit ambulare milliarium vnum, vade cum illo vt fiant duo: Ipsum angariare, aut viam demonstrando, aut hortando quod te cogit & illud quod tu sponte abisti: Omnia ista ad illam perfectionem quæ superius dicta est, pertinet. *Audistis quia dictum est, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Nec istud approbat Dominus se præcepisse: *propter illud odies inimicum tuum.* Non enim erat conueniens, vt Deus qui omnes æqualiter creauerat de vno patre & matre, aliquem odire præcepisset: nec Moyses hoc præcepit: sed indicauit quod facturi essent, nec dicitur in imperatiuo modo: sed in indicatiuo. Si denique imperatum fuisset vt odirent inimicos suos: Samuel & Dauid atque alij sancti in veteri lege,

C non dilexissent inimicos suos. [*Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, subauditur in corde: bene facite his qui oderunt vos, in opere. Et orate pro persequentibus & calumniantibus vos.*) Ecce per tria iussum est nobis bene facere inimicis, per quæ inimicis bona impendere solemus, id est in corde diligite: in ore orate, in opere bene facite. Propterea nullam excusationem habebimus si non diligamus. Si autem ipsi mali sunt erga cultum Dei: vicia eorum debemus odire, creaturam diligere. (*Vt sitis filii patris vestri qui in cælis est.*) Et secundum quod ipse diuinitas erat: & iuxta quod caro erat: exemplum nobis dedit. *Facit oriri solem suum super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos:* & iuxta carnis formā, orauit pro persequentibus & calumniantibus sibi. Dat nobis exemplum à superiori ad inferiorem: & species parabolæ hortantis. *Si enim diligitis eos qui vos diligunt, nonne & publicani hoc faciunt.* Publicani vocantur conductores vectigalium fisci rerum publicarum, siue qui vectigalia publica exigunt,

D vel qui per negocia seculi lucra sectantur, vnde & cognominati. [*Et si salutaueritis fratres vestros, quid amplius facitis? Nonne & ethnici hoc faciunt.*) Ethnici dicūtur Græcè Latine gentiles. [*Estote ergo perfecti sicut & pater vester cœlestis perfect⁹ est*] Omnia ista quæ superi⁹ cōprehensa sūt, ad perfectionē pertinere hic ostēdit [*Attendite, ne iustitiam vestrā faciatis coram hominibus*) Ostendit superius in enumeratis præceptis, quæ essent iustitiæ Christianorum, nunc præcipit, ne ipsas iustitias coram hominibus faciamus vt videri velimus ab eis nostra facta, & nos laudari ab ipsis. *Attendite,* hoc est *cauete.* In tribus locis in hoc Euangelio hoc dicitur *attendite,* & semper eundem sensum habet, cauete, & obseruate, ne ideo faciatis vt videamini, & videri velitis, & laudari. Nam qui ideo facit vt Deus laudetur, & proximus ædificetur, bene facit, qui autem propter laudē hominum facit, mercedēm apud Deū amittit. Si

volumus, possumus sic distinguere, vt dicamus. *Attendite ne iustitiam*, & postea inferamus, *vestram faciatis*, id est eam iustitiam, quæ Dei est nostram velimus facere: quia nullus iuste vel iustitiam facit, nisi ex dono Dei & quicquid boni est, Dei est, quicquid autem mali, nostrum est. Sic Moyses offendit ad aquas contradictionis retorquendo in se virtutem Dei dicendo. Num de Petra hac poterimus educere vobis aquam? cum Dei esset virtus quæ fiebat, & non hominis per quem fiebat. *Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut Hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus,*) ipse in hoc loco insinuat, quomodo non debeamus iustitiam nostrã facere coram hominibus sicut illi Hypocritæ, id est simulatores, faciunt in sinagogis in congregationibus & in vicis. Vicus dictus ab ipsis habitatoribus: quod vias habeat tantũ vt ciuitas, & sit sine muris, & vici dicuntur etiam habitatores ciuitatis. Tubas autem solebant insonare tunc quasi ad pauperes congregandos, sed sicut hic demonstratur, magis pro laude humana hoc faciebant, vt à multis agnosceretur, quod ipsi magnam eleemosinam facerent. (*Amen dico vobis receperunt mercedem suam*) hoc est, quam quæsiuerunt laudem hominum, propter quam fecerunt, à Deo nihil habent quod expectent. [*Te autem faciente eleemosinam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua*] Eleemosina Græcum nomen est & dicitur misericordia, & eleemosina dicere debemus, non elimosina, per e, non per i. In omni re cauere debemus, ne sinistra nostra bonum sciat quod facimus, quia sinistra xenodoxia intelligitur, & semper in malam partem ponitur. (*Et cũ oratis, non eritis sicut Hypocritæ, qui amant in synagogis & in angulis platearum stantes orare.* (Plateæ à latitudine dicuntur, Græcè etymologia: & solent dimitti ante portam ciuitatis, vt intrantes & exeuntes possint recipere. Hypocritæ per vnũ p. debet scribi, non per duo. (*Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.*] Si ab hominibus laudem receperunt, ipsa contenti sint, quia apud Deum frustratam habent quicunque aliquid boni simulationis obtentu faciunt. (*Tu autem cum orabis intra in cubiculum tuum, & clauso hostio ora patrẽ tuum.*] Simpliciter erudit auditorem, vt vanam orandi gloriã fugiat. Sed & præceptum videtur esse spiritale, vt inclusa pectoris cogitatione, labiisque cõpressis oremus Dominum, sicut Anna dicitur fecisse, labia eius tantum mouebantur, & vox penitus non audiebatur: [*Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici,*] id est gẽtiles, hi surdos Deos adorant qui aures habent & non audiunt: Christianos autem non est necesse multum loqui, quia ad Deum scientem omnia, antequam fiat loquantur: sicut ipse loquitur. (*Scit namque pater vester quia opus sit vobis, antequam petatis eum,*) propter ea non est necesse narratores nos esse, sed deprecatores.

De formula orationis dominicæ.

CAP. XII.

Sic ergo orabitis) Alii Euangelistæ narrant: quod ipsi discipuli petierint à Domino formulam orationis sibi edoceri quomodo ipsum cum patre & Spiritu sãcto exorare deberent, & Dominus hanc orationem de pectoris sui fonte profudit, repletam omni necessaria petitione. Quicquid enim nobis necessarium est, & in præsenti seculo & in futuro, totum hic comprehensũ est. Sunt quoque septem petitiones, & octo orationes. [*Pater noster.*) Nullus mortalis hoc auderet dicere, nisi ipse sua misericordia nobis præcepisset. Duobus modis est nobis pater Deus, conditione. Quia condidit & creauit nos: Adoptione. Quia per suam misericordiã adoptauit nos in filios, instituitque nobis se vocari patrẽ si tamen tanto patre non simus indigni, degenerando nos filio eius vnigenito Domino nostro Iesu Christo,

A qui nobis formam perfectionis ostendit per quam filii Dei & fratres ipsius effici possumus operibus bonis. Quia ergo vnum patrem nos confitemur habere in cœlis, debemus esse amore fratres, quia qui fratres non vult recognoscere omnes Christianos, recusat patrem habere cum eis Deum. Te ergo inuocamus, (*qui es in cœlis.*) Qui quamuis vbique sis: tamen splendidius maiestatem tuam contemplantur hi, qui in cœlo tecũ habitant, vel etiam qui es in cœlis in sanctis tuis habitans. (*Sanctificetur nomen tuum.*) Cum per se sanctum sit oramus vt in nobis sanctũ fiat, quia à tuo filio Christo, Christiani dicimur, sicut tui sumus per opera bona vt digneris habitare in cordibus nostris. [*Adueniat regnum tuum,*) vt omnis mundus te cognoscat, & tu regnes in nobis, regens & gubernans nos vsque in vitã æternam, non diabolus cuius conditionis non sumus. (*Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra*] vt quomodo tibi angeli sine culpa seruiunt in cœlis, ita & nos seruiamus in terra. (*Panem nostrum cotidianum da nobis hodie.*)
B Pan Græcè, omne dicitur, & per panem, omnis substãtia intelligitur, quæ cottidie nobis necessaria est, quod est cottidianus panis. In Græco pro cottidiano epiusion ἐπιούσιον habet, quod transfertur super substantialem. scilicet quod ad substantiam nostram attinet i. e. victum & vestitum. (*Da nobis hodie,*] quia tu es creator & Dominus noster vel panem spiritalem, vnde animæ nostræ satientur, vel etiam corpus & sanguinem tuũ da nobis digne percipere hodie. i. semper (*Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*] Quæcunque erga te pro carnis fragilitate, siue suadente diabolo, commisimus relaxa, vt non veniant super nos pœnæ debitæ, quæ debentur præuaricatoribus, quia & nos secundum tuum præceptum dimittimus his, qui in nos peccãt. (*Et ne nos inducas in tentationem.*) Non nos permittas incidere in aliquam tẽtationem, quæ nociua sit ad corpus, aut ad animam: quia tu potens es nos liberare, & non aliter inducis, nisi quia non liberas. (*Sed libera nos à malo,*) hoc est &
C à malo præsentis seculi, & à futuro & perpetuo. Ecce septem petitiones, in quibus comprehensa sunt omnia quę nobis necessaria sunt, & præsenti seculo & in futuro. Octaua quoq; oratio in fine supponitur. (*Amẽ*) quod significat verum vt vera fiant omnia quæ superius precati sumus. Debent autem custodire omnes quicunque hanc orationem orauerint, vt custodiant se ab omni ira, vt veraciter dicãt Domino creatori, pater noster, quia si non amant omnes Christianos, non sunt tunc fratres, & ille qui aliquem odit, habet se eiectum de paternitate Domini. Qui noluit habere fratrem in dilectione Domini & proximi, nõ habebit patrem intuitione. Similiter custodiat illud verbũ quod sequitur. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus*: vt non mentiãtur Domino, neque se accusent quia ea conditione sibi petunt dimitti, sicut ipsi dimiserunt suis debitoribus, neque possunt ipsum verbũ reticere: quia is qui docuit orationẽ, non exaudiet eam nisi sic
D fuerit sicut ipse composuit, Et ipse statim subiungit dicens: *si enim dimiseritis peccata eorum dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra.* In potestate hominum habet dimissum, vt si nolunt imputare his qui in se peccant, nec Deus eis. Si vero retinuerint retenta erunt, hoc de his qui in nos peccãt homines, nõ de his qui in Deum delinquunt. (*Cum autem ieiunatis nolite fieri sicut Hypocritæ tristes*) Per omnia ostẽdit nobis Dominus, quomodo nõ debeamus facere iustitias nostras corã hominibus: ne mercedẽ perdamus apud Deũ, ne faciamus sicut Saducæi, qui quando ieiunabant, non lauabãt faciẽ neq; pectinabãt caput. (*Exterminãt enim facies suas*) hoc est ab illo termino deturpãt, qui aliis diebus soliti erãt ornati incedere, siue demoliuntur, vt tristitiã simulẽt. [*Vt pareãt hominibus*) id est appareãt ieiunantes.) *Tu autẽ cũ ieiunas vnge caput tuum.*) Secundum morẽ prouinciæ loquitur, in qua habitatores habebant compo-

situm vnguentum de oleo & balsamo odorato, & vngebant caput. Ne propter ieiuniū tristitiam simulem° ob fauorem vulgi: sed hilariter Deo seruiamus, quia tunc manebit nos merces certa si propter Deum omnia faciamus. [*Et faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans.*] Faciem lauare præcipimur, & caput pectinate: ne propter vanam gloriam ieiunate videamur. Sed tamē si pro alia necessitate illoti incesserimus non peccamus. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.*) Thesauri nomen, ex Græco Latinoque est compositū. Thesis namque Græcè, Latinè *positio* auri. De omni tamen pecunia hoc sentiendum est, quod Dominus hic præcipit, vt de omibus rebus quas habere possum° in æterna vita thesaurum nostrū faciamus pro quo in æternam patriam recipiamur. Per tria autē quæ hic nominātur, solent amittere frequentius diuites huius seculi thesaurum suū. Per æruginē quod pertinet ad metallorū genera, per tineas vestimenta, per fures omnia quæ haberi possint. Spiritalis quoque ærugo, est vana gloria, tinea inuidia, fures dæmones, per quæ Christianus perdit thesaurum animæ suæ, nisi vigilanti cura se custodierit. *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo,* sicut fecit beatus Sixtus, & innumeri Christiani per manus pauperum. Quia ipse Domiuus dixit, *quod vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis.* Postquam n. pauperi vel bono homini in nomine Domini datum fuerit, is qui dedit non potest perdere mercedem [*Vbi est thesaurus tuus ibi est & cor tuū.*] De omnibus voluptatibus hoc accipi potest, vbi aliquis vltra modum intentus est. Gulosi thesaurus, Deus venter est, luxuriosi epulæ sunt, amatoris libidinis, lasciuiæ & ludicra, illi seruit quis, à quo vincitur. [*Lucerna corporis tui est oculus tuus, Si oculus tuus fuerit simplex totū corpus tuū lucidū erit,* (Allegoria est in hoc loco aliud volens intelligi, quā in superficie sonet. Dat exemplum Dominus, quod is qui sanos haber oculos, potest videre omnia quæcumque voluerit & per viā rectè incedere. Is qui non habet lumen frequenter oberrat ab via, & offendit in itinere, sic is qui non habet rectam intentionem in sua fide vel in amore erga Deū, frequētet titubat in suis actionib° quia vir duplex animo, incōstans est in omnib° operibus suis. At vero credentibus in Deū omnia cooperātur in bonū. Inde sequitur. *Si oculus tuus fuerit simplex totum corpus tuum lucidum erit.* Oculus intentio operationis est. [*Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt,*] id est si corpus amisso lumine oculorū tenebras patitur [lumen interius quod debet regere animam & corpus] quantæ erunt? videlicet quam magnæ, maiores quam corporis.

De non seruiendo duobus Dominis.

CAP. XIII.

NEmo *potest duobus Dominis seruire.*) Et quomodo potest, cum ipse alio loco dicat: *Non veni ministrari sed ministrare,* & Paulus dicat, *per charitatem seruite inuicem in vinculo pacis.* Sed tamen sciendum quia [sicut superius diximus] est seruitium quod soli Deo debet impendi, & nullo alio mortali: vt Deum credere certa fide, & illum adorare, Alienum Deū non habere, nomen Dei in vanum nōn assumere, diligere illum ex toto corde, & totis visceribus, hostias illi offerre, omnia bona ab ipso sperare. Alia autem seruitia & Deo & homini possumus secundum præcepta ipsius impendere, videlicet omnia bona quæ nobis volumus impendi ab aliis, faciamus proximis nostris. Est autem discretio in Græca lingua, de ipsis duobus seruitiis. Nam illud seruitiū quod soli Deo impenditur, latreusis λατρεῖαις dicitur, illud vero quod ad homines, duleusis δουλεύσις appellatur. Et hoc est quod Paulus dicit, *seruite inuicem,* in Græco habet *duleusate* δουλεύσατε Aut n. vnum odio habebit, hoc est diabolum, & alterum diligit, id est Deum, vt dignum & iustum est. Aut vnum

A substinebit, id est diabolum, quia nullus amat diabolū, sed ad modicum tempus sustinet illū propter suas voluptates perficiendas. Et alterum contemnet id est Deum. Non dixit *odiet.* Quia nullus pōt odire Deum. Contemnunt autem multi, & abutuntur Dei patientia. Vnde & ad Samuel Dominus dixit. *Qui honorificauerint me, glorificabo eos, qui autem contemnunt me erunt ignobiles.* Qui autem sint isti duo Domini quibus insimul seruire non possumus, sequitur dicens. (*Non potestis Deo seruire & mammonæ.*) Mammonæ Syra lingua, diuitiæ dicuntur. Aliud est habere diuitias, aliud seruire diuitiis. qui seruit diuitiis, non pōt Deo seruire, non dixit, *qui habet diuitias.* Qui n. habet diuitias & distribuit eas vt Dominus dixit, ad eos qui eum hic recipiunt, quod recipientur in æterna tabernacula; & qui habent intelligentiam super egenum & pauperem, erunt in alia vita cum Iob, Abraham, Dauid, atque aliis qui & in hoc seculo diuitias habuerunt, & vitam æternam sibi mercati sunt. qui autem seruiunt diuitiis,
B & nulli bona largiūtur ex ipsis diuitiis, nisi à quib° possūt recipere in hoc seculo, sepeliētur cū diuite sepultura æterna, vt illic indigeant omnibus bonis. Māmonæ quoque nomen dæmonis Iudæi esse dicūt, qui diuitiis præest. Tradunt n. super vnum quodque vitium habere dæmones præpositos, & alios sub se positos qui seducant homines ad illa vel illa vitia, vel ide dictum. *Spiritu fornicationis seducti sunt.* Exceptis illis, habere vnumquemque hominem duos angelos custodes sui, vnum bonum, alterum malum, (*Ideo dico vobis,*) subauditur, si me habetis electum Dominum, & alium reiectum. (*Ne solliciti sitis animæ vestræ*) id est vitæ vestræ, *quod manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* Ego feci animam ministrando victum quo possit subsistere vsque ad tempus præfinitum. Neque corpori vestro quid induamini. quia ego creaui corpus in tali statura qua nunc est, & ego vestiam si tamen meis obedietis præceptis, quia *cuius opera facitis eius*
C *filii siue serui vocabimini.* (*Nonne anima plus est quam esca.*] Qui dedit animam immortalem, & rationabilem dabit victum.

Plus est, id est, plus valet & preciosior est, quia immortalis & rationabilis. Et qui dedit corpus decorum sursum erectum, ad omnia agenda paratum & intellectuale, multo excellentius quam bestiæ habeant, vestiet illud. Hæc omnia dicit vt timorem tollat de animabus nostris & sollicitudinem, quasi moriamur fame aut frigore, si voluntatem ipsius fecerimus. Nam opus debemus exercere, vnde viuamus & vestiamur, quoniam sic dictum est primo homini. *In sudore vultus tui vescere panem tuum.* Et Paulus præcipit dicens: *Magis autem laboret vnusquisque manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patientibus.* [*Respicite volatilia cœli, quomodo non serunt, id est seminant, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cœlestis pascit illa.*] In hoc iubet respicere volatilia, vt habeamus fiduciam quod ille qui volatilibus dat escam, daturus sit nobis, quia illi irrationabiles & mortales, & ad
D nostrum vsum creati, non autem in hoc vt otiosi sim° & non laboremus serendo & metendo, sed ne pro timore thesauros condāmus temporalium rerum, & nō porrigamus manum egentibus, timentes indigentiam habere, si in nomine Domini largiti fuerimus [*Nonne vos magis pluris estis illis,*) hoc est plus valetis, & *ipsi hodie sunt, cras nō erunt.* Vos autem semper eritis, siue ad bonum siue ad malum. Pluris ad pondus refertur, hoc est pluris precii, plures autem comparatiuus est gradus de multo positiuo, & ad numerum refertur. [*Quis autem vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum?* Sicut adiicere quis non pōt aliquid ad staturam suam, *& tamen Deus omnipotens fecit vos crescere equales estis, vtique qui maius dedit sine vestro conamine, minus etiam dabit*] id est cibum & potum. [*Et de vestimento, quid dissoluti solliciti estis?* Sicut tulit ti-

morem de cibo, similiter aufert de vestimento, ex rebus consequentibus. *Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant neque nent.*] Nent dicitur filant, ab eo verbo quod est neo, dicit vt videamus qualiter vestita sunt lilia candore, sine ipsorum labore, vel rosæ, quia nullum linteum comparari potest candori lilii, neque vllum dirodinum roseo colori: neque vlla purpura tincturæ violæ. Propterea si Deus sic vestit viles herbas quas nos in focum soliti sumus mittere cum aruerint, quanto magis vos vestiet, quos ad similitudinem suam creauit. [*Dico autem vobis, quia nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis.*] De Salomone dicit Iudæis exemplum, quia ipsi ditiorem regem non habuerunt. Fuerunt autem multi ditiores, vt Nabuchodonosor, Asuerus, Octauianus, & sequaces eorum, sed tamen non nouerant eos Iudæi, sicut Salomonem. Dicit ergo, quod Salomon non fuit coopertus cum tota gloria sua de tam candenti linteo, nec de speciosiori pallio, quam præfatæ herbæ. [*Si autem fænum agri quod hodie est*] *Fænum agri* appellat ipsas herbas. *hodie est*, hoc est non multum durant. [*Et cras in clibanũ mittitur.*) *Cras* hoc est in futuro cum siccatæ fuerint. *In clibanũ*, hoc est in furnum mittuntur [*Deus tali decore vestit, quãto magis vos qui aliquid fidei habetis, quod ipsa non habent,*] quia insensibilia sunt. *Cras* autẽ in scriptura pro futuro tempore accipitur, vt Iacob dicit, *exaudiat me cras iustitia mea.* (*Nolite ergo solliciti, &c.*) Per omnia sollicitudinem vult auferre à nobis, & opus exerceri. De spiritali vero cibo & indumento semper debemus esse solliciti, & esuriem pati, quia beati qui esuriunt iustitiam. (*Hæc n. omnia gẽtes inquirunt*) Hoc est sollicitudinẽ de his rebus habent, quia non adorant Deum verum. [*Scit n. pater vester, quia his omnibus indigetis.*] Propterea curabit de nobis, si nos eius voluntatem fecerimus, quoniam scit omnia necessaria nostra, ante quam petamus eum, quod & sequitur, [*Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.*] Hoc est facite volũtatẽ Dei in his quæ vobis præcepit, & hæc, subauditur necessaria adiicientur. i. e. adaugebuntur vobis. Ad necessitatem, non ad superfluitatem, quia nullus Christianus ad aliud debet quærere subsidium temporalis vitæ, nisi ad necessitatem. [*Nolite solliciti esse in crastinũ, hoc est in futuro*) *A cras* n. aduerbio, deriuatur crastinus nomẽ (*Sufficit diei malitia sua.* [Malitiã dicit laborẽ præsentis diei, quasi diceret, sufficit nobis præsentis temporis cogitatio, futurorum curam quæ incerta est relinquamus. (*Nolite iudicare, vt non iudicemini*) De incertis & dubiis causis prohibet iudicari vt ante sim⁹ cognitores, quam condemnatores, vt Iob dicit: *Causam quam nesciebam diligentissime inuestigabam.* Enim vero in iudiciis nullus debet neque clericum neque laicum iudicare, donec confessionem ipsius audiat de peccato vnde agitur. Denique de manifestis peccatis Paulus iubet iudicare, vt stupra, homicidia, furta. Sic enim dicit: *Congregatus vobiscum meo spiritu, iam iudicaui eum qui sic operatus est, tradere Sathanæ in interitum carnis.* (*In quo enim iudicio iudicaueritis subauditur iniuste, iudicabimini iuste, quia iniuste iudicastis. Et qua mensura mensi fueritis remetietur vobis.*) Si solerter inquit omnia quæ valetis bona facere, ac proximis intimare studetis, aderit diuina pietas, quæ vobis & in præsenti sensum altiora capiendi, ac fortiora gerendi effectum conferet, & in futuro supra quam sperare possitis, æternæ vobis dona retributionis conferet, (*Quid autem vides festucam in oculo fratris tui?*) Ad hoc quod præmiserat respicit istud, non ad iudicandum temere fratrem. Quare alterius consideras, & tua obliuisceris? Cum vides alium leuiter peccare, condemnas, & iudicas grauia, & tua grauia æstimas leuia. Per festucam leue peccatum, subitam iram, aut verbum ociosum: per trabem odium inueteratum, aut inuidiam, vel grauiora peccata. Festucam per e. dicere debemus, non per i. sicut Beda præcepit. Trabes

A propriæ dicuntur ligna nauium in trãsuerso, vbi naugatores sedent, & inde etiam trabes dicuntur in domibus, quæ tectum sustinent, & est allegoria in hoc loco, comparatio per speciem parabolæ, de re inanimali ad animale, de festuca ad peccatum. (*Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui.*) Hoc est purga teipsum à criminali peccato, & tũc poteris purgare fratrem à leui peccato. Quia nemo sordidis manibus potest vas sordidum mundare, nisi ante lauerit manus. Hypocrita Græcum est, Latinè simulatio, vel simulator dicitur. (*Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis ante porcos margaritas vestras.*] Canes hic hæretici intelliguntur, vel apostatæ Christiani, qui post agnitam fidem reuertuntur ad pristina peccata. Porci autem intelliguntur pagani. Quia sicut porci iacent semper in luto: similiter & isti semper iacent in prauis voluptatib⁹.

B Neutris ergo committendum est Euangelium, donec conuersos animo, & corpore eos perspiciamus. Nam de primis dicit Apostolus. *Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita.* Quare autem nõ sit committendum eis diuinum eloquium, subiungit dicens: (*Ne forte conculcent eas pedibus suis & conuersi disrumpant vos,*) hoc est irrideant verbum Euangelii, & interficiant vos, qui ad huc aliis poteratis esse saluatio. Quia autem margaritæ diuina eloquia vocentur & in hoc Euangelio, & in multis locis exempla perplura sunt vt illud de negotiatore quærẽti bonas margaritas. Margaritum enim, est verbum Dei, & ex omni parte põt perforari. [*Petite subauditur bene, & dabitur vobis.*) Petite animo, quærite verbis, pulsate operibus. Petite verbo, quærite operib⁹ bonis, pulsate perseuerantia. Petite fidem, quærite spem, pulsate charitatem. [*Omnis enim qui petit, subauditur bene, accipit, & qui quærit per bona opera inueniet, & pulsanti in perseuerantia, aperietur. Quis est ex vobis homo, quem*

C *si petierit filius suus panem, nunquid lapidem dabit illi?*] Iuxta simplicem intelligentiam nullus filio suo bona petenti mala dat, quanto magis Deus qui essentialiter bonus est, etiam si mala petamus ignoranter: bona dabit spiritualiter; Si petamus fidem, non retribuet infidelitatem, & si spem, non dabit desperationem, quia sicut piscis latet in aqua; similiter spes nostra latet in præsenti seculo, sed apparebit in futuro, quando satiabimur in bonis Dei. (*Si ergo vos cum sitis mali.*) Notandum quod Apostolos malos dicit, quia ad comparationem Dei nemo bonus, per se autem omnis creatura bona. (*Omnia ergo quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite eis.*) De hoc verbo potest intelligi, quod Propheta ait. *Quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram.* Hæc fuit lex naturalis, quam Adam accepit. (*Hæc est enim lex & prophetæ,*) quia quæcunque in latissimo legis libro, & Prophetarum scriptis mandauit, si dilectionem erga proximum habueris, totum custodies. Omnia enim

D bona vis tibi fieri, & tu facies alteri, malum vlli non facies, quoniam non vis tibi fieri. (*Intrate per angustam portam.*) Allegoria est hic quia per portam, via mandatorum Christi intelligitur? *Lata via est & spatiosa, quæ ducit ad perditionem,* hoc est voluptas seculi quæ se sponte offert, quia corpus hoc delectat, non est necesse quærere nec discere, & propterea multi sunt, qui intrant per eam. (*Quam angusta porta, & arta via quæ ducit ad vitam*] id est valde angusta, per ieiunia, per patientiam, per dilectionem inimicorum, seculum transire, & ad vitam æternam peruenire. *Arta vita est.* Vnde & Psalmus dicit, *ego custodiui vias duras. Et pauci sunt qui inueniunt eam.*) Paucos dicit inuenire, nec tamen omnes qui inueniunt, per eam gradiuntur, quoniã multi sũt qui sciunt quod vnum Deũ Christiani colant & tamen ipsi non colũt. Et multi sunt qui se verbis fatentur Deũ nosse,

noſſe, & Chriſtianos ſe eſſe profitentur: & factis negant, & ideo artam viam non ambulant, quia ſimiliter in alio loco Dominus dicit. *Multi vocati, pauci electi.* Vocati, Chriſtiani facti. *Pauci electi:* quia opere negant Deum.

De cauendo à falſis Chriſtianis.

CAP. XIV.

Attendite à falſis Prophetis.) Attendite, cauete, obſeruate. In tribus locis in hoc libro iſtud verbum eſt; & ſemper eundem ſenſum habet. Multi Prophetæ falſi apparuerunt in illa gente etiam poſt aduentum Domini, ſicut fuit Theodas, & Iudas Galilæus, ſicut in actib. Apoſtolorum legimus. Et de his præcepit Apoſtolis, ne ſequerentur eos & perirent, ſicut illi qui eos ſecuti ſunt. Poſt vero de omnib. falſis Chriſtianis poteſt accipi: qui aliud ore, aliud opere agunt. Nam fuerunt pagani, qui dixerunt ſe Chriſtianos eſſe, vt poſſent eorum habitum explorare, & tradere ad mortem vt Torqueatus. Sed & de hæreticis poteſt accipi. (*Qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium.*) Oues, molle pecus, corpus inerme, animo placidum. Sic iuſſit Chriſtus eſſe ſuos, mites, non reſiſtentes malo, cum omnib. hominib. pacem habere, de veſtimentis ſuis & cibis alios alere. Omnia iſta Chriſtianitatis ſunt opera: & veſtimenta ouium. Qui iſta non facit, lupus eſt. Lupus Græcè lichos λύκος dicitur, & habet à moribus etymologiam: eo quod rapacitati ſit ſemper deditus & cruori. Similes ſunt, qui ſemper alios Chriſtianos cupiunt deprædari, aut per violentiam, aut etiam quaſi per legem mundanam. Si ſunt de eius beneficio: aut etiam ſerui: vel ſi habent miniſterium ſuper illos, quærunt occaſiones vt quaſi per legem poſſint eos expoliare, non cogitant, quod de vna progenie ſunt, & de vno patre: ſed peius quam ſuos canes eos tractant: non conſiderant quod vno modo Deus illos condidit: & vno ſanguine redemit. Quod ipſe dedit imperatori intranti in mundum: dedit & mendico ſimiliter exeunti. Nihil in hunc mundum intulimus: ſed nec auferre quid poſſumus, niſi opera noſtra. Non erit in alia vita diſcretio Domini & ſerui, niſi per merita. Multi Chriſtiani dicuntur: ſed actione lupi ſunt multi non ſolum laici, ſed & clerici lupi moribus ſunt: qui in ouili Domini inter oues videntur: ſed lupi ſunt etiam & rapaces.

Quicumque cum rapace conſortium habet ſimilis eſt illi. Quia Paulus dicit: *ſi quis frater nominatur, & eſt auarus aut rapax, &c.* cum huiuſmodi nec cibum ſumere. Qui pauperum annonas, pecunias praue deuorant, lupi rapaces ſunt. Sequitur: [*A fructibus eorum cognoſcetis eos.*] Dicunt in beneficio mei ſunt: ſecundum legem accipio quod accipio. Deus dixit: *Recogita ſi ita velles tibi fieri: tunc facis bene. Sin aliter: veniet tempus quando ipſe erit in gloria: tu in inferno.* Fructus hominum ſunt opera aut bona aut mala. Si bona ſunt, ouis: ſi mala, lupus. [*Numquid non colligunt de ſpinis vuas: aut de tribulis ficus?*] Per ſpinas, illi qui ſuperius lupi vocati ſunt: per tribulos quoque quę ſimiliter ſpinoſa eſt arbor, quæ eſt rubus, ipſi deſignantur. Per vuas & ficus, digna Deo opera. [*Sic omnis arbor bona fructus bonos facit.*] Sicut enim vnaquæque arbor ex fructu cognoſcitur, & vel laudatur ex ipſo: ſic omnis homo ex opere ſuo, quod eſt fructus eius, aut remunerabitur, aut condemnabitur. Et eſt allegoria parabolæ comparatio de inferiori ad ſuperiorem hortantis. [*Vuas debuit facere Iſrael, & fecit labruſcas: & debuit proferre ficus dulcedinis, & fecit ficus amaritudinis.*] Vitis dicta quod vim habeat radicandi. Ficus à fæcunditate dicitur: eo quod ter in anno fructum ferat. [*Non poteſt arbor bona fructus malos facere: neque arbor mala fructus bonos facere.*] Si arbor bona non poteſt

A fructus malos facere: quomodo Moyſes arbor bona, ad aquam contradictionis peccauit: & Dauid adulterium & homicidium commiſit: & Petrus Dominum negauit? vel quomodo Iethro & Achiot arbores malæ, conſilium vtile dederunt. Sed ſciendum, quod tamdiu arbor bona appellatur homo, quamdiu opera bona facit. Si vero mala cœperit facere: mala arbor appellatur. Sic Manaſſes mala arbor extitit, dum per multa ſcelera oblitus Dominum fuit. Sed dum egit pœnitentiam de malo in bonum in bonam arborem conuerſus eſt. Deus de præſentibus vnumquemque iudicabit: & ſi in bono opere inuentus fuerit in die iudicij, de bono iudicabitur. Si autem in criminali peccato inuentus fuerit: in malo iudicatus erit. Sicut in Ezechiel plenius habetur. Et Salomon dicit: *Lignum in quam partem ceciderit, ibi manebit,* hoc eſt, peccator ſi in malo occubuerit, de malo cōdemnabitur: & cũ ipſo punietur. *Si autem auerterit ſe à malo: & in bono fuerit inuentus, ante diem infirmitatis: cum illo bono liberabitur.*

B De his namque qui in infirmitate conuertuntur, dicit beatus Hieronymus in verſu Pſalmi: *quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui: & in morte & in inferno: vtrumque agendam pœnitentiam denegauit.* [*Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur.*] Omnis homo Chriſtianus, ſiue paganus, ſi non fructum facit etiam bonũ excidetur, eradicabitur anima eius à corpore: non ſe liberabit de ignorantia, quia non licet ignorare. [*In ignem mittetur,*] qui in ſempiternum non extinguetur. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Quia cognoſcetis eos: ideo dico: *attendite ab illis.* [*Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.*] Non ſe confidat aliquis quod Chriſtianus eſt, ſi non facit opera Chriſtianitatis, non intrabit in vitam æternam. Quia *qui dicit ſe noſſe Deum & mandata eius non cuſtodit ꝙ mendax eſt.* Etenim & illud quod Paulus dicit: *nemo poteſt dicere Dominus Ieſus, niſi in Spiritu ſancto.* Dictum hic profecto accipimus, & in credulitate cantamus,

C *& qui bona egerunt ibunt in vitam æternam, qui vero mala, in ignem æternum.* Et æternus erit ille ignis vnicuique, ſicut Deus dixit. *Ite in ignem æternum,* quia qui ſemel infernum introierit, vlterius non exibit. Licet recipiat corpus, abſque iudicio & mora reuertetur vbi erat deputatus. (*Multi dicent mihi in illa die, Domine, Domine, nonne in nomine tuo Prophetauimus, & in tuo nomine dæmonia eiecimus.*) Prophetare & virtutes facere, & mali poſſunt, ſicut Balaam qui multa bona dixit: & cum Iob, quia ipſe fuit Eliu, & quando ad Balach vocatus fuit, ſed tamen in auaritia ſeductus occiſus eſt. Saul & Cayphas prophetauerunt, Pharao & Nabuchodonoſor ventura viderunt. Virtutes quoque facere & multi poſſunt: vt magi in Ægypto fecerunt, & Simon: & multi alij per necromantiam, id eſt mortuorum inuocationẽ, vt & illa phytoniſſa mulier, in libro regum. Et dæmones eiicere mali ſolent, vt illi exorciſtæ Iudæorum, & ille de quo Apoſtoli Domino

D dixerunt: *Vidimus quendam in nomine tuo dæmonia eiicientem, qui non ſequitur nos.* Et Iudas quãdo Dominum ſecutus eſt, & iſta fecit. Quod ideo conceditur malis, vel propter auctoritatem nominis ex cuius nomine adiuratur, vel propter ſalutem videntium & audientium. Non eſt hoc ſignum diſcipulorum Chriſti: nec dixit ipſe diſcipulis ſuis. *Diſcite à me virtutes facere:* ſed, *quia mitis ſum & humilis corde.* Et alio loco: *In hoc cognoſcẽt omnes quia mei eſtis diſcipuli: ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Iſta ſunt inſignia diſcipulorum Chriſti. Nullus malus poteſt iſta tria ſigna habere & malus eſſe, manſuetudinem, & humilitatem, & charitatem. Sequitur. (*Et tunc confitebor illis, quod numquam noui vos.*) Confitebor, veritatem illis manifeſtabo quam ipſi in ſe noluerũt perficere. Quia numquam noui vos, ſubauditur meos eſſe diſcipulos, quia illa tria non habuiſtis, quæ præcepi habere diſcipulis meis ad diſcretionẽ aliorum diſcipulorum. (*Sed dixiſtis vos eſſe diſcipulos meos, falſo*

dixistis, nunquam perspexi opera. Discedite à me qui operamini iniquitatem, recedite à me qui operamini quando de corpore praeceptum est vobis exire.] Non dixit, qui operati estis, ne conuersis pœnitentiam auferret, sed qui operamini, hoc est, in voluntate adhuc operamini: quia si adhuc licuisset viuere, libuisset & peccare. *Discedite à me.* Non est necesse diabolo tradere, quia ipse scit, quid debeat facere de his, quos non viderit eos fore. In ea vita omnis homo, aut Dei erit, aut diaboli. Tantæ crudelitatis est diabolus, vt non sit necesse imperare torquere, nouit suos esse qui Dei non sunt. [*Omnis ergo qui audit verba mea, & facit ea.*] Considerandum quod dicit, qui audit verba mea & facit ea, hoc est qui propter me & verba mea facit bonum. Nam multi Philosophi fuerunt, qui omnia sua dereliquerunt, & à vitiis abstinuerunt, in tantum, vt remotis locis opere manuum stricte vixerint & tamen nihil eis profuit. Titus optimus eleemosynarius fuit, & operator virtutū, in tantum, vt vna die dolens dixerit, perdidimus hodie diem, quia nō magni profectus alicui præstitimus. Diocletianus cum haberet totum mundum in pace, nullo cogente imperium dereliquit, & nec filio aut filiæ, siue alicui affini dedit, etiam Maximianum consortem imperij, quem ipse secum asciuerat, eo quod ante amici adinuicem fuerint, dimittere fecit. Et cum rogaretur à cognatis & amicis idem Diocletianus non hoc facere cum omnia in pace essent, respondit. Cum omnia nostra acta sine reprehensione sunt, debemus alteri locum cedere. Attamen si videretis hortos nostros, & pomeria nostris manibus conserta, numquam suaderetis ista retinere. Sic fecit Imperator Paganus. Quid putatis si ista pro Dei amore fecissent, quantis meritis digni apud Deum forent. [*Assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam supra petram.*] Sicut is qui terrenum fundamentum collocat, in firmo loco debet collocare, sic is qui aliquid boni vult operari, opera Christi debet operari: & super ipsum qui lapis angularis dictus est construere: propter eius amorem facere: & his impendere, quibus ipse præcepit: *Quod vni ex minimis meis fecistis.* Si sic fecerit: erit quod sequitur. *Descendit pluuia, venerūt flumina flauerūt venti.*] Descendit pluuia diabolus cum suis tentationibus, vt venit ad beatum Iob: flumina amici eius, flauerunt venti aduersitates quas diabolus ei intulit, de damnis suorum. Sed quia in Petra fundamenta habebat, dictum est de illo: *In omnibus his non peccauit Iob labiis suis.* Similiter de Paulo, pluuia, *datus est mihi stimulus carnis meæ*: flumina, *ostium mihi apertum est*: sed aduersarij multi, venti: *quinquies quadragenas vna minus accepi: ter virgis cæsus sum: semel lapidatus sum, &c. Fundata enim erat supra Petram.* Quia enim domus Pauli supra Petram, id est Christum, fundata erat, dicebat post talia & tanta ornamenta: *Quis nos separabit à charitate Christi?* & in fine. *In his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Omnes enim qui spem suam ponunt in Deum non confundentur.* [*Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea, similis erit viro stulto.*] Per omnem textum Euangelij figuræ & tropi secularium litteratum inueniuntur, sed propter fastidium deuitandum, & prolixitatem libri, frequenter omittimus. Nam & hic metaphora est translatio de re inanimali ad animale, de domo quæ animam non habet, ad hominem qui animam habet. Et est species metaphoræ, quæ appellatur parabola, quoties exemplo alicuius hortamur aliquem, aut deterremus. Hortantis quod supra dictum est, deterrentis quod nunc dicitur, de domo ædificata supra arenam, id est illo qui spem suam in mundana voluptate ponit, & venient illi in similitudinem istius, siue illius qui dicebat: *Anima, multa bona habes reposita in annos plurimos, requiesce, comede, & bibe, & epulare, & ipsa nocte audiuit. Stulte, hac nocte animam tuam auferent à te: quæ autem parasti cuius erunt.* [*Et factum est cum consummasset Iesus verba hæc.*] Consummatio hæc ad

A perfectionem pertinet, quod verbum omnium est. Alio enim modo dicimus, consummatus est cibus: quia finitus est. Alio consummatus est liber: quia perfectus est in scriptura. Et hic ergo consummatio de perfectione: quia Deus cœpit ad perfectionem consummauit, non ad defectionem. [*Admirabantur turbæ super doctrina eius.*] Mirabantur, quasi de fonte sapientiæ. Si de Moyse dictum est quod fuit potens in opere & sermone, quid dicendum est de illo qui eum docuit sapientia Dei patris? Erat enim docens sicut potestatem habens, & non sicut Scribæ & Pharisæi. Illi enim docebant sicut qui didicerant à mortalibus, & ea quæ legebant in lege & Prophetis: & non illa per omnia intelligebant. Dominus vero sicut is qui legem dederat: & in Prophetis locutus fuerat.

De leproso mundato.

CAP. XV.

B [C]*Vm autem descendisset de monte secutæ sunt eum turba multa.*] Audistis quia ascendit in montem: & primitus instruxit in superioribus discipulos de secretioribus, & de octo beatitudinib. & post populos paulo in inferiori loco ipsius montis. Et his omnibus perfectis descendit de monte, & turbæ quæ propter eum montem ascenderant, simul cum ipso reuertuntur. [*Et ecce leprosus veniens adorabat eum dicens.*] Prohibitum erat leprosos in domibus accedere ad homines, propterea nec in monte propter populum, nec in domo, sed in via occurrit Domino. Lepra est asperitas cutis squamosa, lapidi similis. Dicitur Græcè leprosus, à pruritu nimio ipsius scabiei: quæ nunc in nigredinem vertitur, nunc in alborem, nunc in ruborem. Iste igitur, licet hac infirmitate detentus fuerit, fuit sapiens in accedendo, humilis in loquendo, perseuerans in petendo. [*In faciem procidit,*] quod est humilitatis & pudoris. Suam infirmitatem non erubuit, culturam exhibuit. (*Domine si vis, potes me mundare.*) Adorat, & Deum

C inuocat. *Domine si vis:* Nescio si sum dignus mundari, quia credo propter mea peccata mihi euenisse. Tu scis omnia in voluntate tua pono, voluisti vt hæc immundissima lepra super me veniret: vt correptus pœnituissem: siue propter tua magnalia, vt me mirabiliter mūdans magnificeris ab omnibus. Non sum ausus dicere: si quod potes adiuua me, quoniam scio omnia te posse: solummodo voluntatem tuam requiro, si vis, potes me mundare. (*Et extendens manum, tetigit eum dicens.*) Extendit manum ad eum quem Sacerdotes nō dignabantur attingere, seu extendit manum, vt ostenderet supra legem esse qui præceperat leprosum: quia non fuit ausa expectare manum ipsius, sed statim vt vidit manum venire, effugit ipsa lepra. (*Volo*) Ad ipsum verbum quod precatus fuerat leprosus dicens, *si vis*, respondens Dominus dixit. *Volo.* Ad hoc quod dixerat *potes*, respondit. *Mundare.* Non est iungendū vt dicamus

D *volo mundare*, sed primum dicendū *volo*, & postea imperando subiungendum est *mundare*. Non est hic mundare infinitiuus modus, sed imperatiuus. Quia perspexit Dominus in illo & fidem & humilitatem, & ideo ad verba sic consequenter respondit. (*Et confestim mundata est lepra eius.*) Nescio quod plus timuit lepra verbum aut tactum eius. Si tacuisset, lepra non fuerat ausa expectare manum Domini: quia non fuerat ibi creata. Si non extendisset manum & *dixisset volo*, non esset ausa remanere. Quia ille erat intus in illo corpore, qui dixit *& facta sunt.* (*Et ait illi Iesus. Vide, nemini dixeris.*) Idcirco hæc præcipit, vt ostēdat suis quādo aliquid boni faciunt, non diuulgandū, vt laudē requiramus, vel pecunias. Nec quidē necesse erat verbis narrare cum omnes sanum viderent, quē leprosum ante viderant. [*Sed vade, ostende te sacerdoti.*] Ob tres causas Dominus præcepit mundatum se præsentare sacerdotibus. Primo, vt

ſacerdotibus reuerentiã de ferre videretur. Secũdo ne
A adnihilator legis videretur, qui de hoc criminabatur. Tertio, vt ſi non crederent mundatum videntes, quem ipſi non potuerunt ſecundum legem mundare, deterius damnarentur. [*Et offer munus quod præcepit Moyſes.*] Præcepit Moyſes, vt qui mundatus fuiſſet à lepra offerret holocauſtum Domino, duos turtures, aut duos pullos columbarum, ſicut in Leuitico continetur. Enimuero non habebat adhuc corpus & ſanguinem ſuum myſtice conſecratum, quod fecit vna die ante paſſionem: propterea nolebat deſtruere, ſignificans ſacrificium donec veniret nouum. [In teſtimonium illi, quod pro emundato à me, ipſi holocauſtum obtulerint, & credere noluerint. Typice homo iſte qui plenus lepra fuiſſe dicitur genus deſignat humanum, quod plenum omnibus peccatis erat ante incarnationem Domini. Veniens vero Dominus non ſolum in caſtris Eccleſiæ nos reſtituit, ſed etiam genus ſacerdotale, gentemque ſanctam & populum adquiſitionis
B effecit, & quieramus longe pro peccatis, facti ſumus prope. Iuſſum eſt nobis ab ipſo, turtures & columbas nos factos in conuerſatione noſtra offerri noſmetipſos Deo, vt imitantes caſtitatem turturum, & ſimplicitatem columbarum ſine felle amaritudinis diſcamus trãſire laqueos huius ſeculi, vt fiamus non ſolum hoſtia viuens, ſancta Deo placens, ſed & templum Dei in quo dignetur habitare, & inambulare, quouſque perducat, vbi ſine fine cum ipſo lætemur.

De ſanato puero Centurionis.

CAP. XVI.

C*Vm autem introiſſet Capharnaum.*) Capharnaum villa magna erat in Galilæa in qua Romani principes ſoliti erant ſedere. Cum, illuc Dominus appropinquaſſet, acceſſit ad eum Centurio non corpore, ſed fide & affectu. Narrat enim Lucas quod Iudæos ad
C ipſum miſerit indignum iudicans ſe aſpectibus eius præſentari. Centurio dictus, eo quod centum militibus præeſt ſicut quinquagenarius, qui quinquaginta, & decani qui decem militibus præſunt. Rogans eum per ipſos Iudæos quos miſerat, qui etiam hoc ei dixerunt. Dignus eſt vt hoc ei præſtes, quia diligit gentem noſtram, & ſynagogam nobis ædificauit. (*Domine puer meus iacet in domo paralyticus.*) Paralyticus Græce Latine diſſolutus omnib. membris dicitur. Dixi ſuperius, quia pueri quatuor modis dicuntur. Eo ergo modo, quo pueri Dauid dicti ſunt, pro obediẽtia, & hic puerum ſuum dicit nolens dicere quod eſſet ſeruus ſuus pro dilectione ipſius pueri, ad dolorem autem exprimendũ dicit, quia paralyticus eſt & iacet. Multi enim paralytici ambulant. Et addidit. (*Et male torquetur.*) Et ait illis Ieſus. Videlicet miſſis eius. *Ego veniam & curabo eum.* Et ſicut alius Euangeliſta refert, ſtatim cœpit ire: non pro vllo dono, ſed pro fide & humilitate & pru-
D dentia Centurionis. Fide quia credidit paralyticum à ſaluatore poſſe ſanari: humilitate, quia ſeipſum dignũ non æſtimauit ad eum venire: prudentia, quia vbique Deum poſſe operari quæ veller verbo. Et reſpondens Centurio ait. (*Domine, non ſum dignus vt intres ſub tectum meum.*) Refert Lucas quia miſerit in via miſſos dicẽs, ne ſe fatigaret, quia non eſſet dignus vt ſub tectum eius intraret. Sed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Credebat quamuis gentilis, quod ipſe eſſet, qui dixit, *& facta ſunt: mandauit, & creata ſunt.* (*Nã & ego homo ſum ſub poteſtate, habens ſub me milites.*) Dat exemplum quaſi dicat. Si ego qui purus homo ſum conſtitutus ſub alterius poteſtate videlicet Tyberij Imperatoris, dico militibus meis iunioribus, vt faciant illa vel illa, & fit, quanto magis tu qui habes Angelos in poteſtate, ſi præceperis Raphaeli vel eius ordini ſtatim fiet. (*Dico huic*) ſubauditur militi. Miles dictus à mille, quia mille primum à Romulo in numero ordinati ſunt, ſeu quia de mille vnus eligebatur, quando eligebantur. (*Et ſeruo meo fac hoc.*) id eſt opus. (*Et facit.*) Seruus dictus, quia primum ſeruatus eſt in bello. Omnis creatura tibi obedit vt Domino, idcirco potes facere quæcumque volueris. (*Audiens autem Ieſus, miratus eſt.* Mirandam & imitandam fidem videntib. & audientibus demonſtrauit. Nam ipſe ante eius fidem agnouerat, qui creauerat. Et ſequentibus ſe dixit. (*Non inueni tantam fidem in Iſrael.*) De Iſrael carnali dicit, qui legem & Prophetas habebant, & tamen eius diuinitatẽ non ſic intelligebant. Nam inuenerat in Apoſtolis & in Nathanaele perfectam fidem, ſed de Iudæis carnalibus dixit. Quia Iſrael generali nomine tota gens ſic vocabatur: quaſi dixiſſet, totus Iſrael habens legem & Prophetas debuerat ita me cognoſcere, vt iſte, ſed non facit. Et à toto pars intelligitur per ſynedochen, ſicut in alio loco: mortui ſunt, cum ſolus Herodes mortuus fuerit. (*Dico autẽ vobis quod multi ab oriente & occidẽte venient.*) Per iſtas duas partes aliæ etiam intelliguntur, ſcilicet totus mũdus, & accedunt fide ad Deum, & recipientur in illum Paradiſum vbi Abraham eſt, & Iſaac, & Iacob, & beata vita fruentur. *Filij autem regni huius eiicientur in tenebras exteriores,* id eſt Iudæi, qui ibi nati fuerant & legem acceperunt, & de Patriarcharum progenie ſunt, mittentur in tenebras exteriores, hoc eſt in infernum, vbi perpetuæ tenebræ ſunt. Interiores enim tenebræ, cæcitas mentis, qua melius videre debemus. Sed qui Deum non cognoſcit, habet iſtas tenebras in præſenti: mittetur pro iſtis in exteriores vbi cruciabitur ſimul cum corpore & anima. (*Ibi erit fletus & ſtridor dentiũ.*) In fletu oculorum & dẽtium ſtridore, carnis & oſſium reſurrectio deſignatur, & vera hæc cruciabitur pœna: non imaginaria, & quaſi per ſomnium. Iſte Centurio primitiuum populum gentium deſignat crediturum in Deum & filios Abrahæ per fidem futuros, & locum Iſraelitarum adepturum in regno Dei. Seruus vero pro quo deprecatur, illius populi partem deſignat, qui tarde conuertũtur ad Deum & quaſi ſerui eſſe dicuntur, qui diutius in ſeruitio demorantur, quia ſimiles fiunt, qui faciunt, & qui confidunt in eis, & qui peccatũ facit, ſeruus eſt peccati. (*Et dixit Ieſus Centurioni Vade, & ſicut credidiſti fiat tibi.*) Frequenter hoc Deus omnipotens ad multos dixit. Vnde oſtẽditur ſecundum vniuſcuiuſque fidẽ, à Deo eſſe accepturũ & impetraturum quæ petierit, ſi perfecte crediderit, & in nomine ſaluatoris petierit, & in petendo non heſitauerit. (*Et ſanatus eſt puer in illa hora.*) Ex hoc colligere poſſumus, quod aliorum preces alios adiuuant, & fides perfecta. Imitemur omnes Chriſtiani iſtum Centurionem in prudentia, in fide, & humilitate. Studeamus ſecundum Deum prudentes fore, quia Deus inde dixit, eſtote prudentes vt ſerpentes. Pro iuſtitia vſque ad mortem pugnemus; parati etiam omni poſcenti nos ad reddendam rationem de ea quæ in nobis eſt ſpe. Fidem quoque certam & rectam habeamus in Deum, & omnibus quibuſcunque promiſimus, niſi tantum in quantum deuiant à Dei voluntate. Humilitatem & in animo & in corpore habeamus, quia Deus omnibus Chriſtianis à ſe præcepit diſci humilitatem, & manſuetudinem.

De ſocru Petri.

CAP. XVII.

E*T cum veniſſet Ieſus in domum Petri, vidit ſocrum Petri iacentem & febricitantem.*) Socrus dicitur Petri mulier, cuius filiam habebat beatus Petrus. Alius Euãgeliſta dicit, *quod rogauerunt illum pro ea.* (*Et ſtans ſuper illam imperauit febri, & dimiſit eam.* Aliquando expectat Dominus preces rogantium. Aliquando vltro curat ægrotos volens, vt maiores gratias Deo referãt pro quorum precibus facit, & adhuc hodie ea quæ nobis

habet diſpoſita re, vult ſe pro his rogari à nobis. [*Et tetigit manum eius: & dimiſit eam febris.*] Quia duo diſcipuli ſui dilecti pro ea rogabant, & verbo febrem fugauit, & manum ſurgenti porrexit. [*Et ſurrexit & miniſtrabat eis.*] Naturale eſt omnibus febricitantibus cum omiſſi fuerint à febre, maiorem moleſtiam infirmitatis & laſſitudinis ſentire, & quaſi ſemiuiui iacere. Sed vt oſtenderetur, quia aliter ille ſanabat, aliter medici terreni, omnes quoſcumque ſanabat in momento temporis ſanabat: ita vt nec veſtigium præteritæ infirmitatis remaneret. Vnde & iſta cum ſurrexit, ſtatim cœpit miniſtrare domino, ſignificat hominem oppreſſum ab aliquo peccato luxuria, ſeu auaritia: pro quo ſi orauerint boni amici ſanabitur ab ipſa febre, in tantum vt Domino miniſtret, qui ante Diabolo miniſtrabat faciendo voluntaté eius. [*Veſpere autem facto obtulerunt ei multos dæmonia habentes.*] Quia ſabbatum ipſa die fuerat, non fuerũt auſi ante veſperam propter ſabbatum adducere infirmos, maxime dæmoniacos: quos non poterant aliter adducere, niſi ligatos, & cum vi. Typice figuratur, quod quando occubiturus erat, qui verus Sol erat in cruce, ſanaturus eſſet omnem mundum. Lucas de his dicit, quod confitentur illum Chriſtum, vel tentando ſicut ante magiſter eorum fecerat dicens, *Si filius Dei es.* Vel ſignorum magnitudine cognoſcebant illum. Sequitur. [*Vt adimpleretur quod dictum eſt per Eſaiam Prophet. Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes portauit.*] De vtriſque infirmitatibus accipi valet, & de his de quibus nunc dixit liberaſſe illum illos, & de infirmitatibus animarum, de quibus omni die multa millia liberat.

De repulſo ſcriba, & pauperie Domini.

CAP. XVIII.

VIdens autem turbas multas circum ſe iuſsit ire transfretum.] Superius dixi Dominum ob turbarum affluentiam tria ſibi refugia elegiſſe. Pinnaculum templi, & lacum iſtum, & montem Tabor. [*Cum vidit multitudinem iuſsit ire transfretum.*] Fretum à feruendo dictum; quoniam cottidie videbant ſigna in terra per quæ poterant agnoſcere, quod ipſe creator terrarum & hominum eſſet: malebat, vt ſcirent etiam ipſum Deum maris, & omnium creaturarum. Non iuxta paganos alium Deũ cæli & terræ, alium maris, ſed ipſum vnum per quem omnia facta ſũt viſibilia & inuiſibilia. (*Et accedens vnus ſcriba, ait illi.*) Scriba iſte litterarius etiam, vt Græce dicitur Grammaticus erat, & viſa ſignorum magnitudine, cupiebat Dominũ ſequi quæſtus cauſa: ſicut & Simon Magus. Apparet hoc in ſuis verbis, qui neque Deum neque Dominum, ſed magiſtrũ vocat: æſtimans eum ſimilem fore aliis hominibus. (*Et dicit ei Ieſus. Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos.*) Ac ſi ei dicat. Quid me vis ſequi lucri cauſa: cum tantæ paupertatis ſim, vt quod beſtiæ paruæ, & volucres cœli habent, in proprio caream: videlicet nec vbi lectum faciam: niſi in aliorum manſionib. hoſpitando: victu & veſtitu contentus ſim. Alius autem de diſcipulis eius ait illi. Domine permitte primum ire & ſepelire patrem meũ. Iſte & melius credidit: & meliori deuotione ſequebatur, qui dixit *Domine.* Et iſte meliori voluntate erat, qui mortuum quamuis biothanatum ſepelire geſtiebat. (*Ait illi Ieſus. ſequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.*) Duobus modis mortuus dicitur. Mortuus corpore: mortuus anima. Sed væ his qui vtroque modo mortui ſunt, quia irreparabiles ſũt. Nam qui anima ſolum mortui ſunt: poſſunt ſi feſtinẽt adhuc reſuſcitari, ſi ptomittant ex toto corde emendationem. De talibus Salomon. *Melius eſt canis viuus Leone mortuo.* Nam de mortuis ſolummodo corpore ſcriptum eſt: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Ille ergo ad quem ſepeliendum diſcipulus ire volebat, ani-

A ma & corpore mortuus erat, & illi qui iuxta eum erãt anima mortui erant. Et poterat euenire, vt ſi diſcipulus ad mortuos in anima abiret, & ipſe animo moreretur, quia cum ſancto ſanctus ſolet quis fieri, & cum peruerſo peruerti. Dimitte vt mortui anima ſepeliant mortuum corpore & anima. Et quia dicit mortuos ſuos: poteſt fieri vt ipſi eum animo occiderint per malum exemplum. Qui alicui malum exemplum de peccato criminali præbet, occidit eum, ſi ſequax illius fuerit.

De tempeſtate in Mari.

CAP. XIX.

AScendente eo in nauiculam ſecuti ſunt eum diſcipuli eius.] In his lacubus non ſolent magnæ naues fieri propter impetus tempeſtatis, ſed minores, & vix duodecim homines ſolent recipere, ob hoc dixit, *& ſecuti ſunt eum diſcipuli eius.* Nam turbæ ſequerentur,
B ſi naues habuiſſent. Sed à foris ſteterunt & miraculum de longe viderunt, & cognouerunt, quod non vt quidam dixit de Octauiano. *Diuiſum Imperium cum Ioue Cæſar habet,* ſed cœlũ cum terra, & mare & omnia quę in eis erant in poteſtate habebat. (*Et ecce motus magnus factus eſt in mari.*) Plus ſolent tempeſtates nocere in his ſtagnis, quã in fluminibus, quia aquæ quæ non corruũt ſi modicam commotionem habuerint, eo fit valentior motus: ita, vt niſi cito ad ripam fugerint, periclitentur. (*Ita vt nauicula operiretur fluctibus.*) Cooperta erat ita, vt non videretur ab his qui in terra ſtabant, propter altas vndas iuxta ſe. (*Ipſe vero dormiebat.*) Vtraque natura in hoc miraculo indicatur, & Dei & hominis: Dei, qui mari & ventis imperat: hominis, qui dormire narratur. Ionas intelligens pro ſe mare commotum deſcenderat ad interiora nauis dormire, vt cum non videret eum mare, requieſceret in repetendo illum per fugam Dei, Iſte ſecundus Ionas deſcendit dormire, vt poſſet mare
C arguere diſcipulos pro modica fide. Mare de Iona quaſi dicebar, in iſta naui eſt quem ego quæro. Iſtud mare quaſi aiebat, ille dormit in quo vos habetis fiduciam. Non creditis quia vigilet diuinitate? propterea mittemus vos in timorem. Si ſic perfecti fuiſſent, ſicut poſtea fuerunt, dixiſſent: *non timemus:* quia non audetis mergere Dominũ & creatorem veſtrum. Dormiebat corpore, ſed concitabat mare & ventos, & diſcipulos in timorem mittebat. (*& acceſſerunt & ſuſcitauerunt eum dicentes.*) Turbauit Ionas, ſed inuitus: turbauit iſte, ſed voluntarius. Voluerunt fugere nautæ cum Iona, ſed non permiſit mare, quaſi dicens. Reddite per fugam, vt mittam illum in carcerem, & ite cum pace: Volebant iſti fugere, & quaſi diceret mare, niſi credideritis quod Deus noſter ſit, non effugietis. Recurrerunt ad hoc quod aſſueti erant, ad corpus quod videbant: non fuerunt perfecti vt dicerent: qui creauit vos vigilant, hic nobiſcum eſt, qui dormit, de ſancta Maria natus eſt, nõ tamen audetis illũ mergere. (*Domine ſalua nos perimus.*)
D Non ſobrie, ſed immoderate ſicut cum timore ſuſcitauerunt eum dicentes. *Salua nos perimus.* Et Ionas cum ſurrexit liberauit ſocios. Sed iſte per potentiam: Ionas per ſuam deiectionem. [*Et dixit eis: Quid timidi eſtis modicæ fidei?*] Modicæ fidei eſt, qui non perfectus in charitate; vel modicæ fidei eſſe Apoſtoli dicuntur, qui præſente creatore timebant. *Tunc ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.*] Dixit mari: *tace:* & vento, *obmuteſce:* & non precando ſicut pagani, qui ventum adorant, ſed imperando iuſſit quieſcere. Et inde ſequitur. [*Quia homines mirati ſunt.*] Ante quidem factum fuerat, vt multi tempeſtatem paſſi, oratione eam repellerent: imperio nullus ante ipſũ (*Et facta eſt tranquillitas magna.*) Ad hoc quod ſupra dixerat, motus magnus factus eſt: ad hoc iterum dicitur, facta eſt tranquillitas magna. Qui iuſſit fieri motum magnum, præcepit fieri magnã

tranquillitatem: & omnis creatura cognoscit suum creatorem. Homines qui mirati sunt nautæ intelliguntur. Vel si Apostolos velis intelligere, quia timuerunt præsente Domino: ideo homines appellantur [*Qualis est hic.*] Subaudi quam magnus, qui imperat insensibilibus creaturis, & obediunt ei. Lacus ille, istud seculum significat: nauis Ecclesiam: Ipse est in Ecclesia sua semper præsens, sicut dixit. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consum mationem seculi.* Sed aliquando ita permisit affligi eos, qui in Ecclesia erant à persecutionibus perfidorum, vt dicerent hi qui in ea erant. Exurge quare obdormis Domine, exurge, ne repellas in finem, sed exurrexit, & fecit Ecclesiæ suæ magnam pacem.

De sanatis duobus dæmoniosis.

CAP. XX.

ET *cum venisset transfretum: in regionem Gerasenorum.*) Gerasa vrbs est præclara in Arabia trans Iordanem: quæ fuit in tribu Manasse: non longe à stagno Tyberiadis. *Occurrunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis.*) Secundum historiam sic fuit, secundum allegoriam duos populos significant, qui in peccatis dediti erant: & in mortuis operibus, hoc est in peccatis delectabantur. (*Et clamabant dicentes. Quid nobis & tibi fili Dei? venisti ante tempus torquere nos.*) Ista confessio non est voluntatis, sed necessitatis, & tentant vt possint scire, si ipse esset Christus. Volebant enim cöiici eum per signorum magnitudinem. Et sicut dicunt aliqui doctorum, non ideo Diabolus persuasit Iudæis Christum crucifigere, quasi eum nesciret Christum esse, sed quia se non præuidit morte illius damnandum. Quod autem dicunt, *venisti ante tempus torquere nos*, sciunt pro certo, quia in die iudicij arctioribus sunt constringendi tormentis, & propterea quasi serui fugitiui de verberibus solliciti sunt, & pro his deprecantur. (*Erat autem non longe ab illis grex porcorum multorum pascens.*) Non erant ipsi porci de Iudæorum populis, sed de alienigenis, quia Iudæi abominabantur eos non solum edere, sed & tangere, sicut in Machabęorum libro legimus, quia proinde occidisse permiserunt, eo quod suillam carnem noluissent edere & quia in Dei sacrificio non offerebantur, petierunt permitti sibi introire dæmones in porcos. Et quia illi Romani qui ibi habitabant cum regib. præsulibus, non poterant eosdem porcos habere cum Iudæorum pecorib. erant in vno loco tanti congregari, (*Dæmones autem rogabant.*) Lucas dicit quia rogabāt eum, ne imperaret illis vt in abyssum irent, scientes aliquando futurum iudicium, quando per aduentū Domini mittendi erant in abyssum infernalem: deprecabantur ne cito fieret eis ipsa damnatio, siue in abyssum, in aquam profundam. Et exauditi sunt ad eorum condemnationem, quia quod timebant euenit illis. Dicunt enim aliqui doctorum quod vnusquisque Angelus malus, qui in aquam cecidit, in aqua potest nocere, & qui in terram, in terra habet potestatem: siue ideo exauditi sunt, vt per mortes porcorum crederent habitatores loci illius: sicut & factum est. Dignum sibi habitaculum inuenerunt, quia nullum pecus sordidius viuit quam porcus, & Diabolus in eis solitus est conuersari, qui more porcorum viuere solent, quia de ventre semper cogitant, *& quorum Deus venter est*, & semper in cœno luxuriæ conuersari volunt. (*Et ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare.*) Quod timebant dæmones euenit illis. (*Pastores autem fugerunt, & venientes in ciuitatem nuntiauerunt omnia. Et ecce tota ciuitas exiit obuiam Iesu.*) Propter istorum salutem leue duxit Dominus occidi porcos: quoniam nulla creatura sub sole charior Deo quam anima, & cuncta quæ habet homo debet dare pro anima sua. (*Et viso eo rogabant vt transiret à finibus eorum.*) Non de odio precabantur,

A sed de humilitate, æstimantes se indignos esse præsentia eius, quod quia ob hoc precati sunt, apparuit in reuersione eius, quomodo non solum venerunt ad eum, sed & vicinos suos inuitauerunt ad eum venire.

De paralytico sanato.

CAP. XXI.

ET *ascendens in nauiculam transfretauit.*) De regione Gerasenorum iterum transit stagnum, & reuertitur in Galilæam. (*Et venit in ciuitatem suam.*) Ciuitas sua dicitur Nazareth: non ob aliam causam nisi quia ibi nutritus fuerat. Dominus & Saluator noster exemplum præbuit prædicatoribus, vt omni instantia verbum vitæ populis annuntiarent. Vnde nunc in Gerasa, nunc in Nazareth, nunc in Caphatnaum, & tamen numquam occisus. (*Et ecce offerebant ei paralyticum.*) Alius Euangelista dicit hoc gestum
B in Capharnaum. Nil tamen obstat ita intelligi, quia cum Dominus ascendit de freto, transit per Nazareth, & venit in Capharnaum, & conuenit ad eum innumera multitudo populi: ita, vt per ostium iste paralyticus non potuisset inferri, sed nudato tecto à tegulis submiserunt illum ante Iesum. Paralyticus vel paralysis Græcum nomen est, & dicitur Latine dissolutio membrorum, vel dissolutus membris. Dicunt autem me dici, quia prę nimia abundantia sanguinis hoc eueniat. Sed non æstimo ego ita fore, quia ista passio, vix ante quadragenarium annum hominem debilitat, & scimus quia tunc iam incipit sanguis in vno quoque homine imminui, & illa pars quæ à paralysi debilitatur, quasi mortua habetur, puto ergo quia sanguis ibi emoritur. Si enim pro abundantia sanguinis hoc eueniret, iuuenibus in quibus sanguis calescit & feruet eueniret. Nunc vero semper in senibus fit: & si sanguis abundaret, profecto viuerent membra. Sed cum sanguis deficit, quia est sedes ani-
C mæ, deserit anima membra, & contrahit se vbi sanguis est. Patet virtus iuxta litteram. Moraliter homo iste peccatorem quemlibet mole peccatorum prægrauatū & desperatum designat, qui ob nimiam enormitatem scelerū nec veniam postulat peccatorum. Quem si boni viri susceperint, & ad Deum quasi reportauerint per exhortationem, & Deum supplicauerint, sanitati restituent, Vnde sequitur. (*Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico.*) Videns fidem offerentium: non illi qui desperatus est miseretur Dominus, quia si peccare quis desierit, & boni homines pro ipso orauerint, exaudientur. (*Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.*) Filium vocat quia dimittuntur sibi peccata. Tamen ostendit hic Dominus, quod multi pro peccatis suis in infirmitates decidunt. Inuenimus enim in scriptura diuina quod pro tribus causis infirmitates eueniunt hominibus: quas quidam in quinque extenuant. Dicamus ipsas quinque quæ eædem sunt. Aut
D pro enim augendis meritis infirmitas datur, vt Iob & Tobiæ. Aut pro custodia virtutum, vt beato Paulo cui *datus fuerat stimulus carnis, Angelus Sathanæ.* Aut pro gloria Dei manifestata, vt Lazaro & cæco nato. De quibusdam dicitur quod pro gloria Dei manifestanda eis euenerit. Quæ omnia vnum esse dico, quia omnibus aucta sunt merita pro ipsis infirmitatibus: licet alij tres computent: Aut pro peccatis grauantur homines, vt iste paralyticus, & illi qui audiunt ab Apostolo, quod multi indigne accipiunt corpus Domini: ideo *multi infirmi & dormiunt multi*: & Herodes & Antiochus pro suis peccatis damnati sunt, & in præsenti & in futuro, & innumeri multi. Aliquando autem remittuntur eis peccata in præsenti, & sanantur in corpore, vt isti & Mariæ in heremo. Aliquando de præsenti pœna transeunt ad futuram, vt Herodes & Antiochus. Istud vnum in duo diuidunt, qui quinq; dicunt.

Tertium adiicio intemperantiam: cum quis non custodit corpus suum iuxta naturam suam & rationem, quam solam medici mederi possunt aliquando. Nam alias non potest mederi, nisi ille solus, qui permisit dominari. [*Et ecce quidam de scribis, dixerunt intra se. Hic blasphemauit.*] Quia scribæ putum hominem putabant, & legerant in Propheta ex persona Dei dicente: *ego sum qui deleo iniquitates tuas*: ideirco blasphemiæ arguebant. [*Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum dixit eis.*] Ad cogitationes eorum respondit Dominus quasi dixisset, si legistis quia nullus potest dimittere peccata nisi solus Deus: similiter legistis quod nullus potest cogitationes hominum scire, nisi solus Deus dicente Salomone: *Tu enim solus cognoscis corda hominum*, intelligite ergo, quia qui agnosco cogitationes vestras, possum etiam peccata dimittere. [*Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris.*] Quod non possim scilicet peccata dimittere. [*Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata: aut dicere surge & ambula.*] Quid vos leuius aut quid grauius æstimatis: Forsitan surge & ambula, quia istud corporalibus oculis dicit apparere, grauius æstimatis. Vnde autem sciatis quia peccata dimittendi habeo potestatem, & peccata dimisi: propterea possum sanare eum. [*Tunc ait paralytico. Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.*] Quia non crediderunt quod videre oculis corporalibus non potuerunt, surge, vt videant quod sicut corporali infirmitate sanus sic à spirituali. Tolle lectum tuum, vt sciant quod aliter te sano quam medici terreni, nihil in te pristinæ infirmitatis appareat, in tantum, vt portes lectum, qui te non poteras conuertere in illo. Et vade in domum tuam, qui aliorum pedibus hic portatus fuisti. [*Et surrexit & tulit in quo iacuerat. Et abiit in domum suam.*] Absque mora tria fecit. Surrexit & accepit lectum, & abiit in domum suam, quia ipse non fuerat deprecatus pro salute sua, sed alij intercesserunt pro eo noluit habere eum secutorem: donec ipse ad domum suam reuerteretur, & cognosceret beneficia in se collata, & reuerteretur ad ipsum. Nam qui hac infirmitate grauantur, non solent habere perfectum sensum, ita vt cum alij pro eis doleant, ipsi quasi non intelligant, malum suum non dolentes, & apparet in hoc, quia cum emoritur pars corporis, cessat ministerium quod per eadem membra anima solita erat exercere. [*Videntes autem turbæ timuerunt.*] Turbæ quæ minus erant timuerunt, quia scribæ ausi fuerant in cogitationibus suis ei detrahere, & ipsi perfidi non timuerunt, quia mens quæ dedita est ad malum non timet ipsum malum quod ipsa agit, sicuti alij faciunt qui perhorrescunt. [*Et glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.*] Sicut imperfecti fecerunt non intellexerunt, quod in ipso homine esset, qui potestatem homini quem ipsi videbant dedisset. Et tamen aliquid boni fecerunt, si retulerunt Deo gratias, qui corpus commune habentem cum hominibus, tanta permisisset agere in terris. Si enim perfecti fuissent ipsi cum patre gratias retulissent cui placuisset in terra per se talia agere, homo ergo iste significat hominem peccatorum mole grauatum, qui pro nimia peccatorum congerie non veniam petit, æstimans non posse ad indulgentiam de tantis malis peruenire. Qui si habuerit bonos Doctores, qui eum Christo reducant & referant per spem veniæ, orentque pro ipso, impetrabunt ei opem spei & veniæ. Qui bene quatuor referuntur fuisse, quia per quatuor libros Euangelij potest ad spem veniæ reduci. Per quatuor funes submiserunt illum quia cum ipsa doctrina Euangelij necessarium est, vt virtutes quatuor prædicare, per quas perfectus quisque viam sæculi inoffense graditur. Prudentiam videlicet, fortitudinem temperantiam & iustitiam. [*Fili dimittuntur tibi peccata tua.*] Qui ante fuisti filius Diaboli faciendo eius voluntatem: efficieris filius Dei, cum liber fueris à peccato. [*Et surrexit, & abiit in domum suam.*] Surrexit qui ante iacebat peccatis, & A abiit in domum suam, id est in Ecclesiam Dei.

De vocatione Matthæi.

CAP. XXII.

Et cum transiret inde Iesus, videlicet de *Capharnaum, vidit hominem sedentem in theloneo.*] In theloneo dicitur, ad theloneum, ad curam vectigalium. Thelos enim Græce, Latine vectigal dicitur. Et vectigal census qui portari potest: à vehendo dictus. Sedebat, quia ipse magister erat, & habebat iuniores qui circumibant mercatum & accipiebant vectigal, & reportabant illi: seu etiam intus sedebat, quia mercatum super aquam erat, & accipiebat quod de nauibus soluebatur, quia & illud theloneum dicitur [*Matthæum nomine*] Alij Euangelistæ Leui eum nominant, quod non erat vulgatum. Fuit enim binonius, & propter B verecundiam & honorem & de vulgato nomine, & de ministerio quod agebat silent. Sed & ipse secundum dictum Salomonis, iustus in primordio accusator est sui: non solum Matthæum se nominat, sed & ministerium confitetur, vt & iustificari mereatur: secundum illud. *Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris*, & exempla omnibus conuerti volentibus det: quando ipse de publicano mutatus sit in Euangelistam. [*Et ait illi. Sequere me.*] Non solum gressibus corporis sed etiam imitatione actionis. Quod intelligens beatus Matthæus secundum Euangelium Lucæ: relictis omnibus secutus est eum, nec expectauit recipere censum, vel rationem reddere Domino suo, sed ex toto reliquit quod agebat, & qui solebat rapere aliena, reliquit propria. Agnoscens reatum suum, quia ipse de tribu Leui (vnde & Leui dictus est) ad templum Domino seruire debuerat, & pro philargiria vili ministerio adhæserat. Perfectam ergo formam Dominum sequendi C beatus Matthæus innotuit, qui nec damnum nec periculum suum quod ei euenire ex damno terreno poterat, quod imperfectam rationem vectigalium relinquebat, curauit. Nec mirum si tanta cupiditate Dominum secutus est ad vnius iussionis vocem: cum & audierit & viderit eum multa miracula fecisse: cum intus fuerit diuina inspiratio, quæ inuisibiliter eum accendit ad sequendum: etiam & maiestas & fulgor quæ in facie vocantis Domini relucebat (*Et factum est discumbente eo in domo, ecce multi Publicani & peccatores discumbebant cum Iesu.* Publicani hi, qui publicam rem cum aliis vsque tunc exegerant, seu conductores publicarum, vt Matthæus. Peccatores hi qui sæculi huius lucra per negotia sectabantur, vt negotiatores: vel diuersa ministeria exercentes. Sunt denique negotia quæ non exercentur absque peccato: videlicet cum quis in vno loco comparat aurum vel argentum, vel aliud simile, & nihil in eo impendit operis, D neque pro eo iter conficit & cum venerit proximus eius ad emendum duplicat pretium. Quantum super erogationem suam accipit, totum defraudat à proximo suo. Accumbebant ergo cum Domino, qui quidem fuerant Publicani & peccatores, sed iam mutato officio, & mente mutati erant. Ibat enim Dominus ad conuiuia peccatorũ, vt occasionem haberet docendi, & posset spiritales cibos ingerere inter corporeos inuitatoribus suis: etiam & humilitas eius nobis commendatur, & locus pœnitentiæ. Denique vbicumque inuitatus, statim refertur quod ibi docuerit, vel quod aliquid virtutis fecerit: non autem quod aliquis eum aut coegerit aut coniurauerit bibere, aut ipse aliquem: cum Lucas referat conuiuium magnum factum fuisse ei à Matthæo. (*Et videntes Pharisæi, dicebant discipulis eius.*) Quia magistro dicere propter venerationem signorum & sapientiam non audebant, discipulos increpabant. (*Quare cum publicanis & peccatoribus*

manducat magister vester?) Quia enim videbant, & audiebant esse locum pœnitentiæ, & exemplum habebant in magistro suo Matthæo: propterea ad magistrum confluebant. (*At Iesus audiens ait. Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.*) Dat Dominus comparationem, quod sicut medici ministerium ad sanum hominem nullum opus habent: similiter medicus animarum nullum profectum potest impendere, qui se ægrotum non confitetur, id est peccatorem in anima. Medicum seipsum dicit qui vulneratus est propter peccata nostra: & cuius liuore sanati sumus. Sanos dicit Scribas & Pharisæos, non quod veraciter sani essent in anima, sed quia ipsi se sanos esse dicebant. Infirmi erant Publicani, qui se peccatores fore fatebantur. Nequius malum apud Deum non est, quam peccatorem esse, & iustum se putare, qui si non est peccator ex eo quod se iustificat iniustus fit. Vbi enim non est confessio, nec remissio. Cum enim Dauid iustus esset in facto, cœpit esse elatus in corde. Quod malum Deus in tantum abominatus est, vt fineret labi in adulterium & homicidium, manifesta probra: quatenus dum horresceret manifesta, castigatus fieret de occulto in anima. (*Euntes autem, discite quid est: Misericordiam volo, & non sacrificium.*) Euntes vel ad vos in vos inuicem, vel ad vestros libros, qui non creditis meam doctrinam. Discite quia adhuc non intelligitis, quod vos putatis intelligere. Deus omnipotens hoc dicit per Prophetam, quia amabilius est ei misericordiam faciat aliquis proximo suo, quam sibi offerat holocausta, & qui sacrificium offerebat, alterius carnem immolabat. Qui autem misericordiam alicui impendit, seipsum in eius contritione mactat. Sacrificia enim antiquitus concessa, non pro alia re sunt instituta: nisi ne dæmonibus fierent, sicut dicit. Holocaustomata vestra nolui. (*Non enim veni vocare iustos, sed peccatores.*) Quando Deus in hunc mundum venit, nullus iustus erat, sed omnes detinebamur sub conditionis peccato. Ergo hic iustos, non vere iustos, sed putantes se iustos. Non enim peruenit nec per Christum, nec per Apostolos ad remissionem peccatorum, qui se iustum putauit, & noluit accipere baptismum, sed qui superius sani dicti sunt, ipsi hic dicuntur iusti. Vtrique falso modo. (*Tunc accesserunt ad eum discipuli Ioannis dicentes. Quare nos Pharisæi ieiunamus. Discipuli autem tui non ieiunant?* Nec Ioannis discipuli perfecti erant, qui audierant magistrum suum laudasse Christum frequenter, & vituperasse Pharisæos dicens, *genimina viperarum*: & tamen coniungebantur cum illis in discipulorum Domini reprehensione. Si autem Pharisæi vidissent Dominum ipso tempore comedentem: quomodo discipulos eius vtique reprehendissent eum quia etiam sanitates hominum in malam partem conabantur conuertere? Non erant autem ipsa ieiunia præcepta in Lege, sed ipsi Pharisæi adinuenerant, qui & alias superstitiones inuenerunt. Similiter Saducæi, vt Iosephus narrat. (*Et ait illis Iesus. Nunquid possunt filij sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus?*) Lugere pro ieiunare ponitur, quia ieiunium ad luctum pertinet. Dat similitudinem de sponso & sponsa, quod quando coniunguntur agunt dies lætitiæ, & vult seipsum intelligi spiritualiter sponsum, & Ecclesiam sponsam suam. Thalamus huius sponsi vterus sanctæ Mariæ extitit, in quo Deus homo fieri dignatus est, quando ista loquebatur, tunc ipsa fiebat coniunctio quoniam per suam prædicationem colligebat eandem sponsam suam. Idcirco dicit: *non possunt lugere filii sponsi*, videlicet Apostoli, quia per Euangelium ab ipso erant geniti. (*Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt.*) Illud tempus ostendit, quo ipse in cœlum ascendit, quia quamuis semper cum illis esset spiritualiter, tamen corporali præsentia ab eis recessit. (*Nemo autem commissuram panni rudis mittit in vestimentum vetus.*) Per omnem textum Euangelij figuræ dictio-

A num sunt, sed propter fastidium & prolixitatem libri frequenter omittimus. Per metaphoram & eius speciem allegoriæ & parabolæ facit comparationem, de inferiori ad superiore, de inanimali ad animale, quod sicut in vestimentis resarciendis si petatium nouum in vestimento veteri consuatur, illud quod nouum est aufert de veteri, quicquid sibi iunctum fuerit & peius vestimentum fit. Ita dicit Dominus fieri discipulis suis quia adhuc erant veteres pro doctrina Pharisæorum qua imbuti fuerant, si austeritatem suæ prædicationis subito imponeret, etiam aliquid fidei quod habere videbantur amitteret, sicut septuaginta discipuli fecerūt pro eo quod ipsum verbum non intellexerunt, abierūt retrorsum, & iam cum illo non ambulabant. (*Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres.*) Vinum nouum, prædicatio Euangelij, vtres veteres, Apostolos. Non solum vtres veteres mustum disrumpit, sed & magna & fortia vascula de lignis mustum disrumpit. Et similiter prædicatio Euangelij non bene intellecta ruina

B facta est multis. (*Alioquin, rumpentur vtres: & vinum effundetur, & vtres pereunt,*) id est, dissipabuntur corda eorum, & recedent à fide, & erunt perditi. (*Sed vinum nouum in vtres nouos mittunt.*) Cum fuerint noui facti per meam doctrinam, confirmati per passionem resurrectionem, & ascensionem, per aduentum Spiritus sancti, tunc obseruabunt omnia dura & aspera, & ambo conseruabuntur, & discipuli & prædicatio, quæ in eis seminata est. Et sic factum est, quia postea cruces, & tormenta, verbera sustinuerunt, qui ante vocem duram non poterant sustinere.

De filia Iairi resuscitata.

CAP. XXIII.

Hæc illo loquente ad eos, ecce princeps vnus accessit.) Loquente Domino turbis salutem animarum, venit quidam princeps Iudæorum. Qui quia sapiens

C erat in lege, & archisynagogus, id est princeps synagogæ vocabatur, quia in eorum congregationib. propter peritiam suam magister erat, & quia nobilis erat: etiam nomen indicatur ab aliis Euangelistis dicentes: *cui nomen erat Iairus.* (*Et adorauit eum dicens. Filia mea modo defuncta est.* Non erat adhuc mortua quando pater accessit, sed in via hoc ei nuntiatum est. Sed Matthæus breuitati studens, ista narrat. Quamuis ergo Iudæus esset, non dixit vt Centurio dixit: *dic & fiet*, sed veni: credens eum solū sicut Prophetam fore, licet non crederet. Attamen erat nimis malus ad cuius preces annuit Dominus agere, vt petebatur. (*Sed veni, impone manum tuam & viuet.*) Quia enim habebat aliam filiam vel filium, propterea tenere diligebat, & idcirco & ipse venit & ad pedes corruit, & cum magistro ad eam reuerti volebat, sicut mulier Sunamitis quæ non dimisit Helizeum, quousque ad filium mortuum perueniret. (*Et surgens Iesus sequebatur eum, & discipuli*

D *eius.*) Notandum quod discipuli in omnibus Domini factis memorantur adesse electi. Et digne tales effecti sunt, quia inspector cordis inspexit arcana.

Secundum Matthæi textum, septem miracula narrantur esse à Domino peracta nunc. In octauo subintrare voluit filia archisynagogi, sed surripuit mulier ematrosa, Typice archisynagogus iste Moyses intelligitur, quia dicitur Iairus, i. illuminatus, quia à Deo illuminatus est lumine fidei, scientia legis. Qui habet vnicam filiam, id est Synagogam, quam vnico amore dilexit, & pro ea Deum frequenter exorauit,

Et ad pedes eius cadere, est incarnationem eius venerari, Quia enim caput Christi Deus, pedes eius incarnatio eius non inconuenienter accipitur. Et hoc est ad pedes cadere: eum super omnes singulariter magnum fateri. (*Filia mea modo defuncta est,*) Quia paululum ante aduentum redemptoris omnem iustitiam

legis amisit. (*Surgens sequebatur eum.*) Quia cum vidit Deus deperisse Iudæos à vera vita, venit reducere A eos (*Sequebatur eum*) quoniam sicut Moyses prædixit de illo, sic per omnia fecit Dominus, (*Et ecce mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur.*) Mulier ista significat Ecclesiam ex gentibus congregatam: & sicut ista exclusa erat à domibus & à turbis duodecim annis propter sanguinis immunditiam: vnde & propterea in via venit ad Dominum, sic gentilis populus exclusus erat à cœtu fidelium pollutus ingenito carnalium fluxu. Sed cum verbo Dei cerneret saluare Iudæam, rapuit sibi salutem. Et archisynagogi filia duodecim annos habebat in infirmitate, quia quando illa cœpit secundum Deum nasci in Patriarchis ista cœpit elongari à Deo, & infirmari mente. (*Accessit retro.*) Quia cum Christus ascendit, tunc gentes cœperunt credere.

Accedere retro, est illum sequi & imitari, quia ipse dixit, *si quis mihi ministrat me sequatur.* Et alibi. *Post Dominum Deum tuum ambulabis. Et tetigit fimbriam vestimenti eius.*) Iusserat Dominus in summitate tunicæ fie- B ri fimbrias, vt sicut erat discretio circumcisio in corporibus, sic & in vestimentis. Iudæi adinuenerunt vt ponerent ibi spinas, vt quando pungerentur, retraherentur ad legem Dei, & fieret recordatio legis Dei. Sed ista non inuenit ibi spinas, quia Dominus superfluas abominationes Pharisæorum abominatus & detestatus est. Nec causa est tangere vestimentum quod carnem Domini tegebat, sed illud quod foris prominebat.

Alio modo fimbriam vestimenti eius tangere, est incarnationem eius credere. Dicebat enim intra se. *si tetigero tantum vestimentum eius salua ero.* Si credidero incarnationem eius, salua ero. Et primordium est initium immundæ cogitationis ex quo peccatum nascitur. Fons sanguinis erat origo peccati. (*Et ipsa fuerat multa perpessa à pluribus medicis,*) quia multi Philosophi fuerunt, qui de virtutib. animæ disputauerunt, & de vitiis, sed tamen veram ad medicinam gentilem populum non adduxerunt, (*Et in ipsis erogauerat omnem* C *substantiam suam*) Quia omnem laborem suum expendit gentilitas in variis poematibus Philosophorum. (*At Iesus conuersus & videns eam dixit.*) Alij Euangelistæ referunt quod dixerit, quis me tetigit? Et dixit Petrus, præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, & tu dicis quis me tetigit? Alij tangebant corporeo tactu, illa tetigit fide, qui sic tangit Dominum, meretur sanari. Ergo Ecclesia ex gentibus & tetigit fide Dominum, quia profecto corde credidit in eum, vnde alteri quæ nec dum recte credebat dicebatur. Noli me tangere, quia non perfecte in fide tangis. (*At illa venit, & procidit ante eum, Et ob quam causam tetigerit eum confessa est, quemadmodum fluxus sanguinis eius steterit continuo.*) Propter salutem aliorum ista Dominus tam diligenter requirebat, vt alij similiter studerent bonæ fidei esse, & diceretur de eis. *Filia, fides tua te saluam fecit,* in eo enim quod credidisti salua facta es. Vocatur autem ista mulier ematrosa Græco nomine: veniens D ab actu nomen eius. Siquidem sanguis Græce aima dicitur, & inde ematrosa deriuatiuum id est sanguinaria. In octauo vero loco sanatur propter octauum diem resurrectionis, quam omnis Ecclesia gentium veneratur. (*Et salua facta est mulier ex illa hora.*) Quicunque bona fide studuerit esse erga Deum, filius Dei erit, & secundum fidem ipsius fiet ei. Ecclesia quoque ex gentibus ex quo in Deum credidit, saluari cœpit, & mente & corpore. (*Et cum venisset Iesus in domum principis, & vidisset tybicines.*) Tybicines deriuatum est à tybia, & tybia dicta à tybiis hinnulorum, de quibus cœpti sunt primum fieri in Phrigia: modo vero & de Gruibus fiunt, & de matellis. Adhibebantur autem antiquitus funeribus mortuorũ: nunc itineribus principum: sonus autem qui fit ab ipso, tybicem dicitur quasi tybiæ cantus. (*Turbam tumultuantem.*) Quia vnica erat patri & matri, plorabant familiæ, quam sperauerant habere dominam post dominorum abcessum. Synagoga adhuc iacet mortua & fiunt in domo eius tumultus Iudæorum & tybicines: planctus, quos agunt inutiliter in sabbatis. Quia nondũ venit Iesus ad eos. [*Dicebat recedite.*] Quia cum venerit ad eam Dominus Iesus, recedent tumultus doctrinę eorum, & planctus irrationabiles. (*Non est mortua puella, sed dormit.*) Illis mortua erat, sed dormiebat, quia tam cito eam excitare poterat. Vnde mos obtinuit apud Christianos, vt mortui eorum qui in bona confessione discesserunt, non mortui sed dormientes vocentur, & monumenta eorum non monumenta, sed κοιμητήρια, id est dormitoria Græce vocentur. Synagoga quoque Iudæorum vobis mortua videtur, sed Deus eam resuscitabit per testes suos fideles Enoch & Heliam. (*Et deridebant eum.*) Quia potentiam loquentis necdum cognoscebant. (*Et cum eiecta esset turba, intrauit & tenuit manum eius.*) Quia verba Domini irridere quam credere maluerunt, eiiciuntur, & non merentur resuscitantem videre. Synagoga quoque nisi à se habuerit multitudines quæ intrinsecus iacet mortua, non resurget. (*Et intrauit & tenuit manum eius, & surrexit puella.*) Nisi renuerit Dominus, & mundauerit manus Iudæorum quæ sanguine plenæ sunt, synagoga non surget. (*Et exiit fama hæc in vniuersam terram illam.*) In aliis Euangelistis dicitur quod præceperit ne cui dicerent. Exemplum suis prębens, si quid boni faciunt, non curent hoc ad fauorem prædicare in populis, propter xenodoxiam. Dicitur quoque in alio Euangelista, quod iusserit illi dari manducare, videlicet ad demonstrandam eius sanitatem & resurrectionem.

Tres mortuos resuscitatos in Euangelio à Domino legimus, sed non ab re est, quod non amplius vel minus quam de solis tribus ibi narratur. Legimus enim in aliis libris, quod plures resuscitauit, & credimus quia ita est. Sed tamen non placuit Euangelistis de plurib. narrare, ordinante Spiritu sancto, quia in eis locutus est, propter mysterij Sacramentum. Igitur tres mortui in corpore significant tres mortuos in anima, quia anima quæ peccat moritur, iuxta Prophetæ dictum. Anima quæ peccauerit ipsa morietur; tres ergo mortui, tria genera hominum peccatorum sunt. Est peccator qui peccat criminali peccato, & moritur in conspectu Domini anima eius, & quia non haberit in consuetudine ipsum peccatum, veretur iram Dei, & timet futuram discussionem. Istum significat filia Archisynagogi, quæ adhuc in domo erat, quando à Domino resuscitata est. Similiter & iste peccator in cubili cordis sui tegit adhuc peccatum suum, & non est multus cognitum de eo, propterea quasi leuior est eius resuscitatio, quia si peccauit, non ad multos exemplum malum protulit, neque frequentare studuit. Alius mortuus à Domino resuscitatus est filius viduæ, & non iam in domo, sed in platea & porta ciuitatis à Domino vitæ reductus est. Et iste significat peccatorẽ letali crimine frequenter animam suam occidentem, & ad multorum notitiam propalantem. Quem etiam Dominus resuscitabit, si frequens & multimoda fuerit pro eo ad Dominum iustorum oratio. Tertium resuscitauit, defunctum Lazarum: de quo scriptum est quod fœteret: Et hic ergo significat miserrimum peccatorem, criminum enormitate grauatum, qui non solum ad multos propalauit nequitias suas, sed etiam odio est omnibus pro odore fœtoris sui, videlicet malæ famæ, quia sicut est odor bonus famæ bonæ, sic odor malus famæ malæ. Et hic ergo si lachrymæ & preces assiduę fusæ fuerint iustorum, resuscitabitur. His ergo exemplis omnes nos qui peccatores sumus veniam peccatorum nostrorum sperare possumus, si digne & instanter per ieiunia & eleemosynas, atque lachrymarum orationes mala quæ fecimus punimus, & vlterius ad vomitum peccati non reuertimur, quod Deus nobis & omnibus pœnitere volentibus concedat perfecte agere.

De duobus cæcis illuminatis.

CAP. XXIV.

ET *transeunte inde Iesu secuti sunt eum duo cæci clamantes & dicentes,*) Isti cæci significant duos populos, Iudaicum & gentilem. Qui cæci erant quando Dominus interioribus oculis eorum obcæcatis Iericho veniebat. Per Iericho mundus siue incarnatio eius designatur, quia Iericho interpretatur Luna, & per Lunam defectus siue incarnatio nostri redemptoris. (*Miserere nostri fili Dauid.*) Nisi enim crediderint, quod & filius hominis ex progenie Dauid, non recipient lumen spiritale. (*Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci.*) Quia cum ascendit in cœlum illuminauit oculos cordis per Apostolos. (*Quibus dixit. Creditis quia possum hoc facere vobis? Dicunt ei vtique Domine.*) Et Doctores quando illuminant paganos interioribus oculis, interrogant eos. *Credis in Deum patrem omnipotentem, & in Iesum*, &c. (*Tunc tetigit eorum oculos dicens. Secundum fidem vestram fiet vobis.*) Quia nisi quis corde crediderit, & ore confessus fuerit, remissionem peccatorum non consequetur. (*Et aperti sunt oculi eorum.*) Quia si crediderit, etiam si non potest intelligere mysterium Trinitatis peruenict per credulitatem ad intelligentiam verbi. (*Et comminatus est eis Iesus dicens: Videte ne quis sciat.*) Propter exemplum discipulorum suorum, quod superius diximus.

De dæmoniaco curato.

CAP. XXV.

EGressis *autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum dæmonium habentem.*] Sicut inuenimus in aliis Euangelistis, tria generalia signa in isto homine facta sunt. Erat mutus, surdus, dæmonio plenus. Siquidem in Græca lingua in qua Euangelia scripta fuerunt, sunt multæ differentiæ, quæ non sunt apud nos. Præsertim hoc nomen quod est Allalos ἄλαλος Græce solummodo mutus dicitur, Cophos κῶφος quidem, & mutus & surdus dicitur. Et beatus Gregor. dicit, quia omnis mutus naturaliter surdus est. Idcirco tantum duas infirmitates Euangelistæ dixerunt, vt ibi intelligatur surditas. Enimuero à dæmonio liberatur, & à duabus infirmitatibus: & eiecto dæmone locutus est mutus, & miratæ sunt turbæ. Turbæ quæ minus eruditæ videbantur, admirabantur semper doctrinam Domini. Pharisæi autem & Saducæi detrahebant, vel in malā partem conuertebant propter inuidiam, quia dolebant pro doctrina Domini, quia Christus à turbis & sanctior & sapientior credebatur. Sic denique Salomon dicit. *Qui addit scientiam, addit dolorem.* Quicunque scientiam habet, si non habet charitatem & humilitatem, statim habet superbiam. Et hoc est quod dicit, quod in multa scientia, si desit charitas & humilitas multa fit indignatio. Quapropter hoc erat in Pharisæis, qui dicebant. (*In principe dæmoniorum eiicit dæmonia.*) Principem dæmoniorum Iudæi Beelzebub appellabant. Sicut idolum primum in hoc mundo vocatum est Bel: sic etiam Luciferum illum, qui in Diabolum conuersus est primum Angelum de ipsius nomine vocabant. Fuit præsertim Bel filius Nini primi regis Assyriorum in mundo, qui etiam Belus Latine dicitur. De quo nomine composuerunt Iudæi istud nomen Beelzebub, id est, Bel vel Baal muscarum, hoc est habens muscas. In derisionem sic vocabant Deum paganorum & principem Diaboli, qui alio nomine Resep vocatur apud eos. Dicunt quoque quod ipse sit, qui eiecit Adā de Paradiso. De Bel in Daniele legimus, quem Babylonij colebant, quem Daniel destruxit. Porro mentiebantur, quia quasi placato Diabolo

A Dominus, vt videretur facere virtutes precaretur illum de illo quem tenebat, sed hoc nusquam factum legimus. Cæterum Dominus ostendit sicut in alio Euangelista refertur, quod omne regnum in seipso diuisum stare non potest, quia sicut in isto terreno regno, si diuisum fuerit deperit & adnihilatur, sic etiam inter Diabolos, si vnus alium eiicit de loco suo, non potest stare regnum Sathanæ. Plenius autem in aliis Euangelistis hoc exponitur, quæ Matthæus parum tetigit, sed sequamur sequentia eius, quem ad dilucidandum suscepimus. (*Et circumibat Iesus ciuitates omnes, & castella docens in synagogis eorum.*) Ostendit intentionem Domini erga salutem nostram, cum dicit, quia circumibat omnes ciuitates. Et non tantum ciuitates, sed & castella & synagogas, id est congregationes eorum. Addidit docens & prædicans & curans omnem languorem, videlicet animarum. Quoniam sicut languet corpus, similiter languet anima torpens in præceptis Dei. (*Et omnem infirmitatem in populo.*) Infirmitatem, ad

B corpora pertinet. Potest autem subauditionem habere bonorum, quia non omnes infirmos sanabat, sed eos quos dignos & bonos præuidebat, sicut legimus de his, qui in piscina Bethsaida iacebant, quod de multis vnum elegerit quem sanauerit. Vel species est synecdoche, quæ propria est scripturæ diuinæ, cum à toto pars intelligitur. (*Videns autem turbas misertus est eis.*) videlicet & in doctrina sua, vt doceret eos viam vitæ: In cibo quoque terreno saturans quinque millia de quinque panibus. Quod Matthæus præuidens alios narraturos ipse prætetit, (*Quia erant vexati à Diabolis idolisque, & iacentes sicut oues non habentes pastorem.*) Iacentes dicit in peccatis, quamuis essent oues. Et hic à toto pars intelligitur, quia non omnes futuri erant oues fore. Negligentiam sacerdotum demonstrat cum dicit: non habentes pastorem, quia Deus præceperat, vt sacerdotes legem annuntiarent populo, & præirent eos exemplo boni operis. Quod adhuc debent simili-

C ter facere reges & omnes sacerdotes; tam Episcopi quam & presbyteri. quia propterea Deus eos populis præfecit. Rex enim à regendo dicitur. Si bene non regit & defendit, non rex sed tyrannus vocatur. Quod Salomon eruditus à patre intelligens, adhuc petiit Deum augere sibi sapientiam ad gubernandum populum. Episcopi quoque inspectores Græco nomine vocantur, siue superintēdentes, scilicet in similitudine pastorum circumspicere debent, ne de aliqua parte nociua bestia suū gregē contaminet, vel conturbet. Legant Hezechielem qui pastores dicuntur, audiant tamen nihilominus quid hic dominus adiungat. (*Tunc dicit discipulis suis. Messis quidem multa, operarij autem pauci.*) Metaphora est hic, & species metaphoræ allegoria, per messem populum volens intelligi, per operarios prędicatores. Totus mundus erat in errore, quando Apostoli cæperunt prædicare. Nisi vero virtus diuina fuisset: quomodo per duodecim homines totus mundus reliquisset errores suos? Rogate Dominum messis vt eii-

D ciat operarios in messem suam. Istam messem Patriarchæ & Prophetæ seminauerunt, sed Apostoli maturuerunt eam per suas prædicationes. Patriarchæ & Prophetæ seminauerunt in lachrymis, & isti messuerunt in gaudio: quoniam istis iam erat aperta ianua regni cælorum, quæ illis clausa fuit.

De 12. Apostolis ad prædicandum missis.

CAP. XXVI,

ET *conuocatis duodecim discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum.*] Referunt Euangelistæ quod ascendēs in montem vocauit ad se quos voluit, hoc est elegit eos ex plurib. & ordinauit eos Apostolos. Breuiter Euangelistæ comprehenderunt hoc, sed septem gradus, quos rectores Ecclesiæ habent, ibi

tunc acceperunt. Nam immundos spiritus eiicere, exorcistatum est, virtutes discretionum habere, ostiariorum est, infirmos curare, diaconorum est & presbyterorum. De quibus præcipitur, vt introducantur ad infirmos, & vngant eos. Apostoli autem Græce, Latine missi dicuntur, vnde deriuatur Apostolicus. Nec equidem poterat eos ordinare Episcopos siue Apostolos, nisi alios ante gradus concederet & pro isto facto Apostoli sunt nominati. Sciendum vero, quia is qui primum fecit Moysen Apostolum; quando misit eum ad liberationem filiorum Israel, ipse fecit & hos Apostolos, & qui tunc elegerat 12. trib. ipse voluit habere 12. discipulos, vt daret intelligi quia ipsius annus constans 12. mensibus, ac dies cum 12. horis similiter & nox. Quinetiam iste numerus apud arithmeticos celeber habetur, quia & omnes perfectos & sacratos numeros in se haber, & resolutus non solum non minuitur, sed etiam augetur. Vnde & libram duodecim vnciis constare fecerunt. Duodecim quoque signa principalia in astris extulerunt. Ter enim quaterni duodecim faciunt, & ter quaterni ad prædicandum sunt missi Apostoli, vt per vniuersas quadrati orbis plagas, baptizarent gentes, *In nomine Patris & Filij & spiritus Sancti.*] In quo etiam sacramento filij Israel sic visi sunt castrametari, vt ex omni parte tres tribus essent. Et Hierusalem cælestis duodecim portas habere describitur, tres ab oriente, tres ab occidente, tres à meridie, & tres ab aquilone. In quo figuraliter ostenditur quomodo de omnibus gentibus egressura est Ecclesia, & iam ordinatio Apostolorũ in duodecimo loco signorum, quibus dedit potestatem vt curarent languores & infirmitates corporum. Sed magna distantia est inter dantem & accipientem. Quia Dominus qui dabat dicebat: *tibi dico surge*: illi dicebant. *In nomine Iesu surge.* Duodecim Apostolorum nomina hæc sunt. Catalogus Apostolorum describitur vt nullus sub nomine eorum posset aliquem decipere, vt dignitas & auctoritas commendetur. Primus Simon qui Petrus & Andræas frater eius. Simon autem ante vocationem vocatus est, quod interpretatur obediens. Cum à fratre Andræa adductus est ad Dominum, Petrus ei nomen impositum est à Domino, à firmitate fidei, idem est Cephas. Sed Petrus Græce & Latine, Cephas Syriace, Græce etiam Cephas caput dicitur, eo quod caput Ecclesiæ sit constitutus. Nostis autem & locum natiuitatis, & virtutes eius quæ in Euangelio & actibus Apostolorũ narrantur. Primũ in Cappadocia prædicauit: deinde sub Claudio Italiam venit, & viginti quinque annis pontificatum in Roma tenuit, non tamen vel quinque pedes de terra ibi in potestate habuit. Trigesimo sexto anno post passionem Domini deorsum crucifixus migrauit ad Dominum. Sepultus est ad orientalem plagam secus viam triumphalem, quæ alio nomine dicitur catacumbas, de quo loco cum à Græcis corpora tollerentur nocte, succurrit omnis populus Romanus & comprehenderunt eos: sepelieruntque in alio loco citra partem Tyberim in loco qui Lauigana dicitur: & Paulum in via Hostiensi. Andræas Græcum nomen est, & interpretatur virilis est, idest à virilitate, apo tu Andros, ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς. Vir Græce & Andros & anir dicitur quo rectissime vocatus est Andræas. Qui post discipulatum S. Ioannis Domini vestigia viriliter est secutus, & viriliter crucem ascendit, sicut liber passionis eius ostẽdit. Prædicauit in Achaia, occisus in Patras, vbi & sepultus fuit, sed Constantino deferente, in Constantinopoli iacet. Hebraice vero decorus dicitur Andræas, siue respondens.

Iacobus Zebedæi & Ioannes frater eius, à patre cognominatus, interpretatur supplantator: quia cum ad Latinitatem venit eius homen, additũ est in fine sicut solet fieri in barbaris nominibus cum in nostram linguam veniunt. Misit epistolam, quæ Canonica dicitur, ad dispersos pro Christi nomine. Ab Herode te-

A trarcha occisus; sepultus est in Achaia Marmarica. Ioannes interpretatur gratia Dei quæ requieuit in eo plusquam in cæteris Apostolis. Prædicauit in Græcia, vt sicut ipse sapientior cæteris fuit, sic mitteretur ad sapientiorem gentem. Sub Traiano requieuit in Epheso, sed nunc corpus eius non inuenitur in terra, & apertum est sarcofagum in quo iacuit, sed vacuum est. Ignorant autem quid de eo sit factum: quia ab homine non fuit ablatum. Vocati sunt denique ambo isti fratres Banarges, id est filij tonitrui. Quia illam vocem in monte vtrique audierunt, hic est filius meus.

Philippus & Bartholomæus. Philippus *os lampadis* interpretatur, & recte, quia statim vt Dominum agnouit, suo fratri adnuntiare curauit dicens. *Quem scripsit Moyses inuenimus Messiam.* In Galicia prædicauit, in Gerapoli vrbe lapidatus & crucifixus, ibi & sepultus est. Fuit autem & alius Philippus *Diaconus*, qui prædicauit in Samaria, vbi postea venit B. Petrus & Ioannes ad confirmandos eos qui crediderant. Si enim

B Philippus Apostolus fuisset, potuisset tradere Spiritum Sanctũ. Quod quia non potuit, apparet quia non fuit Apostolus. Bartholomæus interpretatur filius suspendentis aquas, pro eo quia ad prædicationem suam corda audientium ad superna accendit. Indis prædicauit, in Albana vrbe à Barbaris viuus excoriatus est & ibi sepultus.

Thomas abyssus dicitur: cognomento Didimus, quod Græce geminus dicitur. Quidam volunt dicere similis, quod similis Christo fuerit, non est tamen verum, sed qui geminus nascitur, semper similis est illi cum quo nascitur. Prædicauit Persis: in Calamina cum lanceis occisus, & ibi sepultus est. Matthæus Publicanus.

Matthæus in Hebræo *donatus* dicitur. Digne, qui datus fuit ad conscribendum Euangelium. Alij Euangelistæ Matthæum primum ante Thomam posuerũt, & Publicani nomen siluerunt, ipse quidem se præposterauit, & publicanum se fuisse confessus est iuxta il-

C lud sapientis, iustus in primordio accusator est sui. fuit autem de tribu Leui, vnde Leui cognomen sortitus est. Primum in Iudæa Euangelium suum Hebraice scripsit: post in Macedonia prædicauit, in Persida interfectus, ibi requiescit.

Iacobus Alphæi. Alphæus dicitur à patre, & à patre hoc nomen sortitus est. Est autem is qui frater Domini dictus est, qui cognominatus est iustus: ortus de tribu Iuda; dictus frater Domini, quia nepos fuit sanctæ Mariæ ex sorore sua: De templo præcipitatus, & conto percussus mortuus est, ibique sepultus.

Iudas istius Iacobi frater confessor interpretatur, & fuit trinomius, Thadæus & Lebeus vocatur: ipse est quem ad Abgarum regem missum Ecclesiastica narrat historia; in Nirata vrbe occisus & sepultus iacet.

Simon Cananæus à loco sic vocatus, qui alio nomine Zelotes dicitur, quia Cana zelus interpretatur, vbi Dominus de aqua vinum fecit.

D Iudas Scarioth de tribu Isachar, à loco Scarioth vocatus: vel ab ipsa tribu ex qua ortus est, futuro vaticinio sic vocatus qui mercedem erat accepturus pro perditione magistri. Scarioth & Isachar merces interpretantur. (*Hos duodecim misit Iesus præcipiens eis & dicens.*) Hos duodecim ordinauit Apostolos, & misit Dominus ante faciem suam in omnem locum in quo erat ipse venturus. (*Misit vero cum eis & septuaginta alios, non tamen ordinauit in aliquo gradu, nisi tantum potestatem eis dedit curandi infirmos, & eiiciendi dæmones quamdiu discipuli illius essent. Tamen postea dereliquerunt eum, etiam cum illo non ambulabant.*) Et Iudas Apostolus fuit, & virtutes in nomine eius fecit, quia sic dixerunt quando reuersi sunt. Domine, etiam in nomine tuo dæmonia subiiciuntur nobis. Ob hoc qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. Quicumque alicui bene facit, quia seruum Dei illum æsti-

mat talem mercedem à Domino recipiet, quasi ille talis fuerit qualem credidit, quia pro nomine Dei fecit. A [*Et dixit eis. In viam gentium ne abieritis.*] Ne scandalizentur Iudæi si gentibus prædicaretur ante ipsos: præcepit vt ante offerrent eis verbum diuinum, & hoc ante resurrectionem. Post denique cum repulerunt & crucifixerunt eum dixit. [*Ite docete omnes gentes, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis.*] Samaritani videbantur nec Iudæi esse, nec gentes. Iudæi non erant, quia de progenie Abraham non erãt. Gentes videbantur non esse, quia circumcisi erant, & Iudaicam legem habebant, ob hoc specialiter præcepit de eis. (Ite *potius ad oues perditas domus Israel.*) Oues appellantur secundum Psalmistam, qui regis Israel intende, qui deducis tanquam oues Ioseph. Perditas eas oues dicit, subauditur à Diabolo pro peccatis. (*Euntes autem prædicate dicentes, quod appropinquabit regnum cælorum.*) Hoc ipse primitus prædicauit, & hoc ante omnia & super omnia prædicandum est, quia aditus qui nobis interclusus fuerat per Adam, apertus est: festinent omnes in- B gredi in vitam æternam per bona opera. (*Et vt vobis credatur, infirmos curate.*) Infirmos & corpore & animo. (*Mortuos suscitate,*) & mortuos in anima, quia cum peccat anima moritur. Et corpore mortuos, vt per vnum mortuũ corpore, reuiuiscant in anima multi. (*Leprosos mundate.*) Sicut sunt leprosi corpore, sic sunt & anima leprosi variis peccatis inuoluti. Et simili modo horridi in conspectu Dei: sicut isti in conspectu hominum. (*Dæmones eiicite.*) Et de eis in quibus aperte nominantur & quib. occulte animo præsident. Dæmones dicti Græce quasi *demna*, id est periti ac rerum scij. Præsciunt enim futura multa, partim subtilioris sensus acumine, partim experientia longissimæ vitæ, partim per Dei iussum. Angelica reuelatione, corporum aereorum natura vigente. (*Gratis accepistis, gratis date.*) Sine pretio à me accepistis, sine pretio terreno impendite ipsam doctrinam, ne pro sola cupiditate putent vos prædicare. (*Nolite possidere aurum, neque argen- C tum.*) In fine dicit quare non sit necessarium dicens. (*Dignus est operarius cibo suo.*) videlicet ab his accipere quibus prædicat victum & vestitum. (*Neque pecuniam in zonis vestris.*) Quod duobus modis intelligi debet, vt neque pro ornamento aurum & gemmas in zonis suis ponerent, neque sacellos cum denariis ad zonas alligarent. Pecunia, denarios de ære dicit, vnde tunc negotiabatur. Vnde Petrus cum Ioanne dixit ad claudum, Argentum & aurum non est mecum. (*Non peram in via.*) Pera pastoralis est sacculus ad portandum panem. Vnde de Dauid dicitur. Tulit peram pastoralem, quam semper secum habere consueuerat. (*Neque duas tunicas.*) Vnam tunicam dicit sicut incedebat vestitus, ne ex aliis vestiti, alia sibi futuro metu seruarent: cum ex illa potestate possent accipere. (*Neque calceamenta.*) Et Marcus dicit, quod calceari eos scandaliis præceperit. In calceamentis spiritualium est intelligendum, vt verbum Euangelicum non occultarent: D nec etiam in terrenis commodis innitterentur, vel fuscarent pro terrenis rebus prædicationem Euãgelicam. (*Neque virgam.*) Et Marcus dicit virgam portandam. Sed Matthæus dicit de virga siluestri & corporea. Marcus per virgam potestatem Euangelicæ prædicationis vult intelligi. In virga potestas prædicationis intelligitur, vt qui voluerit viuere de Euangelio quia illud adnuntiat, faciat, qui noluerit, sit in eius potestate. Vnde & Paulus. *Nunquid non habemus potestatem de Euangelio viuere sed non sumus vsi hac potestate.* Sunt enim quædam quæ Deus præcepit, quæ qui dimiserit, reatus pœnam exsoluet: quædam vero quæ concessit, quæ & dimittere possumus & facere licet. (*Dignus est operarius cibo suo.*) Hoc in loco Paulus accipit, quod dixit. *Sic Dominus ordinauit, vt qui Euangelium adnuntiant, de Euangelio viuant.* (*In quamcumque ciuitatem aut in castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete.*) Mundus Dominus, mundos vult A habere discipulos, quia cum Spir. S. effici potest, & cum peruerso peruersus. Nec vult de domo in domum hospitari prædicatorem, ne corrumpant bonos mores colloquia mala. (*Intrantes autem in domum, salutate eam dicentes.*) Per domum habitatores debemus intelligere, quod non solum hospiti qui fama bona à nobis eligitur, benedicere debeamus: vnde retro dixerat, quis in ea dignus sit, id est benedictionem accipere, vel verba vitæ vberius audire, sed etiam omnib. hominib. pacem debemus imprecari. Et ipse insinuat quid dicere debeamus, inquit. (*Pax huic domui.*) Et ex isto præcepto Domini & ex Romanorum præcepto salutare debemus Christianos, quia sic fuit consuetudo apud antiquos nostros. Quod Hebraice & Syriace Salamalech dicitur: Græce chere: Latine aue. Sed ex mala consuetudine & doctrina adoleuit apud Palatinos, vt nullus comparem suum obuiantem imprecetur. Legant librum regum, ibi inuenient Hebræos reges ita fecisse. B Et Romani similiter, ita vt non solum homines inter se, sed per aues etiam Imperatores salutatos. Vnde est illud psittaci, à vobis aliorum nomina discam, hoc didici per me Chere Cæsar, quid noceret homini quãdo obuiat forsitan electo Dei, si diceret ille illi, saluet te Dominus. Helisæus enim Propheta vnum verbum iratus dixit pueris, & quadraginta duo ex eis perierunt. Si bonum verbum dixisset, similiter foret. [*Et si quidem fuerit domus digna, veniet pax vestra super eam.*] Hoc est si habitatores qui in domo habitant digni fuerint. Per continentem hic quod continetur ostendens. Veniet super eos quod imprecatum fuerat. [*Si autem non fuerit digna, pax vestra ad vos reuertetur.*] Quia si is cui imprecatur bonum aut pro quo operatur, non fuerit dignus accipere, dicenti vel facienti bonum merces manebit. [*Et quicumque non receperint vos: neque audierint sermones vestros, exeuntes excutite puluerem de pedibus vestris in testimonium illis.*] Puluis excutitur in testi- C monium laboris sui, quod prædicatio Apostolica ad eos peruenerit: & nec ad victum quidem necessaria acceperint, & Euangelium spreuerint. [*Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum in die iudicii: quam illi ciuitati.*] Ob hoc quia illi non habuerunt ad se missos prædicatores. Hic apparet quod diuersa tormenta sunt inter peccatores in inferno.

De persecutionibus Apostolorum.

CAP. XXVII.

E*cce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.*] Lupos appellat Scribas & Pharisæos, in medio non loco, sed odio, quia cum incipietis apparere sapientes & boni odient vos sicuti me faciunt. (*Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.*] Per prudentiam vestram deuitate doctrinam eorum malam: per simpli- D citatem columbæ deuitate eorum mala opera. Habet serpens hanc astutiam, vt omne suum corpus obiiciat percussionibus, vt caput saluũ faciat. Ita & nos facere debemus. Caput nostrum Christus est. Totum corpus dare pro Christo debemus, vt non eum negemus. Per simplicitatem columbæ, siue Spir. S. qui per eam significatus est, studeamus cum omnib. hominib. pacem habere. (*Cauete autem ab hominibus.*) Cauete, obseruate, custodite. (*Tradent enim vos in conciliis.*) Tradent, id est ad occidendum prodent, quia in me creditis (*Et in synagogis suis flagellabũt vos.*) Hoc ita fuisse liber actus Apostolorũ testatur, vbi scriptũ est, quod cæsis Apostolis denuntiauerunt ne vltra loquerentur in nomine Iesu. (*Et ad reges & præsides ducemini.* Præsides vocabãtur à præsidendo. Consules, qui prouidebant prouinciis, quod fuit Pilatus, & Albinus in Iudæa. Reges Herodes ambo, & alij quos libri passionum eorum commo-

morant. Ante quos Apostoli ducti sunt, aliqui flagellati, aliqui occisi. Quod autem præsides ante reges posuit, sciendum quod consules qui prouinciis præsidebant excellentiores erant multis regibus & habebāt in ministerio aut quatuor aut quinque prouincias cum regibus, vt Cyrinus habuit Syriam. [*In testimonium illis & gentibus.*) Quod in tantum ingessistis eis prædicationem Euangelicam, vt non solum non audirent. [*Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Sola voluntas vestra recta sit, & ipsam offerte Deo: Spiritus Sanctus loquetur pro vobis, qui in vobis habitabit. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Nouit enim Spiritus Sanctus quid cuique necessarium vel opportunum sit ad loquendum. Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.*] Quāuis per fistulam cordis vestri vox audiatur: tamen spiritus erit in vobis fons bonitatis, qui dabit incrementum & audaciam locutionis. (*Tradet autem frater fratrem in mortem.*) Hoc frequenter factum est in persecutionibus quod frater paganus Christianum fratrem prodidit ad mortem. (*Et pater filium.*) Non solum tradidit ad mortem, sed etiam multi occiderunt. (*Et insurgent filij in parentes, & morte eos afficient.*) De hoc nulla quæstio est qui satis habemus exempla. (*Et eritis omnib. odio propter nomen meum.*) Beatum odium quod pro saluatore infertur, hoc omnes Christiani debent optare. Quod autem dicit *eritis odio omnibus* subauditur malis. Nam boni non solum non odient, sed etiam amabunt vt fratres. (*Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.*) Nihil prodest bene incipere, si non vsque in finem perseuerauerit in recta fide: vel in bono opere quia lignum in quam partem ceciderit ibi manebit. Hic pronomen est in isto loco, non aduerbium & habet sensum quasi ille. (*Cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.*) De præsenti missione loquebatur, vt si eos persequerentur, reuerterentur ad eum, quia nolebat occidi donec ipse primus pro omnib. moreretur. Et tamen generale est domini præceptum. Qui noluerit consummari vitam suam per martyrium, det locum persecutori, & eat vbi possit quietius Deo seruire. Veruntamen quanto crudeliora sustinuerit pro Deo, tanto beatior erit in æterno regno. (*Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israel donec filius hominis veniat.*) De hoc dicit, quia ipse erat venturus ad prædicandum, quo eos tunc mittebat. (*Non est discipulus super magistrum.*) Hoc est, nolite quærere grandia. Me persequūtur, qui magister vester & Dominus sum: quanto magis vos qui discipuli estis & creatura mea, (*Sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius. Tunc erit perfectus discipulus si magistrum potuerit adequiparare. Si patrem familias Beelzebub vocauerunt: quāto magis domesticos suos. Si mihi qui quasi paterfamilias vobis præsum, dixerunt: in Beelzebub eiicit dæmonia, quanto magis vobis peiora dicent.*) Paterfamilias autem antiquus genitiuus est descendens à Græco, & paterfamilias ille vocatur qui suæ familiæ sic præest sicut pater. Quo nomine Dominus recte vocatur, qui discipulis dixit, vos amici mei estis. Et præcepit vt patrem ipsum inuocarent. Domesticos Apostolos appellat, quia ei per fidem & operationem domestici erant. (*Nihil opertum quod non reuelabitur, & occultum quod non scietur.*) De futuro iudicio Dominus dicit, quod in vltimo examine vniuscuiusque voluntas & opus manifestum debeat esse. Ac si dixisset. Veniet tempus in quo & vestra virtus, & eorum nequitia demonstrabitur, & recipietis vos bona pro benefactis, & ipsi mala pro malis. Opertum autem coopertum dicitur. (*Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine. Quod audistis in mysterio, apertius prædicate: quod vos erudio in paruulo loco Iudææ, in toto mundo dicite. Quod in aure auditis, prædicate super tecta.* In moré prouinciæ loquitur, vbi soliti erant supra domos stantes prædicare & de super templo, quia plana erant eorum tecta. Quod Iacobus faciebat, quando inde

A præcipitatus est. (*Et nolite timere eos, qui corpus occidunt: animam autem non possunt occidere.*) Nolite timere corpus tradere pro Christo, quia quamuis possint dissipare corpus, tamen nec animæ possunt auferre suam gloriam: nec de corpore possunt facere, vt non resurgat in gloria, quocumque modo eum incenderint vel in quācumque aquam proiecerint. (*Sed potius eum timete, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.*) Ille timendus est, qui in hoc seculo potest agere quæ voluerit de anima & corpore, & modo animam mittere in pœnas æternas, & post diem iudicij mittere corpus cum anima in eisdem tormentis. Per gehennam infernum volens intelligi. Fuit denique vallis iuxta Hierusalē, quæ dicta fuit gehennon, id est vallis Ennon, quia Hebraico sermone vallis dicitur: Ennō, proprium nomen possessoris. Fuit vero irrigua de Siloa torrente, & nemorosa. Quandocumque autem populus Israel reuertebatur à cultura Dei, ibi idola immolabant & diuinabant. Et tunc comminatus est Dominus locum ipsum impleturum cadaueribus mortuorum, vt non vocetur tophet, id est pulchra, sed poliandrum, id est tumulus mortuorum. Hoc per Hieremiam est Dominus cōminatus, & temporib. Chaldæorum completum est.

B Futura igitur supplicia huius loci vocabulo denorantur. Duplicem autem esse gehennam, in quibus peccatores cruciandi sunt, videlicet nimium frigus, & nimium calorem Iob designat, qui dicit. Ad nimium calorem transeunt ab aquis nimium. (*Nonne duo passeres asse veneunt.*) Passerum multa sunt genera: alij gaudent ad foramina parietum alij valles roscidas requirunt, nonnulli montes appetunt squalētes. Dictus est autem passer à paruitate. Iubebantur vero frequenter in veteri lege offerri, propter quasdam obseruationes siue purgationes. Dat ergo similitudinem per metaphorā de re inferiori ad superiorē, & est species parabolæ rerum genere dissimilium hortantis & demonstrantis, quam prouidentiam diuina pietas erga genus humanum habeat. Ac si dicat aperte. Si parua animalia & vi-

C lia, quæ hic videtis vendere cum vno asse, absque Dei voluntate in laqueos hominum non decidunt, quanto magis vos qui ad imaginem Dei factis estis, Dei prouidentia & tutamine custodimini? De asse namque quod est genus ponderis, id est scrupulus vnus, vel nomen numeri, diuerso modo exponūt auctores. Dicunt enim arithmetici quando numerant, asse duo, tres, & ibi habet sensum vnum Iterum in notis arithmeticorum asse duodecim vnciæ dicuntur. Potest ergo esse, vt aliquando cari essent nimium propter illas purgationes diuersas, quæ fiebant cum ipsis in tēplo Domini, & aliquādo viles. Secundum vero illum sensum potest fieri cum asse, hoc est cū vno denario, vel vno scrupulo de ære. Secundū alium vero intellectum potest fieri, vt emerentur duo cum vna libra quod est asse. Quia & Lucas cōcordat ad istum dicens. *Nonne quinque passeres veneunt dipondio?* quod sunt duæ libræ, vel scrupuli duo. Et sensus Euāgelicus ad hoc magis concordare videtur, quasi

D dicat. Illa parua animalia tam cara sunt, vt duo vna libra vēdantur, quia nullus ea potest capere nisi permittente Deo. Quid dubitatis de vobis, quod aliquis possit nocere nisi quantum à Deo permissum est? Veneunt autem passiuam habet significationem, & pro vēduntur accipitur, cuius actiuum est venūdo. Quod autem dicit *non cadet super terram*, h. e. in laqueum siue aucupium alicuius sine patris voluntate. (*Vestri autem capilli capitis numerati sunt.*) Tanta est cura vestri corā Deo, vt etiam numerum capillorum vestrorū nouerit. Sciētia numeri demonstratur non eiusdem numeri conseruatio. (*Nolite ergo timere, multis passeribus meliores estis vos.* h. e. plus valetis, & plus chari estis Deo. Melioris enim ad taxationem pertinet: meliores ad comparationem. (*Omnis ergo qui confitebitur me coram hominib. confitebor & ego eum coram patre meo qui in cælis est.* (Cōfessio hic non solum voce sed etiam opere intelligitur, quia

qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit, mendax est. [*Qui autem negauerit me coram hominibus negabo & ego eum coram patre meo.*] Et hic negatio & per vocem & per opera intelligitur, & non solum negator Dei non agnoscetur à Deo in alia vita, sed etiam ignorans Deum ignorabitur à Deo.

Quod Dominus non venit pacem mittere, sed gladium.

CAP. XXVIII.

Nolite arbitrari quod venerim pacem mittere, sed gladium.*] Arbitrari pro æstimare vel putare ponitur. Quomodo est hoc, cum in alio loco Dominus dicat, *pacem relinquo vobis*, & hic dicit, *non veni pacem mittere?* Sed sciendum quod est pax bona, & est pax mala Quando Dominus in hunc mundum venit, pacem malam mundus habebat in malo. Misit Dominus Euãgelium suum, & cæperunt cognoscere, quia non bene concordabant adinuicem. Et missum est bellum bonum, vt rumperetur pax mala. Tali modo fecisse legitur Deus cum omnis mundus qui tunc erant congregauerunt se vt facerent turrim, per quam possint explorare quid esset in cœlo, & et se defendere à diluuio si iterum foret, aut ab igne qui mundum habet delere. Immisit in vna nocte diuersitatem linguarum, & cœperunt pro hac causa discordare, & dimiserunt quod faciebant. Hoc tenore cum mundus concordans esset in adorandis idolis, immisit verbum Euangelii, & cæperunt tunc discordare bene, qui ante vnanimes in malo erant. Gladium autem, dicit separationem verbi, quia sicut gladius separat quod non potest re vniri, sic verbum Dei separauit fratrem à fratre, patrem à filio, & nurum aduersus socrum suam. Socrus est mater viri, nurus quæ filium eius habet. (*Et inimici hominis, domestici eius.*) Ad doctrinam pertinet hoc totum, quod postea euenit, vt pater esset paganus, filius Christianus, vt fuit sancti Celsi vel S. Martini pater, de quo scriptum est, *felices eius actus inuidebat.* Similiter de omnibus parentibus legimus quod alii crediderunt, alii non, & in hoc fuit separatio. Domesticus autem à domo deriuatur, scilicet qui domo sunt assueti [*Qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus.*) Ecce gladius separationis de quo dixerat. Pro isto gladio, separata sunt multa millia sanctorum à parentibus suis, & sic debent adhuc facere omnes qui volunt esse boni, & beate viuere in alia vita. Hic debẽs ordinem amoris discere, quod spõsa in Cãtico Canticorum postulat in se ordinari inquiens, Ordinauit in me charitatẽ. Ecce ordo, nec patrẽ nec matrem super Deum, sed primitus Deũ, deinde parentes, post omnes Christianos. Si autem euenerit vt pater & mater nolint fieri Christiani, vel boni, & non potes vtrumq; in simul diligere, ama creatorẽ totis viscerib. & dimitte malos parẽtes. Vnde & suo dixit discipulo. (*Dimitte mortuos sepelire mortuum.*) Super me, id est qui alicuius amorẽ meo amori præfert. *Non est me dignus*, subauditur *discipulus.* (*Et qui non accipit crucẽ suam & sequitur me.*) Allegoria est hic, per crucẽ, mortificationẽ viciorũ volens intelligi, ac si dicat, Qui non mortificat se huic seculo, & cõcupiscẽtiis eius & facit mãdata mea (quia hoc est sequi eum) non est meus dign⁹ discipul⁹ (*Qui inuenit animã suã, perdet illam.*] Per animam vita hominis intelligitur. qui inuenit vitã suã omnibus voluptatibus suis, perdet illã in alia vita. Siue alio modo. Si amas animã tuã perde illam pro Christo. (*Et qui perdiderit animã suã propter me inueniet eã.*) Hoc apparet in martyrib. Quia nõ dubitauerunt in præsẽti perdere animas pro Christo, vt modo haberẽtur in gloria cũ ipso Deo.) *Qui recipit vos, me recipit.*] Quia præceperat si necessitas eueniret, vt omnes cognatos pro eo dimitterẽt, austeritatẽ præceptorũ, auctoritate tẽperat cõcessorũ *Qui vos recipit in honore & inobauditione, & si de me quẽ vident parum videtur, sciat qui me recipit, recipit eum qui me misit, id est patrẽ, & me in diuinitate & Spiritũ sãA ctũ. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedẽ Prophetæ accipiet.* (Dat exẽplũ, quod sicut illi qui recipiebant Prophetas, quando circumibãt terrã Iudæorum docendo (vt legimus *in lib. Reg.*) quod & cellas illorũ & vtensilia eis habebant parata, receperũt à Deo mercedem, quia in nomine Domini fecerunt eis obsequia. Vnde illa mulier recepit filium suum resuscitatum ab Helia, & alia meruit habere filiũ cum esset sterilis. Et Michæas quia abscondit centũ prophetas & pauit eos tempore persecutionis, meruit Prophetiæ spiritum & ipse est duodecimus Prophetarum. Non dicit autem quod debeat recipere mercedẽ de Propheta vel de iusto, sed mercedem Prophetæ & iusti. Talem videlicet mercedẽ, qualẽ Propheta & iustus accepturi sunt, etiã si homo non est Propheta neq; iustus, & venit in nomine Domini ad nos, & nos credimus quod ita sit, & damus ei necessaria propter nomen Domini, ille mẽdacii pœnas exoluet, nos vero nõ frustrabimur mercede, quã in nomine Domini largiti sumus, quia quicunque B Iudam traditorem in nomine Domini susceperunt eo tempore quo Dominum sequebatur, eandẽ mercedẽ habuerunt apud Deum quã & illi qui Petrum & Ioannem susceperunt, quia vnus erat tunc Iudas de illis ad quos hæc Dominus loquebatur. Non enim debet considerari persona missi, sed mittentis Domini. (*Et quicunque potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam.*) Pro certo debemus credere quod quicquid boni facimus in nomine Domini, recipiemus aut in hoc seculo aut in futuro, siue in verbo siue in facto mercedem. Verum tamen si nos illum contrarium viæ Domini non cognoscimus, cæterum si in aliquo crimine mortali detentũ illum nouimus, & publicè hoc exequitur, & non vult emendari castigationibus bonorum hominum habendus est à nobis sicut ethnicus & Publicanus, quia sic præcepit Domin⁹, & Paulus dicens, *Si quis frater nominatur auarus, aut rapax, aut aliquid huiusmodi, & est, cũ huiusmodi nec cibũ C sumere.* Attendẽdũ quod non dixit solũ si nominatur, sed addidit si est, quia multi dicũtur, & non sũt, sed de de his dixit, qui & dicũtur publice, & sunt. Attẽdendũ quod dixit, *ex minimis istis*, h. e. meis, qui minimi sũt, qui sunt humiles spiritu. Nam Marcus dicit, *in nomine meo quia Christi estis* [*Et factum est cum consũmasset Iesus, præcipiẽs 12. discipulis suis.*) Cũ cõsummasset, ad perfectionem perduxisset. Aliud deniq; est quãdo dicimus consũmatus est ignis vel cibus, aliud cum dicimus cõsummatus est sermo docẽtis. Ibi finis accipitur, hic perfectio demõstratur. Præcipiens duodecim, aliud separatim præcepit duodecim, & aliud duodecim & septuaginta duob simul, duodecim secretiora, septuaginta duob. cõmunia. (*Cũ habuit perfectã ordinationem & doctrinã duodecim, transiit inde, vt doceret in ciuitatib. eorũ.*] Inde quod dicit, de mõte. Tabor vult intelligi, in quo superiora docuit. Perspiciẽdũ vero mẽte sedula, quod Dominus postquã prædicare cœpit, non cessauit per D tres annos & dimidiũ, nisi quãdo somnum cœpit, dans exemplum, vt quicunque bonum opus incipit, instanter illud exerceat. Quia qui remissus & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis, *& si tepidus fuerit, neq; frigidus neq; calidus, euometur ex ore Dei.*

Quod Ioannes de carcere mittit ad Dominum.

CAP. XXIX.

Ioannes autem cum audisset in vinculis opera Christi] Parum antequã Ioãnes comprehensus esset ab Herode tetrarcha, cœpit Dominus prædicare, ne deesset Israeli verbum diuinum post Ioannem. Ioãnes autẽ comprehensus est ab Herode tetrarcha filio Herodis, & missus est in carcerem & in vinculis, quia Herodes acceperat vxorem fratris sui, non tamem ei ipse Herodes tulerat, sed pater vxoris tulerat eam à Philippo pro

quibusdam simultatibus exortis inter eos, & dederat eam Herodi, quia ipse Herodes maioris potestatis erat, Ioannes autem quáuis Herodes ex vna parte esset Iudæus, ex alia non esset, erat enim ex vna parte de Simonis genere, & Ioannis filii eius, quia Aristoboli sacerdotis filia fuerat Marianna vxor Herodis maioris quam ipse occidit. Fuit autem Aristobolus nepos Ioãnis filii Simonis, *qui in lib. Machabaeorum legitur*. Igitur non cessauit Ioannes adnuntiare ei quia iniuste fecerat (quamuis pater ei dedisset) quod vxorem fratris sui retineret. Mulier vero cum amaret secundum maritum magis quam primum, suasit ei vt mitteret eum in carcerem In hoc ergo carcere & in his vinculis cum esset, audiuit opera Christi.

Quæ sunt opera Christi quæ audiuit; quę superius auditis facta quod videlicet sanaret omnes infirmitates in populo. [*Mittens duos de discipulis suis, ait illi.*] Sciebat Ioannes quia ipse erat verus homo, & verus rex gloriæ Dei, & quia ideo incarnatus fuerat, vt per suam mortem redimeret mũdum. Cum audiuit autem illum tantas virtutes facere, tunc cœpit cogitare dicẽs. Si ipse tantas virtutes facit, quis occidet illum. Modo innotescet mũdo, modo nullus audebit eum occidere, sed omnes venerabuntur eum. Ego credebam quod ipse deberet mori pro nobis, sed modo vnũ est è duobus, aut ipse non facit tantas virtutes quantas audio, aut si facit, nullus eum occidet, sed diligent & extollent eum, & pro tali dubitatione misit duos de discipulis, & ait illi. (*Tu es qui venturus es, an aliũ expectamus.*) Tu es qui venturus es, sicut credebam per mortem tuam ad liberationẽ hominum qui tanta facis: an aliũ debes mittere qui debeat mori pro nobis; Iste est verior sensus sicut cõiicere possumus ex factis Domini & dictis, quæ in sequentibus aperiemus. Nam non ignotam⁹ quod alij etiã in hoc loco senserunt, quod Ioannes idcirco misit discipulos ad Dominum, vt inuitaret eos ad discipulatum Domini: sicut iam aliqui erant & aliqui odibant, & detrahebant factis ipsius cum Pharisæis. [*Et respondens Iesus, ait illis.*) Alius Euangelista refert, quod iusserit venire coram se cæcos & claudos & leprosos, & curauit eos, & inde dixit. *Renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis. Virtutes quas vidistis de me fieri*: ac si mandaret, vt ille sciat, quia sic est sicut audiuit, facio coram vobis, vt ex visu vestro renuntiare possitis, & ex auditu & mirãda facio, & tamen sicut ipse credidit moriar, quia venit hora quando satis beatus & rarus erit, qui non habet scandalum erga me. *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur.* Quoties istas virtutes superius audiuimus factas à Domino & filiam archisynagogi resuscitatam. Quare autem dicit pauperes euangelizantur? Quia hoc specialiter Esaias de illo prophetauerat facturum, inquiens. *Ad adnuntiandum mansuetis terræ misit me.* Et de ipsis dixerat Dominus. *Beati pauperes spiritu.* (*Et beatus est qui non fuerit scandalisatus in me.*) Ac si apertè dicat. Iam sunt electi & perpauci, qui non debeant scandalum aduersum me sumere, & qui nolint mortificare me. Ponit autem præsens tempus pro futuro, beatus erit quoniam in conspectu Dei omnia futura præsentia sunt. (*Illis autem abeuntibus, cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne.*) Deus conscius humanæ fragilitatis, quia Ioannes homo erat, & poterat ei subripere elatio, ob hoc noluit coram discipulis suis illum laudare, sed abeuntibus illis propter exemplum aliorum & ædificationem, dixit de illo quæ immittenda forent. Exemplo ipsius nullus debet laudare quempiam in oculis eius, iuxta præceptum sapientis, ne laudaueris hominem in vita sua. (*Quid existis videre in desertum? Arundinem vento agitatã.* Arũdo dicta quod cito arescat. Hæc & canna vocatur Hebraicè & Latinè, & abundat in illa patria sicut & in Italia, ita vt sæpe ex eis fiant, & alia necessaria, & crescunt in palustri-

A bus locis in modum herbæ, quæ apud nostros vocatur. Est autem allegoria in hoc loco, aliud dicens, & aliud volens intelligi. Per arundinem instabiles homines volens intelligi. Ac si aperte dicat. Quando fuistis ad audiendam prædicationem Ioannis in deserto, nunquid vidistis illum instabilem & mutabilem, vt arundo contra ventum? Vt enim arundo vertitur in aliam partem cum ventus eam tetigerit, ita carnalis homo siue pro cupiditate, siue pro timore flectitur in aliam partem. Sed Ioannes arundo non erat, sed Cedr⁹, & de illo aliisque electis dicitur. *Iustus vt palma florebit*, &c. Malus etenim ille homo est qui propter donum, siue propter aliquem timorem Dei præceptum dimittit, vel alius est in prosperitate, & alius est in aduersitate erga dominum, vel erga proximum. Inde dicit scriptura. *Stultus vt Luna mutatur.* Ioannes autem fixus fuit in præceptis Dei, & peccatoribus non est adulatus, sed firmo corde dixit Pharisæis. *Genimina viperarũ.* Et Herodi regi. *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.*

B Et vsque ad mortem nec pro muneribus, nec pro terroribus est immutatus, & ideo à Domino laudatus, (*Sed quid existis videre in desertum? hominem mollibus vestitum.*) Iterum de hac re Dominus Ioannem laudat, quod austeram vitam tam in cibo quam in potu tenuerit. Licet enim nobiliter natus, delicate nutritus, tamen in ipsis feruidis iuuentutis suæ annis in heremum ingressus (sicut audistis) & austere vixit, & austerioribus vestimentis contectus est, quia de pilis camelorum vestimentum habuit, de qua re nunc dicitur à Domino, quando fuistis ad consulendum Ioannem, nunquid vidistis eum mollibus vestimentis vestitum? Ac si aperte dicat non cœlesti, sed terreno regi militant, qui aspera pro Deo perpeti refugiunt. Potest & aliter accipi quod Ioannes non mollibus vestimentis vestit⁹ esse dicitur, quia vitam peccantium non blandimentis fouit, sed aspera inuectione increpauit dicẽs: *genimina viperarum.* Sic etenim sapientium verba esse debẽt malis, sicut stimuli & claui in altum defixi, vt intelligant

C & meminerint peccatũ suum, vt Salomon ait, *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Attendere tamen debemus quod Dominus Ioannem de vestimenti sui asperitate collaudat. Si virtus non esset vilibus vestimentis indui, nequaquam Dominus illum de hac re laudasset, nequaquam etiam B. Petrus si culpa non esset vestimenta pretiosa quærere fæminas prohiberet dicens. Non in veste pretiosa. (*Sed quid existis videre? Prophetam, etiam dico vobis & plusquam Propheta.*] Adhuc perseuerat Dominus in laudibus Ioannis, dicit quod Ioannes non solum fuit Propheta, sed etiam plusquam Propheta. Prophetæ namque ministerium est ventura prædicere, non etiam demonstrare. Ioannes vero non solum prædixit saluatorem, sed etiam digito demonstrauit dicens, *Ecce agnus Dei.* Quid Ioannes dici debebat merito, subsequenter ostendit. Sequitur enim. (*Hic est de quo scriptum est. Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.* [Qui causam debet dicere, &

D aliquem laudibus extollere, hoc modo debet agere, vt prius repleat quod nõ est, & post consequenter exponat quod est. Ecce primo Dominus dixit, quod Ioannes arũdo vento agitata non erat, neq; mollib⁹ vestitus, post paulatim quia non solũ Propheta, sed etiam plusquam Propheta, ad vltimũ Angelũ dicit. Angelus enim *nũtius* dicitur. Et rectè Angel⁹ nũcupatur, qui cert⁹ nũtius & præco aluatoris fact⁹, manifestè ab ipso oculis & digito demõstratus est, vnusquisque fidelis qui sacerdotis nomine cẽsetur Zacharia attestante, si ministerii sui iura exequitur, Angeli nomine vocatur. Ait enim. *Labia sacerdotis custodient scientiã, & legẽ requirũt ex ore eius, quia Angel⁹ Domini est.* Studeat ergo quisquis illo nomine decoratur, vita & operibus Angelus esse, vt & in opere & sermone Deum videntibus & audientibus adnuntiet. Sequitur. (*Qui præparabit*

viam tuam ante te. Ioannes enim viam Domino præparauit, quia multis non solum prædicauit, sed & vt in eum crederent (etiam in testimonium) baptismo baptisauit. Et vnusquisque nostrum viam Domino præparat, si expulsis de corde suo vitiorum spinis virtutes ibi inserit. *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierũ maior Ioanne Baptista.*) Digno laudationis præconio Dominus Ioannem extulit, quando meritis æqualem omnibus sanctis esse dixit. Non est putandum Domino Iesu Christo illum esse comparatum, quia Dominus noster non de muliere, sed de virgine natus est, Sequitur. (*Qui autem minor est in regno cælorum, maior est illo.*) Regnum cœlorum hic Ecclesia intelligitur, in qua Christus tũc minoris famæ habebatur, sed maior erat illo diuinitate, vel alio modo. Omnis sanctus, qui iam corruptione carnis transierat, maior erat illo, quia adhuc in prælio stabat, & corruptibili carne indutus erat, propterea potest recte intelligi de illo, qui quamuis meritis paruus esset, inde tamen quia iam corruptionem carnis transcensam habebat, maior Ioãne erat, qui in carne positus peccare poterat, & amittere gratiam Dei, propterea maior ille illo erat. [*A diebus autem Ioannis vsque nunc regnum cælorum vim patitur*] Quia ipse primus prædicauit, quia appropinquabit regnum cœlorum, & qui vellent pœnitentiam agere, pateret eis aditus. Exinde cœperunt Publicani & peccatores, qui digni erant morte pro suis fraudibus agere pœnitentiam & aspirari in regno Dei. *Et violenti rapiunt illud.*) Per pœnitẽtiam efficiuntur digni cœlo, qui fuerant digni inferno. Vel etiam grandis violentia est, vt homo qui in terra natus est, cœlum velit possidere. Sed tamen hæc est misericordia Dei. Omnes enim Prophetæ & lex vsque ad Ioannem prophetauerunt. quia quicquid lex & Prophetæ de Christo prophetauerunt, postquam ipse venit completa sunt, propterea non habuerunt vltra officium. Quia postquam rex venit præcones silent. Sequitur. (*Et si vultis recipere, ipse est Helias qui venturus est*) In alio loco interrogatus Ioannes si ipse esset Helias, respondit se non esse, & nunc Dominus dicit, quia ipse est. Nunquid sibi contrarii sunt, Non Ioannes turbis stolidis de corpore suo dixit, quod non esset Helias: Dominus autẽ noster de spiritu & similitudine Ioannis discipulis suis spiritalibus spiritaliter locutus est, quod Ioannes in spiritu & operatione Helias esset, quia sicut Helias secundum Domini aduentum præuenit, ita iste præuenit primum, sicut ille austeram vitam ducens & in victu & in tegumentis, persecutionem passus est ab Achab rege & Gezabel regina pro zelo cultus Dei, ita iste eo more viuens sustinuit persecutionem Herodis & Herodiadis zelo legis diuinæ vsque (*Qui habet aures audiendi audiat.*) Vbicunque Dominus hanc clausulam subiungit intentos auditores ad spiritalẽ intellectum prouocat. Omnes enim aures corporis qui cum audiebant habebant, sed aures cordis requirebat, quibus ista dicebat, vt videlicet & superiora & sequentia spiritaliter intelligerent. Sequitur. *Cui autem similem æstimabo generationem istam.*) Adhuc in Ioannis laude perseuerat. Ostendit enim quod exemplum Ioannis generationi illi prætulerit, si imitari voluisset. [*Similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus suis dicunt.*) Pueris assimilantur Iudæi propter suas insipientias & prauitates, quia sicut puer propter iuuentutem frequenter perperam agit, similiter Iudæi quia pueri erãt sensibus erga legem Dei frequenter oberrabãt. (*Cecinimus vobis & non saltastis, lamentauimus & non planxistis.*) Isti ergo pueri Prophetæ sunt, de quibus vnus dicit: *Ecce ego & pueri mei quos mihi dedit Deus.* Et Psalmus, *ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Clamauerunt Iudæis sedentibus in foro, quia vbi ipsi erant propter mercimonias illorum, forum potest appellari. Cecinimus vobis, id est, prouocauimus vt ad nostrum canticum bona opera faceretis, & saltaretis ad nostram melodiam, sicut saltauit

A David ante arcam Domini, & noluistis. Vnde vnus ex eis dicebat *Cantabo dilecto meo Canticum patruelis mei vineæ suæ.* (*Lamentauimus vobis, vt vos ad pœnitentiam prouocaremus, & nec hoc facere voluistis spernentes vtrumque, & exhortationem, & pœnitentiam de peccatis vestris.*] Vnde & Hieremias dicebat, deducant oculi mei lacrymas per diem & noctem, & non taceant, quoniam contritione magna contrita est virgo filia populi mei, plaga pessima vehementer. [*Similis modo nunc. Venit enim Ioannes neque manducans neque bibens, & dicunt dæmonium habet, exemplum vobis præbens abstinentiæ, nec illum imitari voluistis. Veni ergo manducans & bibens vobiscum, vt lucri vos facerem, non solum non me obaudistis, sed etiam detraxistis dicentes. Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus. Quia ego cum Publicanis & peccatoribus ideo manducabam, vt dum ab eis acciperem corporeum cibum, ipsi à me acciperent spiritalem.* [Græcè melius sonat

B Oinopotlos οἰνοπότης quam Latinè, quia Græce Vinipotens sonat, Latine bibitor vini. Nec improperabant ei, quod vinum biberet, quod non est vitium si moderate potetur; sed improperabant ei, quod potens esset ad bibendum vinum. Quod tamen in Domino mendaciter reprehendebant & improperabant, sicut & reliqua, quia absque dubio & in cibo & in potu, ac in reliquis necessarius humanæ carnis modum non excessit. [*Et iustificata est sapientia à filiis suis*, id est ego qui sum sapientia Dei patris in hoc iustificatus sum à filiis meis, idest ab Apostolis discipulis meis, quod omne genus curationis & conuersionis vobis adhibuerim & omnia repuleritis.

[*Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius, quod non egissent pœnitentiam.*) Exprobrat Dominus ciuitatibus, quæ in Galilæa, per ciuitates homines qui habitant in ipsis ciuitatibus, volens intelligi, quia ipsi qui viderant eum ab infantia iuste conuersatum inter eos, non sunt imitati,

C neque exemplum conuersationis eius, neque verba prædicationis eius, cum alii multi statim vt eum audierunt prædicantem, conuersi sunt à malis suis. [*Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sydone factæ fuissent virtutes quæ in te factæ sunt, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.*) Præferuntur ergo Tyrus & Sydon vrbibus Galilææ, quia ipsæ Tyrus & Sydon naturalem legem calcauerunt. Istæ autem & legem naturalem, & legem litteræ transgressæ sunt, & prædicationem Domini despectui habuerunt. Legimus enim supra, quod circumierit Dominus omnes ciuitates, & vicos, curans omnem infirmitatem, etiam & inter eos nutritus est. Corozaim fuit oppidum Galilææ, in secundo lapide Capharnaum. Est vero nunc desertum, & interpretatur *ministerium meum.* Conueniens itaque interpretatio Domino Christo, quod ministerium eius fuerit à patre sibi commissum, etiam illos conuertere qui ibi habitabant. Bethsaidæ duæ sunt in no-

D mine, vna Bethsaida piscina quæ probatica cognominabatur, vbi languidi iacebant. Alia Bethsaida in Galilæa ciuitas Andreæ & Petri & Philippi, quæ interpretata dicitur *domus venatorum.* Et venatores possunt & in bono & in malo accipi, sicut & piscatores. Propter illos ergo discipulos Domini, qui ex ipsa secuti sunt Dominum potest in bonam partem accipi, quod ipsi venati sunt aliquos ex gentibus, sicut & piscati. Nam & aliàs venatores semper in malo accipiuntur. Sodoma interpretatur pecus propter peccata sua, quæ insipienter vt pecus egit, & ob hoc à præsenti incendio in perpetuum, quæ nunc præfertur vrbibus Galileæ. Tamen vtræque pessimæ, quia & hoc quod Dominus in prælatione eius, forte, aduerbium dubitantis posuit, perfidiam habitatorum qui in ea fuerunt designauit.

Tamen per hæc verba ostenduntur diuersa tormenta esse in inferno vt qui plus peccauit plus crucietur, & qui minus leuiora sentiat tormenta. Non est vero necesse scribere, quæ Sodoma fuerit, vel quem exitum habuerit, quia omnibus nota est historia. Et adhuc videntibus terror tremendi examinis ostenditur, ideoque ab omnibus est cauenda actio eius.

Confessio domini ad patrem, & iugum eius leue.

CAP. XXX.

IN *illo tempore respondens Iesus.*] In illo tempore quod dicit ad hoc respicit quod dixerat. Tunc cœpit Iesus exprobrare quia in illa exprobratione illarum ciuitatum, perfidia Iudæorum prætendit, qua Christum erant repulsuri, in prælatione gentium ciuitatum, gentes crediture designantur. Et interest illa confessio quod nunc est glorificaturus patrem. Quod dicit respondens, subauditur ad patrem. (*Confiteor tibi Domine pater cæli & terra.* Confessionum genera duo sunt, B vnum qua peccator confitetur peccata sua, alia confessio, quæ ad laudem gratiarum actione pertinet, quam in hoc Euangelio frequenter legimus Dominū Christum ad patrem fecisse, de qua nunc sequitur. (*Quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus & reuelasti ea paruulis.*) Sapientibus scribis & Pharisæis dicit, non quod ipsi vere essent sapientes, sed quia sibi videbantur esse sapientes, & prudentes. (*Et reuelasti ea paruulis.*) Idest humilibus, Apostolis videlicet meis.

Faciunt autem Philosophi differentiam inter sapientiam & prudentiam dicentes, sapientiam esse diuinarum cognitionem, prudentiam autem diuinarum humanarumque agnitionem. Potest etiam sapientum & prudentum nomine gens Iudæorum intelligi, quæ sibi sapiens esse visa est, propter legem & Prophetarum doctrinam quam accepit, sed quia male eam interpretata est & intellexit, propterea incertam & occultam Dei sapientiam in ea intelligere non C potuit. Gentiles vero humiles appellantur & paruuli, quia agnoscentes ignorantiam suam Domini prædicationem statim vt audiere suscepere. (*Ita pater quia sic fuit placitum ante te.*] Subauditur gratias ago. Ista confessio Græce hexomolegesis dicitur, cuius nominis duplex significatio est, quia vt pertinet ad confessionem peccatorū qua delicta nostra confitemur Domino, non quasi ignaro cui nihil occultum, sed confessio fit erroris professio, vt sit finis peccati quod in conspectu eius detestamur. Alia autem confessio est quæ ad laudem & gratiarum actionem pertinet in hoc loco. *Confiteor tibi pater cæli & terræ.* (*Omnia mihi tradita sunt à patre meo.*) Secundum eam formam qua homo factus est hæc loquitur, de electis scilicet qui credituri sunt in eum, & inde dicit omnia, subauditur *electa.* Nam secundum diuinitatem tunc tradita sunt quando de patre genitus est. Si quid quæstionis in hoc verbo videtur habere: melius silere puto quam D cursim nunc exponere, donec latiorem expositionem oportunum tempus inueniat, quia sicut canones præcipiunt, obscuræ quæstiones in populis reticendæ sunt [*Et nemo nouit filium nisi pater, neque patrem quis nouit nisi filius.*] Ista notitia secundum diuinitatis naturam intelligitur, qua pater & filius vnus Deus, & quia filius de patre processerit, vel quia æternus pater, æternus filius, æternus & spiritus sanctus, & quia semper inenarrabilis illa scientia humanis sermonibus est, quod & Propheta dicit. Generationem eius quis enarrabit? Quid autem sequitur. (*Et cui voluerit filius reuelare*) manifeste credimus, quod neque docentis hominis exterius est virtus, nisi ipsius Domini interius incrementum dantis. Nam in alio loco in hoc eodem Euangelio legimus: *Nemo venit ad me nisi pater meus traxerit eum.* Ex quibus verbis vnam operationem patris & filii & spiritus sancti intelligimus, & firma fide A credimus. Quia nisi tangente spiritu sancto quo vnus est Deus, qui vnus est, neque credere quis potest, neque intelligere quis diuinitatem potest. (*Et cui reuelat pater, reuelat filius, reuelat Spir. S.*) quia vna est operatio indiuiduæ Trinitatis. (*Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.*) Hoc in loco & gentes ad pœnitētiam vocat, & omnes qui sub pōdere peccatorum graui iugo tenebantur oppressi. Iudæi qui cælum Dei habebant suam quærebant iustitiā: Deo non erant subiecti, gentes vero ignorantes creatorem, & colentes creaturam pro creatore sub onere dæmonum seruiebant, facti lapides & ligna quos colebant, secundum psalmistam qui dicit: *Similes illis fiāt qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* Sequitur: (*Et ego reficiam vos.*) Videlicet auferendo peccata à vobis per baptismum requiescere faciam. Grauem autē esse sarcinam peccatorum Psalmista ostendit, qui ait: *Quomodo iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* [*Tollite iugum meum super vos.*] Hoc est sponte venite & credite in me, & submittite colla vestra sub iugo meo leui, quia vsque modo grauata sūt colla vestra, & attrita sunt sub iugo legis. Vnde postea Petrus causabatur dicens: *Vt quid vultis imponere iugum super ceruices nostras, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus aliquando?* Non enim inuitus aliquis credere potest, nisi voluntarius, propterea tollite iugum meum super vos quia iugum credulitas est, qua quisque Deum elegit credere & sequi. [*Et discite à me quia mitis sum & humilis corde.*) Ipsum est iugum quod super nos tollere debemus, & collum submittere, vt mites simus & humiles corde. Mites & mansueti cum omnibus bonis, quia & ipsa simplicitas est quam in colūbæ specie imitari iubemur.

Quia quantum ex nobis est pacem debemus habere cum omnibus hominibus. Quæ sunt virtutes quas Dominus discendas esse præmonuit. Non dixit, discite à me mortuos suscitare, dæmones effugare, super mare siccis pedibus ambulare, sed hoc quod possumus imitari, scilicet vt mites simus & humiles corde. In alio etiam loco dicit, *In hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis adinuicem.* Ista sunt tria signa per quæ Christi discipuli dignoscuntur. Qui ista tria non habere deprehenditur, non esse Christi discipulus cōuincitur, quāuis nomine tenus dicatur Christianus. Non est de his de quibus sequitur. [*Et inuenietis requiem animabus vestris.*] Non promittit temporalia sed spiritualia, quia quæ vidētur, corruptibilia sunt, & cito transeunt, quæ aūt post mortem iustis dantur, æterna & immarcescibilia sunt. (*Iugum enim meū suaue est, & onus meū leue.* Quomodo pōt esse hoc quod Dominus dicit, iugum suum esse leuius quam iugum legis fuit? Sed si subtiliter perpendimus, inueniemus leuiora esse præcepta Euangelii quam legis. In lege enim multa præcepta sunt, quæ Apostoli testantur non posse compleri, quia in lege opera requiruntur, quæ qui fecerit viuet in eis. In Euangelio voluntas quæritur, quæ si etiam effectum non habuerit, præmium tamen non amittit, & ea nobis præcipiuntur, quæ possumus obseruare, videlicet ne concupiscamus. In veteri lege si opus affuerit, & voluntas defuerit, punitur qui fecerit, in Euangelio ex voluntate quilibet iudicatur. Verbi gratia, si mulier oppressa fuerit & contaminata per vim, quāuis voluntas defuerit in veteri lege propter opus punitur. In Euangelio autem quia volūtas defuit, & violentiam perpessa est apud Deū virgo iudicatur.

De eo quod discipuli spicas vellunt.

CAP. XXXI.

IN *illo tempore abiit Iesus Sabbatho per sata, discipuli autē eius esuriētes cœperūt vellere spicas & mãducare.*) Sata dicuntur seminata. Erat consuetudo in illa gente

& lex, vt qui vellet ingredi in messem proximi sui, & comedere de granis, faceret quantum vellet, tantummodo falce ne meteret. Similiter in vineam ingrediens comederet racemos quantum sufficeret, foras ne efferret. Pro hac ergo lege, discipuli esurientes. [*Cum ambularet Iesus per viam, discipuli preægrediebantur & vellebant spicas, & fricabant manibus & manducabant.*) Legimus enim in hoc Euangelio, quod erant qui veniebant, & redibant multi, & non habebant spacium manducandi, & ideo quasi homines esuriebant, & mediam consolabantur, vel etiam indicat vitam austeram quia non haberent epulas præparatas, sed simplici cibo contenti essent. [*Pharisæi autem videntes dixerunt ei. Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere Sabbathis.*] Hic apparet quod ob nullam aliam causam sequebantur Dominum, nisi reprehēsionis obtentu. Quod vero nihil dicunt de damno alterius messis, nisi solummodo de violatione Sabbathi, pro illa causa dimittunt quam superius dixit. Nam & Longobardi eandem legem habent de ipsa causa, & plurimæ aliæ gentes, vt quando aliquis in messem, siue in vineam introierit, manducet quantum voluerit, foras ne efferat. Habebant vero Iudæi in consuetudine, vt in die ante Sabbathum pararent sibi cibos quos comederent in crastino, & inde vocatur ipse dies sexta feria parasceue. Hoc est præparatio. In Sabbatho vero neque cibos pararent neque ignem accenderent. Hac de causa reprehendebant Christi discipulos, quare ipsi hoc facerent. Dominus autem ostendit quia spiritaliter obseruandum est Sabbathū, & etiam quia ipse esset Dominus Sabbathi, & quia propter hominem fuisset præceptum Sabbathum. (*Dixit eis Iesus. Non legistis quid fecerit Dauid quando esuriit, & qui cum eo erant, quomodo intrauit in domum Domini & panes propositionis comedit, quos non licebat ei edere neque his qui cum eo erant, nisi solis Sacerdotibus?*) Ad confutandam Iudæorum reprehensionem veteris recordatur historiæ, quæ in libro regum refertur, scilicet quod Dauid fugiens à Saule, venit ad Achimelech Sacerdotem, & dixit ei (sicut scitis) quod rex eum mitteret, & postulauerit ab eo panes ad manducandum, vel alios cibos, & ille non habens alios panes, dederit ei illos qui erant in mensa propositionis, quibus non licebat vesci nisi à Sacerdotibus aut leuitis, & nihil aliud interrogauerit nisi si mundi essent à mulieribus. [*Intellexit ille summus Sacerdos etiam quod secundum Prophetia dictum, magis placeret Domino, facere misericordiam in aliquo suo proximo, quam offerre holocaustum,*] quia Dominus non ob aliam causam præcepit sibi offerri hostias nisi ne idolis immolarentur sicut ipse dicit in Psalmo: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo*: Ac si dicat Dominus ad Pharisæos. Si ille beatus Sacerdos non reprehenditur imo laudatur, qui misericordiam prætulit sacrificio, quare non eandem causam consideratis in discipulis meis? quamquam inter istos & Dauid magna differentia sit, quia & ille fugiebat in diebus neomeniarum, quibus non licebat incedere nisi vno miliario, & etiam panes consecratos quos non licebat laicos homines edere, comedit. Quod vero dicit, *his qui cum eo erant*, non legimus quod ibi aliquis cum illo fuerit, sed ex eo quod dixerit ad Sacerdotem. Pueris condixit in illum & illum locum, credimus quod aut secuti eum fuerint, aut per aliam viam obuiam ei venerint. Ex illa consuetudine qua beatus ille vir interrogauit si mundi essent pueri à mulietibus præceptum est in canonibus, etiam his qui legitime coniuges habent, & communicare corpus & sanguinem Domini debent, & sexta feria abstinentes ab eis, abluto corpore & vestimentis, tertia die communicent. [*Aut non legistis in lege quod Sabbathis Sacerdotes in templo Sabbathum violant, & sine cri-*

A *mine sunt.*] Sabbatho enim Sacerdotes victimas immolabant, iugulantes arietes & tauros, & cremantes super struem lignorum. Et secundum alium Euangelistam hoc addidit, quod quando euenit vt infans die Sabbatho nascatur, alio die Sabbathi vt lex impleatur quæ præcipit circumcidi, octaua die circumciditur. Et Iosue muros Hiericho septem diebus cum exercitu circumiuit, quod Machabæi intelligentes & considerantes, statuerunt postea, vt si quis eis pugnam inferret Sabbatho, bellarent aduersum eos, & fecerunt & habuerunt victorias & probauerunt quod non displiceret Deo. Sed similiter conuincit eos alia vice quando reprehendebant eum de muliere sanata, quod ipsi pecora sua in Sabbatho adaquarent, & si deciderent in puteum, eruere festinarent. (*Dico autem vobis, quod templo maior est hic.*) Non est in isto loco hic pronomen, sed aduerbium est loci, quia videlicet qui ibi loquebatur Dominus erat Sabbathi, quia ipse erat qui præceperat obseruari Sabbathum, ac si diceret. Si Dauid panem illicitum edens & Sacerdotes hostias pro populo immolantes sine crimine sunt & apud Deum & apud vos, quanto magis ego qui rex & Sacerdos verus sum, & templi Dominus & Sabbathi, non possim absque culpa discipulos meos reddere, cum pro hominum salute non licuerit ante eis edere. (*Si autem sciretis quid est, misericordiam volo & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes. Melius intellexit Abimelech illud verbum quam vos, qui non habebat exemplum ante factum, & tamen non dubitauit facere, firmiter sciens quod quæ inmundo sunt facta, nisi de adorando & laudando Deo, propter hominem creata & præcepta sunt.*] Talis est consideratio adhibenda in omnibus necessariis humanæ fragilitatis, aut in ieiuniis indictis circa infirmos, siue in abstinentiis à cibis, quia carnis cura in desideriis fieri prohibetur, non in necessitatibus. Omnes præpositi, Episcopi, Abbates, aut reliqui discere debent istum versiculum Domini. Misericordiam volo, & scientiam Dei plusquam holocaustum. [*Dominus est enim filius hominis, etiam Sabbathi.*] Hyperbaton est in hoc loco, verborum ordo turbatus. Est autem ordo talis. *Filius hominis, est Dominus etiam Sabbathi*, quia creator omnium erat qui cum eis loquebatur, & præceptor Sabbathi. Mystice discipuli per sata transeunt: Apostoli vel Doctores eum considerant quomodo vnumquemque possint ad salutem, & illam famem patiuntur iuxta exemplum Domini qui dixit: *Ego cibum habeo manducare, & meus cibus est vt faciam voluntatem patris mei.* Cum autem transeunt, vellunt spicas, quia vellunt eos à terrenis delectationibus, in quibus confixi erant. Fricare vero manibus est, per exempla sanctarum scripturarum, à concupiscentia carnis quasi à folliculis exuere. Grana vero comedere est, exutum quemque membris Ecclesiæ incorporari, & discipuli ante Dominum incedentes hoc faciunt, quia ante doctores prædicant, & sic tangit Dominus cor vt credant.

De sanata manu arida.

CAP. XXXII.

Et *cum inde transiret, venit in synagogam eorum, & ecce homo manum habens aridam. Cum ergo Dominus ipsa die peruenisset in synagogam eorum, venit homo ante ipsum & precabatur dicens: (Domine adiuua me, quia opere manuum mearum viuebam, & modo mendicabo, nisi tu adiuueris.)* Fuerat enim cementarius. Et Pharisæi antequam ipse aliquid diceret, interrogabant eum dicentes. (*Licet*

Sabbathis curare?] vt accusarent eum, id est si faceret quasi transgressorem, & si non faceret, potuisset adiurare, & nollet. [*Dominus autem sic respondit eis.*) Vt etiā propter auaritiam eorum ostenderet ipsos violare Sabbathum quod in eum reprehendebant, qui pro misericordia faceret totum quod faceret. Pharisæi enim omni die manus ad os extendebant ad manducandum & bibendum. Homo iste, spiritaliter genus humanum designat, qui postquam manum extendit ad cibum vetitum, condemnatum habuit brachium, donec venit Christus, & extendit in cruce immaculatas manus pro manibus incontinenter extensis, & sic postea genus humanum docuit, & exemplo illius ad eleemosynam, & ad bona opera manus extendere.

De ira Pharisæorum erga Dominum & Prophetia Esaiæ.

CAP. XXXIII.

Exeuntes autem Pharisæi consilium fecerunt aduersus eum, quomodo perderent eum.) Vnde meliores debuerunt fieri, inde deteriores effecti sunt. Ipsi enim centies in die manus extendebant ad os suum, & inuidia stimulante pro vna extendebant infirmi hominis necem Saluatori machinabantur. (*Hic autem sciēs, recessit inde.*) Recessit vt homo quia nondum venerat hora qua mori vellet, nec erat locus extra Hierusalem vbi pati deberet. [*Et secuti sunt eum, & curauit eos omnes.*) Qui pia fide quærunt Dominum inueniunt eum, quia iuxta Psalmistam prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. [*Et curauit eos omnes bonos, ab infirmitatibus animæ & corporis. Et præcepit eis, ne manifestum facerent.*] Secundum historiam fecit sicut homo, occultauit se ab his qui male quærebant vt eum perderent. (*Vt adimpleretur quod dictum est per Esaiam Prophetam dicentem.*) Quod dicit vt impleretur, ad hoc respicit quod dicit & curauit eos omnes, quia hoc fuerat prophetatum & per Esaiam & per alios, quod ipse curaturus esset infirmitates animarum & corporum. (*Ecce puer meus.*) Ex persona Dei patris hoc dicit Propheta.

Pueri quatuor modis dicuntur. Puer ab ætate & propter infantiam, puer septem annorum. Puer pro obedientia, vt pueri Dauid, puer pro stultitia, vt puer centum annorum morietur; puer per innocentiam hic ecce puer meus. Puer enim à puritate dicitur, quia ipse purus fuit à peccato. (*Quem elegi ad redemptionem mundi incarnari. Dilectus meus præ cæteris sicut vnigenitus, in quo complacuit anima mea, quia ipse faciet voluntatem meam irreprehēsibiliter.*) Hæc omnia secundum humanitatem accipienda sunt qua homo fieri dignatus est. Cæterum in diuinitate vnus est Deus cum ipso, qui hæc loquitur in Propheta. [*Ponam spiritum meum super eum.*] Non ad mensuram sicut sanctos meos, sed quantum corpus capere potuit. (*Iudicium gentibus nunciabit,*) quo iudicandi sunt boni & mali, & discernendi, sicut ipse postea facturum se esse testatur dicens. Cum sederit filius hominis in sede maiestatis, suæ, &c. [*Non contendet, neque clamabit.*] Non contendit cum aliquo, quia pacem portabit ore & opere: (*Neque clamabit.*) Clamor hic ad contemptionem pertinet. Sequitur enim. (*Neque aliquis in plateis audiet.*) Hoc est in lata via quæ ducit ad mortem in qua multi inueniuntur, quia non audiunt vocem Saluatoris. (*Calamum quassatum non conteret.*) Calamus quassatus, est peccator iacens sub onere peccatorum contritus à diabolo vt non possit erigere caput, quem Dominus non solum non contriuit: sed etiam manum auxilii sui porrexit dicens. Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. (*Et linum fumigans non extinguet.* (Allegoria est, & in calamo & in lino. Per linum corpus hominis, per fumum paruula notitia fidei. Linum fumigans non extinxit, sed & perfecte erudiuit dicens. *Tu credis in filium Dei? Et ille dixit quis est, vt credam in eum?* Et ait: *Et vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est. Et procidens adorauit eum.* (*Donec eiiciat ad victoriam iudicium.*) Sicut fecit cum vicit diabolum resurgendo & ascendendo. (*Et in nomine eius gentes sperabunt.*) Hoc luce clarius patet, quia vt omnes prope credunt in eum hæc verba Esaiæ. Ipse legit in synagoga Iudæorum cum surrexit ad legendum, & fideles & infideles in ipsa synagoga cognouerunt, quod de eo fuerant ista prophetata.

De dæmoniaco curato cæco & muto.

CAP. XXXIV.

Tunc oblatus est vnus dæmonium habens & cæcus & mutus, & curauit eum ita vt loqueretur & videret.) Audistis superius de illo qui mutus fuerat & surdus & dæmoniacus, quod curatus fuerit à Deo, iste fuit cæcus, in reliquis similis illi. Tria generalia signa in isto facta sunt, à dæmonio liberatus est, visum & loquelam recepit. Tunc ita iuxta historiam factum est, & spiritaliter genus humanum significat, quod cæcum erat de oculis spiritualibus & non loquebatur quæ Dei erant, quia dæmones illum obsidebant. Similiter sunt omnes pagani, & quando veniunt ad credulitatem expelluntur de eis dæmonia, aperiuntur oculi cordis eorum vt possint Deum videre, id est intelligere & laudare, quod est loquelam recipere. [*Et stupebant turba & dicebant. Nunquid est filius Dauid.*) Turbæ mirabantur, & volebant illum dicere de progenie Dauid esse, & de Bethleem vnde sciebant Christum debere nasci, sed Pharisæi contradicebant, quasi neque de Dauid progenie, neque de Bethleem esset, neque virtutes ex Deo faceret, sed quia aperte virtutes fiebant, & negare non poterant, in malam partem conuertere nitebantur, quasi per incantationes sicut magi in Ægypto facerent virtutes. Sed illi maiora signa facere non poterant: sed propter peccatum Pharaonis permissa sunt eis aliqua facere. (*Hic non eiicit dæmones nisi in Beelsebub principe dæmoniorum:*) Beelsebub sicut scitis, fuit idolum Accaron, qui interpretatur *vir muscarum.* Zebub enim musca dicitur. Iudæi enim ob sordes immolaticii cruoris, seu pro immundicia, hoc nomine Acharon vocabant, & ipsum etiam principem dæmoniorum. Et sicut beatus Beda dicit, non debemus in fine nominis aliam litteram legere, quam. b.

Dæmones autem dicti Græcè, quasi *demnas*, id est *periti*. Inest enim illis cognitio rerum plus quam hominibus partim subtilioris sensus acumine, partim experientia longæ vitæ, quia angeli boni creati, per superbiam mali effecti sunt. [*Iesus autem sciens cogitationes eorum dixit eis.*] Non ipsi verbis dixerunt sed in cordibus suis. Ad cogitationes eorum respondit vt sic compellerentur credere, scientes secundum dictum Salomonis, nullum alium scire cogitationes hominum, nisi solum Deum. (*Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur, & omnis ciuitas vel domus diuisa contra se non stabit.*) Sicut regnum si intra se diuisum fuerit cito destruitur & deperit, sic etiam regnum diaboli, si diuisum est cito decidet, quia discordia multa regna deiecit & adnihilauit, concordia vero de paruis magna fecit, & exaltauit, sic adhuc hodie videmus. O Iudæi scitis regnum diuisū diaboli, quare vos in regno eius vultis esse faciendo voluntatem eius. [*Et si ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filii vestri in quo eiiciunt.*] Filios Iudæorum duobus modis

possumus intelligere Apostolos qui ejiciebant dæmones per potestatem à Domino sibi datam, sicut legimus in hoc Euangelio, quia reuersi Apostoli dixerunt Domino: *Domine in nomine tuo etiam dæmonia nobis subiecta sunt*, vel filios Iudæorum adjuratores gentis illius dicit. Docuerat enim illos Salomon rex quasdam adjurationes per nomen Dei & eo modo ejiciebant dæmones. Hoc Iosephus narrat, quod coram Vespasiano hoc fecerint. [*Si expulsionem in filiis vestris Deo tribuitis, quare ipsum factum in me non eandem laudem habet. Et si expulsionem dæmonum Deo reputatis: corporum sanitates cui deputatis. Ideo iudices vestri ipsi erunt.*] Si ad exorcistas comparationem dicit non potestatem, si ad Apostolos refertis, quia ipsi sedebunt super sedes duodecim, & iudicabunt duodecim tribus Israel. [*Si autem ego in spiritu Dei eiicio dæmonia, igitur peruenit in vos regnum Dei.*] Ironicus est in hoc loco tropus, qui per contrarium intelligitur, sicut est in Psalmo: *Si introibunt in requiem meam*, hoc est non introibunt. Similiter in hoc loco talis est sensus. (*Quia ergo in digito Dei ego eiicio dæmonia, pro certo non peruenit in vos regnum Dei.*] Quia scientiam Dei habetis qua bonum cognoscere potestis, & à malo discernere, sed per inuidiam contradicitis bono meo operi: ideo non peruenit in vos regnum Dei. Video vestram perfidiam, quoniam vos in malo elegistis durare, ideo hæc certissime dico. Regnum Dei vel vita æterna, vel ipse Dominus, vel etiam scriptura sancta. Vnde Dominus dixit: *Auferetur à vobis regnum Dei.* [*Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa eius diripere, nisi prius alligauerit fortem, & tunc domum eius diripiet.*] *Nisi prius alligauerit fortem, & tunc domum eius diripiet.* Dat in alio Euangelista similitudinem, quod vt fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia quæ possidet. *Si autem fortior illo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius aufert in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* De se & diabolo ipsam parabolam dicens, quia antequam Dominus in hunc mundum veniret corporaliter, diabolo seruiebat iste mundus. Venit Dominus & abstulit arma eius, infideles potentes, per quos operabatur quicquid volebat, siue arma eius in quibus habitabat. Spolia eius innocentes, & ab eo decepti, vel vasa eius, illos de quibus expellebat dæmones, & sicut iste de quo ratio est, vel alij multi de quibus superius audistis. (*Qui non est mecum, contra me est.*) Et de diabolo intelligendum est, eo quod diabolus semper contraria opera facit Saluatori. Ille cupit animas hominum tenere captiuas, Dominus liberare: ille prædicat idola hic vnius Dei notitiam. Dominus amat virtutes, diabolus vitia. (*Ideoque dico vobis. Omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus, spiritus autem blasphemia non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.*] Et quomodo hoc potest esse, cum multi Arriani qui blasphemauerunt in Spiritum sanctum, quando minorem patre & filio dixerunt: & tamen reuertentes ad pœnitentiam suscepti & salui facti sunt? Sed tamen de his dicitur: *Qui cum sciant veritatem, aperte seipsos blasphemia tradunt propter inuidiam.* Nam & qui dixerit in patrem vel filium non sic leuiter remittetur, (maxime si baptisatus & Catholicus fuerit) nisi dignius pœnituerit per lachrymarum & orationum assiduitatem, ac crebra ieiunia. Etenim quia per Spiritum sanctum fit remissio peccatorum, quia quisque in similitudinem diaboli & angelorum eius contra scientiam suam maiestatem deitatis oppugnare non trepidat, non habet remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti; siue ille dicit blasphemiam in Spiritum sanctum qui non credit remissionem peccatorum, & in hoc perseuerat. Nec non & hoc dicere possumus, quod Dominus præuidebat illos ad quos hæc loque-

A batur non esse credituros, & de illis specialiter hoc dicebat. Quod vero dicit non remittendum neque in hoc seculo neque in futuro, datur intelligi esse de quibusdam peccatis in alia vita remissionem, quia quod de vno negatur, consequens est vt de aliquibus possit intelligi. Sicut est de ocioso sermone, de concupiscentiis, & de leuibus peccatis. Cæterum, de grauioribus non audemus aliud dicere quam quod Iohannes dicit: *Peccatum vsque ad mortem non dico vt quis roget pro eo.* Et Paulus inquit: *Nolite errare, neque fornicarii, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Et de his tamen si in fine tales inuenti fuerint, vel in hoc finierint. (*Aut facite arborem bonam, & fructus eius bonos, aut arborem malam & fructus eius malos.*) De seipso dicit: Quod quia bona opera sint, scilicet sanitates hominum, & verba quæ de ipso procedebāt. *Si* B *ipsa bona erant, quomodo poterant esse aliqua mala? Neque enim potest fieri vt ex malo oriatur bonum aut ex bono malum. Siquidem ex fructu arbor agnoscitur, quia sicut ramus vnus non potest diuersum fructum facere, bonum & malū, nec de vno foramine potest exire dulce & amara aqua: sic vnus homo non potest esse bonus & malus.*) Hæc omnia de illo verbo quod dixerant, in Beelzebub eijcit dæmonia, dicta sunt.

(*Progenies viperarum quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali.*) Ostendit de ipsis quod sicut mali erant in operibus, erant etiam in corde quod membra regere debet, quia interior est conscientia, quę exterius membra regit. Quare progenies viperarum vocentur, superius dictum est. (*Ex abundantia enim cordis os loquitur.*) Sicut riuus decurrens eundem habet saporem quem & fons de quo oritur, similiter & homo de hoc quod abundat interius, profert exterius in opere & locutione. Et inde sequitur: *Bonus ergo Dominus Christus de bono thesauro profert bona: & malus homo diabolus qui homo appellatur propter inuidiam, & Pharisæi de malo thesau-* C *ro proferebant mala.* (*Dico autem vobis, quod omne ociosū verbum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.*) Ad illud quod superius dixerat blasphemiæ Spiritus sancti, ista adiunguntur: quasi dicat non solum de blasphemia erunt cruciandi in inferno qui faciunt, sed & de detractionibus: verumetiam de omni ocioso verbo. Ociosum verbum est, quod aliqua vtilitate caret. Cæterum, malignum quod ad vicium trahit, aut ad ebrietatem sectandam, aut ad luxuriam illiciendam, asperius iudicabitur. Detractio enim mortale est crimen: quia qui detrahit, eradicabitur de terra viuentium: hoc est non habebit ibi radicem, si in hoc finierit. (*Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis cōdemnaberis.*) Qui dicit Dominus Iesus in Spiritu sancto, quod præcepit Apostolus dicendum, quando dicit, nemo potest dicere Dominus Iesus nisi in Spiritu sancto, potest iustificari ex verbis suis. Quique considerat quod Iacobus Apostolus ait: *Linguam*, subaudi- D tur malam *nullus hominum potest domare*: & quod Salomon dixit, mors & vita in manibus linguæ. Intellexit quomodo potest homo condemnari per linguam. Quicquid enim Arrius maxime peccauit, per linguam deliquit. Per linguam committitur illud peccatum quod superius dixit, quod non remittitur neque in hoc seculo neque in futuro. (*Tunc responderunt ei quidam de scribis & Pharisæis dicentes. Magister volumus à te signum videre.*) Alius Euangelista apertius dicit, qualia signa postularent: videlicet vel in morem Heliæ ignem de sublimi venire cupiebant, vt aliquos incenderet: sicut fecit Helias, quando duos quinquagenarios cum quinquagenis suis iunioribus occidit, vel in morem Samuelis contra morem prouinciæ tempore æstiuo tonare & fulgurare.

Apud nos enim ideo tonat ęstate, quia in occidente sumus & alleuiatę sunt nubes, propterea possunt

currere. Apud orientales autem in hiberno tonat: quia in æſtate ita puræ ſunt nubes, vnde non habeant vnde pluant, quia ſol qui ſuper eos non permittit nubes tantum imbrem colligere vnde tonitruum poſſint facere.

Non eſt enim verum quod homines credunt, quod nullus ſciat quid ſit tonitruum: ſed illud vnde Iohannes dicit quod Spiritus ſanctus in cordibus credentium, quia ſicut per iſtud tonitruum concutiuntur mortales, ita per illud terrentur mentes mortalium, & decidunt à cogitationibus & operibus ſuis. Nam illud quod ſonat in nubibus nubes faciunt illud cum habuerint aquam, & aliqui non habuerint, illæ quæ habuerint currunt: & tunc ſonat ſicut auditis, & excitant ipſum ignem quem videtis: quia omnis colliſio ignem creat vt vides in colliſione fieri cum alio ferro, vel petra cum alia petra. Quomodo enim poteſt eſſe de iſto tonitruo quod Iohannes dicit: *locuta ſunt ſeptẽ tonitrua voce ſua.* Et iterum: *De throno procedunt fulgura & tonitrua.* Sed de tonitruo Spiritus ſancti qui ſeptiformiter fit inde dicit Iohannes non de alio, quia illud eſt inenarrabile, quomodo & quibus modis corda mortalium concutiat.

De petitione ſignorum.

CAP. XXXV.

G*Eneratio mala & adultera ſignum quærit.*] Mala generatio dicitur non conditione, ſed opere. Adultera ideo, quia frequenter Deum reliquit & idola adorauit, vt per Ezechielem Dominus ei improperat, vel etiam tunc cum alias creaturas plus amabat. Nam dicit beatus Auguſtinus aſſumens auctoritatem ex illo loco Apoſtoli, & auaritia quæ eſt idolorum ſeruitus, quod eſt omnis homo qui relinquit iuſtitiam Dei propter aurum, aut pro alia creatura. Tunc fornicatur anima eius à Deo, & quaſi adorat tunc ipſum aurum & veneratur pro quo mandatũ Dei derelinquit. [*Et ſignum non dabitur ei niſi ſignum Ionæ Prophetæ.*] Recordamini hiſtoriam Ionæ, quod quando miſſus eſt ad Niniuitas prædicandum, voluerit effugere Dei præceptum: & poſtea ſicut ſcitis ſorte deprehenſus quod mare illum quæreret, in ipſum proiectus ceto abſorptus triduo ibi iacuit. Simili modo dicit Dominus de Iudæis ſignum daturum. Ionas figuram Domini prætulit, ſicut ipſe ad conuertendos Niniuitas miſſus, qui de gentibus erant: ſic Dominus Ieſus in hunc mundum ad prædicandum gentes miſſus. Mare ſignificat iſtud ſeculum, & illud turbatum eſt propter Ionam, ita & iſtud turbatum eſt propter prædicationem ipſius, quia ipſe dicit: *Non veni pacem mittere, ſed gladiũ ſeparationis.* Cetus ſignificat *terram*, ſiue *infernum*: quia terra habuit corpus, infernus animam. Quod vero quatuor dies ponuntur cum non per omnia toti tres fuerint, per Synecdochen à toto pars intelligitur: quia ipſe hora vndecima ſexta feria in ſepulchro collocatus viginti ſeptem horis ibi iacuit. Et ſicut Ionas nolebat ante abſorbitionem ire ad gentes: ſimiliter dicit ad Apoſtolos, in viam gentium ne abieritis, ſed poſt reſurrectionem præcepit eis dicens; *euntes docete omnes gentes.* [*Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam.*] non poteſtate, ſed comparatione, quia nullis videntib. ſignis ab Iona, nec multo tempore prædicatum eſt, niſi per tres dies: & illi peregrino crediderũt gentes. (*Nunc excelſior cunctis ego cõmendatus ab Ioanne, & qui multas virtutes in vobis feci & non ſolum non auditus, ſed Beelzebub vocatus. Et ecce pluſquam Iona hic.*] Quia creator ego Ionæ. *Hic* iſto loco aduerbium eſt loci, non pronomen.

Iona *columba* vel *dolens* interpretatur: Dominumque figurauit.

Niniuæ ciuitas quam ædificauit Aſſur filius Sem & A decorauit eam primus rex Aſſyriorum, & vocauit eam Niniuem ex nomine ſuo, id eſt ſpecioſam, fuitque ſedes Aſſyriorum ſemper. [*Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam.*], Regina Auſtri non audiuit de Salomone, quod virtutes faceret, mortuos ſuſcitaret, aut regnum cœlorum prædicaret, literas ſine doctore ſciret, & tamen venit, de oriente audire Salomonem. Idcirco condemnata iſta generatio pluſquam illa, quia habens illum ſecum qui ſapientiam dedit, noluit illum audire. Spiritaliter Salomon ſignificat Dominum Chriſtum, quia Salomon *pacificus* dicitur. Et iſta Regina ſignificat Eccleſiam de gentibus ad verum pacificum noſtrum conuertendam. Et ecce pluſquam Salomon hic, quia ille loquebatur de quo Salomon dixerat. *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio.* [*Dum immundus ſpiritus exierit de homine, ambulat per loca arida.*] Et de homine liberato à dæmonio, poteſt intelligi, quia ſi ſe non cuſtodiret à malis operi- B bus, iterum traderetur cui fuerat traditus, & de Iudęis qui ſic peruerſe Domino contradicebant, qui peiores futuri erant poſt contemptam legem litteræ & prædicationem Domini, quam ante acceptam legem fuiſſent. Cum enim legem acceperunt exiit ab eis diabolus & ambulauit ad gentes; ſed modo habet dimiſſas gentes, & eſt reuerſus ad Iudæos.

Per ſcopas vnde domus mundat doctrina Iudæorum intelligitur vacans, quia Deum non habebat, qui dixit: *Transeamus ex his ſedibus*, vt Ioſephus refert, propter ſeptem ſpiritus, ſeptem vitia principalia. [*Adhuc eo loquente, ecce mater eius & fratres eius.*) Fratres eius non ſanctæ Mariæ, ſed nepotes vel alij conſobrini, qui in ſcriptura ſancta fratres appellantur: vt Loth dictus eſt frater Abraham cum eſſet nepos eius. Iſte qui ei hoc nuntiauit tentando faciebat, vt videret ſi terrenis cœleſtia præponeret, & deſereret prædicationem propter carnalem cognationem. Sed ipſe oſtendit, quia melior eſt ſpiritalis fraternitas quam carnalis. C Si vero vtræque ſimul ſunt, duplex bonum eſt: ſicut erat in ſancta Maria, quia mater efficitur quis, cũ aliquis per verbum eius in Chriſto renaſcitur, ſicut Paulus dicit: *per Euangelium ego vos genui.* (*In illo die exiens Ieſus de domo ſedebat ſecus mare, & congregatæ ſunt ad eum turbæ multæ, &c.*) Non ſolum dicta Domini, ſed & facta plena ſunt myſterijs. Quod Dominus de domo illa egreſſus eſſe dicitur, vbi Iudæi nefanda verba in eum iactabant, ad mare venit, oſtendebat relictũrũ ſe Iudæam ob meritum facinorum & verborum nefandorum, & ad gentes tranſiturum quæ ſignificantur per mare tumidum atque fluctuoſum, quia ſicut illud omni vento mouebatur, ſimiliter & gentes omni doctrinæ agitatione mutabantur. Nam notum eſt omnibus de quo mari dicat, ſcilicet de lacu Geneſar, vbi ſolitus erat introire, & de naui docere turbas. Erat autem in Galilæa Iudæorum habens in longitudine centum quadraginta ſtadia, & in latitudine quadraginta, habens in ſe omnia genera piſcium qui extra D mare inueniuntur. Habens quoque ſuper ſe ciuitates ædificatas, & pro diuerſitate adjacentium prouinciarum vel ciuitatum, diuerſa nomina ſortiebatur, vt mare Galilææ à prouincia, & mare Tyberias à ciuitate vocabatur; Geneſar autem Græco vocabulo dicebatur, quaſi generans ſibi aurum, de ſeipſo ferebatur excitare tempeſtates. Hauſtus eius purior, & ad potandum dulcis & habilis. Littus dicitur, eo quod ibi illidatur aqua, id eſt percutiatur veniendo. (*Erat autem conueniens locus ad docendum: quia poterat videri & audiri, ab omnibus, & non poterat comprimi à turba, & locutus eſt eis multa in parabolis.*] Conſuetudo erat incolis illis cum ſimilitudinibus loqui frequentius: idcirco Dominus morem quem audire ſoliti erant ſequitur. (*Ecce qui ſeminat exiit.*) Dat ſimilitudinem de terrena ſeminatione, quod ſimili modo etiam ſpiritalis agi-

tur. *Exiit qui seminat*: Dominus Iesus. *Exiit à patre*, descendit de cœlo. (*Seminare semen suum*,) Verbum Euangelij. [*Et dum seminat aliud cecidit secus viam.*) Id est in illos cecidit quos diabolus solet frequenter visitare, & quasi inhabitare. Et ideo conculcat semen verbi, quia aufert & superinducit alias curas. Quod dæmones volucres vocantur, quia discurrunt per aëra in morem volucrum. [*Et aliud cecidit super petram*] Petram Dominus duritiam cordis exposuit, terram fidem stabilem, solem feruorem persecutionis qui dum surgit aduersitas negant Dominum vel deserunt iustitiam. [*Alia autem ceciderunt in spinas & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea.*) Spinas diuitias Dominus esse exposuit, quando his prædicatur verbum qui diuites sunt, tunc cum gaudio suscipiunt verbum. Sed cum hora illa transierit, & ipsi reuersi fuerint ad ipsas diuitias, pungunt ex omni parte ipsæ suggestiones, & quia subest illis posse quod voluerint, faciunt quod delectationes suggerunt, & dimittunt quæ in Ecclesia audierunt. [*Aliud cecidit in terram bonam & dabit fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum.*) Secundum agriculturæ rationem inuenitur terra transmarina, quæ multiplicetur in semine centies vel sexagies, seu tricies. In nostra terra hoc non inuenitur, quia nostra terra in comparatione illius terræ, in qua Dominus hæc loquebatur, sterilis est, quasi siluestris. De spirituali vero semine ille profert centesimum, qui cum aliis virtutibus virgo corpore & animo perseuerat: sicut sancta Maria, & multæ virgines. Sexagesimum fructum refert qui multo tempore in viduitate iustam ac bonam vitam ducit, vt Anna fecit, quæ in hoc Euangelio collaudatur. Trigesimum quoque fructum profert qui sociatur coniugio & legitimo tempore fuerit vsus, cæteris quoque virtutibus ornatur, non obliuiscitur præcepta sui creatoris, vt Zacharias. Hi sunt ergo tres ordines electorum per quos Ecclesia constat. Quæ restant simul cum Domini expositione prosequemur. [*Et accedentes discipuli dixerunt.*] Quærendum est quomodo accesserint discipuli ad Dominum, cum in naui esset, videlicet cum ipso erant in naui. [*Quia vobis datum est nosse mysterium regni cælorum, illis autem non est datum.*] Vobis propter fidem rectam & charitatem quæ in vobis sunt, digni estis scire & intelligere secreta Dei, illi vero propter inuidiam quam habent non sunt digni scire secreta Dei, quia in maleuolam animam non introibit sapientia. Erant enim inter eos multi boni, & multi mali, eos qui boni erant tangebat Dominus in cordibus, vt aut reuerterentur aut perseuerarent, vsquequo intelligerent quod parumper audierant. (*Qui enim habet dabitur ei & abundabit.*] Quia qui habuerit fidem siue charitatem, accipiet & reliquas virtutes. [*Qui autem non habet subauditur charitatem & quod habet, id est videtur vt habeat, auferetur ab eo.*) *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident.*) Hoc est oculis corporis vident, & oculos cordis habere nolunt propter inuidiam & incredulitatem. (*Similiter audientes auribus corporis, auribus cordis nolunt audire vt intelligant. Et hoc Prophetatum fuit ab Esaia, quia ipsi repulsuri essent prædicationem meam. Incrassatum est cor populi huius de peccatis.*) quia sicut saginatur anima per verba Dei, similiter impia anima incrassatur de malo. Et quia auribus grauiter audierunt de Domini prædicatione, reprehendere studuerunt. Et quare eis hoc venerit, Propheta sequitur dicens: *Oculos suos clauserunt, præcessit duritia, & cor impœnitens: quæ eos non permisit conuerti vt sanarentur.* [*Vestri autem beati oculi qui vident, & aures vestræ quæ audiunt.*) Ipsos oculos quos in Iudæis blasphemauit, ipsos laudat in Apostolis, & aures similiter spiritales, quibus videbant & audiebant Saluatorem, quia oculis carnis eum videre & non cordis, sicut eum vidit Herodes & Pilatus, magis est condemnatio quam saluatio. (*Amen quippe dico vobis, quod multi Prophetæ & iusti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt.*) Scilicet cum viderunt in spiritu, sicut Abraham & Dauid desiderauerunt etiam verisque oculis videre, sicut Apostoli corporalibus & spiritualibus, quia cum scirent appropinquare liberationem suam vt non tam diu in potestate tenebrarum detinerentur sicuti longo tempore detenti sunt vsque tunc. Vnde & dolens Iob dicebat: *Si sustinuero, infernus domus mea est, in tenebris straui lectum meum.* (*Vos ergo audite parabolam seminantis.*) Audite obscura dicta cum reseratione similitudinis. Nunc exponit Apostolus quod aliqui in turba non fuerunt digni audire. (*Omnis qui audit verbum regni.*] Subauditur Dei, illa parabola illis speciatim attinet qui tunc eam audierunt, sed fit similis ratio adhuc in Ecclesia eius. *Omnis qui audit verbum regni non intelligit, venit diabolus & tollit quod seminatum est in corde eius.* Ob hoc debet omnis homo qui audit in Ecclesia verbum, inquirere, quousque intelligat, & in opus mittat. [*Hic est qui secus viam seminatus est.*] Iuxta viam dæmonum quam habent maligni in corde illius factam, mala assiduè cogitando. De illis nihil dicitur hic, qui nec audire dignantur corporis aure, qui plus istis rei habentur. (*Qui autem super petram seminatus est, hic est qui verbum audit & continuo cum gaudio suscipit illud, non habet autem radicem, sed est temporalis.*) Dominus exponit, propterea non est necesse exponere, sed similes sunt modo tepidi Christiani, qui propter iram alicuius potentis siue donum deserunt veritatem, & conuertuntur ad iniustitiam. Et est aliqua differentia inter illum qui in tribulatione deserit veritatem, & qui absque tribulatione sponte relinquit iustitiam. Vnde & sequitur. (*Facta autem tribulatione propter verbum continuo scandalizatur.*) Qui enim absque tribulatione veritatem deserit, peior est quam paganus. (*Qui autem seminatus est in spinis, hic est qui audit, & sollicitudo seculi istius & fallacia diuitiarū suffocat verbum.*) Sicut enim spinæ pungunt, sic etiam frequenter tangunt sollicitudines diuites quomodo possint acquirere, qui quo plus habent, plus desiderāt, quia *crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.* Tangit enim cura mentem, quomodo acquisitionem custodiat, tangit cura à quo his vorando incumbat: sicut ille qui dicebat, habes reposita multa bona in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.

Fallaces vero dicuntur, quia fallunt & decipiunt confidentes, vt illi responsum est: *Hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autē parasti cuius erunt*: *Qui vero in bonam terram seminatus est, qui audit verbum & intelligit, & facit: aliud centesimum, aliud sexagesimum, & aliud trigesimum.*) Per centesimum virginitatis siue omnis perfectio virtutum, quia centenarius perfectus est numerus: & sicut computando centenarius de leua transit in dexteram: sic is qui virginitatem & perfectionem virtutum immaculate custodit, de præsenti seculo in vitam æternam transiet. Per sexagesimum continentum vita perfecta opere & ratione, quia in sexta die Deus opera sua perfecit: & de sexto sexaginta consurgit. Vnde in computi ratione sexaginta per coartatum articulum exprimitur: qui sine vxore est, debet cogitare quæ Domini sunt, & non esse in delicijs, neque vir, neque mulier ne mortuus in conspectu Dei diiudicetur. Vt Paulus de vidua, viuens in delicijs mortua est. Triginta quoque in expositione sua quasi marem ac fœminam prætendit, cum ipsi articuli quasi osculando se conjungant.

Aliam parabolam proposuit illis dicens: [*Simile est regnum cælorum homini patri, qui seminauit bonum semen in agro suo.* Et istam parabolam Dominus expositurus est, sed tamen sumamus ea quæ ipse dixit: *Qui seminat bonum semen, filius hominis, ager iste mundus.* (*Cum autem dormirent homines.*) videlicet cum magistri Ecclesiarum non essent studiosi ad meditandū diuina eloquia,

Quod cauere debent Episcopi & præpositi Ecclesiarum ne de eis similiter dicatur, sed debent instare & per se suosque quantum possunt vt annuntient populo peccata eorum, vt sciant quæ cauere debeant: & qualiter à veniente gladio custodire. *Bonum semen*, filius Dei: *inimicus* eius diabolus, qui inimicus Dei & hominum est, ex quo in Paradiso illum positum vidit. *Zizania* filij diaboli per opera, herba & fructus, opera. Accedentes aut seruiẽ patrisfamilias, angeli Domini: *Inimicus homo*, diabolus, de quo dicitur: *Exurge Domine, non confortetur homo.* (*Ne forte colligentes zizania.*] Zizania quæ alio nomine lolium dicitur, iuxta agriculturam est semen nequã, quod nascitur inter speltã, de qua quis tunc quando colligitur comederit, non habet plenum sensum ad horam. Ita quicunque à Deo dissentit, non est plenæ mentis. Hic autem mali homines, Domino exponente intelliguntur. [*Serui autem dixerunt. Vis imus & colligimus ea? Et ait, non: ne forte colligentes zizania eradicetis cum eis & triticum. Sinite vtraque crescere vsque ad messem.*] Hic debent omnes reges Episcopi & præpositi exemplum capere, ne de incertis causis iudicium promant, antequam veraciter crimen agnoscant. Herba enim imperfectam ætatem significat, vel occulta opera: quæ omnia sustinenda sunt vsque ad perfectam cognitionem. Nam quod beatus Paulus præcepit. *Auferte malum ex vobis*: de apertis & manifestis præuaricatoribus præcipit. Quod dicit *ne forte colligentes zizania, eradicetis & triticum*: vtrumque in hoc dicto, & Dei patientia monstratur, quia ipse patienter malos expectat, vt conuertantur, non conuersos durius damnat: & quia hic qui hodie zizania videtur fore, cras potest esse triticum Dei. [*In tẽpore Messis dicam Messoribus: Colligite primũ zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum.*) Quia videlicet tunc mittetur auari cũ auaris, luxuriosi cũ luxuriosis: & vnusquisq; cui similis fuit in moribus, illi sociabitur in pœnis. Triticum, iusti, horreum, vita æterna. [*Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius.*] De Ecclesia omnia scandala, qui scandalizauerit electos suos, & eos qui faciunt iniquitatem, Non dicit qui fecerunt, sed qui adhuc in hoc erant. [*Ibi erit fletus, & stridor dentium.*) Per fletum & stridorem dentium & nimia tormenta & vera resurrectio corporum designatur. [*Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris.*] Dominus lux cœlestis, & sol in ea erit, & sancti participando claritatem eius quasi sol fulgebunt. (*Simile est regnum cælorum grano synapis.*] in præsenti Ecclesia vnusquisque fidelis accipiat verbum Euangelij, & recondat in agro suo. Hoc est in pectore & in corde suo. (*Quod minimum est omnibus seminibus. Cum autem creuerit, maior est omnibus oleribus.*) Sicut est doctrina Euangelij, in facie minima apparet, & in auditione, sed in virtute flagrantior atque excellentior cunctis doctrinis. [*Iudæis scandalum, Gentibus stultitia visum fuit.*) Deum mortuum fuisse pro seruis suis, & resurrexisse tertia die. Sed tamen nulla doctrina Philosophorum sic impleuit mundum sicut ista, nec vlla doctrina præmium fuit vitæ æternæ nisi in hac, ita vt volucres cœli veniant & habitent in ramis eius. Volucres prædicatores seculi. Rami huius exempla scripturarum, per quæ animæ fideles ad cœlestia volare, & neglectis temporalium cupiditatibus rerum, sursum habere cor consueuerunt. (*Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus.*] Fermentum à feruendo dicitur, id est calefaciendo, & fit de fęce vini, aut ceruisiæ. Satum genus mensuræ est habens modium vnum, & dimidium. In satis tribus modia quatuor, & dimidium, & dictum apud Hebræos quod qui metitur eandem mensuram leuet. Primam parabolam de se & auditoribus suis dicit: aliam de his quæ diabolus immiseuit post Domini semen. Inde laudauit ipsum semen suum, quod simile esset synapi: modo dicit quod

A omnes Ecclesiastici facere debeant de verbo Euangelij: per mulierem volens intelligi Ecclesiam, in qua vnusquisque qui de ea est debet abscondere in fide sanctæ Trinitatis, donec omnia quæ facit omnia in nomine sanctæ Trinitatis faciat. Vel alio modo. Tres passiones sunt in nobis, ira, cupiditas, ratio: inter istas passiones mittamus verbum Euangelij: & omnes illas passiones ex verbo Euangelij condamus vt non irascamur, non concupiscamus sicut in Euangelio præcepit: & rationem nostram de Euangelio componamus.

(*Hæc omnia in parabolis locutus est Iesus ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis.*) Qui non vult esse discipulus audit verba in turba & in parabolis. Qui est discipulus dignus Christi, meretur audire expositiones parabolarum, quia dat illi Deus sensum vt intelligat scripturas. (*Vt impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem. Aperiam in parabolis os meum.*) Per Prophetam quippe Dauid in septuagesimo Psalmo: *eru-*
B *ctabo abscondita à constitutione mundi.* Non omnia, sed aliqua, & per speciem quæ appellatur Synecdoche, à toto pars intelligenda. (*Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro.*) Regnum cœlorum quatuor modis dicitur in hoc Euangelio: Dominus Iesus Christus, vita æterna, præsens Ecclesia, & latitudo scripturarum diuinarum: & pro diuersis locis diuerse accipitur. Nunc in hac parabola præsens Ecclesia, regnum cœlorum intelligitur. Ager autem latitudo diuinarum scripturarum. In quo agro inuenitur thesaurus, id est Dominus noster Iesus Christus, quia per scripturas nobis adnuntiatus est à Prophetis & Apostolis. (*Quem qui inuenit, debet omnia postponere, & vilia in amore eius computare, vt illum possit ante omnia & super omnia diligere.*) Quem qui inuenit, abscondit in pectoris sui absconso; non in auaritiæ studio, ibi amor seruare volentis exprimitur. (*Et præ gaudio illius.*) Magnum gaudium esse potest inuenire se, & scire illum per quem de inferno liberari possit & vita
C beata perfrui. (*Vendit vniuersa quæ habet & emit agrũ illum.*] Quia in vniuersis suis actionibus & possessionibus Dei voluntatem debet sequi. Talis negotiator fuit Zachæus, qui cum esset in sicomoro vt videret thesaurum quem emere posset, suscepit eũ in domum suam, & dixit. Pro hoc thesauro, si cui aliquid abstuli, in quadruplum reddo & reliquum do pauperibus. (*Iterum simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas.*] Et Ecclesia hoc in loco intelligitur regnum, in qua Ecclesia omnes Christiani negotiatores tales esse debent, vt quærant margaritas bonas, optimas intelligentias in lege & Prophetis. Cum autem inuenerint optimam margaritam Dominum Christum, omnes voluptates huius seculi contemnant vt Christum lucrifaciant. Talis negotiator fuit ille eunuchus, qui venerat adorare in Hierusalem, & reuertebatur sedens super currũ suum, & quærens in libro Esaiæ margaritas. Venit Philippus & ostendit ei ipsam
D margaritam: & misit eam in pectore, & super omnia quæ habebat dilexit. Talis Nicodemus & Ioseph, qui petijt capsulam vbi ipsa margarita fuerat à Pilato, quia jam habebat & ipse eandem margaritam, & omnes Apostoli huius negotiatores fuerant. (*Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare.*) Omnia hic per allegoriam dicuntur, & est species allegoriæ parabolæ rerum genere dissimilium, quia & thesaurus & margarita comparatione Dei vilia sunt, & sagena spirituali sagenæ inferior regnum cœlorum Ecclesia, vt supra. Per sagenam, prædicationem Domini, Missa in mare, in isto seculo, quia vt in mari piscis piscem persequitur & aut occidit, aut aufert ab eo quod potest. Est aliquando serenum, aliquando turbatum: & in seculo aliquando pax, aliquando persecutiones (*Ex omni genere piscium congregati,*) Quia ex omnibus gentibus conuertuntur ad Deum. Dominus quãdo ista dicebat,

sagenam in mare mittebat, & duodecim piscatores quomodo piscarent docebat. Cœpit sagena Domini & discipulorum eius multos, & adhuc hodie mittitur, capit bonos & malos. [*Et cum veniunt.*) Id est terminum vniuscuiusque, veniunt angeli bonos pisces mittunt in piscinam in vitam æternam, malos autem in ignem æternum, vt amplius non deuorent bonos pisces, neque faciant filios similes sibi, sed ardeant, quia comederint bonos pisces.

Talis piscis fuit Iulianus, qui rupta sagena exijt foras, & quia multos Domini pisces comedit, & persecutus est, separatus à bonis adhuc coquitur, vindictas exoluens pro eis. (*Sic erit in consummatione seculi. Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum.*] Quamuis in fine mundi de pluribus fiat, quotidie tamen fit ista separatio, & mali Christiani & pagani separantur à bonis, & mittuntur in caminum ignis.

Littus terminus seculi: *Fornax ignis qui non extinguetur.* [*Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei. Etiam.*] Aduerbium etiam est affirmantis, hoc est fecimus. Apostolos solos interrogat, & perfectus magister, quia & ipsos magistros Ecclesiæ erudiebat, & sicut sagenam de multis maculis, sic de multis exemplis scripturarum prædicatione ordinare docebat. Vnde & sequitur: [*Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini patrifamilias.*] Ideo, subauditur volo, vt intelligatis quæ dico: vt sitis similes mei qui sum paterfamilias, & vos mei scribæ, vt sicut ego profeuam noua ex meo, & vetera de veteribus libris, ita & vos cum cœperitis prædicare. Scriba à scribendo dicitur, is videlicet qui se in scripturis exercet. (*Et factum est cum consummasset Iesus parabolas istas,*] consummare sapientum est, stolidorū cœpta imperfecta dimittere, & hoc quasi proptium ipsius, quia iam de ipso præmissum fuerat cum compleuit Deus opus suum, & perfecti sunt cœli & terra. [*Transiit inde, & veniens in terram suam, & docebat eos in synagoga eorum.*) Iuxta historiam auditis quod per diuersa loca Dominus docuit, & si tales erāt qui nollent venire ad audiendam eius doctrinam ipse veniret, vt nullam excusationem haberēt de ignorantia. [*Reuersus est in Galilaam in ciuitatem Nazareth.*] Quæ dicta est patria eius & ciuitas eius, non quod de ea esset, sed quia ibi nutritus fuerat. Nostis quid est synagoga. (*Ita vt mirarentur & dicerent.*) Propterea mirabantur quia viderant eum iuxta se nutritum, nunquam tamen viderant eum litteras discentem. Audiebant vero eum testimonia legis proferentem, quæ nō posset proferre nisi legisset. Verumtamen non mirarentur si eum cognouissent, quia ipse erat qui Adam docuerat omnem Physicam, Abraham Astrologiam, Moysen Grammaticam, Salomonem sapientiam. Si Salomonis sapientiam mirati sunt plurimi, quid mirum si magister Salomonis miranda loquebatur. (*Nonne mater eiusdem dicitur Maria.*) Quamuis apud vos pauper, ipsa est de domo Dauid, genuit eum qui ditauit vestrum ditissimum regem Salomonem: Octauianum regnare permisit. Si voluisset, & istam vt Libyam ditasset, sed qui voluit vt Petrus & Iohannes primores discipuli eius dicerent, aurum & argentum non est nobiscum. Ipse ante dixit, *filius hominis non habet vbi caput suum reclinet.*

Fabri filius autem fuit, sed non istius. Pater eius Cameram cœli sic lucidam & curuam fabricatus est per hunc quem despicitis. (*Et frater eius Iacobus & Ioseph, & Simon & Iudas.*) Scitis etiam quod Iacobus & Iudas Apostolus & Ioseph & Simon fratres ipsius sint dicti, quia nepotes fuerunt sanctæ Mariæ de sororibus suis. Dixi vobis superius quare ad tempus placuerit Deo à quibusdam Ioseph dici patrem suum, cum pro certo non fuerit.

Maria *illuminatrix* dicitur, quia genuit lumen verum. [*Vnde ergo huic omnia ista,*] id est sapientia in doA ctrina, virtutes in sanitate hominum. (*Et scandalizabantur in eo.*) In scandalum & iram accipiebant Deum hominem, sicut Paulus dicit: *nos prædicamus Christum, Iudæis scandalum, & gentibus stultitiam.* (*Iesus autē dixit eis. Non est Propheta sine honore nisi in patria sua & in domo sua.*) Sicut Dominus dixit, sic fuit & apud Iudęos, & apud alias gentes semper, sicut beatus Hieron. dixit: *Inuident ciues ciuibus suis.* Nam & Eliam in Sarepta Sydoniæ mulier gentilis pauit tempore famis. Ionas in suis nec nomen habuit, apud Niniuitas valde tremendus fuit. Eliseum sui occidere voluerūt, ne Aman Syrus puero ipsius centū libras argenti, & duplicia vestimenta daret. Esaiam suus nepos Manasses rex occidit. Danielem alienigenæ super centumviginti prouincias principem fecerunt. Ieremiam sui in cisternā miserunt: Nabuchodonosor in magno honore eum habuit, & Nabuzardan commendauit. Ipse Dominus à suis multa mala perpessus & opprobria: Abgarus cum illo regnum partiri voluit: Et non fecit ibi multas virtutes, propter incredulitatem illorum. Potuit quidem B quantum voluit vt Deus facere, sed non fecit, propter illorū condemnationem dimisit: quia quanto quisq; plus videt de bono exemplo si non sequitur, tāto plus condemnatur. Si vero refugit vt non videat, tunc etiā iniquissim⁹ & apostata iudicatur, & est similis diabolo.

(*In illo tempore, audiuit Herodes tetrarcha famam Iesu, & ait pueris suis.*) Herodes iste filius fuit Herodis, frater Archelai: & ipse est qui in passione Dominum remisit ad Pilatum. Iste ergo Herodes, frater fuit Philippi; postea duxit Philippus filiam regis Arathæ Herodiadem nomine. Postea vero socerum eius exortis quibusdam contra generum simultatib. tulisse filiam suam à Philippo & Herodi dedisse, quia Herodes maioris potentiæ erat. Erat autem ipsa mulier propinqua ambobus istis regibus, quia ex filia Herodis qui infantes occiderat nata erat. Sed tamen consuetudo erat apud Iudęos, propinquas suas vxores accipere: non tamen sorores, neque filias auunculi, vel materteræ. Sed C quia isti ex auo erant gentiles & auia Iudæi: auū Herodem qui gloriosus rex fuerat apud Romanos, ipsum imitabantur & aliqua tenebant de lege veteri, aliqua respuebāt: etenim Deum cœli adorabant, & circumcisi erant. (*Audiuit Herodes tetrarcha famā Iesu.*) Tetrarcha Græcū nomen est compositum ex *quatuor*, quæ dicuntur Græcè *tetra*: Archon *principatus*: & tetrarcha ex quatuor princeps. (*Famam*) id est opinionem de miraculis eius quæ faciebat. (*Et ait pueris suis.*] id est obsequentib. sibi. (*Hic est Ioannes Baptista quem ego decollaui, ipse surrexit à mortuis, & ideo virtutes operantur in eo.*] Quia Herodes non cognouerat ante Dominum Christum, propterea talia dicebat. Vsus enim fuerat apud Iudæos, vt qui Propheta futurus esset pro alio, Prophetam sequeretur priorem, & imitaretur eum suis actibus, vt fecit Iosue Moysen, Heliseus Heliam, Baruch Hieremiam, Heliseum Iezi. Quia hoc non audierat Herodes de Domino quod fuisset discipulus Iohānis, propterea æstimabat quod ipse esset Iohannes. Be- D ne autem de resurrectione senserunt quando dixerūt, quia surrexit Iohannes, propterea facit virtutes quas ante non fecit, quasi dixissent. Ideo modo Iohannes facit virtutes quia immortalis est, & maioris virtutis post resurrectionē: idcirco potest virtutes facere quas ante non fecit. Omnia enim corpora sanctorum maiorem virtutem habent post resurrectionem quam ante. [*Herodes enim tenuit Iohannem: Adduxit eum de deserto vbi fuerat, & religauit Macheronto in carcere, propter Herodiadem vxorem fratris sui.*) Iam fuerat fratris sui, sed tunc non erat. [*Dicebat enim illi Iohannes, Non licet tibi habere eam.*) scilicet viuente fratre. [*Et noluit occidere eum, sed timuit populum.*) Legerat autem in Paralipomenon quod Ioas rex Israel occiderat Zachariam filiū Ioiadæ Sacerdotis: & pro hoc postea ipse rex occisus fuerat, & timebat similiter de se: quia Iohannes

filius ſummi Pontificis fuerat. Addit etiam. (*Quia ſicut Prophetam eum habebant,*) id eſt venerabantur eum vt Prophetam. (*Die autem natalis Herodis quãdo ipſe natus fuerat,*) merito illum celebrabat cum in hoc ſeculo tãtũ bona habiturus eſſet. Sanctorum ideo finis eorum natalis celebratur, quia tunc in illam vitam renaſcuntur vbi ſine fine viuent in gaudio, ſicut Marcus ait: (*Ipſa die cœnam fecit principibus & primis Galilaæ.*) Legimus multos reges frequenter conuiuia feciſſe ſibi ſubditis, quia abundabant eis omnia bona; vt Aſſuerus, Balthaſar & Herodes, & multi alij, & Romanorũ reges multi: de quib. Titus in dedicatione theatri quinque millia ferarum legitur occidiſſe. Soli vero mortalium Pharao & Herodes leguntur diem natiuitatis ſuæ celebraſſe, & vtrique homicidio polluiſſe: Sed iſte Herodes tanto nequius quanto de Propheta, & quanto poſt prohibitum lege homicidium. (*Saltauit filia ipſius Herodiadis.*] Quia & Herodes & mulier de progenie Herodis maioris deſcendebant: idcirco de ipſo nomen habebant. Filia autem ipſius dicitur, non Herodis, quę de alio marito erat generata. Saltare in conuiuijs multæ gentes pro honore habent, quaſi appareat quis mobilior ſit. Nam Vaſcones & Hiſpaniarũ populi adhuc retinent, apud Francos autem improperium eſt. Saltatores autem nominati ſunt ab Archade Salio quem Æneas in Italiam ſecũ duxit: quique docuit Romanos adoleſcentes nobiles ſaltare. Legimus vero quod Sybilla decem eglogas Virgilij in ſenatu ſaltauit. [*Placuit Herodi.*] non ſolum ſaltatio illi placuit, ſed etiam cantatio quam cantauit: Græcè compoſitum metrũ quod ſaltauit. [*Vnde pollicitus eſt ei dare cum iuramento quodcunque poſtularet ab eo.*) Ipſe Hero des cũ vxore ſua inuenit tali modo occidere Iohannem ſine ſeditione. Nã propterea habebat eũ recluſum, vt q̃ſi iuraret quaſi pro veneratione nominis Domini, ne peierare videretur nomen Domini, propterea occideret eũ. (*At illa præmonita à matre ſua.*] Timebat enim ne ſe reconciliaret Herodes cũ fratre, vt audiret monita Iohannis, & dimitteret eam. (*Da mihi inquit hic in diſco caput Iohannis Baptiſtæ.*) Diſcus aurea iſcus à ſpecie ſcuti dicebatur: vnde & ſcutella poſtea diſcus vocatur, quod det eſcas. [*Et contriſtatus eſt rex.*) Conſuetudo hiſtoriographorum eſt ſic cauſam ſcribere ſicut eo tempore à præſentibus putata eſt. Vnde & Ioſeph dictus eſt ab Euangeliſtis pater Domini, cũ veraciter ſcirent non fuiſſe. Similiter hic dicitur rex cõtriſtatus, cũ ſimulauerit ſe triſtem, & animo lætus fuerit. [*Propter iuramẽtum autem: & eos qui pariter recũbebãt iuſſit dari.*) quia ipſe rex vna parte Iudæus erat, non tamen in vno vaſculo manducabant, ſicut Ioſeph cũ fratrib. ſuis, & cum Ægyptijs. [*Miſitq; & decollauit Ioannem in carcere,*] habemus ſcriptum. (*quod orauit ſtans in medio carceris dicens, Domine Deus meus ad te cõmendo ſpiritum meũ.*) Carcer eſt à quo prohibetur exire, & dicitur carcer à cohibendo ſiue coërcendo. [*Et accedentes diſcipuli, tulerunt corpus & ſepelierunt illud, & venientes nuntiauerunt Ieſu.*] Non excuſatur Herodes quod inuitus fecerit, quia ſi matris vel ſororis poſtulaſſet interitũ, repudiatur⁹ eſſet. Quod pro carnali repudiaturus erat, debuit conſeruare in Propheta. Legimus in Romana hiſtoria Flaminiũ ducem Romanorũ quod ad petitionem meretricis apud quam cubabat hominem decollatũ, reũ capitalis criminis in conuiuio caput deferri feciſſet, & ob hoc poſtea pulſum curia quod homicidiũ cõuiuio miſcuerit, quanto magis ſceleratior fuit Herodes, & Herodias, atque puella, quæ ſaltationis preciũ caput Prophetæ petijt, vt haberet in poteſtate linguam ne argueret nuptias illicite perpetratas. Spiritaliter decollatio Iohannis minorationem famæ illius, qua Chriſtus credebatur, inſinuat, ſicut exaltatio Chriſti in cruce perfectionem fidei deſignauit, quia ipſe qui prius Propheta putabatur, Chriſtus eſt agnitus, quia ſicut Iohannes dixit, Chriſtũ oportere creſcere, ſe autem minui. Quod

A ipſa quoq; diſtinctio temporis ſignauit, quia Iohannes eo tempore natus eſt quo lux diurna incipit minui: & Chriſtus eo tẽpore quo lux ipſa incipit creſcere. Narrat Ioſephus vinctũ Ioannem in caſtellũ Macheront̃u adductum, ibiq; truncatũ: & Eccleſiaſtica dicit hiſtoria, ſepultũ eum in Sebaſte, id eſt Samaria. Tẽpore aũt Iuliani imperatoris videntes pagani ſepulchrũ eius frequentari à Chriſtianis, effodiſſe eũ & per campos oſſa eius ſparſiſſe. Contigit aũt tũc id tẽporis fuiſſe ibi monachos de Hieroſolymis. Cumq; colligerent oſſa eius cum alijs Chriſtianis: rurſum ipſi pagani cœperunt recolligere, & igni concremare. Monachi vero quæ collegerant Hieroſolymã detulerũt ſuo Abbati Philippo. Ille vero miſit ea Athanaſio Epiſcopo Alexandriæ: & ibi fuerunt ſeruata vſq; ad tempora Theodoſij Imperatoris, & tunc mundato tẽplo Serapis ibi poſita ſunt, & dedicauit ipſum in nomine eius. Caput vero nõ fuit tunc inuentũ, ſed tempore Martiani Imperatoris reuelarum eſt duobus monachis, & inuenerunt illud iuxta

B palatiũ Herodis, vbi infœlices fœminæ abſconderant illud. Herodes vero qui eũ occidit, & in Domini cum Pilato paſſione conſenſit, inſtigante vxore ſua vt regnũ quod frater eius habebat Agrippa impetraret: Romam abiret, conſecutuſq; eũ Agrippa, accuſauit apud Cæſarem quod rebellare contra eum diſponeret, & arma fabricata haberet. Quod quia de armis negare nõ potuit, Lugdunũ quæ Burgũdiæ eſt ciuitas perpetuo exilio deportatus eſt, & regnũ eius Agrippę datũ eſt. Vxor vero eius venit ad imperatorẽ deprecatura pro marito, imperator autem pro fratre eius Agrippa voluit eã ſecum retinere. Sed illa dixit ad imperatorem. Pro nihilo omnia bona tua duco, nec ea volo recipere, niſi maritum reddideris. Cui imperator dixit. Iam quia ſic loqueris, neq; maritũ videbis, neq; patriam tuam. Et ipſa perpetuo exilio deſtinata eſt. Tali vindicta punitũ eſt ſcelus quod in Domino & in præcurſore commiſerunt, nunc etiam inenarrabilib. cruciantur tormentis.

C [*Et accedentes diſcipuli eius tulerunt corpus eius.*) Diſcipuli qui aliquando illius fuerant, tunc Domini. (*Nuntiauerunt Domino.*] Id eſt ipſi quos Iohannes ad Dominum miſerat, quomodo Iohannes curſum vitæ ſuæ cõſummatum haberet, & quia annuntiando legem mortuus eſſet. Nam & Dominus pro ipſa cauſa occiſus eſt à Iudæis, quia legem Dei annuntiaret eis, & quicunq; zelãdo legem Domini, aut annuntiando mortuus fuerit, ſi odium contra aliquem non habuerit, ſed charitatem, ſimilis Iohanni & martyrib. in alia vita erit. Quærunt aliqui, quare Iohannes virtutes non fecerit in vita ſua, in cuius ortu tanta facta ſunt. Quia Iohannis pater tantæ potentiæ fuit, & tantos parentes habuit, vt Herodes timuerit ab ipſis ſe occidẽdum. Quanto magis ſi Iohannes virtutes feciſſet, nullo modo eũ aliquis occidiſſet. (*Quod cũ audiſſet Ieſ⁹, ſeceſſit inde.*) Siue quia digni non erant audire prædicationẽ eius, illi qui conſenſerant Iohannem occidi principes Galilææ, qui fuerunt ad illud conuiuium, ſeu fecit ſicut homo, noluit

D locum dare, ne vellent homicidiũ homicidio iungere. Quod dicit in deſertũ, vltro Iordanem ſignificat. [*Et ſecutæ ſunt eũ turbæ pedeſtres de ciuitatibus.*) Amorem prædicationis demonſtrant qui abſq; iumentis & vehiculis, & ſine cibo ſecuti ſunt, & quia Dominus vidit eorum ardorem, idcirco fecit ſicut hic ſequitur. (*Exiẽs vidit turbam multam & miſertus eſt eius.*) Et obuiã eis exijt & miſertus eſt & in ſanatione languidorũ eorum, & in ſaturatione rerum corporalium. Receſſus autem Domini à Iudæis ſignificat, quod poſtquam perdiderunt Prophetas, & legem Dei male faciendo & intelligendo Iudæi, Chriſtus tranſit ad deſertas gentes vt ipſi ſuſciperent verbum quod Iudæi reiecerunt, & ipſis qui relinquunt proprias conuerſationes propter Deum, occurrit & miſeretur Dominus. [*Veſpere autem facto, acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum.*) Veſpertinum tempus finem ſeculorum oſtendit: in quo aduenit Saluator

uator ſaluate genus humanum: vel tempus quando in cruce verus ſol occubuit, tunc miſertus gentium per Apoſtolos ſuos. [*Deſertus eſt locus, & hora iam præterijt.*] Siquidem non habebant mercatum, neque villas vbi potuiſſent inuenire cibum. [*Ieſus autem dixit eis.*] Non habent neceſſe ire, videlicet habent illum hic pauit populum manna per quadraginta annos & Moyſen & Eliam verbo ſuo, habet panem verum qui de cœlo deſcendit. [*Date illis vos manducare.*] Prouocat Dominus diſcipulos ſuos ad largitatem, vt faciant omnibus: & vt velint vltra vires ſuccurrere proximis. Et mauult vt indigentia panis à pluribus cognita, abundantia facta per ipſum, maior gratiarum actio fiat. [*Reſponderunt ei. Non habemus niſi quinque panes, & duos piſces.*] Iuxta hiſtoricam fidem ſic credimus factum in monte Thabor, iuxta altiorem intellectum quinq; panes quinque libros Moyſi ſignificant. Ille puer qui eos habebat ſecundum alium Euangeliſtam, Moyſes: iuxta iſtum ſignificat Iudaicam gentem, quæ acceperat ipſã legem à Deo per Moſen. Duo piſces intelliguntur libri Prophetarum & Pſalmorum, quia in his trib. ordinib. vetus ſcriptura conſtabat ante aduentum Domini: ſicut ipſe ait: oportet impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege & Prophetis & Pſalmis de me. Illi quinque panes hordeacei ſecundum Ioannem fuiſſe referuntur: quia tantummodo ſola hiſtoria in his ſequebatur: videlicet Dei cognitio, creatio mundi, curſuſque ſeculi labentis, antequam à Domino benedicerentur, & quaſi bruta animalia de aſperiori cibo paſcebantur. Per duos piſces non inconuenienter Prophetarum oracula, & Pſalmorum dicta figurantur, per quæ paſtum populum de lege addidit delitias: quia ibi iam ſpiritalis ſenſus & aduentus Domini inuenitur & ſicut piſces in aquis latẽt, ſic obſcurus eſt ſenſus in Prophetis. [*Afferte illos mihi huc.*] Quaſi dixiſſet, de me intelligite in lege & Prophetis. Et paulatim creſcendo, intellectum Dominus & ſcientiam populis monſtrauit. Primo naturalem legẽ: ſecundo legem litteræ: tertio Prophetarum: ad vltimum Euangelij gratiã, quod & in cibo terreno ſignauit. Primo de quinque panib. hordeaceis: poſt de ſeptem qui non dicuntur fuiſſe hordeacei, per quos Euangelica & ſancti ſpiritus doctrina ſignatur: ad vltimum de pane & vino ſui corporis & ſanguinis eis myſterium credens. (*Et iuſſit eos diſcumbere ſupra fenum.*) Abunde ſolet creſcere fenum in his excelſis montib. in æſtate: ſicut viderunt qui in noſtris alpib. conuerſati ſunt. Et quia longe erat à ciuitatib. & villis propterea à nullo ſecabatur. Per fenum voluptas carnis quam calcare debent qui in cibo paſcantur ſicut in Euangelio alio refertur. (*Diſcubuerunt quinquageni ſeu centeni.*) quia licet ſint Chriſtiani per omnem mundum, & per diuerſas regiones vno tamen pane aluntur: quia vnum omnes amplecti debent Euangelium & omnes fratres eſſe debent, & amare ſe inuicem. Si hoc non faciunt non ſunt Catholici, & non ſunt de Eccleſia: quia in noſtra fide profitemur nos Catholicã Eccleſiam credere id eſt vniuerſalem. Per quinquageſimum & centeſimum numerum requies vitæ æternæ figuratur: quæ his dabitur qui Chriſti in hoc ſeculi deſerto fuerint & eius cibo ſpiritali paſci ſtuduerint. (*Acceptis quinque panibus & duobus piſcibus.*) Quia Dominus non de nouis eſcis, ſed de his quas Apoſtoli habebant turbas ſatiat: oſtendit quia ipſe eſt qui legem dedit & in Prophetis locutus eſt, & propterea eadem & docet, & quã ſint grauida myſteriis inſinuat, & quæ deerant adimplet. (*Aſpiciens in cœlum.*) In cœlum aſpicit, vt animo cœlum intendere nos doceat, & ſcientiæ lucem illic eſſe quærendam. (*Benedixit.*) Quia omnis vetus ſcriptura ab ipſo benedicta, & hominib. data. (*Fregit.*) hoc eſt aperuit Apoſtolis ſenſum vt intelligerent ſcripturas. Seu expoſuit quomodo intelligerent. (*Fregit.*) Quia de vno præcepto duo nobis fecit, cum dixit: *Audiſtis quia* A *dictum eſt antiquis: non occides.* Ego autem dico vobis ne iraſcamini. Similiter de aliis. (*Dedit diſcipulis ſuis panes: diſcipuli autem turbis.*) Quia ipſe per ſe eos erudiuit & per Apoſtolos gentes. (*Et manducauerunt & ſaturati ſunt.*) Oſtendit aſſiduitatem Apoſtolorum & perfectionem in doctrina ſua, (*Et ſuſtulerunt reliquias, duodecim cophinos.*) Per reliquias fragmentorum, ſacratiora myſteria quæ turbæ intelligere nequibant, quia ſicut canones præcipiunt, profundæ quæſtiones non ſunt mouendæ in turbis, nec à perfectis negligendæ: ſed inquirendæ à perfectis. Per duodecim cophinos, corpora duodecim Apoſtolorum quæ vilia à foris fuerunt: ſed intus magnis Sacramentis repleta fuerunt. Cophinus vaſculum ruſticorum eſt de virgulis factum, ad terram de portandam. Vnde in Pſalmo de Ioſeph: *Manus eius in cophino ſeruierũt.* Requiritur vnde in tam vaſto heremo, cum panes non fuerint inuẽti niſi quinque & duo piſces: vnde tanti cophini? Sed ſciendum quod cum infirmis venerunt & ſanatis infirmis, ſicut B dixit ſuperius, curauit languidos eorum, cophini vacui remanſerunt. (*Manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis paruulis & mulieribus.*) Per quinque millia illi figurantur, qui quinque ſenſib. corporis bene vti nouerunt adhuc exteriorib. operib. implicati. Qui recte quinque panibus aluntur: quia neceſſe eſt eos regalib. inſtitui præceptis. Nam non tenent adhuc illam perfectionem, quam tenent qui quatuor & de ſeptem panibus ſatiati ſunt. Mulieres autem & paruuli non ſunt digni numero: quia inſtabilis ſexus & mutabilis eſt. Infãtes vero in imperfecta ætate ſunt: propterea nec numero digni. (*Et ſtatim iuſſit diſcipulos ſuos aſcendere in nauiculam, & præcedere eum transfretum donec dimitteret turbas.*) Quare diſcipulos iuſſerit ire transfretum poſt ſaturationem panum, Ioannes Euangeliſta narrat: quia videlicet venturi erat populi, vt vellent eum regem facere: propterea tulit ſe de loco ne eum inuenirent: quia ipſe erat conditor mundi nolebat ſecularem potentiam, quia hi qui habebant C ipſo dante vel promittente habebant. Ipſe namque erat de quo Salomon ait: *Per me reges regnant.* Fretum Geneſar: à feruendo fretum nominatur. [*Veſpere ſolus erat ibi. Ipſe aſcendit ſolus verticem montis orare: & diſcipuli laborauerunt in mari in remigando tota nocte.*] Non enim erant diſcipuli adhuc perfecti: idcirco permiſit eis agnoſcere quid poſſent ſine ipſo, vt amplius eum diligerent: & Deum elementorum pro certo crederent. Quod orauit, formã nobis dedit quid debeamus facere qui puri homines ſumus cum peccatis, ſi ipſe abſq; peccato frequenter vacabat orationi, etiam quando aliquid boni quis facit, aut excellens, Domino debet referre gratias à quo ea cœpit vt faceret, & orare ne aliqua elatio illi pro hoc facto ſubripiat. quod refugit habere terrenam poteſtatem, quid electi eius facere debeant oſtendit, quia nullus poteſt habere poteſtatem ſine multis peccatis. Propterea qui vult ſublimiter cum Chriſto regnare, non curet habere poteſtatem in D hoc ſeculo, quia ſi eſſet appetenda, aut ipſe habuiſſet, aut matri dediſſet, aut Apoſtolis ſuis. Neque reges de regno certare debent. Quia pro certo Dominus habet ordinatum quicumque reges eſſe debent in hoc ſeculo, ſicut de illis erat quos oſtendit Deus Danieli: *Qui bene vult regnare expectet vt à Domino accipiat:* ſicut Dauid fecit, Qui cum ſciret quod rex inunctus eſſet non quæſiuit illud cum ſanguine, vt occideret regem, cum locum haberet frequenter, neque filium eius poſt mortem eius, neque bellum intulit ſuæ genti, ſed fugit per alienas terras, & patrem & matrem coactus eſt educere in terram alienam, extraneam ſibi hæreditatem & parentum ſuorum præſtolatus eſt quouſque Deo placuit. Et idcirco non ſolum ipſum regnum adeptus eſt, ſed alia multa. Qui autem aliter introiuit in regnum niſi per voluntatem Dei, per-

misit ei Deus vel propter ipsius peccatum vel propter subiectorum flagellum vt dominaretur, peruerse, sicut A Zambri qui occidit Elam; & accepit regnum eius & regnauit septem diebus: similiter Phaceæ occidit Phaceiam, & accepit regnum: sed ipse occisus est ab Osea: & iste captus cum toto Israel ab Assyriis.

Similiter de Episcopis credo quod Deus ordinatos habeat, qui esse debeant in hoc seculo Episcopi: sed non propter ipsos, verum propter subiectos, in quibus multi sancti habentur. Propterea non erit necesse cuiquam laborare inaniter pro Episcopatu & cum peccato introire: quia si ordinatus est à Deo, erit: si autem sine voluntate Dei introierit, cito decidet: & si mors eum ibi inuenerit, sine fine in inferno erit: quia in rapina vitam finiuit. Vnde Ioannes ait: *Peccatum vsque ad mortem, non dico vt quis roget pro eo.* [*Nauicula autem in medio mari iactabatur fluctibus.*] Nauicula quæ iactabatur, significat Ecclesiam concutiendam inter turbines persecutionum. Ventus ipse persecutiones ab infidelibus sunt. [*Quarta autem vigilia noctis venit* B *ad eos ambulans supra mare.*] Romani custodias militum obseruandas cum imperatoribus & exercitibus, diuiserunt noctem in quatuor partes: in vnaquaque vigilia deputantes tres horas. Et quod dicit quarta vigilia, scilicet cum tres præcessissent & quarta esset. Et hoc spiritaliter demonstratur: quia cum verus Lucifer appropinquauit, Ecclesiæ suæ facta est tranquillitas: quia & ipsi imperatores crediderunt qui Ecclesiam quassabant. (*Et viderunt eum supra mare ambulantem, & putauerunt esse phantasma.*) Et quod putauerunt discipuli postea putabant hæretici, qui dixerunt quod habuerit Chistus non corpus carneum, quod super aquas siccis plantis potuit ambulare. Sed tamen sicut isti cognouerunt errorem suum sic nos agnouimus errorem illorum: quia non solum verum corpus super aquas ambulauit, sed etiam Petri corpus quousque dubitauit. Sed sicut non possumus enarrare qualiter incorporatus est in vtero virginis, sic nec qualiter libra- C uit corpus carneum super aquis liquidis: sed tamē vtrūque credimus. (*Et videntes eum supra mare ambulantem putauerunt phantasma esse.*) Æstimauerunt quod eis aliqua ludificatio fieret à diabolo, quæ solet fieri his qui non recte credunt: maxime his qui credunt errorem Paganorum, quod Neptunus aliquam potestatem habeat in aquis, qui tenetur in inferno vt alij iniqui. (*Et præ timore clamauerunt.*) Solet enim dæmon timere vocem iusti viri: propterea clamauerunt. (*Statimque locutus est eis dicens. Habete fiduciam.*) Primo aufert timorem de se quam recognoscerent: secundo sedat minas tempestatum. Duas virtutes præcipuas ibi viderunt, & ambulare illum super aquas quod ante inauditum fuit, & tempestates verbo sedare.

Ventus est aer commotus: & pro diuersis partibus nomen sortitur, vt subsolanus, quia sub sole est: & alij similiter. Sunt autem duodecim. Ventus dictus est, eo quod sit vehemens: ita vt saxa & arbores euel- D lat, terram commoueat, turbet mare. (*Respondens Petrus.*) Petrus adhuc non credebat, quod corpus carneum super aquas maris ambularet, nisi in suo hoc disceret: sed sicut fecit in fide sua, sic & in gressibus suis. Credidit aliquid quando de naui exiit, sed dubitauit quando ventum validum vidit: & ideo mergi cœpit. (*Domine si tu es iube me venire ad te super aquas.*) Inter spem & dubitationem erat positus beatus Petrus, & recognoscebat vocem: & tamen dubitauit vtrum ipse esset. (*Ait ergo Dominus. Veni: Et descendens Petrus de nauicula, ambulabat super aquam.*) Mira beati Petri actio, & ambulabat super aquas, & timebat. Tamen ex eo quod ambulauit agnouit Dominum: & quæsiuit potentiam illius contra valitudinem venti. Nauis in mari Ecclesia in hoc seculo ventis agebatur: quia persecutionibus fatigabatur. Et hoc nunc factum est quando Dominus corporaliter ab ea recessit, intantum vt ipse dixerit: vt quid Domine recessisti longe, despicis in oportunitatibus? Venit ad eam Dominus quarta vigilia noctis, videlicet cum verus Lucifer oriebatur per auxilium quo liberauit Ecclesiam à persecutionibus potentum. Petrus venit ad eum in persona Ecclesiæ: quia nec aliquis potest ad eum venire nisi ipso donante. Sed sicut Petrus cum diffidit mergitur: sic vnusquisque fidelis cum diffidit à Domino mergitur: quia qui à Deo postulat bonum, non debet diffidere sicut Iacobus inquit: postulet autem in fide nihil hæsitans. (*Apprehendit eum.*) Quia prope est omnibus inuocantibus in veritate, id est occurrere adiutorio suo misericordiæ. Increpatur quod modicæ fidei fuerit: qui præsente creatore dubitauerit, seu modica fides dicitur: quia modica in hoc seculo putatur esse dum non videtur: sed magnam habet flagrantiam & remunerationem post triumphatum mundum. (*Cum autem descendisset Dominus in nauim cessauit ventus.*) Vt Domino placuit dedit pacem Ecclesiæ suæ. (*Qui autem in nauicula erant & Apostoli & nautæ venerunt & adorauerunt eum dicentes. Vere Dei filius es.*) Cognouerunt enim quod nullus alius creator esset maris & ventorum, nisi qui verbo dicit & fit quicquid imperat. (*Et cum transfretassent, hoc est transnauigassent, venerunt in terram Genesar.*) Ab ipso lacu Genesar illa in Cyrum regio, ex vna parte Genesar regio nominatur: & apparet quia bonæ voluntatis homines fuerint, vt non solum ipsi venerint: sed & ad alia loca miserint, & venerunt ad Deum. Sic debet facere vnusquisque homo, & ipse debet bona facere & proximum suum hortari vt similiter faciat. (*Cognoscebant autem Dominum de frequenti visione.*) Quia Dominus ibi frequenter conuersatus est: vel ex signorum fama quæ præcurrebat de illo. (*Et obtulerunt omnes male habentes: & rogabant eum: vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent.*) Quia audierant quod mulier marrosa sine verbo ipsius salutem ab ipsis fimbriis acceperat: propterea desiderabant fimbrias attingere. Prius autem dixi vobis quod ipsæ fimbriæ ob discretionem aliarum gentium Iudæis præceptæ sunt fieri. (*Et quotquot tangebant, salui facti sunt.*) Quia dilectionem Dei isti habuerunt & proximi, impetrauerunt quod petierunt: dilectionem Dei quia auide susceperunt & gestierunt vt Dei laus longe lateque crebresceret: dilectionem proximi, quando voluerunt vt alij salui fierent. [*Tunc accesserunt ad eum ab Hierosolymis Scribæ & Pharisæi dicentes.*] Alij veniebant ad audiendam prædicationem & salutem animarum suarum ab Hierosolymis vbi religio maior esse debebat & scientia. Ob reprehensionem Scribæ & Pharisæi veniebant & hoc totum propter inuidiam. [*Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum. Non enim lauant manus suas cum panem manducant.*] Legimus in Euangelistis aliis quod diuersa baptismata, id est lauationes diei habebant: & illas ex traditione carnali & suorum inuentione magistrorum plus obseruabant, quam ea quæ Deus omnipotens in lege præceperat. Et inde Dominus frequenter arguebat quod dimitterent dilectionem Dei & proximi quæ Deus magnopere commendauerat. Et reprehendebant eos qui hoc obseruabant, & super traditiones quæ neque nocent, neque adiuuant si illas non obseruent. Quando namque in placito sedebant, cum Romanis, qui ipsam terrā tenebant, non manducabant nisi ante se balnearent: & non manducabant nisi crebro lauarent manus. (*Ipse autem respondens illis & ait. Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit. Honora patrē & matrē, & qui maledixerit patri vel matri morte moriatur.*) Honor hic & in verbo & in omni dono accipiēdus est: sicut & illo loco vbi Paulus

dicit: *Presbyteri duplici honore digni sunt: maximeque qui laborant in verbo.* Honor ibi pro dono accipitur. Et in alio loco: *Honora viduas, quæ vere viduæ sunt.* Quando ergo Deus illa dixit, voluit vt in cibo & in potu & dono honorarent parentes.

Posteaquam patres senescebant, & filij potestatem accipiebant in domo, & onus erat filiis quod pater vel mater viuerent, affligebant eos filij in cibo & potu & vestimentis per traditionem Pharisæorum qui eis dicebant: verior pater est Deus, non inhonoras patrem vel matrem si ista donas Deo. Et per talem occasionem faciebant patres & matres egentes omnibus bonis, cum Deus illa non manducaret: sed accipientes conderent sibi thesauros inutiles. Vel alio modo. Cum dabant patri vel matri manducare & bibere dicebant ad illos. Quod tu manducas, ego iam ad templum Domini habebam deuotum. Et tunc illi expauescebant, & dicebant. Amabilius est mihi fame mori, quam ista comedere, quod autem dicunt: donum quodcumque est ex me tibi proderit: quasi diceret, quod ego do ad templum similiter offero pro te sicuti pro me. [*Non Deus tali modo dixit honorandos vt vos inuenistis ob lucrum vestrum, & reprehenditis discipulos meos qui nulli nocent, si non lauant manus. Hypocritæ, bene prophetauit de vobis* Esaias dicens: *Quod de vobis Esaias prophetauit facitis, labiis vos profitemini Dei præcepta adimplere, corde autem & opere iniqua monstratis. Sic dixerunt patres vestri, omnia quæ præcepit Dominus faciemus. Sine causa autem colunt me, doctrinas hominum docentes.*] Sine causa Deum colit, qui labiis profitetur se Christianum esse, & opere contradicit. Qui dicit se nosse Deum, & mandata eius non custodit mendax est. [*Non quod intrat in os coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore hoc coinquinat hominem.*] Simplex præceptum est: quia apud Deum nihil noceat quod manducemus, nisi iuxta creaturam aliquid fiat. [*Omnis enim creatura bona: & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.*) In alio Euangelio scriptum est, communicant. Quod verbum propriè apud Hebræos erat. Siquidem illi communes cibos dicebant, quos gentes edebant de quibus illi non gustabant, vt sunt lepores, sues, hostreæ, anguillæ: & quæ non ruminant nec findunt vngulam, aut squamas non habent: quicumque comedebant, communem illum appellabant. Et inde dicit communicant hominem hoc est communem faciunt.

In totis libris nostris nec ad Deum, nec ad imperatorem inuenietis plurali numero dici, quamuis in communi nostra lingua vsus sit. Sed tamen est causa, pro qua in nostra terra hic vsus inoleuit, ad vnum hominem quasi ad duos loqui. [*Tunc accedentes discipuli dixerunt ei: Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt.* Scandalum Græcum nomen est, & Latinè potest dici offensio vel impeditio. Inde tractum est ad offensionem animi, quia sicut homo offendit in via sua ad aliquem lapidem siue laqueum: similiter offendit quando aliquod verbum contrarium in animo eius vel ratione opponitur. Et inde dicebant Domino discipuli quod in illa traditione quam Iudæi pro lege tenebant, contradictionem haberet immissam: & quam semper obseruabant. In quo eum reprehenderent æstimabant se habere inuentum per quod potuissent conuincere contra legem eum locutum fuisse. Sed tamen requisierunt & inuenerunt quod Patriarchæ ante legem manducauerunt multa quæ isti non comedebant, & intellexerunt quod Deus non propter se præceperat obseruare Iudæos à talibus cibis, sed propterea si permitteret manducare dicerent quod non esset bonum: quia ipsi habebant in consuetudine sic: vel etiam imitarentur easdem bestias vel aues in suis consuetudinibus de quibusdam actis quæ bestiis non nocent, hominibus autem nocerent, si fierent: sicut Paulus astipulatur de eisdem. *Propterea tradidit illos*

A *in passiones volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Propterea quia Pharisæi sic habebant acceptum ipsum verbum venerunt ad Dominum discipuli sicut fideles & deuoti, & renunciauerunt quæ audierunt. Respondens Iesus ait illis: *Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur.* Si omnis alterius plantatio eradicabitur quid erit quod Paulus dicit *ego plantaui?* Sed ista Dei est, quia sequitur, Deus incrementum dedit. Nam & iterum dicit. Dei cultura estis: Dei ædificatio estis. Si homo cum bona voluntate fuerit, nemo potest illum de cultura Dei eradicare: ipse vero potest: quia Hieremias dicit, *ego te plantaui vineam meam electam quomodo conuersa es in amaritudinem vitis alienæ?* Nullus enim eam posset eradicare nisi ipsa tribuisset assensum. [*Sinite illos: cæci sunt duces cæcorum.*] Sinite illos dimittite in suis erroribus: & vos nolite adhærere. Hoc de illis qui frequenter castigati à fratribus & ab Ecclesia: & nolunt reuerti: sicut ipse alias. *Sit tibi sicut ethnicus &*

B *publicanus.* Et Paulus dicit: *Hæreticum hominem post primam & secundam correptionem deuita.* Cæci sunt de spiritalibus oculis, & ipsi cæci qui ad eorum doctrinam attendunt. [*Cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.*] Si cæcus cæcum ducere voluerit, ambo in foueam cadunt. Similiter insipiens si insipientem voluerit docere, sicut ipse in errore versatur, similiter & ille in errore erit quousque in infernū decidat. [*Respondens Petrus dixit. Edissere nobis parabolam istam.*] Putabat Petrus parabolam esse quod Dominus per simplex verbum dixerat. [*Iterum dixit eis. Non intelligitis quia quod in os intrat in ventrē vadit, & in secessum emittitur? Omnis creatura bona, & nihil reiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur.*] Reprehenderunt hæretici aliqui hoc dictum, quasi non sit naturaliter dictum, quia per poros vadit succus cibi per membra corporis. Sicut cibus digeritur in secessu, similiter etiam ipsi humores ibi deponuntur: propterea sic locutus est ipse, sicut creator corporis. (*Ea quæ procedunt de ore de*

C *corde exeunt: id est homicidia, adulteria, & cætera.*) Homicidium compositum est ex homine & cæde. Qui enim in homine cædem fecerit homicida dicitur. Adulterium est illusio coniugis: & dictum quasi adulterum subauditur: quando aut mulier aut vir deserto legitimo, alterius thorum quærit, & est maius peccatum quam fornicatio: quia in tribus peccatur. Fornicatio vero multis modis committitur: & etiam in propria vxore potest homo fornicari, si non legitime ea vtitur. Et omnis pollutio nisi cum vxore legitima, fornicatio & criminale vitium est. Furta. Furtum est rei alienæ clandestina contractio, & dictum est à furuo, id est nigro: quia in obscuro fit. Est autem sacrilegium furtum. Falsa testimonia sunt, cum quis aut per se, aut cum aliis fratrem accusat ad aliquam condemnationem: quando autem plures sunt, tanto peius peccatum. Sunt autem similes Iudæ, qui Dominum tradidit ad mortem. Blasphemiæ, Blasphemiæ

D sunt detractiones & malæ locutiones, cum quis Deum & proximum malis suis verbis infamare nititur. Omnia ista vitia & spiritaliter fiunt. Qui enim ad peccatum illicit aliquem, occidit se & illum. Adulterium animæ committit, qui propter aurum aut pro alia re, Deum aut iustitiam Dei deserit. Fornicationem animæ committit, quando concupiscit rem proximi sui. Furtum facit animæ, qui veritatem tacendo reticet, detrahenti proximo aurem accommodat. Ista & similia maculant hominem ante Deum: & abominabilem Deo reddunt. In hoc Domini verbo quod dicit: de corde exeunt, apparet quia sedes animæ in corde est, & nō in cerebro. Cor à Græco venit quod est cardia, & dicitur à cura, huius duæ arteriæ sunt, è quibus sinistra pars plus habet sanguinis, & dextera pl⁹ spiritus. Vnde cui paralysis in dexteram partem venit plus viuit, quā cui in sinistrā. Ostenditur quoque quod

diabolus adiutor & incentor cogitationum nostrarum potest esse: auctor esse non potest: nec cordis occulta scire, nisi quantum ex motib. nostris potest agnoscere. (*Et egressus inde Iesus, secessit in partes Tyri & Sidonis.*] Reliquit Scribas & Pharisæos qui semper reprehendere volebant: & pergit ad partes Tyri & Sidonis. Tyrus vrbs Phenicum, condita à Phenicibus fuit: Sydon ab ipsis similiter condita. Fuerunt vero in mari constructæ: sed iugi obsidione & aggeris aggregatione, quando Dominus in mundum venit cōtiguæ terræ erant. Nam Nabuchodonosor obsedit eas: & aggregauit multum aggerem cum nauibus: ita vt à foris muro stare posset, quod ante non poterat. Et cœpit Sidonem in primis post captam Iudæam, Tyrum autem per tres annos obsedit, & interim eduxerunt habitatores omnia præcipua de ciuitate, sicut Ezechiel dicit: describit & ipse gloriam eius. Post Nabuchodonosor Alexander obsedit eas: & coniunxit terræ. Tyrus dicitur Augustia, quia mari erat cincta: Sidon piscosa, eo quod pisces ibi abundarent. Fuerunt vero filiis Israel promissæ à Domino & in sortem datæ: sed non potuerunt eas capere filij Israel. [*Et ecce mulier à finibus illis egressa.*] Non intrauit Dominus finem Tyriorum, sed ibi prope gradiebatur. [*Clamauit dicens ei.*] Mulier ista Chananæa dicitur: quia de Chananeis erat eorum origo, & terra eorum Iudæis promissa fuit, sed propter peccata non potuerunt illos eiicere. Tres virtutes mulier hæc habuit, habuit fidem: quia credidit Dominum ista posse facere: Habuit humilitatem, qua se non canibus confessa est esse parem, sed catulis: habuit patientiam, quotiens repulsa perseuerauit. Simplex historia auditorem ædificat: vt fidem rectam in Deum habeamus: credentes impetrare quæcumque poscimus: si ad salutem animæ poscimus. Hoc quoque cum humilitate agamus, quia cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Patientiam nihilominus habeamus cum perseuerantia. Iuxta allegoriam mulier ista Ecclesiam significat ex gentib. ad Dominum conuertendam, quæ à finibus suis egressa est: videlicet à pristina conuersatione & à pristinis vitiis separata, in Ecclesiam ingressa. Filia eius: anima est vniuscuiusque ex ipsius populis: quæ à dæmonio vexabatur, antequam in Deum crederent. (*Qui non respondit ei verbum.*) Non de superbia hoc fecit: sed ne occasionem Iudæis daret respuendi verbum, & prædicationem suam, quia ipse dixerat. In viam gentium ne abieritis: & vt patientiam ipsius mulieris & perseuerantiam ad instructionem videntium & audientiū monstraret. (*Et accedentes discipuli, rogabant eum dicentes: Dimitte eam quia clamat post nos.*) Importunitate eius carere cupientes commonebant. (*Non sum missus nisi ad oues quæ perierant domus Israel.*) Non quod ad gentes non sit missus: sed primo ad Israel propter electionem patrum & priuilegium, quod ille populus semper habuit apud Deum & cum ille repulisset, tunc ad gentes mitteret. (*At illa venit, & adorauit eum dicens. Domine adiuua me.*) Sic debemus esse importuni in orationibus & perseuerantes. Primo dixit filium Dauid, & nunc Dominum dicit, & adorat vt Dominum. (*Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Nunc Dominus mystice ad eam loquitur, & ille panis diuini verbi per Moysen & Prophetas. Mensa namque est scriptura sacra, quæ Iudæis panem vitæ ministrare debebat, sed micæ cadebant, quia spiritalem intellectum Iudæi negligebant. Micæ enim puerorum, interna mysteria sunt scripturarum quibus humilium solent corda refici. Non ergo quærebat ista mulier crustas, sed micas de pane puerorum spiritalium, medullam sensum quam Iudæi non curabant. Inde dicit Dominus, non est iustum tollere doctrinam filiis Iudæis, & dare vobis canibus: qui propter idololatriam & sanguinem ac cadauera mortuorum, quibus dediti estis, canes estis. (*At illa dixit etiam Domine.*) Dixit Dominus non est bonum. Illa respondit, quia bonum est & dat exemplum de hominibus, quod sicut illi quando manducant decidunt micæ de mensa canibus: sic & iustum sit vt sint Iudæi Domini propter patres & propter te qui ex illis natus es & nos simus non etiam canes magni cum primitiuo, sed cum diminutiuo catelli, & non quærimus integram gratiam doctrinam & secretiora mysteria, quia non sumus digni, sed apertiora & simpliciora præcepta. (*Tunc respondens Iesus, dicit illi, ô mulier magna est fides tua! fiat tibi sicut vis.*) O mulier laudanda quæ à Domino laudata es. Apostoli arguti sunt frequenter modicæ esse fidei: & tu dicta es habere magnam fidem. Qui potest imitetur eam & veniet ei sicut illi dictum est, fiat tibi sicut vis. Vtinam omnes digne peteremus, & sic impetremus. (*Et sanata filia eius est ex illa hora.*) Ecclesia de gentibus orans pro suis exauditur, sananturque animæ cottidie à morbis diabolicis: cum & pagani in baptismo renouantur: & peccatores per confessionem & eleemosynarum largitionem, ac precum assiduitatem, ad innocentiam reuertuntur. (*Et cum transisset inde Iesus, venit secus mare Galilææ.*) Vnde ante fugerat Dominus ne rex fieret, iterum reuertitur: intelligens immutata esse corda eorum, qui de panibus saturati fuerant: & sicut aquila vel gallina prouocat ad volandum pullos suos, non cessat prædicare hac, & illuc & verbi pabulum sub ministrare. (*Et ascendens in montem: erat ibi.*) Amabilis locus iste mons erat Domino: quia remotus erat à frequentia ciuitatum: & secretus & ad docendum & ad orandum. (*Et accesserunt ad eum turba multa.* Non erat in toto mundo, neque qui sic doceret, neque qui talia faceret, propterea ita ardenter concurrebant ad eum habentes secum mutos, cæcos & claudos, debiles & alios multos. O syllaba communionem habet cum *au* diphtongo: vt est lotus pro lautus, similiter *clo* diphthongus pro clauditur. Videndum est nobis quare debiles dicit, & postea dicit alios multos? Quia sicut beatus Hieronymus dicit, in Latina lingua non habet vna infirmitas speciale nomen sicut apud Græcos: & in nostra rustica lingua idcirco posuit debiles. Qui enim nostra lingua luscus dicitur, Græcè dicitur, *Kylos*: vt cum interpres hoc inuenit in Græco, non habuit aliud in Latino, dixit debiles: & in replicatione sanitatum enumerauit mutos loquentes, cæcos videntes, claudos ambulantes. De illo verbo siluit, quod in proprietate linguæ Latinæ, vt diceret non inuenit. [*Iesus autem conuocatis discipulis, dixit. Misereor turbæ, quia triduo sustinent me.*] Vtraque natura Domini in hoc facto monstratur: & diuina qua miraculum facit, & humana qua turbæ miseretur. [*Et dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via.*] Quod de septem panibus quatuor millia satiauit, sua est clementia, misericors & miserator escam dedit timentibus se. Mysticè ostendit, quod viam istius seculi aliter nequimus incolumes transire, nisi verbo redemptoris nostri satiemur. Per illam quam superius audistis de quinque panibus satiatis, spiritalis refectio quam suis fidelibus de veteribus exhibuit. Ista autem significat eam satietatem quam de Euangeliis suis in se credentibus facit, in illa littera veteris testamenti spiritalis gratia credentibus reuelatur. Vtraque refectio in vno monte celebratur, quia & vnus est dator: & vtraque refectio ad vnam cœnam inuitat, quam idem nobis præparauit, qui istam dedit. Quod dicit triduo sustinent me: siue propter prædicationem, siue propter suos infirmos sanandos. Spiritaliter vero turba triduo sustinet, cum omnes credentes in sanctam trinitatem, remissionem peccatorum ab ipso expectant, vel triduo Dominum sustinent, cum in cogitatione, locutione, & opere obseruant ne Deum offendant. Dimittere

eos non vult ne deficiant in via, quia licet credant in eum populi inter tot aduersa titubant in via, nisi frequenter consolentur & recreentur verbi diuini admonitione. (*Quot panes habetis.*) Interrogat quod eum non latet, vt alij cognito miraculo ædificentur. Qui miracula fecit ordinauit, vt tunc essent quinque, nunc septem, propter septem dona Spiritus sancti, de quibus credentes replentur. Non dicuntur autem fuisse hordeacei: quia Euangelium reuelatam gloriam Domini quam vetus testamentum texuerat adnunciauit. [*Et paucos pisciculos.*] Per quos alij libri noui testamenti figurantur, vt Epistolæ Pauli, Apostolorum actus, cor undem Apocalypsis, & reliqui: vel sancti qui in illo tempore fuere, quorum ipsa scriptura vitam & passionem continet. Qui quasi de profundo huius seculi electi & eleuati, à cœlesti benedictione consecrati reficiunt, cum exemplo nobis sunt ad bene agendum. [*Et precepit turbæ discumbere super terram.*] In alia refectione super fœnum discubuerunt, quia illis antiquis populis solummodo voluptates carnales præceptum est calcare, in Euangelio perfectis omnia terrena cum voluptatibus præceptum est abdicare. [*Et accipiens septem panes gratias agens, fregit & dedit discipulis: & discipuli dederunt populo.*] Quia Dominus erudiẽs Apostolos suos & per eos voluit erudiri turbas. Quod gratias agit, ostendit quantum congaudeat de salute generis humani, & vt nos gratias agere de omnib. collatis vitæ munerib. doceat. Et ex hoc loco siue ex aliis consuetudo seruatur à fidelib. cibum benedicere, & versum Psalmi decantare licet & illa gens iam haberet in consuetudine. Quod dicitur fregisse, apertionem significat Sacramentorum quibus ad perpetuam salutem instituẽdus erat populus. [*Et comederunt & saturatæ sunt.*] Comedunt & saturantur de panibus ac piscibus Domini qui audiunt eloquia Domini & intuentes præcedentes sanctos seipsos ad superna excitant desideria. [*Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas.*] Per hæc fragmenta intelliguntur altiora perfectionis pręcepta quæ multitudo populi nequit intelligere vel seruare: vt sunt multa de diuinitate atque de virginitate seruanda, seu derelinquẽdo omnia quæ perfectis & volentib. non præcepta, sed in exemplo monstrata sunt. Quod vero septem sunt sportæ, propter Spiritus S. gratiam quæ septenario numero à Propheta prædicatur. Per septem sportas, electi prædicatores ostenduntur: quia sicut sportæ de iunco & palmis sunt: ita fortiter & indefesse memoriam sui cõditoris in corde seruant: & quasi florent cum de die in diem nouo desiderio ad amorem conditoris anhelant: de quibus dicitur. *Iustus vt palma florebit.* Fiunt autem & ipsæ sportæ & paruæ, quas videmus in Basilicis cum oblationib. ferri: etiam magnæ, vt tria vel quatuor modia annonæ capiant: etiam vt infirmi cum ipsis possint portari: sicut & ibi factum est. [*Erant autem qui manducauerunt quasi quatuor millia.*] Vt ipso numero ostenderent de Euangelij se pastos esse cibariis. Similiter nec isto signo mulieres & paruuli mittuntur in numerum, propter mutabilitatem & imperfectionem. [*Ascendit in nauiculam, & venit in terram Magedan.*] Et Marcus dicit *dalmanutha*. Dicunt autem Doctores: aut vnus locus est duo nomina habens, aut vitium scriptoris factum est in Marco. (*Et accesserunt Pharisæi, & tentantes negauerunt eum vt signum de cœlo ostenderet eis.* Ioannes narrat quale signum quærebant: sicut iam superius dictum est, quia & post saturationem quinque panum, similia postulauerunt vt pasceret de manna populum, vel faceret tonare. Sed neutrum de illis duobus signis de alio cœlo venit, nisi de isto vbi volucres volant, vnde volucres cœli dicimus.

Tonitruum autem ventus & aqua faciunt: quia cum ventus in nube se incluserit quærit aditum vt erumpat: & cum rescidit nubem sonum facit, & ignem creat, & simul oriuntur, sed lux ante videtur quia clarius est lumen, & acutior est sensus visus quam auditus. Quia longius videmus quam audiamus. Ideo autem ignis fulminis maiorem vim habet ad penetrandum, quia subtilior est quam noster, id est qui nobis in vsu est. Fit autem per eum aliquando castigatio in hominibus, sicut per alia elementa. De ipsis etiam elementis signa viderant, quando Dominus mare & ventos compescuerat. Sed qui Dominum tentando aliquid petunt, non merentur accipere, sicut nec illi fecerunt. (*Facto autem vespere dicitis, serenum erit, rubicundum est enim cœlum.*) Sicut solet euenire. Si sol in nube vespertina aquam circa non habuerit, sed rubicundam nubem: sequenti die pluuia non erit. (*Et mane* (*subauditur dicitis*) *hodie tempestas* (*subauditur erit*) *rutilat enim triste cœlum.*) Quando nubes orientales rubicundæ sunt, pluuia ipsa die erit. Inde dicit Dominus ad Iudæos. (*Faciem cœli diiudicare nostis, signa autem temporum non potestis scire, & consuetudinem habetis notatas pluuias vel serenitates, & signa aduentus filij Dei ex Prophetarum oraculis non potestis scire. Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei nisi signum Ionæ Prophetæ.*) Iam de hoc superius dictum est: & hoc nunc dixisse sufficiat, qui in signo mortis Domini, & de cœlo signum datum est corpus terrenum surrexit, & de inferno claustra ipsius fracta, & multa millia sanctorum exierunt. (*Et relictis aliis abiit.*) Et tunc Dominus incredulos deserebat, & adhuc inuisibiliter hodie eadem facit. Deserit incredulos & superbos, & requiescit in trementibus sermones suos. (*Et cum venissent discipuli eius transfretum, obliti sunt panes accipere.*) Iterum post saturationem populorum aufert se de ipso loco, ne forte populus eandem voluntatem haberet, quam superius habuerat. Quod vero dicit, quia obliti sunt discipuli panes tollere, ostenditur, quia nec Dominus, nec discipuli magnopere de cibo terreno cogitabant. Siue ideo: quia abundantia panis erat in ipsa terra: & quod ad victum pertinebat, ministrabat populus Domino & discipulis eius. Quomodo obliti sunt cum dictum sit, quod sustulerunt septem sportas? Sed ipsum ad pauperes dimiserunt: solummodo vnum panem habebant, quando ipsum lacum transierunt, habebant vnum, & alium spiritalem qui dixerat, ego sum panis viuus qui de cœlo descendit, propterea non erat eis necesse terrenum quærere. Qui dixit eis. (*Intuemini & cauete à fermento Pharisæorum & Saducæorum.*) Dominus sicut semper docebat discipulos, ne aut ipsi ociosi, aut vacui à bono opere cessarent, præcipiebat vt custodirent se à doctrina Pharisæorum, per fermentum, doctrinam volens intelligi. Doctrina Pharisæorum, decreta diuinæ legis traditionibus hominum postponere, vel verbo Domini mandata prædicare, factis impugnare. In alio Euangelio etiam à fermento Herodis cauendum iubet. Fermentum Herodis, & adulterium, homicidium, simulatio religionis.

Fermentum à feruore nuncupatur quod plus quam vna hora non potest contineri: crescendo enim excedit. (*At illi cogitabant inter se dicentes: quia panes non accepimus.*) Dominus spiritaliter loquebatur: discipuli carnaliter accipiebant. Cogitabant eum scire eos panes non habere: vt cum farinam inuenirent, non fermentarent de fermento Pharisęorum. (*Sciens autem Iesus dixit eis. Quod cogitatis vos modicæ fidei quod panes non habetis? Non dico nec de illo fermento, nec de illo pane vnde vos cogitatis. Nondum intelligitis, neque recordamini quinque panum & quinque millia hominum.*) Quando dicit: nondum intelligitis: spiritaliter intelligentiam requirit: quia miraculum omnes qui viderunt intellexerunt. Vult vt illas saturationes, & panem, & pisces, & fermentum intelligant spiritaliter: quia si fermentum farinæ mixtum fuerit, quod paruum videbatur

in maius creuit: ita & doctrina mala plus crescit, quam bona: sicut Apostolus dicit: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Similiter & hæretica doctrina, si ad modicũ in alicuius pectore serpserit, cito peruertit illum. Omnis enim homo ad malum citius informatur quam ad bonum. (*Venit Iesus in partes Cæsareæ Philippi.*) Iste est Philippus frater Herodis cuius vxorem Herodes habebat: in cuius partes sui regni venit Iesus in loco nuncupante Cæsarea. Siquidem ipse Philippus reædificauit ciuitatem quandam in honorem Tyberij Cæsaris, & vocauit eam Cæsaream Philippi, in honorem Tyberij pariterque sui, sub quo regnabat: quia alia iam ibi erat ex proprio nomine eius, Tyberiadis ædificata. Est autem prouincia Phœnicis ad radices Libani, qui habet cedros magnos: vbi sunt duo fontes, Ior, & Dan: qui inde longe in simul veniunt, & Iordanem faciunt fluuium. Vocatur vero nunc ipsa ciuitas Paneas. Est autem alia Cæsarea, quam Herodes reædificauit in honorem Octauiani: & vocauit eam Cæsaream: quoniam primus turris Stratonis dicebatur. Cum ergo ad hunc locum veniret & sicut Lucas dicit *eum sine turbis esset*: & duodecim cum eo in via fuissent discipuli: interrogabat eos dicens. [*Quem dicunt homines esse filium hominis.*] Dixi superius quare filius hominis vocetur: quia videlicet consuetudo fuerit in ipsa gente Prophetam aut præclarum virum aut hominem Dei, aut Prophetam aut filium Adam id est hominis appellari. Vnde Ezechiel filius hominis appellatur frequenter. Idcirco dicit quem dicunt filium Adam esse: & non dicit, quem me dicunt: ne iactanter de se quærere videretur. Homines illos appellat qui mentiuntur de filio Dei: quia omnis homo mendax. Qui autem veritatem de filio Dei sentiunt, quasi super homines sunt. (*At illi dixerunt.*) in hoc loco primitus nomen Christi, Domino Christo impositum est à beato Petro, & cæteris Apostolis per reuelationem Spiritus sancti. Et sicut Ioseph præceptum est ex persona Dei vocare eum Iesum, sic ex persona Spiritus Sancti ordinatum est vocare eum Christum per beatum Petrum & cæteros Apostolos. Notandum vero: quod non eo more Dominum appellat quo sæcularis doctrina apud nos docet: sed tu es: sicut in antiquis libris inuenitur vsos fuisse maiores. Si quidẽ Romulus & Remus duo fratres tãtæ concordiæ fuisse dicuntur vt nihil vnus sine alio vellet habere: & omnia communia dicerent & haberent: sicuti modo monachi faciunt. Ex hac re increuit consuetudo in hac Gallia, vt Dominus plurali numero appellent. (*Alij Ioannem Baptistam.*) Scilicet quasi ipse deberet resurgere, eo quod modico tempore prædicasset. (*Alij Heliam.*) Quia habetur in libro Prophetię eius, quia Prophetam in gentibus dedi te. Et quia mors eius in scriptura non legitur, dicebant eum venturum gentibus prædicare. Falsa erit denique eorum opinio de Hieremia, quia in suo libro inuenitur quomodo prophetauerit ad gentes, ad Moab, ad Idumeos ad Babylonios: propterea completum est quod ad ipsum dictum fuerat: Prophetam in gentibus dedi te. Habemus quoque scriptum, quod Iudæi lapidauerant eum in Ægypto, quia prophetabat Nabuchodonosor illuc esse venturum post Iudæos, quia pro illius timore illuc fugerãt. (*Aut vnum ex Prophetis,*) quilibet de prioribus. *Dixit autem illis. Vos autem quẽ me esse dicitis?*) Ac si aperte dicat. (*Sequestrans eos ab hominibus filios Dei per adoptionem factos insinuans dicit. Vos qui dii estis, quem me esse dicitis?*) Recte dij vocabantur, in quibus Deus habitabat, & qui omni die verbum Dei audiebant. Illos enim ad quos sermo Dei factus est, Deos Psalmista appellat dicens *ego dixi, dii estis.* Consideranda vero distinctio: quomodo Dominus de sua humilitate discipulis dicit. Filium hominis, non dicit filium Dei. Multo enim sæpius in Euangelio se filium hominis, quam filium Dei dicit. Et hæc omnia vt nos ad humilitatem informet. (*Respondens Petrus dixit ei.*) Petrus respondet pro omnibus

A quia ipse iam in caput Apostolorum erat constitutus. Et quod ipse respondit, omnium Apostolorũ responsio est, quia & ipsos fuerat interrogatus. Vos quem me esse dicitis? Et quod Dominus Petro dixit, omnibus dicit Apostolis. (*Tu es Christus filius Dei viui.*) Tu es Christ⁹. Si alij dicti sunt Christi nuncupatiue, quia ad tempus populũ regere debuerunt, tu veracius es Christus, quia tu es Rex omnis terræ. Tu es filius Dei viui qui essentialiter Deus es, & non vt isti alij qui dicuntur dij & non sunt quia opera manuum sunt, non vident neque audiunt. Tu es autem illius Dei filius, qui à Iudæis adoratur & colitur. De quo dictum est. *Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius.* Quid ipsi homines errent de te, cum ipsis quid de te sentio dico. Christus Dei es, & filius Dei es, illius Dei, ante cuius arcam Dagon iacebat truncatis manibus & pedibus. [*Respondens Iesus dixit ei, beatus es Simon Bar Iona.* Bar Syriacè *filius*, Iona *columba.* Et in hoc Beatus, quia filius Spiri-

B tus sancti simplex vt columba, astutus vt serpens. Et in hoc Beatus. [*Quia tibi non reuelauit caro & sanguis.*] Hoc est viuens homo qui de carne & sanguine constat, sed pater meus, ille ipse quem tu confessus es. Pater viuens incomparabiliter, pater meus qui in cœlis est, & ego etiam cum ipso, & Spiritus sanctus, cuius filius spiritalis es. Nouerat quidem Dominus Iesus quid Apostoli de eo crederent, quidve sentirent, & quid responsuri essent. Sed ad insinuandam humilitatem nobis, placuit inuisibiliter cum patre Spiritu sancto reuelari Apostolis in corde, & per illorum confessionem in mundo audiri, & dignam confessionem digna mercede remunerari: vt omnes certi sint quicumque fuerint confessionis huius vsque in finem seculi consonantes & confitentes, erunt & remunerationis consortes. (*Et ego dico tibi, quia tu es Petrus.*) Dixisti, *tu es Christus, & ego dico tibi, quod tu es Petrus.* Quia ego sum Christus inunctus oleo inuisibili à patre, rex Christia-

C norum, & tu fundamentum eorum. *Beatus es Simon,* id est obediens, quia filius columbæ, & quia Petrus, id est *firmus.* (*Et super hanc petram ædificabo Ecclesiã meam.*) Super hanc firmitatem fidei quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam, & super me ædificabo te cum omni Ecclesia mea. (*Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.*) Quicumque de Ecclesia mea studuerit esse, & de his qui ita confessi fuerint, portæ inferi non præualebunt aduersus eos, vt possint eos trahere ad se, vt ipse alias dixit. Nemo potest rapere oues meas de manu mea. Vel portæ inferi: peccata atque vitia seu doctrina hæreticorum, per quam illecti homines ducuntur ad tartarum. Multæ sunt portæ inferi, sed nullæ Ecclesiæ præualent, quia qui fidem Christi in corde tenuerit perfecte, omne quicquid exterius accidit tentationis facillime deuincet Deo protectore. Quicumque ab Ecclesia recesserit fide vel opere, iste non super terram; sed super arenam fundamentum posuisse credendum est. *Et tibi dabo claues regni cælo-*

D *rum.*) Claues regni cælorum scientia discernendi, potentiaque qua dignos recipere in regnum, indignos excludere debeat intelligitur. (*Et quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super terram erit solutum & in cœlis.* Hoc tam Petro quam omnibus Apostolis & successoribus eorum qui in Ecclesia eundem locum tenent recte credimus concessum, quia ipse post passionem apparens eis, dixit. *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt,* vt videlicet cum agnouerint causas peccantium quos cognouerint vere pœnitentiam agere, & nolle vltra reuerti ad vomitum peccati, illos absoluere dignos iudicent, & à timore mortis perpetuæ consolentur. Quos vero in peccatis criminalib. vitam finire viderint, illos perpetuis suppliciis tradendos insinuent: sicut ipse Dominus insinuat dicens. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi si-*

cut ethnicus & Publicanus. Similitudo datur de leprosis in Leuitico, quod sicut Sacerdos iubebatur considerare leprosum, vt ad arbitrium eius decerneretur qui esset leprosus, & qui non esset, sic & Episcopi & sacerdotes in Ecclesia illos debent ligare quos viderint leprosos in anima de peccatis criminalibus. Cum vero viderint aut audierint ablatam lepram, id est peccata per digna opera pœnitentiæ & confessionis, tunc debent illos absoluere. Quod iam sub exemplo Lazari diximus, vt illum studeat absoluere quem Dominus in anima resuscitauit, quia si discipuli ante soluissent Lazarum quam Dominus illum resuscitasset, fœtorem potius ostenderent quam virtutem. Quod autem quasi soli Petro hæc legatio diei videtur: ideo fit quia ipse locutus est pro omnibus, & in ipso omnibus responsum est, & ipse vera fide confessus est, & vero amore fuerat secutus, etiam & ob hoc vt omnes credentes pro certo sciant, quod quicumque se ab vnitate fidei segregauerint, nec veniam peccatorum consequentur, nec aditum regni cælorum intrare poterint. Imitemur ergo beatum Petrum in confessione veræ fidei, vt sic & corde credamus, & ore confiteamur. Imitemur illum de sua simplicitate, quia filius columbæ appellatur. Constantia quoque vincendas voluptates seculi par illi esse satagamus, vt ad illum cum quo ipse est peruenire mereamur.

[*Tunc præcepit discipulis suis vt nemini dicerent quia ipse esset Christus.* Legimus supra quia misit discipulos suos ad prædicandum, & iussit adnuntiare aduentum suum ad eos, nunc præcepit ne eum dicant Christum, sed discretio est intelligendi. Supra iussit vt adnuntiarent venisse, qui verbum salutis eis adnuntiaret, & infirmos eorum curaret, vt venirent ad eum. Et post cum videret qui dignos se facerent ad noscenda secretiora sacramenta, panderentur eis cum Apostolis, qui vero facerent se indignos recederent vacui cum Pharisæis sicut ipse dixit. [*Ne mittatis margaritas vestras.*] Simili modo in hoc loco præcipit ne passim eum Christum adnuntiarent, ne differretur vtilitas crucis, & mundus non redimeretur. Seu alia causa. Christus magnum nomen erat in ipsa gente sicut apud nos est Cæsar & Augustus. Non vult ergo publice illud nomē de se prædicari ne scandalum Iudæis fieret, quod arrogaret sibi regiam potestatem. Vnde postea Iudæi eum accusauerunt apud Pilatum, & tamen Pilatus inuitus scribendo confirmauit quod rex esset Iudæorū. Quod intelligitur, quia sic reges vocabantur videlicet Christi, & exemplum dedit suis, ne quærant magni diei in populis. Non est autem saluatoris proprium nomen Christus, sed commune dignitatis nomen & potestatis. Iesus Christus proprium vocabulum saluatoris est. [*Exinde cœpit Iesus ostendere discipulis suis quod oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati à senioribus & scribis & principibus sacerdotum.*] Nunc quare præceperit non se manifestaturum Christum in populis declarat. Ac si aperte dicat. [*Cum me videritis post passionem resurgentem à mortuis, quia nihil prodest prædicare nunc paululum videri, derisui haberi, & opprobrio, crucifigi & flagellari.*] Prædicit etiam passionem suam, vt minus dubirent in eius resurrectione. Et notandum quod ille passus est. [*Et assumens eum Petrus, cœpit increpare illum dicens.*] Beatus Petrus pro nimia fide & amore quæ habebat erga Deum nostrum eum audisset opprobria & mortem quam Dominus prædicebat se passurum Hierosolymis, apprehendit Dominum secreto, ne coram aliis videretur magistrum redarguere, & cœpit ei de affectu felicitatis dicere. [*Absit à te Domine: non erit tibi hoc.*] Id est hoc quod dicis longe sit à te. Vel sicut in Græco habet *ilasoi ritisoi, ikaeos kyrie. Quod est, propitius esto tibi.* Nolebat enim destruere confessionem suam, & putabat perdere præmium saluatoris quod audiebat: beatus es Simon Bariona, & reliqua quæ audierat, Nec putabat posse fieri vt filius Dei occideretur. [*Non erit tibi hoc.*] Non possunt aures meæ ista percipere, nec cor meum credere. (*Qui conuersus dixit Petro. Vade post me Sathanas.*) Sathanas dicitur contrarius: vade post me, meam sequere voluntatem, & noli esse de his contrarius quæ à me ordinata sunt cum patre. Discipulus es, propterea debes, sequi, non docere. Non est similis ista sententia illi quam ad Diabolum Dominus dixit, quia illi dictum est, vade Sathanas, subauditur in abyssum. Isti autem vade retro post me, id est me imitare, vt eadem velis quæ ego. Non est autem mirum si Dominus Petro talia dixit: post tantam beatitudinem quam supra dixerat, quia B. Petrus adhuc non erat perfectus adhuc cum erat negaturus, & omnia illa à Deo non ad præsens concessa fuerant, sed in futuro promissa, id est tibi dabo, non do: & reliqua. Non enim sapis quæ Dei sunt, ignoras Dei ordinationē, quia dispositum habeo per meam mortem redimere mundum: ea quæ hominum sunt mihi suades, quando mortem refugere suades, quia ipsam solent puri homines timere. (*Tunc Iesus dixit discipulis suis.*) Nec ista nec superius comprehensa dixit turbis, sed discipulis suis, quia non erant ista in perfectionibus prædicanda: verum perfectis (*Si quis vult post me venire.*) Si quis vult me imitari sicut discipuli facere debent magistrum. Postquam prædixit de suis contumeliis & morte, armat suos, vt præparent se ad eadem perferenda. (*Abneget semetipsum.*) Desinat esse quod hactenus fuit per malam conuersationem super Pharisæorum traditionem, & incipiat esse nouus per meam admonitionem. Deneget in suis actibus vetus homo esse qui corrumpitur secundum desideria sua, & incipiat nouus Adam fore, qui renouatur de die in diem in agnitione Dei. (*Et tollat crucem suam, & sequatur me.*) Crux à cruciatu dicitur, & per crucē mortificatio vitiorum intelligitur. Et sicut is qui crucifigitur huic mundo moritur, sic is qui Christum sequi vult debet mortificare passiones membrorum suorum. Duobus autem modis crux tollitur: cum aut per abstinentiam corpus afficitur: aut per compassionem proximi animus affligitur. Quod Paulus aliis verbis idipsum clamat inquiens. *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, iram, fornicationem, auaritiam, & reliqua.* In seipso nobis exemplum monstrauit; qui ait: *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo, ne forte cum aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar.* Ecce audiuimus de cruce corporis sui: requiramus de compassione proximi. Ait namque. *Quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non vror?* (*Qui enim voluerit animam suam saluam facere; perdet eam.*) Qui sic voluerit animam suam saluam facere, vt nolit eam dare pro Christo, perdet quando melius habere debet.

(*Qui autem perdiderit animam suam propter me, saluam faciet eam.*) Qui tradere non timuerit propter me animam suam in hoc seculo, saluam faciet eam in futuro. Quasi Agricolæ dicatur. Si vis saluum facere frumentum, perde illud in terra, quia si seruaueris in horreo, peribit: *Si in terram ieceris, recipies duplo.* Hoc illis tūc dictum est, qui inter persecutiones versati sunt paganorum. Nos similes esse martyribus si volumus, debemus mala proximorum & persecutiones malorum Christianorum æquanimiter ferre, quia non erimus consortes martyrum, si non erimus passionum vel in aliquo participes. *Qui autem perdiderit animam suam propter me, vel* (sicut in Euangelio habetur) *propter Euangelium meum, inueniet eam,* vel sensu quem superius diximus, vel per animam nostram voluptates huius seculi. Quicumque pro Dei amore delitias & voluptates huius seculi abnegauerit sibi, in æterno seculo recipiet quales *nec oculus vidit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Dominus diligentibus se.* (*Quid enim prodest homini si mundum vniuersum lucretur, animæ vero suæ detrimentum faciat?* Quid profuit illis Imperatoribus, qui istum mundum habuerunt per vigin-

ti annos, vt Octauianus per quinquaginta tres annos, cum iam per octingentos iaceat in inferno? Numquid non fuerat ei melius esse socium Lazari pauperis, quam modo esse socium Diaboli? Transierunt omnes honores illius tanquam vmbrę, & tanquam somnium. Frequenter eum aureis curribus & aureis scutis suscepti sunt à consulibus: & postea nudi & rei excepti à nigerrimis dæmonibus, & in æterno igne religati. Quod peius est multi Christiani ibunt cum ipsis qui viam veritatis scire debent. [*Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?*] Nullam commutationem deberet homo dare pro anima sua, sed quod peius est multi sunt qui præponunt corpus animæ, & temporalia æternis, & non cogitant de anima, nec de vita perpetua, sed honoribus terrenis, & de caducis, & venundant se vt faciant malum sicut de Achab dicitur. Qui venundatus est vt faceret malum. Quibus frequenter euenit vt Balaam. Qui cum prohibitus esset à Deo ne iret ad maledicendum populum, ductus cupiditate muneris, & iterum atque iterum interrogauit Deum, cum non esset vt homo qui mentiri posset. Sed quia sic importune petiit, & accepit quod Deus noluit & illi non profuit. Sic multi cum intrant in Ecclesiam lingua alterius verba cantant, & animo de honoribus cogitant, sic per multos dies. Deus autem respicit ad cor, & videt quæ cor precatur: verba quæ lingua dicit alterius verba sunt. Nisi verecundia illi esset, quod corde tegit lingua caneret. Cum videt igitur Deus sæpius ea magis nos optare in corde & opere, iratus concedit quod contra voluntatem ipsius & contra salutem nostram est: atque tali modo dat quis commutationem pro anima sua, cum eligit terrena & negligit æterna. [*Filius enim hominis venturus est in gloria patris cum Angelis suis.*] Quia prædixerat de se & de sequacibus suis oppido aspera, nunc temperat & pro qua causa talia sustinere debent ostendit, scilicet quia venturus sit, id est ipse filius hominis in gloria patris ad iudicandum viuos & mortuos, quia pater omne iudicium dedit filio. (*Et tunc reddet vnicuique opera sua.*] Et tunc vos si fortiter & patienter sustinueritis, æternam remunerationem, & hi qui vos tribulant æterna recipient tormenta. [*Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo.*] Poterat Apostolorum esse tacita cogitatio vt dicerent, in fine mundi ista erunt quæ nobis promittit, & tali modo deficerent à spe. Nunc proxima promittit videlicet quod aliqui non sint ex his mortem gustaturi, quam paruo tempore quasi prælibando gustabunt. Donec videant filium hominis venientem in regno suo, hoc est in regia charitate, qualis post iudicium videndus est ab omnibus electis. Nam in iudicio videbitur in forma serui sicut dictum est quando ascendit, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem, vt videant eum & boni & mali quem contempserunt, sicut scriptum est: *videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Videbunt autem eum iniusti terribilem, iusti mitem vna eademque forma. Vel regnum eius præsens Ecclesia intelligitur, quam multi viderunt fundatam in carne antequam mortem gustassent, sicut Ioannes qui ad septem Ecclesias scribit, vt esset eis consolatio videre iam ex parte, in eum mundum crediturum. Rudes enim erant discipuli adhuc, & necessarium erat in præsenti aliqua promittere, vnde in præsenti roborarentur, & in futuro robustius consolarentur. Vel de transfiguratione eius potest intelligi, in qua cum illi tres viderunt quasi in regno suo, hoc est in regia dignitate qua ad iudicium videbitur.

A

De transfiguratione Domini.

CAP. XXXVI.

Et post dies sex assumpsit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius.] Post dies sex, videlicet postquam ista quæ superius audistis locutus est, quod essent qui non essent gustaturi mortem. Lucas dicit vere dies octo, sed Lucas primum & vltimum comprehendit diem, isti duo illos qui in medio fuerant. Vt enim isti tres alios confortarent tempore passionis eius, eliguntur à Domino. Non enim illi alij adhuc perfecti erant vt possent ea videre. Nam etiam isti ceciderunt & timuerunt valde. Secernuntur autem isti tres à cæteris certis pro causis. Petrus, quia futurus erat pastor Ecclesiæ & ad Romanos mittendus, qui rectores orbis erant. Ioannes, quia altius erat locuturus mundo diuinitatem eius, & apud Græcos sapientiores omnibus gentibus erat directurus. Iacobus, quia ipse primus de Apostolis martyrium erat pro ipso subiturus, & ob hoc vocati sunt filij tonitrui: quia ipsi hanc vocem erant audituri de qua nunc dicit. Typice ostenditur *quod multi vocati, pauci electi.* [*Ducit illos in montem.*] Id est Tabor in Galilæa, qui interpretatur *veniens lumen.* Conueniens interpretatio quia ibi frequenter de vero lumine illuminati sunt, vt etiam nunc. [*Excelsum.*] Pro valde celsum sicut nostri Alpes sunt in Burgundia, in quibus calor non multum potest nocere etiam in æstate, quando transfiguratio ista celebrata est. [*Seorsum.*] Ab aliis discipulis. Est enim aduerbium separandi. [*Et transfiguratus est ante eos.*] Transfiguratus in alia figura. Nam substantiam non amisit, neque spiritalem aut aerium corpus assumpsit, sed ipsam substantiam gloriosam reddidit, sicut hic sequitur. [*Et resplenduit facies eius sicut sol.*] In ea forma apparuit Apostolis, quam soli oculi mundi sanctorum visuri sunt post iudicium peractum. Quando dixit sicut Sol non potuit altius ascendere comparando quod homo oculis corporalibus noscit. (*Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.*) In hoc possumus scire quod corpus idem ipsum fuit, quia vestimenta eadem fuerunt. De quibus dicitur quia facta sunt alba sicut nix, vel sicut in alio loco scriptum est, qualia nullus fullo potest parare super terram. Apparet quia non substantiam amiserunt, sed claritate desuper inductæ sunt. Vestimenta Christi typice sancti eius sunt de quibus Paulus ait. *Qui enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Qui fulgent nunc in præsenti, sed in futuro clarius, quia *cum apparuerit similes ei erimus.* (*De quibus dicitur, qualia fullo non potest parare super terram*) Fullo ille, de quo Psalmista, *lauabis me, & super niuem dealbabor*, quia non potest dare in sanctis, quod dandum promisit in cœlis. (*Ecce apparuit Moyses & Helias.*) Per Moysen & Heliam legislatorem & eximium prophetarum ostendit, quia & lex ab ipso data est, & ipsum præfigurauit: & Prophetæ ipso inspirante prophetauerunt, & omnia quæ de illo erant futura cecinerunt. Typice per Moysen sancti qui iam gustata morte cum Domino regnabant. Per Heliam qui adhuc viuere dicitur, illi electi qui in carne reperiendi sunt figurantur: quoniam sicut Paulus ait. *Mortui qui in Christo sunt resurgent primi, deinde qui viui inuenti fuerint, simul rapiuntur in nubibus obuiam Christo in aera & sic semper cum Domino erimus.* (*Cum eo loquentes.*) Scilicet excessum eius quem acturus erat in Hierusalem prænuntiantes. Origenes dicit. Quod Moyses cum tabulis quę scriptam legem habuerunt apparuerit, & Helias cum curru igneo aduenerit, & inde Apostoli eos cognouerunt, & dignum erat in charitate cum Domino apparentes, terribiles & præclari apparerent, quasi dicerent. Non videatur vobis durum pati pro Christo, quia ego per legem, & iste per Prophetiam ipso iubente sic præ-

B

C

D

nuntiauimus futurum. [*Domine bonum eſt nos hic eſſe, ſi vis faciamus tria tabernacula.* Quia viderat ad punctum delectabilia Petrus, volebat ibi ſemper immorari ne ad terram deſcenderet, vbi pro certo cognouerat eum crucifigendum. Neſciebat quid diceret, & fuerat oblitus ſanctis promiſſum à Domino in cœlis regnum, non in terra, neque poſſe quemquam mortali circumdatum carne in mortalitate frui, niſi prius morte guſtata. [*Faciamus hic tria tabernacula.*] Non ſunt tria tabernacula facienda, ſed vnum, quia trinitas licet credenda, vnus tamen Deus in ſubſtantia, & vnum habet ouile Chriſtus quod eſt vna Eccleſia Catholica. [*Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos.*] Quia Petrus tabernacula ædificare volebat, oſtendit ei Dominus quod poſſet idem vmbraculum habere, quod præbuit Moyſi cum populo ſuo per quadraginta annos. Seu etiam vſitatiſſimum genus locutionis Dei per nubem ad electos ſuos, vt ad Iob & ad ipſum Moyſen, quia per nubem deſignatur lene blandimentum. (*Et ecce vox de nube dicens.*] Quia Petrus nihil rationis dixerat, non meretur reſponſionem, ſed pater reſpondet pro filio, & docet & ipſos Apoſtolos & per illos reliquos, quia is ſit filius eius, non adoptiuus, ſed proprius. Et illi ſoli figendum eſt tabernaculum, illi obtemperandum & ab Apoſtolis & à Moyſe & ab Helia. [*Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui, ipſum audite.*] Et hoc retinendum quod ſicut in baptiſmo trinitas, ſic etiam in monte oſtenſa eſt. (*Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam, & timuerunt valde.* Non eſt mirum ſi diſcipuli timent valde, quia viderunt Dominum glorificatum ſupra humanam formam & quia Dei patris audierunt vocem per ſubiectam creaturam, & quia nubes texigerant eos etiam tunc erraſſe ſe cognouerant. [*Et acceſſit Ieſus, & tetigit eos.*] Vſus humanæ conditionis eſt, cum aliquid ſuper ſe viderit, timore affici, ſed iterum per vocem & tactum recreari. Quod & in Daniele legimus, & in Hezechiele. Igitur, quia pro ſuperna voce & actione deiecti iacebant, recreantur à conſueta voce & tactu humano.

(*Nolite timere.*) Ad noſtram inſtructionem iſta omnia facta ſunt, & non ad defectionem. Electorum eſt in faciem cadere, & reproborum in dorſum, vt in paſſione de perſecutoribus Domini. (*Leuantes autem oculos ſuos neminem viderunt, niſi ſolum Ieſum.*) Cum patris vox cœpit filium commendare, ſerui diſceſſerunt. Et cum ſurgunt non vident alium niſi Dominum, ne vox quæ ſonuerat ad alium putaretur facta, niſi ad ipſum. Typice, poſtquam Chriſtus apparuit, non fuit neceſſitas legis vmbra, vel vaticinatio prophetalis. (*Et deſcendentibus illis de monte præcepit Ieſus dicens. Nemini dixeritis viſionem.*) Non vult vt prædicentur quæ in monte viderant in populis, ne pro rei magnitudine nõ crederetur: ſeu propter opprobrium crucis ſcandalum generaret, & vile haberetur, donec cum reſurrectionis triumpho, gloria regnantis vna adnuntiaretur. (*Et interrogauerunt eum diſcipuli dicentes: Quid ergo ſcribæ dicunt quod Heliam oportet primum venire.*) Requirendum nobis eſt, vnde quæſtio orta fuerit inter diſcipulos Domini, quia Dominus dixerat ſupra quod aliqui non eſſent guſtaturi mortem donec viderent filium hominis venientem in regno ſuo. Æſtimauerunt quod ipſa regni glorificatio ſtatim fore deberet: inde dixerunt: Quid eſt quod ſcribæ dicunt & Phariſæi, quia Helias debeat præcedere tuum aduentum? Habebant enim Phariſæi ſecundum Malachiæ ſcriptum quod Helias præcedet Domini aduentum, ſed de ſecundo, non de primo hoc debet intelligi. Viderant enim Heliam receſſiſſe, & ideo turbabantur. (*At ille reſpondens ait eis: Helias quidem veniens reſtituet omnia.*) Vtique quæ idẽ Propheta prædixit Malachias. Sicut audiſtis venit Helias in ſecundo Domini aduentu, iuxta corporis fidem. (*Dico autem vobis quod Helias iam venit, videlicet in ſpiritu & actione Ioannis, & non cognouerunt eum.*) Scilicet ſanctitatem eius. (*Sed fecerunt in eo quæcumque voluerunt. Spreuerunt atque decollauerunt eum, ſic & filius hominis paſſurus eſt ab eis.*) Quæritur quare dicantur Phariſæi occidiſſe Ioannem, cum Herodes eum occiderit? Sed ex hoc quia non contradixerunt dicuntur conſenſiſſe. Perituro enim qui poteſt ſubuenire & non facit, occidit. Similiter Herodes dicitur Dominum occidiſſe, quia cum potuit, noluit liberare, ſed conſenſit cum Pilato, & remiſit eum ad illum.

De lunatico.

CAP. XXXVII.

ET *cum veniſſet ad turbam acceſſit ad eum homo genibus prouolutus.*) Notãdæ ſunt ſemper Domini actiones quibus non ceſſat à ſalute hominum. In monte diſcipulis arcana ſuæ maieſtatis reſerauit, deſcendens de eo exceptus eſt à turba. In monte ſanauit dubias mentes Apoſtolorum, in plano ſanauit corpora & mentes turbarum. (*Domine miſerere mei fily, quia lunaticus eſt.*) Sic illi homines putabant, quod ex lunæ defectione homo malum pateretur, ſed non erat. Sed diabolus vt poſſet homines lædere in anima, obſeruat tempus Lunæ & corripiebat hominem vt infamaretur creator per creaturam, & blaſphemaretur creator qui talem creaturam creaſſet, ex qua homo mala pateretur. Hunc autem hominem Marcus ſurdum & mutum fuiſſe narrat. Iuxta fidem hiſtoriæ ita factum eſt: Alio vero intellectu ſignificat eos de quibus ſcriptum eſt. *Stultus vt luna mutatur.* Quod dicit, ſæpe cadit in ignem, ſubauditur auaritiæ, quia quaſi ardet auaritia dum creſcunt pecuniæ, *quia amor nummi creſcit, quantum ipſa pecunia creſcit*, ſiue per ignem iracundia exprimitur. Et crebro in aquam. In fluxu luxuriæ, quæ diſſoluere mentem ſolet per delitias. (*Et obtulit eum diſcipulis ſuis, & non potuerunt curare eum.*) Frequenter precibus petentium reſiſtunt pro quibus petunt, quando is pro quo petunt à malo non conuertitur. Vnde frequenter Dominus dicit. Secundum fidem tuam fiat tibi. Quicumque autem dæmonio traditur, aut pro ſuo aut pro parentum peccato traditur, ſicut in omnibus locis Euangeliorum inuenimus,

(*Reſpondit Ieſus & ait. O generatio incredula & peruerſa, quouſque ero vobiſcum, quouſque vos patiar?*) Non ideo hæc loquitur quaſi tædio affectus, aut in iram cõuerſus, de quo ſcriptum eſt, *quod ſicut agnus non aperuit os ſuum.* Sed quia per Salomonem dicitur. *Verba ſapientium quaſi ſtimuli & quaſi claui in altum defixi.* Volebat quod dicerent, in mentibus fixa remanerent, veluti ſi medicus ad ægrotum diceret: quouſque accedam ad domum tuam, quouſque perdam artis peritiam? Ego aliud iubeo, & aliud facis tu. Vel per illum arguit Iudæos in infidelitate. Nam quia irato animo hoc non dixerit, ſequentia demonſtrant. Sequitur. (*Afferte illum ad me. Et increpauit illum Ieſus.*) Non hominem, ſed diabolum increpauit, qui auſus fuit illum elidere præſente creatore. Nam dicit Euangeliſta, *quia in ipſa hora conturbauit eum & eliſit in terram.* Si autem & hominem intelligimus increpatum, oſtenditur quod propter ſua peccata à dæmonio dominabatur. Quod autem ipſa hora amplius eum cruciabat, ob hoc faciebat vt expulſionis ſuæ iram vindicaret, ſeu vt odium virtutis incuteret. (*Et exiui: ab eo dæmonium.*) Alius Euangeliſta dicit quod præceperit ei vt non amplius in eum introiret, quia ſolet Diabolus voluntariæ locum habitationis ſuæ repetere, niſi is qui liberatus eſt ſe à peccatis cuſtodiat, quod Dominus oſtendit de alio curato dicens. *Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, & reliqua.* (*Tunc acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum ſecreto & dixerunt. Quare nos non potuimus eiicere illum.*) Hic ap-

paret quod Apostoli frequenter virtutes faciebant, & dæmones expellebant, cum de isto solummodo interrogant, quare non potuerint eiicere. [*Dicit illis: Propter incredulitatem vestram.*] Hoc est quod alibi eis dixit. *Quaecumque petieritis in nomine meo credentes accipietis*, quotiens non accipimus non præstantis est, sed petentis. Siue vt Iacobus ait. *Postulet quis in fide nihil hæsitans*, seu incredulitas fuit, quia crediderunt per Lunæ defectum affligi hominem. [*Amen, amen dico vobis, si habueritis fidem vt granum synapis.*] Non ideo fides grano synapis comparatur quod parua sit, sed quia flagrās est & magna cum in opere parere cœperit. [*Dicetis monti huic: transi inde, & transibit.*] Mons hic, ipse Diabolus intelligitur, quia eiectus fuit tunc de ipso homine, & inde dicit monti huic. Vnde & in Apocalypsi dicitur. *Diabolus tanquam mons magnus missus est in mare.* Et in alio loco. *Mons pestifer, qui corrumpit omnem terram:* Requirunt aliqui qui ad litteram de monte terreno volunt intelligi, si aliquis sanctorū aliquem montem de loco ad locum transtulerit. Sed tamen sciendum quod Dominus omnipotens conuenientibus locis montes omnes instituit, & non est necesse transferre à loco ad locum, licet legamus Gregorium Nazianzenum hoc fecisse, & de Alexandro rege legimus quod ad conclusionem gentium Goc & Magoc quæ Gazares nunc vocatur, gentes quondam Hunorum cum non posset eos bello delere ad Deum cōuersus petierit & Deus ad conclusionem eorum montem adauxerit, & quod remansit, ipse cum populo conclusit, & portas æreas subter ipsum montem posuerit. [*Hoc autem genus non eiicitur nisi per orationem & ieiunium.*] Oratio est non solum verbis, sed etiam opera iusta quæ pro nobis orant sicut Apostolus præcepit. *Sine intermissione orate.* Quomodo sine intermissione orare possumus cum sine somno & cibo viuere non possumus? Sed sine intermissione orare est ea opera facere, quæ nobis dormientibus pro nobis exorent, quia nihil prodest ab escis ventrem abstrahere, & luxuriæ, vel aliis vitiis indulgere. Per tales orationes & ieiunia nouerimus vel immundorum spirituum, vel hominum aduersantium tentamenta esse superanda. Itam quoque Domini tali modo posse sedari, & veniam peccatorum promereri. Hoc munere filij Israel Samuele orante & ieiunante cum eis liberati sunt à Dominatione Philistinorum. Niniuitæ quoque de imminenti timore erecti sunt, Iudæi cum Hester & Machabæo etiam hostibus suis fortiores effecti sunt. [*Conuersantibus autem eis in Galilæa, dixit illis Iesus. Filius hominis tradendus est in manus hominum, & occident eum, & tertia die resurget.*] Frequenter Dominus ista prædicit, quia istud quasi naufragium debuit esse Apostolorum, & quasi totam spem amittere debuerunt, & quomodo non credebant ea, nec intelligebant prædicit vt lenius tolerarent si præsciantur. Miscet tamen super aduersis prospera, id est morti resurrectionem. Quod dicit in manus hominum, subauditur peccatorū vel militum, quia cum ipsis tradebatur: certum erat occidendum: (*Et contristati sunt vehementer.*) Pro dilectione magistri contristabantur, quem nolebant quicquam aduersi pati, cum scirent illum iuste viuere.

De statere dato.

CAP. XXXVIII.

E*T cum venissent Capharnaum.*] Capharnaum constat illam magnam esse ibi in Galilæam, quæ pro magnitudine sua ciuitas aliquando vocatur. Vbi sedebant Romani, qui magistri erant in ipsa terra. (*Cum ergo illuc venisset Dominus accesserunt qui didragma accipiebant, ad Petrum.*) Nostis quia totus orbis factus est tributarius sub Octauiano, nisi aliqui qui excellenti amicitia hoc meruerunt, vt Romani dicerentur. Pro

A hac professione Ioseph cum Maria venit in Bethleem profiteri numisma, & censum de capitibus suis. Pro reuerentia igitur quam ipse habebat cum omnib. hominibus, maxime apud Romanos vt Centurio ostendit, non fuit ausus publicanus ille, illum compellari de tributo. Sperabant vero quod ipse ex natiuitate de Nazareth esset: propterea postulabant iuniores Herodis censum ab eo. Nam ipse de potestate erat Pilati de Bethleem. Didragma, duo dragma sunt, id est denarij sex. Non negauit Petrus censum non esse solutum, quamuis ad opus pagani essent. (*Et cum intrasset in domum, præuenit eum Iesus dicens.*) Præuenit dictum Petri, qui scit omnia antequam fiant ne discipuli scandalizarentur audientes à magistro exigere tributū. (*Quid tibi videtur? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, à filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit. Ab alienis.*) Ostendit Dominus noster quia spontanea voluntate cēsum tribueret, quia si nollet non daret, quia ipse secundum carnem ex progenie Dauid erat, & secundum diuinitatem filius summi patris & conditor mundi. Attamen

B ad dandum exemplum vt subditi simus potestatibus sublimioribus, fecit quod à nobis fieri voluit. (*Vade ad mare & mitte hamum,*) id est lacum Genesar. Per omnia miranda Domini virtus, quod & piscem nouerat habere in ore staterem, & etiam quia ipse primus esset capiendus. Sed qui prædixit ipse & creauit, & piscem & aurum, quod in ore habebat. Neque etiam putandum est alicui decidisse in ipsum lacum, vt de alterius damno se liberaret Dominus. Sed & hoc creatum est ipsum aurum, & in ore adhuc piscis habebat, non in ventre. Simpliciter considerandum quod tantæ paupertatis fuerit, vt non habuerit quod pro se daret.

Stater, duo didragma sunt. Alij homines de ære soluebant censum, solummodo de capite suo quatuor denarios. Dominus autem vt ostenderet quia pretiosius supra cæteros homines haberet in corpore suo, id est diuinitatem latentem, aurum pro se dedit. Mystice piscis ipsum significat Dominum, corpus videlicet do-

C minicum quod de Maria sumpsit, qui aurum portabat in ore scilicet sapientiam de qua Salomon. Thesaurus desiderabilis in ore sapientis. Quod pro illo datum est, quia vt haberet fratres adoptiuos, per verbum Euangelij sui factum est. Et non solum aurum, sed etiam piscis occisus: quia caro eius pro nobis mortua est. Per Petrum, omnis eius Ecclesia quæ eidem Petro commissa est, pro qua Dominus sanguinem dedit.

De exemplo pueri.

CAP. XXXIX.

I*N illa hora accesserunt discipuli dicentes ad Iesum. Quis putas maior est in regno cælorum?*] Quod dicit Euangelista in illa hora, videlicet cum viderunt redditum tributum à Petro, simul cum Domino, & quia viderant eum ante separatum à cæteris in monte, & audierant

D ei dictum Petro, tibi dabo claues regni cœlorum, & nunc viderant eum Domino comparatum in datione tributi, orta est inter eos contentio, quis eorum videretur esse maior, in tantum vt Deum interrogarent. Et Dominus sicut pius magister curauit animositatem eorum humilitate placare. Quasi dicerent, quem æstimas meliorem in regno cœlorum faciens. (*Et aduocans paruulum statuit in medio eorum.*) Paruulum quendam de turba infantem ætate. Qui nesciret concupiscere neque locum, neque aurum, neque inuidere, neque mētiri. (*Et dixit eis. Amen dico vobis nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.*) Nisi per meam doctrinam & ex voluntate vestra fiatis tales qualis iste est per ætatem, vt non concupiscatis rem alterius, non odiatis aliquem, non quæratis honorem in isto seculo, nec mentiamini, neque decipiatis proximos vestros, in vitam æternam non in-

trabitis. Dicit Origenes, quia quando infans est quis, tunc est verus Adam, & talis qualis Deus Adam esse voluit, vsquequo inter homines initiatur, non curat nisi de victu & de frigore, non curat de delitiis, neque de pretiosis vestimentis, nescit quid est aurum, æqualiter diligit petras & gemmas, amabilius est ei ouum quam aurum, nescit aliquem fallere, omnia bono animo facit, nihil in occulto. Hæc est simplicitas columbarum, quam nos imitari per innocentiam debemus. Postquam vero cœperit crescere infans, videlicet illos quos diligit amplecti aurum, delitias & reliqua mala, & tunc efficitur nobis similis. Potest & de ipso Domino accipi quod de se dixerit, *qui talis erat per innocentiam.* Sed tamen multo retro habebat eis seipsum datum ad imitandum, & propterea eum sequebantur, vt imitarentur eum. [*Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum.*] Vt quod iste per naturam, ille fit per doctrinam, hic maior est in regno cœlorum. (*Et qui susceperit vnum paruulum talem.*) Subauditur qualem modo esse præcepi, in nomine meo. (*Me suscepit.*) Pro certo quicumque talis efficitur pro Dei præcepto, Deus habitat in eo, videant autem qui suscipiuntur vt tales sint, quales Dominus præcepit. Nam qui eos susceperint licet illi indigni sint, si in nomine Domini eos susceperint, talem mercedem à Deo accipient, qualem acciperent si ipsi sancti essent, si tamen ipsi publice mali non sint, quia in vestimentis ouium Christi veniunt ad eos, & pro Christo eis impenditur quicquid datur. Sic enim dicit ipse. [*Me suscipit, qui in nomine meo illum suscipit. Qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.*] Secundum morem prouinciæ loquitur, in qua hi qui maiora crimina committebant, tali modo puniebantur: videlicet religato saxo ingenti ad collum eius demergebatur in aquam. Mola asinaria, id est quam asinus apportabat. Quod dicit expedit, id est conuenit. Siue melius est ei vt temporaliter pereat, quam augendo peccata sua deputetur pœnis æternis. Ex hoc loco colligere possumus quod omnes qui pro homicidiis & furtis puniuntur, si cognouerint peccatum suum, & easdem digne super se cognouerint venire, & confiteantur peccata sua, & deprecentur Deum vt pro istis pœnis fiat eis remissio peccatorum, saluabuntur in alia vita, Dicant sicut dixit latro. Nos quidem dignè ita punimur, quia peccauimus in Deo & in Christianos. (*Væ mundo ab scandalis.*) Væ erat mundo, quia pacem habebant in malo, & nulla contradictio eis erat in adorandis idolis. [*Necesse est vt enim veniant scãdala.*] Quia nolunt pagani cognoscere Deum qui eos creauit, venient eis aduersitates, & tunc requirent Deum qui eos adiuuet in aduersitatibus, quia hi quos colunt mortui, non possunt adiuuare eos. Si fecit Constantinus cum habere debuit bellum cum Maxentio: requisiuit quem Deum potuisset adiutorem, quia sui opera manuum erãt. [*Veruntamen væ homini per quem scandalum venit.*] Quicquid mali est in hoc mundo per Diabolum est, & suos ipsos qui voluntatem eius faciunt Diabolus flagellat: quia omnis Dei castigatio & in hoc seculo & in futuro per Diabolos fit, quia *Deus intentator malorum est*, sed immissiones malæ per Angelos malos fiunt. Exemplum possumus capere de Nabuchodonosor, cui cum præceptum esset & populo eius, vt castigaret populum Domini, quia crudeliter super eos egerunt ipse & populus eius, postea traditi sunt simili pœnæ. Propterea debent se custodire omnes homines ne sint aliquibus scandalum. [*Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & proiice abs te.*] Per manum vel pedem amici intelliguntur: quorum ope atque consilio cottidie indigemus. Si tales nos in via Dei obsistere voluerint, relinquendi sunt, vt amor Dei firmus in corde custodiatur, ne si cum perditis in hac vita par-

A tem habere voluerimus, in futuro pariter cum ipsis ipsis pereamus. (*Et si oculus scandalizat te.*) In oculo quoque amici carnales intelliguntur, qui si scandalum in via Dei nobis sunt, & ipsi relinquendi sunt. Ille enim scandalizat fratrem, qui ei causa ruinæ est in dicto vel in facto.

Scandalum quippe Græcum nomen est, & potest Latine dici *offensio* siue *ruina*. (*Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis.*) Nunc superius omnes affectus carnales abstulit per quos oberrare possumus à via Dei, quia melius est in præsenti seculo tribulationem sustinere, quam æternam vitam perdere. Nunc quoque pręcipit vt omni conatu vnusquisque caueat scandalum inferre eis, qui propter Deum pauperes & humiles esse in hoc seculo delegerunt. (*Dico enim vobis, quod Angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei.*) Ex hoc loco & ex aliis inuenimus quod vnusquisque homo duos Angelos habet sibi deputatos à die ortus vsque ad diem mortis suę, bonum & malum. B Legim' enim in Apocalypsi Angelo Ephesi, & reliquis, scribe hæc vel illa. Et Apostolus præcipit velari capita mulieribus in Ecclesiis propter Angelos. Idcirco studendũ est vnicuique ne iniustè alicui malũ inferat quia & Deum aduersum se irritat, & Angelos bonos, suum & illius contristet. (*Venit enim filius hominis saluare quod perierat.*) Verum est hoc, quia Deus omnipotens omnes homines vult saluos fieri, & vt pacem inter se haberent prædicauit.

De parabola ouium.

CAP. XL.

QVid *vobis videtur, si fuerint alicui centum oues.*) Deus omnipotens centum habuit oues, qui perfectum decem ordinum Angelorum numerum, & hominem ad laudationem suam creauit. Per centenarium enim numerum perfectio designatur. Vna ouis aberrauit C cum homo in Paradiso peccauit. Reliquit nouem ordines Angelorum non mutando locum, sed seipsum monstrando incarnatum. (*In montibus hoc est in cælestibus.*) Venit quærere hominem, qui peccando à Deo recesserat, non corpore sed actione. (*Contigit vt eueniret.*) Quia inuenit gentilem populum, qui voluntarie emendauit quod deliquerat. (*Amen dico vobis quod gaudium est super eam magis, quam supra nonaginta nouem quæ non errauerunt.*) Magis gaudium fit in cœlo de conuersis peccatoribus, quam de stantibus iustis. Quia reparato homine & ascẽso Domino in cœlis, gaudium impletum est Angelorum, & is qui reparauit, super Angelos eleuatus est, Deus Archangelorum. Siue quia sunt iusti, qui ita semetipsos in conspectu Dei cottidie affligunt, quasi opera egerint impiorum tales & peccatores possunt appellari. De talibus cottidie gaudium fit in cœlo. (*Sic non est voluntas ante patrem vestrum, vt pereat vnum de pusillis istis,*) quod Deus omnipotens D noluerit hominem perdere, redemptio & amara mors quam pro nobis sustinuit indicauit.

De remittendo fratre.

CAP. XLI.

SI *autem peccauerit in te frater tuus.*) Superius docuit, non contemnendos humiles qui Christiani nobiscum adhuc perseuerant, vt si in nobis peccauerint, non propterea alienemus nos ab ipsis vsquequo sciamus si possumus conuerti & emendare de violatione charitatis. Nam in alio Euangelista dicit. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit dimitte illi.* Attendere autem debemus quod dicit in te, quia aliud est peccare in nobis, aliud in Deum. Si in nobis peccauerit aliquis: habemus potestatem dimittere. Si autem

in Deum peccauerit aliquis, secundum quod definitū est ab antiquis in Canonib. emendandum est, sicut in libro regum dicitur. Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus. Si autem in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo? [*Vade & corripe eum inter te & ipsum solum.*] Solus cum solo debet corripi: ne si pudorem amiserit peior fiat. [*Si te audierit. Lucratus eris fratrem tuum.*] Quia qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum suorum. [*Si autem non te audierit, adhibe tecum adhuc vnum aut duos.*] Adhibētur duo vel tres, vel corrigendi studio, vel cōueniendi sub testibus. [*Si autem illos non audierit, dic Ecclesiæ.*] Vt qui noluit conuerti cum pudore, conuertatur multorum improperationibus. [*Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*] Ethnicus Græce: Latine gentilis dicitur. Publicanus quoque est, qui exigit publica lucra per negationes, ac per furta, & periuria, qui publicæ rei deseruit. Qui enim Christianus est & fraternam pacem impugnat, vel publice Christiano scandalum est, peior est quam paganus, qui nec dum suscepit Christianitatem. [*Amen dico vobis, quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque solueritis super terram erunt soluta & in cælo.*] Quia dixerat, sit tibi ethnicus & publicanus, ne illi vile hoc ducerent qui scandalum inferiorib. faciunt: ostēdit quod is qui in malo perseuerat sub Ecclesia anathematizatur. Eorum sententiam diuina pietas sequitur, si regulariter & secūdum proximi dilectionem hoc faciunt. [*Iterum dico vobis. Quod si duo ex vobis consenserint super terram: de omni re quamcumque petierint fiet vobis.*] Si ita petierint vt alio loco dixit, hoc est in nomine Iesu, ad salutem animæ pertinens. Habemus hoc ad exemplum de B. Petro & Paulo, qui petierunt de Simone qui aliis laqueus mortis erat, & acceperūt vt caderet & periret, ne aliis scādalum esset. [*Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum.*] Iosephus dicit de secta Iudæorum, quos tamen Iessæos nominat, quod quicquid centum in simul congregati instituissent, pro lege habebatur. Dominus autem de tribus dicit fidelib. suis, quod quicquid faciant in nomine ipsius, ipse faciat. Pro qua re constitutum est, vt Episcopus non ordinetur minus quam à tribus, [*Tunc accedens ad eum dixit.*) Quia supra iusserat Petro & omnibus suis sequacibus, vt peccantes in se dimitterent & castigarent. Interrogat Petrus quotiens hoc facere debeat si vel vsque septies. Sacratus & vsitatus numerus propter sabbatum. (*Non dico tibi septies, sed vsque septuagies septies.*) Siue cōputes septem per septuaginta, siue septuaginta per septem, ad vnum peruenit, id est quadringentos nonaginta. (*Quantis nullus erga aliū potest peccare,*) Id est quamdiu petit, dimittamus illi. Et in omni numero ita est ratio fixa, vt siue minorem per maiorem transeamus, siue per maiorem minorem ducamus, ad vnum sensum reuertantur. Consuetudo erat in ipsa terra ad omnes sermones parabolas iungere, & ideo Dominus semper cū parabolis loquebatur. (*Ideo assimilatum est regnum cælorum.*) Ideo, id est vt dimittamus in nobis peccantibus, & veniam nobis petentibus. Semper regnum cœlorum, hi qui sunt in regno cœlorum in Ecclesia Christi in qua ipse regnat intelliguntur. (*Homini regi.*) Deo omnipotēti. (*Qui voluit ratione ponere cum seruis.*) Qui sunt in Ecclesia Christiani. Cottidie istæ rationes ponuntur in Ecclesia quādo petimus à Deo vt dimittat debita nostra, & ille habet nobiscum pactū factum, vt dimittamus debitoribus nostris, tunc nobis dimittet debita nostra. Nos autem sumus illi debitores decem millium talentorum grauiora peccata quæ vnusquisque in se recognoscit, quia null9 potest narrare in quantis omni die peccamus erga Deū in cogitationibus, in locutionib. otiosis, noxiis, mortiferis, scilicet detractionib. operib. similiter otiosis, nociuis mortiferis per omnia membra nostra. Per aures

A audiendo otiosa, nociua, mortifera, per oculos, per nares, per pedes, per manus, & per omnes affectus corporis. (*Cum autem non haberet vnde redderet, iussit eum Dominus venundari, & vxorem eius & filios, & omnia quæ habebat & reddi.*) Iubebat lex vt qui ad soluenda multa esset inops: esset seruus eorum quibus erat condemnatus, vsquequo se redimi posset. Herodes autem addiderat vt venundaretur cui vellet, & tali modo agebatur in ipsa terra. Inde hoc Dominus dicit. Quia si Dominus iuxta opera nostra condemnare nos voluerit, nullus potest esse mundus in conspectu eius. Iubet nos Dominus venundari, & vxorem & filios, cum propter cogitationes, locutiones, operationes iubet nos tradi æternis cruciatibus, cum infirmamur & audimus per verba suorum, qui bona fecerunt ibunt in vitam æternam, & qui mala in ignem æternum. Cum ista audimus timemus, & oramus nobis dimitti, & Dominus dimittit nobis si à malo cessamus, & iterum conualescimus: Sequitur. *Egressus autem seruus ille inuenit vnum de conseruis suis.*) Id est aliquem similiter Christianum debitorem sibi centum denariis, idest centum generibus

B offensionum & scandalorum. Nam censum quod aliquis alicui iuste debet, non est peccatum repetere. Sed si videt quod non possit soluere propter paupertatem, debet erga illum agere vt ipse vellet agi circa se, aut expectare vsque quo melius possit soluere. (*Et tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes.*) Quia cum aliqui fortiores sunt aliquibus si aliquid offenderint minores, absque misericordia grassantur super eos: quia vident se aliquid maius posse. Et non solum suffocant eos, sed etiā occidunt, aut nihilant eos non recogitantes, quod ex dono Dei possunt quod possunt. Et ideo irremediabiliter cruciabuntur in alia vita, quia ita agunt, nisi hic digne pœnituerint & emendauerint quod egerunt. (*Videntes autem conserui eius quæ fiebant contristati sunt valde.*) Vel Angeli Domini qui opera nostra Deo nuntiant, vel sacerdotes quos habemus inter nos & Deum.

C Cum nolumus auscultare illos vt dimittamus qui in nobis peccauerunt, non resoluunt peccata nostra, nec orant pro nobis. Quia si quis in discordia moritur, nullus Christianus pro eo debet orare, neque commemorationem pro eo ad altare Domini facere. (*Tunc vocauit illum Dominus suus & ait illi.*) Præcipit egredi illū è corpore, & venire ante tribunal Christi: & quia noluit misereri conseruis suis, traditur dæmonibus tortoribus quousque soluat omnia peccata quæ commisit coram Deo. (*Sic & pater meus cælestis faciet vobis.*) Confirmat sententiam suam, & omnem simulationem fictæ pacis auertit dicens. (*Si non remiseritis de cordibus vestris.*) Quia nihil prodest ore dimittere, si in corde cum odio habeamus: idcirco dicit, de cordibus vestris.

De vxore non dimittenda.

CAP. XLII.

D ET *factum est cum consummasset Iesus sermones istos.*) Notandum quod verbum consummationis in perfectorum opere semper ponitur. (*Migrat Dominus de Galilæa in Iudæam.*) Quamuis illa omnis Palæstina prouincia generaliter Iudæa diceretur, ad differentiam aliarum regionum (eo quod Iudæi eam incolerent) specialiter tamen inter eos illa pars Iudæa vocabatur, vbi Hierusalem constructa erat. Venit igitur de Capharnaum in Iudæam, & turbæ quæ pauperes erant sequebantur eum propter doctrinam & curationem.) Potentes autem de Iudæa & qui sapientiores seipsos putabant, sequebantur ob reprehensionem, quia in facto & in dictis quærebant quomodo aut secundum legem eum adiudicarent morti, aut secundum terrenam potestatem præpararent inimicos populos, vel Romanos, vt per ipsos occideretur. (*Si licet homini dimittere vxorem suam quacumque ex causa.*)

Audi-

Audierunt eum prædicare castitatem & pudicitiam, & viderunt eum virginem viuere, & inde dixerunt intra se. Ecce aliter viuit quam nos, in hoc possumus eum comprehendere. Interrogemus istam quæstionem, si dixerit dimittendam mulierem, contraria suis dictis & factis loquitur, etiam & mulieres odient eũ. Si autem dixerit non dimittendam nos comprehendimus eum, quia contraria Moysi locutus est. Sed Dominus sicut fons sapientiæ semper transibat eorum laqueos irreprehensibiliter. (*Respondens ait eis. Non legistis quod qui fecit ab initio masculum & fæminam fecit eos.*] De ipso Domino de quo putabant intendere ei calumniam, ostẽdit & affirmat suam doctrinam, quasi diceret. Ipse Deus qui per Moysen legem nobis dedit, ipse narrante eodem Moyse non fecit cum vno masculo nisi vnam fœminam. Non duas, vt cum vnam eiecisset, aliam sortiretur. (*Et etiam Deus per Adam prophetauit, quod relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit vxori suæ.*] Et hic non dixit vxoribus, quasi de pluribus, sed de vna. (*Et erunt duo.*) Non dicit tres. (*In carne vna.*] Non est Deus vt homo vt necessarium sit ei immutare sententiam suam, quia semel loquitur Deus, & secundo idipsum non repetit. Idcirco non potest aliter tunc constituisse, & per Moysen aliter præcepisse. (*Quod Deus coniunxit, homo non separet. Si vna caro est effecta per amorem, vel etiam in filiis quomodo potest separari.*] Quod Deus coniunxit per amorem, qui permisit dominari in cordibus hominum, amorem homo non debet separare. [*Dicunt illi. Quid ergo? Moyses mandauit dari libellum repudii, & dimittere.*) Ecce laqueus quem occultabant dicentes. Quid erit hoc, quod Moyses præcepit mulieribus dare chartam separationis. Foderunt foueam, sed ipsi incident in eam, sicut semper. [*Ecce neque Deus mendax, neque Moyses malus, sed vos duri cordes & desides, & pro vestra duritia non iussit, sed concessit vobis Moyses. Qui si non concessisset vos occideretis priores vxores, vt possetis iuniores ac pulchriores, aut ditiores accipere. Ab initio autem non fuit sic.*] Legimus quod Noë & filij eius singulas vxores in arca habuerunt, non amplius. Et quia cũ Abraham sterilem vxorem Saram habuerit, non dimisit illam, & nullus de Patriarchis suam vxorem dimisit, nisi in morte. (*Dico autem vobis, quod quicunque dimiserit vxorẽ suam nisi ob fornicationem & aliam duxerit mœchatur.*) Ex hoc loco Paulus accepit quod dixit, *quod mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Hoc est non possunt se separare nisi ambo communi consilio voluerint. (*Et qui dimissam duxerit mœchatur.*) In tribus est adulterium. In illo qui dimittit, qui causa est fornicationis vxoris, in vxore quæ se non continet, & si non potest continere, ad priorem debet reuerti, & in illo qui viuente alio eius vxorem sortitur. Propterea qui seculum gestiunt relinquere, debent expectare, vt coniuges earum se queant continere, quia non debet vnus in monasterium abire, & alius foris parem sortiri. [*Dicunt ei discipuli eius. Si ita causa hominis cum vxore, non expedit nubere.*] Discipuli præsentes cum Domino intellexerunt quod postquam accepta fuerit, siue sit gulosa, siue sit rixosa, siue infima tenenda est vsque ad diem mortis, nisi ex consensu amborum relinquant seculũ. Qua propter antequam accipiat vxorem homo, debet eam cognoscere in morib. & in sanitate, & non debet subito facere quod diu habet dolere. Sed si omnia facienda sunt cum consilio, istud amplius, quia seipsum traditurus est vt fiant duo in carne vna. Quamuis multi septem causas considerent in accipiendis vxorib. id est generositatem, diuitias, formã, sanitatem, sapientiã, mores. Tamen duo amplius quærenda sunt, sapientia & mores. Quia si ista duo defuerint, possunt alia deperire. Vidimus enim quasdam & nobiliter natas, & ditatas ad tantam inopiã peruenisse propter incontinentiã morum, vt mendicando vitam finirent. Multas vero audiuimus ob fornicationis malũ occisas. Et è contrario alias ignobilius natas de paupertate ad diuitias peruenisse propter suam sapiẽtiam, & morũ continentiam. [*Qui dixit illis. Non omnes capiũt verbum istud*) Quia discipuli dixerunt, non expedit nubere. Ad hoc respondit Dominus, quod non omnes capiunt verbũ istud, vt impleant abstinendo se à mulierib. (*Sed quibus datum est.*] Hoc est à Deo abstinere cum virginitate. [*Sunt enim eunuchi qui de matris vtero sic nati sunt.*) Sicut de omnib. membris nascuntur homines debiles, sic etiam de ipsis membris debiles nati sunt, quia vena de qua semen descẽdere debuit, aperta non fuit, vt his solent clausæ esse venæ, per quas auditus in interiorib. penetrat, qui surdi nascuntur. (*Et sunt eunuchi qui ab hominibus facti sunt.*) Ex antiquo vsu gentilium adhuc permanet in multis genib. atterere testiculos infantium in tenera ætate, siue macerare, vel etiam penitus auferre pro multis causis, siue vt assiduè in seruitio dominorum, seu vt creditã sibi substantiam non dispergant in mulieribus Nam ante Christianitatem ad turpe ministeriũ à quibusdam fiebant. Nũc vero in Beneuento quoscunque clericos facere disponũt, pater & mater in infantia atterunt testiculos, & videntur semper iuuenes esse, vsquequo canescere incipiũt. Nam in perfecta ætate si factum fuerit debilitãtur statim, & vires amittunt. (*Et sunt eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum.*) Illi alio duo corporaliter sunt, isti vero qui propter regnum cœlorum fieri debent, mente non corpore fiunt, quia nulli licet abscindere sibi membra sua, pro vlla incontinentia. Et si fecerit, gradus Ecclesiasticos habere non poterit, & si habet, amittet ipsos. Si autem ab aliis iniuste factum fuerit, non amittit suos honores. (*Qui potest capere, capiat.*] Capere, implere. Qui potest implere vt virgo permaneat faciat Ac si aperte dicat. Nulli inuitus præcipio, sed qui voluerit me imitari habebit condignam retributionem. (*Qui vero non potuerit, non amittat pro i o: vitam æternam.*) Quia tres sunt gradus de quibus fundata est Ecclesia. Coniugatorum, continentium, & virginum. Et vt vtrosq; Dominus sanctificaret, ad nuptias venire dignatus est, & miraculũ ibidem facere. A Propheta Anna benedici voluit, & à sene Simeone. Et vt ostenderet virginitatem matrem fore, & reginam omnium virtutum sociamq; Angelorũ, de virgine natus est & nasci dignatus, placuit virgo permanere. Vnde & Apostolos suos quosdam elegit cõiugatos, quosdam continentes, quosdam virgines. Tamen B. Petrũ coniugatum præposuit omnibus ordinibus, ne virgines superbirent, aut coniugati desperarent non posse peruenire ad illam perfectionem, quam virgines assequebantur. Simile huic dicto B. Paulus præcipit dicens. *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Videlicet vt aliquis virgo permaneat, non est præceptum, sed exhortatum. Vnde & subiungit. [*Volo omnes homines esse sicut meipsum.*) Id est absque vxore. Si autem dicit aliquis quare presbyteri & diaconi non habeant vxores? Respondebimus, quod gratius Deo multi sequentes Dei exemplum, quod optimum est tenere. Et ideo non est necesse per coniugatos ministeria Domini administrare. Sed & hi qui transgrediuntur vota quæ vouerunt Domino, videlicet cum virginitate ministrare, tanquam apostatas præcipiunt canones damnare, & à ministerio separare. [*Tunc oblati sunt paruuli, vt manus eis imponeret.*) Quia imperfectior ætas erat infantũ, solebat pati phantasmata dæmonum. Et quanto minor, tanto magis infestius, vt dicunt obstetrices. Quia quando ante nouem dies solus inuentus fuerit, à dæmone occidebatur. Pro hac re erat consuetudo à Prophetis benedici paruulos. Simili modo ergo adduxerunt & attulerunt qui adhuc nequibant venire, vt benedicerentur à Domino. (*Et oraret.*) Subauditur, super eos, sicut Iacob benedixit Effraim & Manasse,

impositis manibus super caput eorum. [*Discipuli autem increpabant eos.*) Non pro inuidia, sed timebant ne sicut cæteri homines tædio afficeretur ex multitudine eorum. (*Iesus vero ait eis: Sinite paruulos, & nolite eos prohibere ad me venire.*) Et tunc illos ita suscepit vt auditis, & benedixit. Et semper quicunque vult accedere ad eum cum paruulo spiritu, id est humili factus malitia paruulus suscipit illum, vt Psalmus, inquit. Suscipiens mansuetos Dominus. [*Talium est enim regnum cælorum.*) Hoc est, qui tales sunt per innocentiã, quales isti sunt per ætatem. Et non dixit, istorum est regnum cœlorum, sed talium, requirens innocentiãm mentis, non ætatis. Sic & Apostolus præcipit dicens. *Malitia paruuli estote, sensibus perfecti.* De innocentia infantum superius diximus, ideo non est hic necessarium repetere. (*Et cum imposuisset eis manus abiit inde.*) Quia videbat quod scribæ potius gestirent reprehendere quam credere, cito reliquit incredulos, quia quam non inuenit humilem, fugit mentem. Et venit ad humiles & trementes sermones eius.

De diuite tentante.

CAP. XLIII.

ET *ecce vnus accedens, ait illi.*) Forte audierat iste de imitanda innocentia paruulorum, & ideo per singula verba vult sibi exponi, quæ sit ipsa vera innocentia. (*Magister bone, quid boni faciam vt vitam æternam habeam.*] Alius Euangelista dicit. *Quid me dicis bonum?* Quia ipse solummodo hominem Dominum credebat, quia magistrum vocabat, non Christum neque Deum, propterea sedarguitur, cur eum bonum dicat, cum Deum eum non esse credat. Non igitur Dominus bonum se esse denegat, sed Deum se esse demonstrat. Et voluit vt ille qui eum bonum dicebat, quomodo bonus esset disceret. Omnis enim homo licet sanctus, & omnis creatura comparatione Dei non est bona. Per se autem bonus & homo & omnis creatura, si sic est sicut creata fuit. Nam quia hoc voluerit Dominus istum intelligere, ipse se alio loco bonum dixit, vbi ait: *Ego sum pastor bonus.* Et de Spiritu sancto. *Pater vester dabit spiritum bonum petentibus eum.* [*Quid me interrogas de bono, vnus est bonus Deus.*) Cum bonus absolutè in scriptura ponitur, Deus intelligitur, quia ipse est naturaliter, & non ex accidenti dono bonus, & non solum bonus, sed & bonitas & fons bonitatis. Et quicunque est bonus, ipso participante & dante bonus est. Omnis creatura inquantum bona est, ex Deo est, inquantum mala, ex se & vitio suo est mala. Ecce testimonium Domini non solum de patre, sed de se quoque & Spiritu sancto, qui est vnus Deus incomparabiliter & ineffabiliter summe bonus. (*Si autem vis ad vitam ingredi, serua mandata.*] Ex hoc loco intelligimus, quod quicunque legem veterem custodierunt incontaminate, vitam habeant æternam. (*Dicit ille. Quæ? Iesus autem dixit illi. Non homicidium facies.*] Duobus modis fit homicidium. Homicidium est cum quis habitaculum animæ ante tempus constitutum dissipat, & quasi sine Dei iussione de exilio animam abire compellit, vel seipsum vel alium. Sed malum est in quolibet homine pessimum esse in seipso, & non solum apud Deum eiusque Christianos execrabile malum est sibi iniicere manus: verum & apud antiquos paganos ita exosum, vt manus quæ hoc perpetrasset communi sepultura cum corpore careret. Sed quod dici dolor est, adhuc hodie nomine tenus Christiani hoc faciunt, cuius periculi malum ad Episcopos respicit, qui eis non annuntiant, quia non finiunt tristitias & tribulationes, sed multiplicant dum de istis tormentis ad atrociora transeunt. Aliud homicidium est spirituale, cum quis peccat ad mortem, aut fratrem facit peccare, aut videt & non reuocat,

A & moriuntur ambo in anima. Ille quia Deum dereliquit peccando, iste quia vidit, & non reuocauit cum potuit. *Anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur.* Et non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus, digni sunt morte. Reminiscamur factum Heli, quod non corripuit filios suos vt dignum fuit, & ipse pro eis periit, & illi de præsenti interitu ad æternum transierunt. Sequitur. (*Non adulterabis.*) Adulterare est, alterius thorum transire. Et quamuis omnis fornicatio criminale peccatum sit, tamen istud est grauius fornicationis vitium, quia in tribus peccatum committitur. Et istud etiam spiritaliter committitur, cum alicuius anima quæ debet Deum virum habere, cui adhærere in baptismo spopondit, derelinquit illum pro auro vel gemmis aut pro aliqua voluptate carnali, & adhæret Diabolo suadenti. Quam fornicationem Hiezechiel plenius exequitur sub duarum mulierum persona, id est Hierusalem & Samariç, & per ipsas habitatores eorum volens intelligi. [*Non facies furtum.*) Similiter & istud duobus modis admit-
B titur, videlicet cum quis à proximo suo quocunque malo ingenio aliquid aufert. Furari est enim in furtiuo, id est in absconso auferre. Est autem discretio inter furtum & sacrilegium, quia quamuis sacrilegium & furtum sit, tamen tanto maius, quanto de sacris rebus, & sicut est furtum de re temporali, sic est furtum spiritale, verbum diuinum nescienti subtrahere.

(*Non falsum testimonium dices.*] Falsum testimonium quis dicit, cum alio sensu dicit, quam ille qui primus dixit. Ille quoque qui alteri mendacium dicenti consensit, & veritatem quam scit tacet, hæc est innocentia quam iubemur imitari in paruulis, per quam & Deo placere, & ad æternam vitam possumus peruenire.

(*Honora patrem & matrem.*) Honor hic non solum in verbis, sed & in omnibus donis & honoribus accipiendus est. Est quoque verus pater creator noster
C Dominus, quem ante omnia & super omnia honorare debemus. Matrem etiam Ecclesiam quæ genuit nos amare & honorare iubemur.

(*Diliges proximum tuum sicut teipsum.*) Proximus noster est omnis homo, sicut ipse ostendit in parabola vulnerati, vel proximus qui eundem Deũ colit quem & nos, quem & fratrem iubemur vocare, vt Dominus in oratione dominica ostendit. (*Dicit illi adolescens: Omnia hæc custodiui.*) Non tentandi studio iste Dominum interrogauit, sicut alius Euangelista ostendit: qui dicit quod intuitus Dominus dilexerit eum, sed sollicitus de seipso confessus est simpliciter vitam suam. Si enim duplici corde ad eum venisset, qui cordis videbat arcana, nequaquam ab eo dilectus fuisset. Quia Dominus eos qui mandata eius quamuis minima custodiunt diligit, & ostendit quid perfectionis eis desit. Vnde & huic dicitur.

(*Si vis perfectus esse, vade vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.*] Quicunque
D vult perfectus esse, debet vendere, non ex parte sicut Ananias & Saphira, & dare pauperibus, & sequi saluatorem, id est relinquere mala & facere bona. Non omnibus istud præcipitur nec dicitur. Non potest intrare in regnum cœlorum nisi ista fecerit, sed tantum his qui voluerint, sicut virginitas non præcipitur, sed qui voluerint, & quibus placuerit. Etenim illa quæ superius dixit, omnibus in vitam cupientibus æternam intrare dicitur. Ista autem virginitas perfectioribus. Nam habuit ipse duodecim Apostolos qui ista exemplo Domini fecerunt. Habuit & alios discipulos qui ita nequaquam fecerunt, vt Nicodemus, Gamaliel & Ioseph, de quibus scriptum est, *quod discipuli illius erant*, occulti autem, propter metum Iudæorum, quia nolebant omnia dimittere, sed cum iustitia & bonitate possidere. (*Cum audiuisset autem adolescens verbum, abiit tristis.*) Hæc est tristitia quæ

mortem operatur, quia tristitia secundum Deum, pœnitentiam in salutem operatur. Et tristitia huius seculi mortem operatur, & redditur causa institiæ, inquit. [*Erat enim habens multas possessiones.*) Ecce vbi spinæ suffocauerunt semen Dei, id est, diuitiæ obstiterunt ne germinaret in salutem illius. Non fuerat necesse tristari: tenuisset sua & vixisset cum iustitia & sanctitate, potuisset habere vitam æternam. Et credimus quod sic fecerit, quia scriptum est de Domino. *Lignum fumigans non extinguet.*

[*Iesus autem dixit discipulis suis. Amen dico vobis, quod diues difficile intrabit in regnum.*] Quatuor genera diuitum sunt. Est diues qui habet diuitias, & tamen diuitiæ eius non ei damnantur, sed ipse eis vtitur vt Dominus: Iste pauper deputatur, vt fuit Dauid qui dicebat. *Egenus & pauper ego sum.* Et tamen centum talenta auri, & mille millia argenti ad templum Domini obtulit. Qui & alios hortabatur dicens. Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Est alius diues qui non habet diuitias, sed tamen potuisset habere si vellet, & monstrantur ei, & tamen nullomodo cor apponit, sed si affluxerint, distribuit eas, vt possit semper esse pauper, vt fuit Iulianus Monachus & multi alij, quibus quamuis diuitiæ affluerent, semper pauperes elegerunt esse, & iste pauper in conspectu Dei reputatur. Est quoque tertius diues qui nihil habet, sed habere desiderat, & inde cogitat semper quomodo eas possit adipisci, & aliquando cogitat qualiter dispensaret aut multiplicaret si adeptus esset, vt fuit Simon Magus, & de quibus plenus est mundus. Est quartus diues qui habet diuitias & patitur famem vt plus habeat. Qui non cogitat aliud, nisi vt possit agere quæ seculi sunt, & in potentia seculari exaltari de die in diem, quocunque ingenio opprimit vicinos & subditos sibi, quoscunque potest calumniatur, vt augeat diuitias suas. Quos non potest opprimere inuidet, & vult superior fieri & semper in angustiis est, quamuis diues sit. De isto scriptum est. *Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.* Multa millia de istis habentur in isto seculo. De istis hic dicitur.

(*Facilius est Chamelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum.*) Chamelus est bestia onerifera, vt asinus, maior tamen, & dicitur Græcè à curuitate. Græci enim curuum, camon dicunt, vnde & camus. Siue quia curuum collum habet, siue quia curuatur quando oneratur, & habet gybbum in dorso. Mittit autem Arabia meliores, bina tubera habentes in dorso & nunquam pedes atterentes. Huic ergo assimilatur diues tumens opima fertilitate, qui non consolatur egentes, non visitat infirmos, non suscipit hospites, nec exequitur cætera religionis officia. Hos ergo posteriores studeant omnes Christiani vitare, quia de his dixit Dominus. Quamdiu tales fuerint, & pauperes Christi esse contempserint, non possunt intrare in regnum cœlorum. [*Auditis his discipuli mirabantur valde dicentes. Quis ergo poterit saluus esse?*] Cũ audissent discipuli quod Dominus dixit, difficile intrabit, & non dixit, quod esset impossibile, sed difficile. Mirabantur quia simul intellexerunt illos non intraturos, qui cum non habebant, tamen habere volunt. Et intellexerunt quia pauci erant tunc in mundo, quia non erant alij nisi soli discipuli Domini. Nunc vero multa millia sunt Christianorum, qui nolunt habere etiam si possent. (*Verumtamen eos consolatur Dominus & dixit illis. Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.*) Dominus omnipotens qui creauit Chamelum potest illum facere transire per foramen acus, vt sicut mundum creauit ex nihilo, & locum creauit qui non erat in quo mundus esset, quiq; fecit asinam loqui, & petram ambulare cum exercitu ad ministrandam aquam, potest facere & animali corporeo, & de illo qui signatur pro animali videlicet diuite tortuoso in suis ingeniis vel voluptatibus rectum

A hominem reddere & mundum, vt possit transire per artam & angustam viam quę ducit ad vitam per quam pauci diuitum gradiuntur, sicut fecit de Zachæo. Non autem putandum quod diuites cum suis iniquitatib. intraturi sint in regnũ cœlorum, sed cõmutandi in melius adhuc dũ viuunt, vt possint cũ pauperib. collocari. Ideo enim omnipotens dicitur, quia potest facere quæ voluerit. Potest quoq; per Chameli nomen redẽptor noster intelligi, qui humiliatus est ad suscipiẽda onera peccatorũ nostrorum. Qui cum transiuit per foramen acus, id est per angustias passionũ, per quas quasi per acũ resarcire scissa nostræ dignatus est vestimenta naturæ, id est recuperare, quatinus melius reformati audiremus ab Apostolo, quicunq; in Christo baptizati estis, Christũ induistis. (*Tunc respondens Petrus dixit. Ecce nos reliquimus omnia.*] Cũ audisset Petrus perfectionem à Domino iuueni propositam & laudatam, voluit scire quæ esset merces studentibus eam, dixitq; ad Dominum. Ecce nos reliquimus omnia. Quomodo dicit B omnia cum non habuit nisi rete & nauim, & ipsa quãdo necessarium fuit repetiit? Nã inuenimus eũ piscatũ fuisse post resurrectionem. Sed omnia intelligenda sũt quæ concupisci poterant, quia etiam voluntatem habendi reliquerũt. Et si voluisset aliquis rex ei dare multa prædia & honores, non essent accepturi. (*Reliquimus omnia, & secuti sumus te.*) Hoc est sic reliquimus vt tu habes derelicta, qui non vis quicquam in hoc seculo possidere. Secuti sumus te non tantũ gressib corporis, sed & imitatione actionis. Simili modo debent relinquere oẽs Monachi & Canonici, sicut & Apostoli. A quo enim debẽt Episcopi & presbyteri ac diaconi exemplũ accipere, nisi à quo & gradus accipiũt? Sicut enim in veteri lege sacerdotes exemplũ Moÿsi & Aarõ, qui primi sacerdotes fuerunt, tenuerũt, sic in nouo oẽs Apostolici & Episcopi ac presbyteri & reliqui ordines debent exemplũ capere à Christo & ab Apostolis. Vnde & Paulus dicit. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Nam & Monachi quamuis aliquid plus videantur C facere quam in Euangelio scriptum est, tamen eandem normam & ipsi tenere debent. Et si aliquid eis plus præceptum est, ad nihil aliud præceptum est, nisi vt Domini regula possit custodiri. Etenim si præceptum est nobis post completam non loqui, pro nulla alia re præceptum est, ne refectis cibo colloquentibus simul aliqua lis exurgeret, & nimium vigilantibus congrua hora ad Dei laudes surgere nequirent. Si præceptum est nobis à carne absque necessitate carnis abstinere, ideo factum est, vt possit castitas custodiri. Nam in necessitate non est prohibitum. Credimus tamen pro certo quod in cibo & potu eandem regulam tenuit Dominus, quam & in cæteris causis, tantummodo ad sustentandum corpus. Nec tamen nobis prohibetur pro necessitate corporea sicut & Paul⁹ dicit. *Carnis curam ne feceritis in desideriis*, non in necessitatibus, quia quod necessarium est corpori propter subsidium nec Deus prohibet, nec alius quilibet doctor. Non enim D B. Benedictus alterius imitator fuit, nec plusquam Dominus facere voluit, quia sufficit discipulo, vt sit sicut magister eius, & erit tunc perfectus. Nam & qui vocantur Monachi, quia sub regula degunt regulares dicuntur, & hoc est canonici Græco nomine. Omnes tamen habent Christum in exemplum, & Apostolos eius quos imitari debent. Laici autem habent Nicodemum, Gamalihel, Ioseph, & si potentiores sunt possunt in scripturis diuinis inuenire quem imitentur, & in potentia seculari, & in mansuetudine, & humilitate Christi. Ecce proponã vobis diuitem & pauperem Dei, ab ipso capite exemplum & facite sicut ipse fecit. Videamus Iob quomodo iustus fuerit, qui legem litteræ nunquã audierat, & tamen potentiã seculi tenebat, & Euangelij documenta postea multo tempore prolata opere custodiebat. Audiam⁹ verba ipsius quæ inuitus protulit, sed tamen non ex cenodoxia.

Ait ergo. Videbant me iuuenes, & abscondebantur & senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo. Vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat. Ecce potestas & honor regalis, videamus iuxta paupertatem, à Domino postea promulgatam. Auris audiens beatificabat me quod liberassem pauperem vociferantem,& pupillum cui non esset adiutor, benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Ecce, quod Deus dixit, *Esuriui, & dedistis mihi manducare, & reliqua misericordia opera.* Adhuc videamus excellentiam & humilitatem. Sequitur. Cumque sederem quasi rex, circumstante exercitu. Ecce excellẽtia. Eram tamen mœrentiũ consolator. Item: Si contempsi iudiciũ subire cum seruo meo & ancilla mea, cum disceptarent aduersum me, si negaui quod volebam pauperibus & oculos viduæ expectare feci. Si comedi bucellam meam solus, & non B comedit pupillus ex ea. Si animam agricolarum meorum afflixi, quia ab initio creuit mecum miseratio, & de ventre matris meæ egressa est mecum. Ecce, quod Dominus dixit. *Beati misericordes, & reliqua.* Vultis scire. Qualis fuit erga subditos? Ait. *Si leuaui manum meam super pupillum etiã cum viderem me in porta superiori. Foris non mansit peregrinus, ostium meum viatori patuit.* Vultis cognoscere quam castus? Ait: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ne cogitarem de virgine.* Et item. *Si deceptum est cor meum super muliere, scortum sit alterius uxor mea.* Ecce potentia & diuitiæ in vno homine. Qui nolunt per omnia potentias dimittere, teneant eas sicut iste qui ditior fuit quolibet rege nostro, & tamen absque lege Moysi & Euangelij exstitit. Inueniat qui vult talem diuitem in vtroque adhibere. Si prolixitatẽ libri non vererer, ostenderem qualem custodiam erga filios, quem vigorem super mulierem habuit, & quam fortis in prosperis & in aduersis, quem nec prospera C extulerunt, nec aduersa deiecerunt: licet Diabolus totis virib. adjuncto familiari vasculo fœmina ipsius bella aduersus eum venerint. Sequitur, (*Iesus autem dixit illis.*] Quia Petrus pro omnib. Apostolis locutus fuerat, & Dominus omnib. respondet dicens. [*Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me.*) Non dicit, qui reliquistis omnia, quia hoc multi pagani fecerunt & Philosophi, & Socrates & Chrysodemus, qui venditis patrimoniis gemmas pretiosissimas emerant, & ipsas ob fauorem vulgi confringebant. Etiam Diocletianus totũ imperium mũdi sponte dimisit. Sed de hoc dicit, quod perfectius erat, qui secuti estis me imitando. In regeneratione, id est in renouatione, quia sicut renouatur anima per fidem, sic renouabuntur corpora nostra in die iudicij per incorruptionem. (*Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ.*) Sedere iudicantis est, hoc est cum venerit ad iudicium. In sede, in aëre, vbi iudicium fiet majestatis, id est terroris. (*Sedebitis super sedes duodecim.*) Per duodenarium numerum omnis perfe- D ctus sanctorum numerus exprimitur, qui iudicabunt iniquos comparatione sui, quare illi cum similiter carnei fuerint & à Deo creati, non custodierunt mandata Dei sicut isti, & propterea condemnabunt eos dignos esse gehẽnæ, qui noluerint similia illis agere. (*Iudicantes duodecim tribus Israel.*) Sicut per duodecim Apostolos omnis electorũ numerus exprimitur, ita per duodecim trib. oẽs gentes & Iudæi intelliguntur propter duodenarium numerum, qui perfectus & apud paganos & consecratus in diuinis scripturis inuenitur. (*Et omnis qui reliquit domum vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet & vitam æternam possidebit.*] Id est qui propter Deum terrena reliquit, spiritualia bona recipiet, quæ comparatione & merito sui ita erunt, tanquam si centenarius numerus

A paruo comparetur numero. Siue voluerimus de hoc dicere quod in alio loco scribitur, centuplum accipiet in hoc seculo. Possumus considerare quantam gloriam beatus Petrus accepit in hoc seculo, qui poterat postquam ad Dominum venit viuos verbo occidere, viuificare mortuos, erigere claudos, etiam vt canitur, cœlum claudere & aperire. Quanti boni est ad comparationem, quod ante tenebat? Nunc quoque magnum regnum habet de villis & seruis per omnem mundum, & ipsi & omnes sancti propter amorem Dei. (*Multi autem erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.*) Et de Iudæis & gentibus potest intelligi, & de Iuda & latrone, & de desidioso fratre & studioso accipi potest, quod frequenter tardus frater, sed tamen studiosus assequatur, quod acris ingenij per desidiam perdit.

De operariis conductis in vineam.

CAP. XLIV.

SImile est regnum cælorum homini patrifamilias,) Ista parabola de versu superiori dicitur, multi erunt enim primi nouissimi: Regnum cœlorum præsens Ecclesia intelligitur. Paterfamilias, Deus omnipotẽs, qui habet vniuersalem vineam, scilicet Ecclesiam quæ ab Abel iusto vsque ad vltimum qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit. (*Qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam.*) Quia Deus omnipotens in initio mundi misit Patriarchas, Adam, Abel, Enoch, & reliquos.

(*Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno.* Tunc Dominus conuentionem fecit cum homine, quando pro custodia mandatorum perpetuitatem & immortalitatem dare promisit. Siue conuentio æterna vita intelligitur. Hora prima ab Adam fuit vsque ad Noë, hora tertia à Noë vsque ad Abraham. Sexta ab Abraham vsque ad Dauid. Nona à Dauid vsque ad Ioannem. Vndecima in qua Apostoli missi sunt: qui tarde venientes mercedem plenam acceperunt. Quibus alio loco Dominus dicit. Alij laborauerunt & vos in labores eorum introistis, in qua gentiles vocãtur, quib. & dicitur. Quid hic statis tota die otiosi? quasi enim tota die otiosi stabãt, qui transacto tã longo tempore quatuor millia annorum Deũ cœli non adorabant. (*Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit.*) Scilicet viã vitæ nullus nobis prædicauit. [*Ite & vos in vineã meã*] Ac si aperte dicat. *Estote & vinea mea*, quia vsque modo Iudæi soli dicti sunt vinea Domini. Possumus quoque eadem horatũ spatia in vnoquoq; homine intelligere. Ille enim in vinea dñi ab hora prima vsq; ad vesperum laborat, qui ab infantia in Ecclesia Domini innocenter viuens, instruit alios bono exemplo vitę suę, aut & exemplo & verbo. Ille hora tertia, qui à prauitate post pueritiam mutatur. Sexta quoque quis conuertitur, cum in iuuentute à prauis operibus per Dei visitationem reuocatur. Hora nona, cum quis à iuuentute resipiscens per iuueniles annos in Dei seruitium mutatur. Hora vndecima conuertitur peccator, cum jam vicinum se morti senserit, tunc per Dei misericordiam & visitationem incipit cogitare, quid fecit tam longo tẽpore, & quasi Deus in corde eius loquitur, inquit. Tanto tẽpore in meis voluptatib. vixi, jam prope est vt ad infernum trahar, qui nihil pro animæ meæ salute vnquam laboraui, & tũc mœrore afficitur in seruitio Dei, quanto tardius, tanto feruentius inardescit, & plerumq; ante remuneratur quam is qui ab infantia in Dei seruitio desudauit. [*Cum sero autem factum esset, dicit Dominus, vineæ procuratori suo.*) Sero, dies retributionis, vel dies iudicij. Procuratores vineæ, Angeli Domini vel vnumquemque hominem. [*Voca operarios.*] Quotidie vocamur, quia quotidie morimur. Et reddit vnicuiq; secundum quod in Ecclesia laborauit,

ſiue bonum ſiue malum. Incipit autem à nouiſſimis, quia ante latronem intromiſit in Paradiſum, quam Petrum. *Cum veniſſent ergo qui circa vndecimam horam venerant acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt, quod plus eſſent accepturi. Acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios.*) Quia eandem vitam æternam accipiunt, qui de gentibus per Apoſtolos crediderunt, quam acceperunt Patriarchæ & Prophetæ, qui de genere Abraham fuerunt. Dicuntur autem murmuraſſe, non quod vere qui ad vitam introducebantur murmurauerint, ſed quod videntes Iudæi quibus Dominus loquebatur indigne ferebant & etiã in cordibus murmurabant, cum audiebãt quod Deus facturus eſſet de gentibus filios Abraham, & coæquaturus, eos Iudæis. Et ipſe ſenſus eſt in iſta parabola, qui apud Lucam de duobus filiis, quando vnus nolebat introire, quia pater prodigum filium receperat. [*Hi nouiſſimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti qui portauimus pondus diei & æſtus.*] Hoc eſt quod in paſſione S. Petri legimus quod dicebant Iudæi. Nos ex ſemine Patriarcharum ſumus, quibus locutus eſt Deus vt oſtendat mirabilia ſua. Vos ſemper idola adoraſtis, non eſt iuſtum vt nobis nunc coæquemini. Pondus diei & æſtus portaſſe eſt ab initio ſeculi pro Dei legib⁹ tribulationes ſuſtinuiſſe, vt fecere ſub Antiocho, & aliis regib. (*At ille reſpondens vni eorum dixit, amice non facio tibi iniuriam.*] Amicum vocat ipſum populum Iudæorum pro prærogatiua patrum, qua etiam frequenter filij vocati ſunt Dei. (*Nonne ex denario conueniſti mecum*?] Nihil inde minuitur Iudæis, ſi omnipotens Deus gentes colligit, & ad vitam introducit. [*Tolle quod tuũ eſt & vade.*] Hoc eſt accipiat de vobis qui vult per digna opera vitam æternam quam illis præparaui ab initio ſeculi. (*Volo autem & huic nouiſſimo dare ſicut & tibi.*) Sua immenſa clementia, quia ſimiliter dat dignis de gentib. qui aliquãdo cauda dicebamur, ſicut Iudæis qui dicebantur caput & populus Dei. (*Anoculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum*?) Per oculũ inuidia exprimitur, quam Iudæi ſemper habuerunt aduerſus gẽtes, & maxime poſt prædicationem Apoſtolorũ. Vnde & Petro dixerunt. Quare introiſti ad viros præputium habentes & manducaſti cum eis? Quia Deus ſua gratuita pietate gentes collegit. Iudæi inuidiam aſſumpſerunt. (*Sic erunt nouiſſimi primi & primi nouiſſimi.*) Immenſas gratias ſolius Dei clementiæ referimus, quia cognoſcimus eum quem ante ignorabamus. Et poteſt de nobis dici, quod de Iudęis dicebatur. Notus in gentibus Deus. (*Multi enim ſunt vocati*] Videlicet & de Iudæis & de gentib. (*Pauci autem electi.*] Timenda ſententia, quod pauci ſunt qui Deo incontaminate ſeruiant, & in multis offendimus Deum quæ non perſpicimus. Quandocunque enim aliquid boni facimus, ſi xenodoxia ſe immiſceat, mercede apud Deum fruſtramur. Verbi gratia. Si oramus, ieiunamus, eleemoſynam damus, &c. bona opera facimus & quærimus aliquam laudem, aut vt aliquis pro hoc nos videat, totum quod facimus perdimus. Vbicunque proximo ſi poſſumus in neceſſitatibus non adjuuamus, Dei prætterimus præceptum, & charitatem amittimus. Poteſt quoque hoc quod dicit, multi vocati, de Chriſtianis ſolummodo intelligi, qui vocati ſunt per prædicationem, ſed tamen per opera non ſequuntur. De quibus major pars viam latam ambulat. Vnde Ioannes dicit: Qui dicit ſe noſſe Deum & mandata eius non cuſtodit, mendax eſt.

De filiis Zebedæi.

CAP. XLV.

Et *aſcendens Ieſus Hieroſolymam.*] Quia præuidebat Dominus diſcipulorum animos de ſua paſſione perturbandos, idcirco frequentius eis prædixit vt & A memoriæ retinerent, & tunc cõſtantiores eſſent. (*Aſſumpſit 12. diſcipulos ſuos ſecreto, & ait illis.*] De turba ſegregauit eos, quia non erat in populis prædicandum myſterium crucis, donec perfectum eſſet. [*Ecce aſcendimus in Hieroſolymam.*) Ecce aduerbiũ eſt demonſtrãtis, quia in via erat cum aſcendebat ad paſſionẽ. Aſcendere autem dicitur de Hiericho ad Hieruſalẽ, de oriente ad meridiem, quia Hieruſalem quaſi altior cæteris ciuitatib. erat, quia caput regni illius erat in vmbilico terræ illius, diues variatum opum, frugib. fertilis, aquis illuſtris. Quam Sem filius Noë qui dictus eſt Melchiſedech ædificauit, & in ea regnauit. Sed eam poſtea Iebuſæi tenuerunt, & Iebus vocauerunt quæ vſque tunc Salem vocata fuerat. Ex quib. duob. nominibus Hieruſalem dicta eſt, quæ à Dauid poſtea comprehenſa, à Salomone reparata, Hieroſolyma quaſi Iebus Salomonis dicta eſt. Ab Ælio Adriano, vltimo Ælia dicta eſt. (*Et filius hominis tradetur.*) Filius hominis, quia ſecundũ quod filius S. Mariæ fuit, iſta ſuſtinuit. (*Principibus ſacerdotum.*] Ab Iuda, qui cum illo tunc erat. B (*Et condemnabunt eum morte.*] id eſt adjudicabunt eum dignum morti, quamuis falſe.

(*Et tradent eum gentibus.*) Pilato & militibus, qui Romani erant. (*Ad deludendum.*) Quod fecerunt quando velauerunt caput eius, & percutiebant eum, & dicebant. Prophetiza. [*Et flagellandũ.*) Quia flagellatus eſt ad columnam. (*Et crucifigendum extra portam.*] *Et tertia die reſurget.*] Hoc ad conſolationem diſcipulorum adjungit. Sed ſicut Lucas dicit, nihil intellexerunt Apoſtoli, quia non potuerũt credere quod ipſe qui ſic erat exaltatus in populis, potuiſſet ad tantum improperium peruenire. *Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi.*] Sicut ſequentia oſtendunt, matrem iſtam filij hortati ſunt ad hæc petenda. Audierant Dominum dicentem quia reſurgeret tertia die, & putabant ſtatim regnum Domini futurum, quod erit poſt diem iudicij, & ideo iſta per matrem petebant Ioannes & Iacobus. (*Qui dixit ei quid vis.*) Non ideo interrogat quod neſciat, C ſed vt ad dicta eius congruentius reſpondeat, & dat etiam puris hominibus exemplum ne ante reſpondeãt quam audiant, quomodo Salomon dicit. Qui ante reſpondet quam audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat, & confuſione dignum. (*Ait illi. Dic vt ſedeant hi duo filii mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram tuam in regno tuo.*] De ſeſſione quoque ſuperius audierant Dominum dicentem ſedebitis ſuper ſedes duodecim tribus Iſrael. Et volebant ipſi eſſe primi de ipſa ſeſſione, quia non erant adhuc perfecti. *Reſpondit Dominus. Neſcitis quid petatis,*) In hoc quod Dominus mulieri petenti filiis dicit, neſcitis quid petatis, oſtendit petitionem matris ex filiorum ſuggeſtione deſcendere. Et ſicut alius Euangeliſta dicit, antequam cauſam dicerent petierunt vt concederet quodcunque poſtularent. Sed Dominus vt daret exemplum hominibus, nec conceſſit nec negauit donec audiret. Quis enim debeat concedere, antequam ſciat quid concedat. D Nam ſi malum fuerit, aut erit reus mali ſi conceſſerit, aut mendax. Qui enim ſine vita & opere locum ſuperiorem quærebant, adhuc inſipientes ſecundum Deũ erant, & in vitam æternam, non per viam nec per oſtium, ſed aliunde volebant aſcendere. Sed tales cuſtodes non habet illa dignitas, vt poſſit aliquis malo ingenio adipiſci, vt fit in iſto ſeculo. (*Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum.*) Per calicem paſſio intelligitur: vnde & Dominus vicinus paſſioni orabat, Pater ſi poſſibile eſt transfer calicem iſtum à me. Et Pſalmiſta dicit: *Calicem ſalutaris.* [*Dicunt ei poſſumus.*) Et in reſponſione dicunt confidenter, ſicut dixerat Petrus. Etiam ſi oportuerit me mori tecum non te negabo. [*Ait illis. Calicem quidem bibetis.*] hoc eſt paſſiones meas ſuſtinebitis. Quæritur quomodo calicem Domini iſti duo biberint. Nam de Iacobo certum eſt quomodo per martyrij palmam

vitam finierit, ab Herode nepote decollatus. Iohannes autem sub Traiano principe in pace vitam finiuit. Sed si recolamus scripturas, inueniemus multum passum illum pro Christo. In synagoga enim Iudæorum cum reliquis Apostolis flagellatus est ac post voluntariè pro Domino in Græcia exulauit, & deinde etiam longe in Pathmos relegatus: ad vltimum in feruentis olei dolium demissus, talia multa pro Christo sustinuit, in quibus retribuit Domino quod ab ipso primũ acceperat, bibendo calicem eius. (*Sedere autem ad dextram meam & sinistram, non est meum dare vobis.*) Hoc est non est personarum acceptio apud Deum, non est dãtis, sed accipientis, illius qui se talem præparat, vt dignus sit acceptione. [*Nec qui dicit, sed qui facit, accipit ipsum locum.*] Non est meum dare superbis, quales vos estis, sed humilibus. Si vultis habere, mutate mentem. Estote humiliores omnibus & certate vt vincatis Diabolum, & tunc dabitur vobis à patre meo & à me. Nõ solum ab isto nomine quem putastis flectere iniuste per mulieris supplicationem, siue non est meum dare vobis tali modo quo vos petitis, sed victoribus paratũ est à patre meo ab initio seculi. [*Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.*] Non mulieri indignati sunt, sed filiis, quia intellexerunt quod illa præmonita à filijs hæc petierit, qui ignorabant adhuc mensuram suam, & ideo exarserant in modicam cupiditatem. [*Iesus autem vocauit ad se, & ait.*] Ad se vocauit, de turbis propinquare fecit, volens eos omnes secrete castigare, illos de ea petitione non sibi conuenienti, istos de indignatione contra fratres. Fecit vt pius magister, mansuete retulit quomodo deberent se omnes humiliare, & seruire fratribus non principari in potestatibus, aut cũ malo ingenio potestatem acquirere, sicut multi faciunt Christiani. [*Scitis quia principes gentium dominãtur eis: & qui maiores sunt potestatem exercent in eos.*] Dat exemplum per contrarium, scilicet cauendũ non imitandum, vt illud scientes, aliter studerent facere. Qui maiores sunt in isto seculo, per tyrannidem sunt, & per potestatem sunt super eos maiores, quia omnis diues aut iniquus, aut iniqui hæres. Hæc figura apud seculares à contrarijs dicitur, veluti cum quis alicui viam vult monstrare rectam, dicit: Ad sinistram est fouea, non vt illam incidat, sed vt caueat, dicit. Simili modo Dominus inquit. [*Non ita erit inter vos.*] Scilicet quia sapiẽtia huius seculi stultitia est apud Deum. *Sed quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister.* Hoc est quod alibi dixit. *Qui se humiliat in hoc seculo, exaltabitur à Deo in alio.* Nec illi appetant per vana verba, nec vos indignemini si alij volunt habere, sed & vos & illi qui voluerint inter vos primi esse, sint vestri serui. (*Vnus est sensus, & in ministro & in seruo. Et vt arctius eorum in corde figatur, suum adhibet exemplum dicens.*) *Sicut filius hominis non venit ministrare.*) Omnia acta Domini quæ in primo aduentu egit, in exemplum nobis ostensa sunt humilitatis. Ipsi enim, cum esset conditor orbis terrarum non placuit principari in hoc seculo, sed pauper fieri, pedibus ad prædicandum pergere, infirmos visitare, turbas satiare, discipulorum pedes lauare, & reliqua pietatis officia per semetipsum agere, & ad vltimum dare animam suam pro multis. Non dicit pro omnibus, sed multis, his qui credere voluerint. Similiter & in Canone missæ canitur de sanguine Domini, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

De duobus cæcis illuminatis.

CAP. XLVI.

ET *egredientibus illis ab Hiericho secuta est eum turba multa.*) Apparet quod Dominus de Galilæa veniẽs transiens Iordanem non recto itinere Hierosolymam abijt, sed juxta Iordanem ab Hiericho venit, & inde per viam publicam quæ de trans Iordanem ab Hierũsalem ascendit, viã tenuit, in qua inter Iericho & Hierusalem multæ deprædationes fiebant, vsquequo Romani ædificauerunt ibi castellum & miserunt custodiam militum. In hac ergo quia publica via erat, ob petendam stipem manebant cæci, & vnus ex illis ità notus erat, vt alius Euangelista & nomen eius, & nomen patris eius posuerit. Verumtamen alij Euangelistæ solummodo vnum nominant, qui gentium populum signat, quia ipsi gentibus scripserunt. Matthæus vero qui Hebræis credentibus scribebat, duos cõmemorabat, vt intelligantur Iudæi & gẽtes per illos duos. Veritas historiæ aperta est, & virtus Domini. Typice vero Hiericho interpretatur Luna, & per Lunam defectus & mutabilitas nostræ carnis exprimitur. Et cum Dominus Hiericho appropinquauit, cæcum vnum illuminauit: Cum vero cœpit elongare & Hierusalem ascendere, duos, quia cum mortalitatem nostræ corruptionis induit sanauit multos, ex populo Iudæorum à cæcitate spiritali. Cum vero factus immortalis post resurrectionem, illuminauit vtrumque populum ex maxima parte per Apostolos suos. Et bene dicuntur iuxta viam sedisse, quia non erant in via qui dixit: *Ego sum via*, sed juxta, quia & Iudæi aliquid per legem sciebant de creatore, & gentium Philosophi per naturalem scientiam, creatorem cœli cognouerunt. Quod & Plato in suis reliquit scriptum libris. (*Audierunt, quia Iesus transiret.*) Iudæi audierunt per Prophetas, gentes quoque non per omnia ignorauerunt, sed sophistæ eorum similiter denuntiauerunt. Vnde est illud Maronis. Iam noua progenies cœlo demittitur alto. Et Sybilla inquit: *E cœlo rex adueniet Christus per sæcla futurus:* Scil. in carne præsens vt iudicet orbem, vnde Deum cernent incredulus atque fidelis. Alius quoque cum venisset ad mortem vocauit discipulos suos, & dixit eis. Ego modo moriar, scribite somnium meum quod vidi, & habebam absconsum in mente mea, & modo scio quod non videbo ipsum somnium rebus expleri, sed beati erunt qui videbunt. Vidi in somnis vinum de cœlo pluere, & surgebat nebula de terra, & de aquis, & miscebatur cum ipso. Et scio quod diuinitas veniet de cœlo, & miscebitur cum carne. Nonne quasi diceret veritas de terra orietur, & iustitia de cœlo procedet? Tali ergo modo iuxta viam sedebant, & Iudæi & gentiles, & clamauerunt dicentes: (*Domine miserere nostri fili Dauid,*) Iam olim est quod gentium populus hoc clamabat, Osanna fili Dauid, miserere nostri. (*Turba autem increpabat eos vt tacerent.*) Vel Iudæi, vt in actibus Apostolorum legimus, vel turba ista, pars populi intelligitur quæ non credit, quæ obsistere populo fideli voluit, ne crederet in suum Deum. Vnde & multos per tormenta martyres reddidit. Seu turba tumultus vitiorum sunt, qui obsistunt, ne ad Deum conuertamur. (*At illi magis clamabant dicentes.*) Quia ex persecutionibus magis creuit Ecclesia. [*Et stetit Iesus, & vocauit eos.*] Transijt nobis quando natus & passus est, & resurrexit. Stetit, quando post ascensum incommutabilis factus est in cœlo, ad dexteram patris: vel stetisse dicitur, propter adjutorium quod ministrat fidelibus suis. (*Quid vultis vt faciam vobis.*) Peti vult quod nobis petentibus concedere prænoscit. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum. (*Dicunt illi: Vt aperiantur oculi nostri.*) Hoc pro certo orat electorum populus, vt mereatur videre oculis spiritalibus sine fine regem seculorum in decore suo. Siue orat vt reliquo populo adaperiat aures præcordiorum ad intelligenda mysterij arcana. Et nos quæramus lucem quam cum solis Angelis videre possimus. [*Misertus autem eorum Iesus, tetigit oculos eorum.*] Quia si qui credunt ipso dãte incrementum, credunt. (*Et confestim viderunt, & secuti sunt eum.*) Quicunque enim oculis mẽtis, videt Iesum, sequitur eum imitãdo eius actiones. Videt & sequitur, qui bonum quod

intelligit operatur, Videt & non sequitur qui bonum quidem intelligit, sed operari contemnit, Iesum enim sequitur, qui imitatur. Vnde dicitur. *Si quis mihi ministrat me sequatur*, id est, *me imitetur*. Possumus per istos cæcos Iudæos siue Pharisæos intelligere.

De susceptione Domini ab Hierosolymis.

CAP. XLVII.

ET cum appropinquassent Hierosolymis, & venissent Bethphage ad montem Oliueti. Dominus noster Iesus Christus cuncta ordinate & sapienter dispensauit, sicuti sapiētia Dei quod ipse veraciter fecit quædam miracula ad excitanda corda electorū & reproborum & vnde boni profecerunt, mali deteriorauerunt, quousque de morte eius inuicem conspirauerunt, & quando eum ante placitum voluntatis eius occidere gestierūt, tangere eum nequiuerunt. Cum vero dies voluntatis eius appropinquauerunt, licentiam acceperunt, & de mirificis gestis amplius insanierunt. Vt autem ostenderet se Dominus filium illius esse, qui quondam à Samuelis tempore allophylos, cum diis suis percusserat, & arcam suam per vaccas fœtas referri ad locum debitum fecerat, adhibuit sibi aliud pecus ad hoc demonstrandum. Sicut enim illæ vaccæ quæ nec dum iugum traxerant, quamuis vitulos recentes haberent, tamen accepta arca Domini abierunt viam quam ignorauerunt, pergentes & mugientes, quasi dicerent & vitulos non obliuiscimur, sed tamen creatorem cuius arcam ducimus plus timemus. Similiter & hic asellus qui nunquam antea à matre separatus fuerat & nunquam sessorem habuerat, accepto Domini corpore fecit. (*Cum venisset Betphage, misit duos discipulos dicēs.*] Betphage est villa parua in monte Oliueti iuxta Bethaniam & erat sacerdotum viculus, & interpretatur *domus bucca* siue *maxillarum* propter capita arietum & hircorum quæ ibi iacebant. Cum ergo ibi venisset Dominus prima feria qui dominicus apud nos vocatur, misit duos discipulos suos, & ipse peruenit ad Bethaniam, & mansit ibi ipsa nocte in domo Simonis leprosi. Et venit ibi Maria soror Lazari, & effudit vnguentum super caput eius. Et discipuli interim adduxerunt asinam & pullum, & audierunt in Hierusalem quia ibi esset ipse. Non enim viderant eum postquam Lazarum suscitauerat. Frequenter quidem Dominus Hierusalem venerat, sed nunquam cum tanta gloria in eā ingressus est sicut tunc, vt hi qui ante eum voluerant occidere, tunc haberent locum, quia tunc ei placuit mori, quasi in factis suis dixisset eis. Vos pro beneficiis à me vobis impensis deterioramini, & occidere me vultis, modo si vultis do vobis locum. Facio tamen mirabiliora, quam ante feci. Suscitaui vobis mortuos, ipso die modo resuscitaui quatriduanum. Et vt cognoscatis me illius Dei filium, quem vos dicitis adorare, sicut legitis oblitas fuisse bucculas naturam suam, & amorem vitulorum suorum pro arca Domini quæ super eos erat, sic videte asellum oblitum amorem matris suæ, & sine freno & capistro ire viam meam Quasi vobis dicat ipsum brutum animal. Amo matrem, sed plus timeo creatorem quem habeo sessorem (*Tunc Iesus misit duos discipulos suos dicens: Ite in castellum quod contra vos est.*) Castellum modo appellatur Hierusalem, quæ quondam ciuitas regis magni, id est Dei dicta est, quia conspiratum habebant ciues eius occidendi saluatorem suum. (*Quod contra vos est,*] quia videre iam poterant de ipso monte Oliueti. Tamen quindecim stadiis erat Bethania ab Hierusalem, sed sic erat constructum templum, vt de ipso possent videre Olueta in monte eodem, & de ipso monte ardens oleum in templo Domini. (*Et statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea.*) Asina ista ad templum Domini data fuerat & in commune sacerdotum erat, & quisquis de eis volebat accipiebat.

A Pullus dicitur asellus, id est paruus, quia diminutiuum est eius. Et vniuscuiusque bestiæ, vel auis natus pullus potest dici dum tener est, vt pulli columbarum & passerum. (*Soluite*) id est absoluite à vinculo (*Adducite in manu,*) quia virtutem debeo cum eis facere. Vt separentur ab inuicem. (*Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quod Dominus his opus habet & confestim dimittet eos.*] Quia multos Dominos habebant, propterea præcepit vt absolute Dominum dicerēt & non designarent aliquem. Et placuit Domino hanc virtutem facere de asello sacerdotum vt ipsi scirent quod nunquam sessorem super se habuerit, quia sacerdotes magis eius operibus contradicebant. (*Hoc autem totum factum est.*] Quid totum factum est? vt adducerentur vt sederetur ab ipso. [*Quia sic prædictum fuerat à Propheta Zacharia.*) Quæcunque Deus acturus fuit in hoc seculo corporaliter, prædicta fuerunt omnia à Prophetis, & istud etiam prænuntiatum est ipsum acturum. B Placuitque Domino concordari dicta Prophetarum cum factis suis, & in Prophetarum dictis & in factis suis verax haberetur, quia veritas est, mentiri non potest. Vt Psalmus, inquit: *Iustus Dominus in omnibus viis suis, & sanctus in omnibus operibus suis,* nam hoc quod legimus in libro Regum quod dixit spiritus, *egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarū eius,* non Spir. S. sed Diabolus ibi intelligitur, qui ad tempus propter peccatum regis corda Prophetarum eius decepit. [*Dicite filiæ Sion.*) Exultando & gaudendo dicite. Erat consuetudo apud Romanos post triūphatos hostes cum triumpho ingredi Romam, ita vt venirent ei obuiam omnis senatus, & omnis dignitas cum omni populo, & haberent metricè laudes & decantarent ei & ille proiiceret super eos vna vice deaureis denariis, & alia vice de argētis. Sed nullus sic gloriose ingressus est, sicut hic Dominus noster, quia illis mendacia cātabantur, isti autē supplicabāt saluū fac in excelsis. (*Ecce*) Admirātis est. (*Rex.*) Non Tyrannus, C quia regis ministeriū est regere & gubernare populum, oppressos liberare, opprimētes debellare. qui nō facit hoc; nō est rex sed Tyrannus, qui locū occupat, & forsitan & ipse eos vastat & alios deprædare sinit. (*Tuus*] Ad Israel spiritalis sermo Propheticus fit dicens. Tuus erit, vt saluet te, & regat si volueris. Si autem nolueris, non disperdet te, sed sinet disperdere, quia Deus intētator est malorum. [*Venit tibi.*) Ad tuum profectum inquit. (*Mansuetus.*] Vt postea ipse dixit. *Mitis sum & humilis corde.* [*Sedens super asinam.*) Potuit Dominus equum vel elephantem habere ad sedendum qui potuit habere Leones & Griphes ad domandum Ægyptios, sed sicut illic per parua animalia domuit superbos, sic hic per vile animal & brutum voluit confundere sapientes seculi. Ac si dicat propheta. Non scilicet super currum aureum, neque super feruidum equum litis & discordiæ amatorem, qui habet pectus de superbia repletum, & cum audierit sonitum buccinæ & D viderit bellum, percutit vngula terram & dicit in corde suo vah. *Sedet super pullum, super quem nullus hominum sedit.*) Qui non solum non mandit ferrum, nec maculat aurum saliua, nec capistrum habet, & viam suam incedit, & est subiugalis, quia amicus pacis. [*Euntes autem discipuli fecerunt sicut constituit Iesus.*) Dixerunt sicut præcepit. Ducite [vt alii Euangelistæ narrant.] Et adduxerunt & non sederunt, sed in manu adduxerunt. (*Et imposuerunt super eos vestimenta sua.*) Non sellam auro redimitam vel argento, quia solummodo ad mysterium ista requirebat. (*Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via.*] Ne asellus in foueam decideret. (*Alii vestimenta sua, alii ramos de arboribus sternebant. Turba autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur clamabant dicentes.*) Turbæ præcedebant: quæ de ciuitate venerunt obuiam ei: Sequebantur, quæ de Hierico & de aliis ciuitatibus eum secutæ sunt

git, vt istud quod vnus homo & illo tẽpore contemptibilis (ita vt postea crucifigeretur) scribis & Pharisæis contra sæuientibus & videntibus lucra sua destrui potuerit cum vno flagello tantam multitudinem eijcere, mensas subuertere, cathedras confringere, & alia facere quæ infinitus non fecisset exercitus. Nam magnum bellum Tytus habuit in templo post captam Hierusalem. Sed sicutidem Hieronymus ait, Igneũ quiddam atque sidereum radiabat ex oculis eius & diuinitatis maiestas lucebat in facie, pro quibus non erant ausi manum inijcere, neque potestatem suam euindicare, nec erant ausi dicere quæ postera die dixerunt. In qua potestate hæc facis, sed tantummodo audis quid isti dicunt, quasi dixissent ista de Deo dicta sunt quæ de te dicuntur. Dominus autem sic temperauit suam responsionem, & vt ostenderet de se hoc dictum, & dictum eius non pateret reprehensioni. Non dixit, ego sum Deus de quo dicta sunt ista, cum hoc verum esset, sed dixit: Propheta hoc prænuntiauit, ex ore infantiũ perfecturam Deo laudem, vt illi requirerent de quo esset intelligendum. Nam alij Euangelistæ dicunt. Ait illis. Si isti tacuerint, lapides clamabunt. Puerorum factum, ex Psalmo centesimo septimo decimo confirmatur. [*Et relictis illis abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam mansitque ibi.*) Dicit Marcus quod vsque ad vesperam steterit, & circumspexerit in gyro & exierit. Vnde datur intelligi quod tantæ paupertatis fuit vt in ciuitate tam grandi nec hospitium inuenerit. Tamẽ credimus quod principes qui maxime & operib. eius inuidebant in hac vrbe manebant: & propter iram illorum metuebant eum recipere boni, qui adhuc diligebant gloriam Dei magis quam hominum.

De ficu arefacta.

CAP. XLVIII.

M*Ane autem reuertens in ciuitatem esuriit.*) Sicut omnia quæ Dominus loquebatur plena erant mysteriis, sic quæcunque faciebat non vacabant à sacramentis. Cum enim reuerteretur ad perfidam ciuitatem Hierusalem de Bethania vbi ipsa nocte manserat, esurijt: vel pro veritate humanæ fragilitatis, quia non fuerat præterita nocte crapulatus. Seu esurijt salutem perfidæ ciuitatis, quia & ob hoc mane reuertebatur ad eam vt posset aliquem conuertere. *Et videns fici arborem vnam.*] Ficus à fœcunditate dicitur, quia fenerationem omnibus arboribus & in prole & in fructu exhibet. Ter enim in anno fructum fert, Sed duo primi meliores; tertius iam despectus. Carices fructus eius dicuntur, à copia nominatæ. In libro regum dicitur, *massas caricarum.* [*Venit ergo ad ficulneam.*] Non quod ignoraret, quod fructum non haberet, quia non erat tempus, ante pascha enim erat; sed vt ostenderet quid euenturum esset synagogę vel ciuitati, quam pręterita die fleuerat. Sicut enim venit ad ipsam arborem folia habentem fructum minime inuenit, sic venit ad synagogam habentem eloquia legis & Prophetarum, & fructum operum non inuenit. Vnaquæque enim arbor non de floribus & folijs, sed de fructu agnoscitur. Et vnusquisque homo non de æstimatione vel pompa locutionis, sed de vera actione operum bonus iudicatur. Prodest enim bona dicere, sed plus prodest cum dicto facta concordare. Et sicut ficus non habens fructum damnata est, sic Iudæa habens verba scripturarum sine perfectione operum dãnata est & punita. Non autem omnis Iudæa sine fructu fuit, quia de ipsa fuerunt Apostoli, & primitiua Ecclesia; sed maxima eius in incredulitate perdurauit. Similiter sub persona ficulneæ in alia loquitur Dominus de synagoga, de ficulnea plantata in vinea. Ista autem ficulnea iuxta viam stabat, quia habebat legem & Propheias, sed eum qui dixit ego sum via, in eis non intelligebat, & videbat eũ

A & non agnoscebat. Venit ad eam per incarnationem suam & nihil in ea inuenit nisi folia tantum. [*Et ait illi. Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.*] Nihil arbor peccauit, sed quia ad vsus hominum creata fuerat, voluit per arborem terrere homines, ne quis habendo verba iustitię, absque operibus prætendendo mereretur excidi & in ignem proijci. Quod dicit *in sempiternum*, non perpetualiter significat, sed aliquod tempus. Æonon, enim Græcum, & seculum & sempiternum significat. Quoniam vero dicitur æonas, ton æonon, infinitum significat, id est secula seculorum: quia de arbore potest intelligi, quod & folia aruerint, truncus saluus remãserit, quia Iudæa in fine per Enoch & Eliam conuersa, fructus placidos fructificatura est Deo. Si autem ex toto volumus intelligere de præsenti plebe, dicemus quod ipsa est quæ clamauit. *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Denique si simpliciter volumus intelligere, Dominus quia proxime passurus est, volebat firmare discipulorum animos, vt

B sicut fecit ficulneam arescere, potuisset si voluisset suis inimicis similia facere. Vnde & dicitur, quia mirabantur quod continuo aruit. [*Respondens autem Iesus, ait illis. Amen dico vobis si habueritis fidem & non hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed si monti huic dixeritis: tolle te & iactare in mare, fiet.*] Et secundum litteram fieri potuit de monte terreno, sicut legimus de beato Gregorio Nazianzeno, quia cum vellet Basilicam ædificare, & esset ex vna parte rupis, ex alia mõs qui angustaret locum, orauit ad Dominum vt montem recedere longius faceret. Reuersus mane, inuenit sicut precatus fuerat. Similiter de sancto Benedicto legimus, quod similia fecerit. Similiter potuissent alij imperare, si voluissent. Aliter quoque mons diabolus intelligitur aliquando in scriptura. Hoc non solum tunc fecerunt Apost. sed & quotidie faciunt sancti viri, cum repellunt de cordibus bonorum & permittunt eum morari in cordibus perfidorum & væsaniæ suæ mentis in amaris & in turbulentis exercere. De quo in

C Apocalypsi dicitur: *Et secundus angelus tuba cecinit, & tanquam mons magnus missus est in mare, igne ardens.* Angelo canente mons in mare mittitur, cum prædicantibus doctoribus electorum corda deserit diabolus, & ad reprobos iratus conuertitur. Montem Paulus de loco suo extulit quando de phitonissa in Philippæis spiritum malignum eiecit. [*Et omnia quæcunque petieritis in oratione, credentes accipietis. Ita pro certo, vt tamen suum nomen Dominus non amittat.*) id est Iesus. Quia Iesus Saluator dicitur. Si contra salutem concesserit, iam non erit nobis Saluator, quod minime potest fieri. Permittit nobis Saluator frequenter contra salutem nostram, sed non concedit.

Interrogatus à Sacerdotibus Dominus.

CAP. XLIX.

D E*T cum venisset in templum accesserunt ad eum principes Sacerdotum, & seniores populi dicentes.*] Sicut semper Dei acta in malam partem conuertere soliti erant, sic etiam nunc. Quando enim dicũt *in qua potestate hæc facis*, de Dei dubitant potestate, & subintelligi volunt diaboli esse quod faciat. Et quod addunt: *quis tibi dedit hanc potestatem*, filium Dei illum negant, quem putãt non suis viribus, sed alienis signa facere. Tamen ipsa die non fuerunt ausi ista interrogate. [*Iesus autem respondens ait. Interrogabo vos vnum sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio. Baptismus Ioannis vnde erat, de cælo, an ex hominibus?*] Potuit Dominus per simplicem doctrinam suos inimicos confutare, sed conueniens erat vt ad interrogationem responderet, vt aut suo silentio, aut sua sententia condemnarentur, sicut & factum est. (*At illi cogitabant. Si dixerimus de cælo, dicet bonis quare non*

venientes ad diem festum Paschæ. [*Osanna filio Dauid: benedictus qui venit in nomine Domini.*] Osanna verbum Hebræum est, compositum ex integro & corrupto. Saluum fac apud Hebræos dicitur osanna interiectio deprecantis. Et cum iunguntur in simul, aufertur I, per Synalypham, ita vt nec scribatur & fit osanna. O separatum, & s. coniunctum cum a. & n. Denique & in Psalmo centesimo septimo decimo vbi scriptum est apud nos: *O Domine saluum fac*: & in Hebræo osanna habet, benedictus qui venit in nomine Domini. Ideo benedictus, quia in nomine patris venit. Alius venit in nomine suo, & ideo erit maledictus. Quia ex parte aliquid diximus, nunc spiritaliter percuttamus. Dominus venit ad montem olíueti, hoc est ad Ecclesiam suam, non quod tunc esset. Sed quam quærendo suam fecit in qua est laborum & dolorum solamen. Et mansit in Bethania, videlicet in domo obedientiæ, quia ante passionem suam & fundamenta Ecclesiæ suæ iacta erant, & in ea erant de quibus dici poterat. *Super quem requiescam nisi super humilem & quietum, & trementem sermones meos.* Misit duos discipulos propter duos populos, seu propter duo mandata, dilectionem Dei & proximi, præcepit sibi exhiberi asinam & pullum Iudæos & gentes, quia secundum Deum Iudæa mater est gentium. Inuenietis asinam alligatam & pullum cum ea. Quia quando Dominus aduenit, omnis mūdus sub peccatis originalibus astrictus tenebatur. Soluite per ministerium vestrum. Adduxerunt Apostoli ad ipsum. Et imposuerunt vestimenta. Doctrinas sacras. Et Christum desuper sedere fecerunt, vt qui habebant ante sessorem diabolum, haberent deinceps Deum. Nam alii Euangelistæ qui de gentibus scripserunt, pullum solummodo commemorant adductum. Matthæus vero qui Iudæis credentibus scribebat, etiam asinæ mentionem facit, vt Iudæos ostendat fidem Christi suscepturos. Quomodo vero ex toto colligenda gentilitas, Iudæa in fine differenda, super pullum sedisse dicitur. Et bene dicitur. Super quem nullus hominum sedit. Quia nullus Doctorum ad eos missus fuerat, qui eos à locutione, vel ab opere malo refrenare doceret. Plurima autem turba strauerunt vestiméta sua in via. Quia multi de gentibus dederunt corpora sua pro Domino in martyrium, vt darent aliis exemplum qualiter Deum amare deberent. Alii cædebant ramos de arboribus. Doctores exempla sanctorum eis proponebant, ad cohortandum eos. Et qui præcedebāt & qui sequebantur. Patriarchæ & Prophetæ præcesserunt, & nos sequimur vnum Deum adorantes vnumque supplicantes. Quamuis Iudęi vnum Dominum nostrum Iesum Christum recipiant, nos tamen in eundem credimus, Deum Hebræorum nos credimus adorare firmissima fide, cui dicimus quod dixit Dauid: *O Domine saluos nos fac & in terra, & perduc ad cœlestem Hierusalem possidendam & habitandam.* Iuxta anagogen si mandata Domini custodimus, habitat & præsidet Christus in corpore nostro. Et vestimenta prosternimus, si corpora per abstinentiam castigamus, vt semper ei viam paremus, & aliis bonum exemplum actionis præbeamus. Frondes auellimus, si in doctrina veritatis sententias patrum excerpimus. Et benedictum in nomine Domini confitemur, quia vna spes nostra & fides præcedentium & sequentium populorum. (*Et cum intrasset Hierosolymam commota est vniuersa ciuitas.*) Introitus in Hierusalē quinta die ante Pascha, feria secunda, qua die & agnus qui immolandus erat in Pascha iubebatur domum introduci & seruari vsque ad quartamdecimam lunam, & vt ostenderet quod non inuitus, sed sponte ad passionem veniret, locum passionis adiit, & expectauit per ipsos dies quousque comprehenderetur. [*Commota est vniuersa ciuitas.*) Alii pro voluntate bona, alii pro mala. (*Et illi qui dicebant quis est hic, principes erant.*) Qui quasi dedignabantur eum agnoscere quem vulgus ve-

A nerabatur. (*Populi autem dicebant.*) Pauperes prædicabant Dominum Prophetam, quia ad ipsos principes non audebant dicere, hic est Christus aut Deus, sed tantum propheta. Et tamen nec mentiebantur quia & Deus seipsum dixit Prophetam. (*Hic est Iesus Nazarenus Galilææ.*) Est Nazareth villa in Galilæa, vbi angelus Gabriel locutus est ad sanctam Mariam de Domini incarnatione. Est Nazareth ciuitas vbi nutritus fuit, à qua Nazarenus dictus est. (*Et intrauit Iesus in templum Dei.*) Exemplum dedit omnibus, quancumque in ciuitatem aut in villam veniunt, statim ad templum Domini Deum quærant, & postea faciant pro quibus venerunt (*Et eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo.*) Quia Sacerdotes fœnerare pecuniam non audebant, quia prohibitum erat in lege, excogitauerunt quomodo possent illud damnum recompensare, quia veniebant multi de longinquis locis, qui non habebant quæ offerrent. Accipiebant ipsas aues vel cætera quæ iam data fuerant in templo, & dabant ad vendendum & tali modo habebant ipsas res & argentum pro

B eis, & qui non habebant precium, accipiebant mutuo, & tali modo deprædabant pauperes, & non considerabant quod dixit Deus, misericordiam se magis velle quam sacrificium. Istam deprædationem intelligens Dominus, fecit flagellum ex funiculis, & omnem multitudinem eiecit de templo, in duobus magnum principibus scandalum concitans, siue quia ipsorum venditores eiiceret, seu quia de templo curaret, quod ad illos pertinere videbatur. [*Et mēsas nummulariorū.*) Monetarii habebant mensas & denarios desuper ad commutandum si quis vellet. (*Et cathedras vendentium columbas euertit.*) Quia aues istæ frequenter iubebantur offerri, & in multis purificationibus caræ illic erāt, sicut & de passerib⁹ legimus. Idcirco honorati viri erant qui ipsas columbas vendebant, qui & cathedras ad sedendum habebant. Spiritaliter vero nūmularii sunt, qui verba diuina adnuntiare debent in populis, quia eloquia Domini eloquia casta, argentum igne exami-

C natum. Qui ergo speculatores sunt facti in populis & non adnuntiant eis iniquitates eorum quæ faciunt, sed placentia & fauorabilia, dicentes impio, bonus es, isti sunt qui nummularii commutant argentum. Per columbas vero Spiritus, siue donum Spiritus sancti. Qui ergo gratiam Spiritus sancti quam dare debent gratis, venundant vt baptisma, impositiones manus, gradus Ecclesiasticos, columbarum venditores esse dicuntur. Si ergo Christus in Ecclesia sua tales inuenerit, qui per præmia verbum diuinum, mysteria sacra, id est Episcopatus, presbyteratus, diaconatus, vendant vel emant, eiiciuntur de Ecclesia Dei, & Cathedræ eorum, id est magisterium euertetur. (*Et dixit eis. Scriptum est, domus mea domus orationis vocabitur, Vos autem fecistis illam speluncam latronum.*) Domum Domini conuertit in speluncam latronum, qui lucra sectatur de religione, vel mysterium diuinum, non pro vitæ merito & sapientia, neque per electionem electi & populi, sed per lucrum assequitur, & quamdiu vixerit apud Deum

D non pastor, sed mercenarius habebitur & negotiator, quia quod dedit quærit recipere id est terrena quæsiuit, non lucrum animarum. Et hæc est symoniaca hæresis. Vnusquisque nostrum templum Domini esse debet, vt Paulus dicit: *Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* Videamus ne in templo nostro inueniat Dominus aliud nisi quod ei placeat dilectionem Dei & proximi, & reliqua his conuenientia. (*Et accesserunt ad eum cæci & claudi in templo, & sanauit eos.*) Excelsus & humilis Dominus humilia respicit, & alta à longe cognoscit, Apparuit in hoc enim facto tam terribilis principibus, vt nullo modo ei resistere auderent, neque intueri eum. Bonis vero mitis, ita, vt cum mali ante eum fugerent de templo, cæci & claudi accederent & sanarentur. Dicit beatus Hieron. Inter omnia quæ Dominus noster in hoc mundo fecit, nihil sic admirabile e-

git, vt istud quod vnus homo & illo tẽpore contemptibilis (ita vt postea crucifigeretur) scribis & Pharisæis contra sæuientibus & videntibus lucra sua destrui potuerit cum vno flagello tantam multitudinem eijcere, mensas subuertere, cathedras confringere, & alia facere quæ infinitus non fecisset exercitus. Nam magnum bellum Tytus habuit in templo post captam Hierusalem. Sed sicut idem Hieronymus ait, Igneũ quiddam atque sidereum radiabat ex oculis eius & diuinitatis maiestas lucebat in facie, pro quibus non erant ausi manum inijcere, neque potestatem suam euindicare, nec erant ausi dicere quæ postera die dixerunt. In qua potestate hæc facis, sed tantummodo audis quid isti dicunt, quasi dixissent ista de Deo dicta sunt quæ de te dicuntur. Dominus autem sic temperauit suam responsionem, & vt ostenderet de se hoc dictum, & dictum eius non pateret reprehensioni. Non dixit, ego sum Deus de quo dicta sunt ista, cum hoc verum esset, sed dixit: Propheta hoc prænuntiauit, ex ore infantiũ perfecturam Deo laudem, vt illi requirerent de quo esset intelligendum. Nam alij Euangelistæ dicunt. Ait illis. Si isti tacuerint, lapides clamabunt. Puerorum factum, ex Psalmo centesimo septimo decimo confirmatur. [*Et relictis illis abiit foras extra ciuitatem in Bethaniam mansitque ibi.*) Dicit Marcus quod vsque ad vesperam steterit, & circumspexerit in gyro & exierit. Vnde datur intelligi quod tantæ paupertatis fuit vt in ciuitate tam grandi nec hospitium inuenerit. Tamẽ credimus quod principes qui maxime & operib. eius inuidebant in hac vrbe manebant: & propter iram illorum metuebant eum recipere boni, qui adhuc diligebant gloriam Dei magis quam hominum.

De ficu arefacta.

CAP. XLVIII.

M*Ane autem reuertens in ciuitatem esuriit.*) Sicut omnia quæ Dominus loquebatur plena erant mysteriis, sic quæcunque faciebat non vacabant à sacramentis. Cum enim reuerteretur ad perfidam ciuitatem Hierusalem de Bethania vbi ipsa nocte manserat, esurijt: vel pro veritate humanæ fragilitatis, quia non fuerat præterita nocte crapulatus. Seu esurijt salutem perfidæ ciuitatis, quia & ob hoc mane reuertebatur ad eam vt posset aliquem conuertere. *Et videns fici arborem vnam.*] Ficus à fœcunditate dicitur, quia feneratione omnibus arboribus & in prole & in fructu exhibet. Ter enim in anno fructum fert, Sed duo primi meliores; tertius iam despectus. Carices fructus eius dicuntur, à copia nominatæ. In libro regum dicitur, *massas caricarum.* [*Venit ergo ad ficulneam.*] Non quod ignoraret, quod fructum non haberet, quia non erat tempus, ante pascha enim erat; sed vt ostenderet quid euenturum esset synagogę vel ciuitati, quam prę-terita die fleuerat. Sicut enim venit ad ipsam arborem folia habentem fructum minime inuenit, sic venit ad synagogam habentem eloquia legis & Prophetarum, & fructum operum non inuenit. Vnaquæque enim arbor non de floribus & folijs, sed de fructu agnoscitur. Et vnusquisque homo non de æstimatione vel pompa locutionis, sed de vera actione operum bonus iudicatur. Prodest enim bona dicere, sed plus prodest cum dicto facta concordare. Et sicut ficus non habens fructum damnata est, sic Iudæa habens verba scripturarum sine perfectione operum dãnata est & punita. Non autem omnis Iudæa sine fructu fuit, quia de ipsa fuerunt Apostoli, & primitiua Ecclesia; sed maxima eius in incredulitate perdurauit. Similiter sub persona ficulneæ in alia loquitur Dominus de synagoga, de ficulnea plantata in vinea. Ista autem ficulnea iuxta viam stabat, quia habebat legem & Prophetas, sed eum qui dixit ego sum via, in eis non intelligebat, & videbat eũ & non agnoscebat. Venit ad eam per incarnationem
A suam & nihil in ea inuenit nisi folia tantum. [*Et ait illi. Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.*] Nihil arbor peccauit, sed quia ad vsus hominum creata fuerat, voluit per arborem terrere homines, ne quis habendo verba iustitię, absque operibus prætendendo mereretur excidi & in ignem proijci. Quod dicit *in sempiternum*, non perpetualiter significat, sed aliquod tempus. Æonon, enim Græcum, & seculum & sempiternum significat. Quoniam vero dicitur æonas, ton æonon, infinitum significat, id est secula seculorum: quia de arbore potest intelligi, quod & folia aruerint, truncus saluus remãserit, quia Iudæa in fine per Enoch & Eliam conuersa, fructus placidos fructificatura est Deo. Si autem ex toto volumus intelligere de præsenti plebe, dicemus quod ipsa est quæ clamauit. *Sanguis eius super nos & super filios nostros.* Denique si simpliciter volumus intelligere, Dominus quia proxime passurus est, volebat firmare discipulorum animos, vt
B sicut fecit ficulneam arescere, potuisset si voluisset suis inimicis similia facere. Vnde & dicitur, quia mirabantur quod continuo aruit. [*Respondens autem Iesus, ait illis. Amen dico vobis si habueritis fidem & non hæsitaueritis, non solum de ficulnea facietis, sed si monti huic dixeritis: tolle te & iactare in mare, fiet.*] Et secundum litteram fieri potuit de monte terreno, sicut legimus de beato Gregorio Nazianzeno, quia cum vellet Basilicam ædificare, & esset ex vna parte rupis, ex alia mõs qui angustaret locum, orauit ad Dominum vt montem recedere longius faceret. Reuersus mane, inuenit sicut precatus fuerat. Similiter de sancto Benedicto legimus, quod similia fecerit. Similiter potuissent alij imperare, si voluissent. Aliter quoque mons diabolus intelligitur aliquando in scriptura. Hoc non solum tunc fecerunt Apost. sed & quotidie faciunt sancti viri, cum repellunt de cordibus bonorum & permittunt eum morari in cordibus perfidorum & væsaniæ suæ mentis in amaris & in turbulentis exercere. De quo in
C Apocalypsi dicitur: *Et secundus angelus tuba cecinit, & tanquam mons magnus missus est in mare, igne ardens.* Angelo canente mons in mare mittitur, cum prædicantibus doctoribus electorum corda deserit diabolus, & ad reprobos iratus conuertitur. Montem Paulus de loco suo extulit quando de phitonissa in Philippæis spiritum malignum eiecit. [*Et omnia quæcunque petieritis in oratione, credentes accipietis. Ita pro certo, vt tamen suum nomen Dominus non amittat.*) id est Iesus. Quia Iesus Saluator dicitur. Si contra salutem concesserit, iam non erit nobis Saluator, quod minime potest fieri. Permittit nobis Saluator frequenter contra salutem nostram, sed non concedit.

Interrogatus à Sacerdotibus Dominus.

CAP. XLIX.

D E*T cum venisset in templum accesserunt ad eum principes Sacerdotum, & seniores populi dicentes.*] Sicut semper Dei acta in malam partem conuertere soliti erant, sic etiam nunc. Quando enim dicũt *in qua potestate hæc facis*, de Dei dubitant potestate, & subintelligi volunt diaboli esse quod faciat. Et quod addunt: *quis tibi dedit hanc potestatem*, filium Dei illum negant, quem putãt non suis viribus, sed alienis signa facere. Tamen ipsa die non fuerunt ausi ista interrogare: [*Iesus autem respondens ait. Interrogabo vos vnum sermonem, quem si dixeritis mihi, & ego vobis dicam in qua potestate hæc facio. Baptismus Ioannis vnde erat, de cælo, an ex hominibus?*] Potuit Dominus per simplicem doctrinam suos inimicos confutare, sed conueniens erat vt ad interrogationem responderet, vt aut suo silentio, aut sua sententia condemnarentur, sicut & factum est. (*At illi cogitabant. Si dixerimus de cælo, dicet bonis quare non*

credidistis ei? Ille n. mihi testimonium perhibuit, quando misistis ad eum & ab illo audistis, in qua potestate hæc facio. Si dixerimus ex hominibus, hoc est humana adinuentione compositum, timemus turbam.) Omnes n. habebant Ioannem sicut Prophetam, quia in ortu eius viderunt miracula facta. [*Et responderunt dicentes. Nescimus.*) Modo ob veritatem celandam ad humilitatis viam cõuersi sunt vt dicerent se nescire, [*Ait illis. Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio.*] Non vultis fateri quod scitis, nec ego dico quod scio. Vos mentiemini, ego veritas sum, mentiri non possum, scio, sed non vobis dico. Ob duas autem causas, veritas est reticenda, cum is qui audit non potest capere, vt Dominus ad discipulos dixit. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Aut cũ præuidemus quia is siue dicere debemus deterior ex nostra prædicatione futurus est. Et de hoc Dominus inquit. Videte ne mittatis margaritas vestras ante porcos.

De duobus filiis in vineam missis.

CAP. L.

QVid autem vobis videtur. Homo quidam habuit duos filios.) quia Pharisæi noluerunt Ioanni dare bonum testimonium, Dominus ipse laudat Ioannem & eos qui eum audierunt, & vituperat qui præsentem nõ non audierunt, nec mortuo dare testimonium voluerunt. Homo iste Deus intelligitur, qui habuit & bonos & malos filios per conditionem de Iudæis, quibus præcepit per Moysen vt operarentur in vinea sua seipsos in via Dei custodiendo & alios instruendo. Fuerunt qui in initio vitæ suæ ad malam partem se conuerterunt, vt publicani & meretrices. Et alii fuerunt qui dixerunt quod deberent legem Dei custodire, vt isti Pharisæi. Sed tamen cum venit Ioannes & adnuntiauit eis peccatum eorum, conuersi sunt de via sua mala, & cœperunt bona ardenter facere. Isti autem Pharisæi qui dicebant se iustos, noluerunt obedire ei, sed etiam consenserunt vt occideretur, & etiam Domino machinabantur. Et idẽ Dominus proponit ipsam parabolam dicens. [*Venit ad vos Ioannes in via iustitiæ, in abstinentia, in castitate, & reliquis bonis, Publicani qui primo per malas artes dixerunt, non se facturos, pœnituerunt. Vos nec tunc fecistis, nec adhuc bona eius prædicare vultis.*] Potest & de duobus populis intelligi, gentili & Iudaico, quia gentilis primitus in initio mundi recessit à cultura Dei, sed postea pœnituit & mutauit vitam. Iudæus qui dixit. *Omnia quæ præcepit Dominus faciemus,* nec tunc fecit, nec modo, sed peior est quam gentilis fuit quando idola adorauit.

De vinitoribus parabola.

CAP. LI.

ALiam parabolam audite.) Quia cito erat transiturus ab eis per mortem, verba vitæ amplius eis ingerebat, & quæ ipsi cogitabant, & faciebant, in suis parabolis indicabat. [*Homo paterfamilias.*) Dixit superius quod paterfamilias compositum nomen est ex nominatiuo & genitiuo antiquo, quia vsus fuit apud antiquos genitiuum primæ declinationis more græcorum etiam in as finire. Et ille vocatur paterfamilias, qui omni familiæ suæ sic præest vt pater. Deus autem omnem mundum sicut piissimus pater gubernat, omnibus bona tribuit, nulli malum. Si autem aliquis malum aliquod patitur, hoc facit diabolus, qui est paratus ad nocendum, & cum videt quod Deus aliquem deserit propter scelera sua, statim ille apprehendit, & nisi angelus esset bonus qui obsistat ne tantum noceat quantum vult, statim disperdit illum. Paterfamilias iste Deus est, qui plantauit vineam de qua Esaias loquitur, & in fine dicit: *Vinea n. Domini Sabaoth, domus Israel est.* Et in Psalmo: *Vineam de Ægypto transtulisti.* (*Et sepem circumdedit ei.*) Vel murum vrbis, vel angelorum auxilia. *Et fodit in ea torcular.*] Altare Domini. (*Et ædificauit turrim.*) Haud dubium templum, de quo per Micheam. *Et tu turris nebulosa filia Sion.* (*Et locauit eam agricolis.*] Quos alibi vineæ operarios appellat. (*Qui conducti fuerunt pro denario diurno, hora prima, tertia, sexta & nona, & peregrè profectus est.*) Non loci mutatione, quia Deus totum mundum implet, sed agricolas dimittendo in proprio arbitrio. (*Cum autem tempus fructuum appropinquasset.*) Bene tempus fructuum dicit non perfectum, quia nullum perfectũ fructum synagoga protulit, quamuis sollicite exculta fuerit. (*Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt*) Vt Mosen & Aaron, quos irritauerunt in castris. [*Alium occiderunt.*) Vt Achimelech cum quinquaginta Sacerdotibus. (*Alium lapidauerunt.*) Vt Naboth. (*Iterum misit alios plures prioribus, & fecerunt illis similiter.*) Esaiam, Hieremiam, Zachariam. [*Nouissime autem misit ad eos filium suum dicens: Verebuntur filium meum.*) Quod ait, quia verebuntur filium meum, non de ignorantia loquitur, quia nihil est quod Deus pater nesciat. Semper ambigere dicitur Deus, vt libera voluntas homini reseruetur. (*Agricolæ autem videntes filium dixerunt. Hic est hæres, venite occidamus eum*] Quæ illi consiliabantur in suis latibulis, de quo Dominus palam loquebatur, vt ostenderet se omnia scire. Manifeste n. modo dicit, quod principes per inuidiã, non per ignorantiam Dominum crucifixissent. Dicebant enim: *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Hæreditas filii, Ecclesia est, quam acquisiuit sanguine suo. Hanc moliebantur Iudæi hæreditare cum crucifigentes eum, & fidem quam in eo Ecclesia sua habebat quærebant extinguere pariter cum Ecclesia, vt potuissent suam iustitiam ex lege firmare cum sua synagoga. (*Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt.*] Hoc erant tertia die facturi quo hæc loquebatur. Et sic futura quasi præterita loquitur, quia certissime nouerat futura, & si voluisset potuisset declinare passionem. Eiecerunt extra vineam, quia extra portam Hierusalem duxerunt ad crucifigendum. (*Cum ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi. Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis.*) Quamuis mali essent, de progenie tamen Sacerdotum prophetarunt veritatem. Perdidit illos male, quia fame qua nihil durius, quæ etiam obsessos compulit humanis carnibus vesci. Illos perdidit, & commendauit Christianis doctoribus Ecclesiam suam. Caueant ergo reges & Episcopi istam damnationem agricolarum, ne forte & ipsi similia patiantur, si bene non excoluerint vineam Domini, omnem turbam Christianorum. [*Dicit illis Iesus. Nunquam legistis in scripturis. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes.*] Adhuc perseuerat prædicando passionem suam, & actionem Iudæorum per metaphoram, de inanimali lapide ad animalem Christum factam comparationem, hyperbole. Hoc in Psalmo centesimo septimodecimo scriptum est, qui totus de Domini aduentu canitur, & non habemus iuxta literam quicquam, sed totum allegoria est. Iudæi enim ædificantes erant, suas doctrinas prædicantes reprobauerunt Dominum in sua fide fundamentum ponere. (*Hic factus est in caput anguli.*) Quia sicut lapis in angulo duos parietes ex diuerso venientes suscipit, sic suscipit Iudæos Christus, & gentes in se credere volentes, vnaque domus construitur de lapidibus, sic Ecclesia Christi de dignis hominibus. Et sicut lapis lapidem portat, sic hi qui præcesserunt portauerunt nos, & nos æquo iure portare debemus post nos venientes. Et de vinea & de ædificatione sanctæ Ecclesiæ dicit Paulus: *Dei cultura, Dei ædificatio estis.* Quæ vinea, ipsi lapides, & vnus preciosus in fundamento fundatus Christus, velint nolint Iudæi, &

qui agricolæ mali, id eſt & cementarii, à Domino factum eſt iſtud. Niſi denique à Domino hoc factum eſſet, fides Chriſti & Eccleſia eius non impleſſet totum mundum quem omnes principes extinguere voluerunt. Et mirabile in oculis noſtris: *Omnis Domini incarnatio, mirabilis facta eſt*. Sed & hoc ſatis mirabile quod omnes gentes ſuper ipſum habent fundamentum collatum, & fidem, ſpem firmam in ipſo tenere geſtiunt (*Ideo dico vobis, auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.*) Ambæ iſtæ parabolæ, & de vinea & de lapide, in hoc verſu apetiuntur, quia agricolæ vineam Domini vt dignum fuit non excoluerunt, & lapidem angularem reprobauerunt. Ideo ablatum eſt ab eis regnum Dei, ſcientia ſc. ſcripturarũ, & datum eſt gentibus, qui volunt exercere quod legunt. (*Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur. Super quem vero ceciderit, conteret eum.*) Cadit ſuper Dominum qui peccat, tamen habet ſpem per pœnitentiam reſurgens, quia ſepties cadit iuſtus & reſurgit. Cadit vero Dominus ſuper incredulos, qui nolunt cognoſcere creatorem. *Qui peccat cadit, ſed poteſt reſurgere. Qui non credit, iam iudicatus eſt, & veniet ſuper eum æterna perditio, quæ eum funditus opprimet.*) Et cum audiſſent principes Sacerdotum & Phariſæi parabolas eius, cognouerunt quod de ipſis diceret. Quia ſciebant quod ipſi meditabantur, propterea intelligebant ſimilitudines de ſe dictas. Vnde quidam ſapiens. Conſcius ipſe ſibi, de ſe putat omnia dici. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quia ſicut Prophetam eum habebant. Turba ſemper in motu eſt, & ſicut ad conuertendum facilis, ſic ad deſperandum procliuis. quem enim vna die debitis laudibus vt Deum exulterunt, ſexta die vt homicidam crucifigi petierunt.

De filii regis nuptiis.

CAP. LII.

ET reſpondens Ieſus dixit iterum in parabolis eis loquẽs.] Quod dicitur reſpondens, ad cogitationes eorum dicitur reſpondiſſe, quia ipſi cogitabant non ſolum eum diſperdere, ſed & omnes qui in eum credebant, ideo retulit eis parabolam dicens. (*Simile factum eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo.*) Chriſto Domino. Et Eccleſia quæ tam ex Iudæis quam ex gentibus congregata eſt. Congregatio iuſtorum, regnum cœlorum diciur. Regnum vero cœlorum, Eccleſia eſt iuſtorum. In hoc pater rex filio nuptias fecit quo ei per incarnationis myſterium ſanctam Eccleſiam ſociauit. [*Miſit ſeruos ſuos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant venire.*] Seruiiſti Prophetæ intelliguntur, Dauid cum cæteris, licet n. & lex data fuerit & per Prophetas Deus nunciatus fuerit, tamen neglexit prope omnis mundus mandata Dei. [*Iterum miſit alios ſeruos dicens. Dicite inuitatis, ecce prandium meum paraui.*) Iſti alii ſerui Apoſtoli intelliguntur qui nobis adnuntiauerunt delitias pręparatas diligẽtibus Deum: *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit*. E quibus vnus ex perſona Domini dixit, *Venite benedicti patris mei percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Vel prandium ſcriptura diuina in Eccleſia Domini (*Tauri mei & altilia occiſa.*] Per methaphoram opes regiæ deſcribuntur, & eſt ſpecies metaphoræ allegoria. Per tauros veteris teſtamenti martyres intelliguntur, vt Eleazar & Machabæi, quibus conceſſum fuit quaſi cornu defendere, & odire inimicos. Per altilia aues paſtæ intelliguntur. Altilia enim, quaſi altilia vocamus, ab alendo paſtæque vulgo vocantur, Prophetæ intelliguntur qui paſti affluenter Spiritu ſancto & verbo Dei aliqui eleuati ſunt à terra. (*Et omnia parata, venite ad nuptias.*) Et ſimiliter quod Petrus dicebat: *Cum videritis exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata* [*Illi autem neglexerunt & abierunt, alius in villam ſuam,* A *alius ad negotiationem ſuam.*) In villam ſuam quis pergit, & ad conuiuium æternum venire contemnit cum habens poſſeſſiones terrenas ſufficienter, in prõptu habet implere voluptates ſuas, facit quod eum delectat, & amplectitur quod in præſenti arridet & negligit intendere quo vocatus eſt. Alius ad negociationem pergit, cum habens miniſterium aliquod in quo põt aggregare argentum vel alias mundi diuitias, vel per negociationem diuitias acquirere, de his magis cogitat quam de his quæ ſpondet in baptiſmo. Recogitet vnuſquiſque in quo Deum offendit & pro quibus Dei præcepta negligit, & intelliget de quorum numero cenſebitur & cum quibus in alia vita computabitur. (*Reliqui vero tenuerunt ſeruos eius, & contumelia affectos occiderunt.*) Differentia eſt inter eos qui pro voluptatibus ſuis ad conuiuium æternum venire noluerunt ſiue in Eccleſia Chriſtiani perfecti, & eos qui ſeruos ad ſe miſſos contumeliis affecerunt, quia iſti duplo rei habentur, qui non ſolum non venerunt, ſed & ſeruos regis aut contumeliauerunt, aut occiderunt. Quæ B omnia Iudæi ad quos hæc loquebatur, perpetrauerũt. Videant quoque omnes Chriſtiani, ne ſimilia illis faciant, ne ſi nolint venire ad prandium, vel volentibus ire non ſint offenſio, quia dicitur eis. *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* (*Rex autem cum audiſſet iratus eſt.*) In initio & homo & rex vocatus eſt, quia clementia eius ibi narratur, qua ad conuiuium ſuum omnes venire volentes inuitauit: Hic vero nomen hominis ſiletur, & rex tantum nominatur, vbi vindictas facturus dicitur. [*Miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illam ſuccendit.*] Ad litteram de Iudæis factum eſt. Nam quia occiderunt ſeruos Dei ad ſe miſſos vel occidentibus ſuggeſſerunt, tunc Prophetas & nunc Apoſtolos, Ioannem, Iacobum, alium Iacobum, Stephanum, & innumeros alios, miſſus eſt Dei exercitus. Et iuſte Dei quia vindictam Dei executit Veſpaſianus & Titus, & deleuit homicidas, & templum quod auguſtius erat incendit, ac poſtea ab C ipſis Romanis ciuitas deſtructa, & ſal in ea diſperſum. (*Tunc ait ſeruis ſuis. Nuptiæ quidem paratæ ſunt.*) Nuptiæ tunc fuiſſent ſi adiunxiſſent ſe ad illud conuiuiũ. Non fuerunt digni. Non præparauerunt ſe dignos. (*Ite ergo ad exitus viarum.*) Euntes docete omnes gẽtes. In exitibus autem viarum erant gentes, quia nec legem habebant, per quam potuiſſent peruenire ad eum qui dixit, ego ſum via (*Et quoſcumque inueneritis, vocate ad nuptias.*) Ita fit quotidie, diuites & pauperes, humiles & ſuperbi, Domini & ſerui, publicani & meretrices, vocantur in commune, & dicitur. *Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum.* [*Et egreſſi ſerui eius in vias.*) In vias, non in via. Quæ in bonam partem accipitur numero ſingulari, plurali voluptates, vel ſectæ diuerſæ ſentiuntur. [*Congregauerũt bonos & malos.*] Requirendũ quomodo boni inuenti fuerint inter gentes. Sed ſciendum bonos dici ad comparationem malorum, tamen multi boni inuenti ſunt inter gentes, vt fuit Iob, Iethro, Achior, & etiam in- D ter ipſos paganos erat multa diſcretio, quia multi erãt qui vitia deteſtabãtur, & diuitias reſpuebant & Deum cœli adorabant. [*Et impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium.*] Nuptiæ hic ſunt in præſenti Eccleſia. Et ſcimus quia Eccleſia mixta eſt de bonis & malis. In cœlo ſoli boni, in inferno ſoli mali. Boni & mali in præſenti Eccleſia. (*Intrauit rex vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali.*) Veſtis nuptialis charitas eſt, quia per dilectionem Deus Eccleſiam ſibi ſociauit. Põt quoque veſtis nuptialis, veſtis innocentiæ quam in baptiſmo accipimus intelligi. Intrabit & rex videre veſtes, cum in die iudicii merita exquiret ſingulorum. Sed & cottidie cum aliquis migrat de corpore hoc, iudicium cum illo agitur. (*Vt videret diſcumbentes.*) Hoc eſt in ſua fide cognoſcentes. (*Vnum non veſtitum.*] Per iſtum omnes mali intelliguntur quia

sicut omnes boni de vna generatione esse dicuntur, sic omnes mali vnus populus appellantur, quia vnus Dominus spiritalis Deus, aut diabolus, aut eris Dei, aut diaboli. (*Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem.*] Ecce & amicum vocat, & vitam eius reprobat quasi dicat. Amice per fidem, sed non per operationem. (*At ille obmutuit.*) In tempore illo non erit vlli excusatio verborum, quia iudex qui foris increpabit, & interius & exterius videbit, & testis nostra conscientia aliud dicere non audebit. Sicut Paulus Apostolus dicit: *Cogitationibus inter se accusantibus in die cum iudicabit Deus occulta hominum.* [*Tunc dicit rex ministris. Ligatis manibus eius & pedibus.*] Ligabuntur manus & pedes, quia tunc omnis nostra actio cessabit. (*Mittite eum in tenebras exteriores.*] Interiores tenebræ sunt, cæcitas mentis, exteriores, tenebræ æternales, vbi lux deerit. Qui ergo hic non curauit pati interiores tenebras, illic etiam patietur exteriores. (*Ibi erit fletus & stridor dentium.*) Per fletum oculorum & stridorem dentium & resurrectio corporum & magnitudo tormentorum exprimitur, vt illic oculi defleant, quia hic per diuersa oberrabant, dentes strideāt, quia hic de edacitate gaudebant, quatinus singula membra quæque supplicio subiaceant, quæ hic, singulis quibusque vitiis subiecta seruiebant. (*Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*) De Christianis dictum est, qui per fidem & baptismum vocati sunt, quia intra Ecclesiam habentur, sed operibo diabolo fidem seruantes mentiri Christo per Christianitatem noscuntur. Ideo necesse vt vnusquisque nostrum in humilitate se deprimat, quia si est electus ignorat.

De reddendo quæ Dei sunt.

CAP. LIII.

T*Vnc abeuntes Pharisæi consilium inierunt, vt caperent eum in sermone.*] Tunc aduerbium temporis est, & dicitur tunc, id est in ipso tempore, cum audierunt de seipsis graues causas per parabolas prophetare. Adeuntes in consilium consiliauerunt vt caperent eum in sermone suo, vt quicquid diceret, pateret calumniæ, sicut audistis per Lucæ Euangelium, cum in diuerso orbe terrarum & Iudæa descripta est ad dandum tributum Romanis, & stipendia sub Octauiano. Proinde erat magna turbatio in populo, quia alii dicebant non esse æquum, vt populus qui dabat decimas, primitias, & reliqua lege sancita, daret Romanis tributum & stipendia. Et alii dicebant quod nullo modo possent dimittere, vt non darent Romanis tributum, qui & totum mundum tenerent, etiam & milites eorum sicubi necessarium erat pro eisdem Iudæis pugnabant. (*Mittunt igitur suos missos cum missis Herodis regis tetrarchæ vt interrogarent eum.*) Et si quidem ipse diceret nō debere Romanis tributa solui, apprehenderent eum milites Herodis. Si autem diceret Romanis dandum & non Deo, confestim illi tenerent quasi contradictorem legis. Veruntamen fecit sicut solebat, transiit laqueum paratum. [*Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo. Non n. respicis personam hoīm.*] Omnia ista vera sunt. Sed bona, mala voluntate prolata. Hæc ideo ingerebantur, vt nō curaret de imperio Tiberii, & diceret non dandū tributum, quia haberet perspectū quod plus amaret Dei cultū quam imperatorem, & statim apprehēderent eū milites Herodis, quasi contradictorē Cæsaris. *Licet cēsum dari Cæsari an non?*] Cognita autem Iesus nequitia eorum ait. (*Quando consiliastis quãuis à vobis longe ibi fuit Iesus, etiā quando cogitastis. Quid me tētatis hypocritæ?*] Quē non decipiatis per astutiam vestram? Prima virtus est, intentionem interrogantis cognoscere, tunc iuxta consequentiā respondere, v. Salomon. *Responde stulto iuxta stultitiam suam ne sibi sapiens esse videatur.*

(*Ostendite mihi nummisma census.*) Nummus vnus de-
A narius argenteus vel æreus dicitur & à nomine vocatur, quia nomina regum in eo imprimuntur. Siue vt alii volunt à Numa principe Romano, qui hoc apud eos primus præcepit fieri. Aliquando inuenitur numerus pro solido poni. Nomisma Græcè, Latinè dicitur inflexio. Et hoc ostenditur, quia cum Dominus præcepit sibi exhiberi numisma, illi intelligentes obtulerunt denarium. Denarius est genus numeri, quod pro decē numeris æreis imputabatur, & habebant de argento & de ære imaginem Cæsaris. Valuit sine ostensione numeri dicere quod volebat, conuenientius tamē per ipsum eos conuinci. [*Cuius est imago hæc & superscriptio?*) Similiter sicut nunc inscribuntur de nominibus imperatorū, & figura eius exprimebatur vt null⁹ mixturam metalli auderet miscere, neq; aliquis despicere vbi videret imaginē Cæsaris, in nullo vnquā loco expressam imaginē Cæsaris audebant despicere. (*Dicunt ei, Cæsaris.*] Tiberii scilic. quia ab illo primo Iulio ita
B vocatus est, omnes postea Imperatores Romanorum Cæsares sunt appellati. [*Tunc ait illis. Reddite quæ sūt Cæsaris Cæsari.*] Si imago eius est in denario, constat quia suū erat qui suam imaginē ibi præcepit fieri. quod vos iam per triginta annos soluitis, vultis vt ego præcipiam dimittere, cum ego qui nihil telluris habeo, pro me & Petro soluerim tributū; & Deo reddiderim quæ Dei erant patris faciens voluntatem? Magis præcepturus sum vobis vt sitis regi subditi, quasi præcellenti. (*Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.*] Tributum scilicet, nummum & reliqua quæ spopondistis quando professi fuistis in diebus professionis. (*Et reddite Deo quæ Dei sunt.*) Decimas primitias, & quæ in lege præcepta sunt. Sicut Cæsar à vobis exigit imaginem suam, sic vult Deus habere suam incontaminatam, quam in vobis cōdidit. [*Et audientes mirati sunt.*) Qui credere debuere mirati sunt, quia contra calliditatem eorum consilium reperit. (*Et relicto eo abierunt.*) Recesserunt
C increduli à pio, quia diuersi mores nolunt vnitatem, quia cum essent peruersi nolebāt ad illius rectitudinē conuerti, propterea sine fructu abierunt.

De muliere quæ VII. nupta est.

CAP. LIV.

I*N illo tempore accesserunt ad eum Saducæi, qui dicunt nō esse resurrectionē.*] Duæ sectæ erant in Iudæa: Pharisæorū & Saducæorū, & tamen omnes erant Iudæi, diuerso tamen more viuebant & credebant. Pharisæi viuebant communiter, sicut Apostoli postea vixerunt, & recipiebant septuaginta duos libros, & dicebantur Pharisæi, à Phares filio Iudæ, & interpretātur diuisi. Saducæi viuebant sicut Prophetæ vixerāt, non tamē recipiebant Prophetas neq; credebāt, nec alios libros nisi pentatheucum, & non credebant resurrectionem futurā, neq; angelum, neque spiritū, nisi solum Deum & sicut inter nos sunt monachi & canonici, & tamen de
D vna gente Francorum sunt, similiter erant apud ipsos. (*Erāt autē inter se discordantes.*) Sed tūc in Domini tētatione concordarunt, sicut Herodes & Pilatus in Domini passione amici facti sunt. Vsq; tūc interrogauerūt Pharisæi [quia ipsi fortiores erant & plures] Dominū, putauerunt se comprehendere eum cū non potuerūt. (*Accesserunt Saducæi qui interpretantur iusti, à quodam Iudæo qui Saducæus dict⁹ est, qui auctor huius sectæ fuerat, qui dicit non esse resurrectionē.* Dicebāt enim? *Quare debem⁹ credere resurrectionē, cū domin⁹ per Mosen nihil indixerit, cum alia omnia bona per ipsum mandauerit?*) Magister Moyses dixit. *Si quis mortuus fuerit non habens filium, ducat frater eius vxorem illius, & suscitet semen fratri suo.* Hæc idcirco præcepit Deus, vt multiplicaretur populus ipse, quem ipse propter Patriarchas amabat, vt impleret terram, quia tunc ex maxima parte sine hominibus erat. (*Erant apud nos septem fratres, & primus vxore*

vxore ducta defunctus est.] Potuit ita esse in gente eorũ. Nam legimus aliquos in gente eorum duodecim mulieres habuisse, & quasdam decem viros habuisse, qui resurrectionem corporum non credebant. Recte istiusmodi fabulam confingunt qua deliramenti arguãt eos qui resurrectionem asserunt corporum (*similiter duo & tres vsque ad septem, nouissime omnium & mulier defuncta est.*) Turpitudinem fabulæ opponunt vt resurrectionis denegent veritatem. [*Respondens autem Iesus ait illis. Erratis nescientes scripturas, neque virtutẽ Dei*) Nunquam tam grauiter respondit Pharisæis, quia illi rationis aliquid habebant, isti autem nihil. Erratis in secta vestra, nescientes scripturas, neque virtutem Dei, quia respuitis Prophetas & non intelligitis penthatheucũ neque virtutem Dei, id est me qui sum virtus patris, & sapientia patris. Ideo erratis, quia scripturas ignoratis, ideoque etiam virtutem Dei id est Christum non agnoscitis. Non solum n. de Deo non potest esse sapiens qni scripturas nescit, sed nec de mũdana sapiens esse põt perfecte absque notitia scripturarum. *In resurrectione etenim neque nubent neque nubentur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlo.*] Interpres huius Euangelii inuenit in Græco verbum actiuũ & passiuũ cũ neutrale verbum sit & ad solas fœminas pertineat. Est autem rectus sermo locutionis neque nubent, neque ducent vxores. Fœminarum est n. nubere, id est caput velare. Hic autem nubere dictum est, nubi de fœminis. Apparet autem in hoc dicto, neque nubent neque nubentur, quod resurgent corpora quæ nubere possunt, sed est alia causa pro qua non faciant. *Sed sunt sicut angeli in cœlo.* Videlicet postquam resurrexerint non subiacebunt his passionibus corporeis, non manducabunt neque bibent neque nubent, & tamen habebunt corpora sicut Dominus habuit corpus quod potuit manducare, sed non indiguit neque delectauit, sed propter veritatem resurrectionis demonstrandæ manducauit. Erunt sicut angeli Dei in cœlo cum gloria resurrectionis innouati, absque vlla labe corruptionis perpetua visione Dei fruentur. *De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est à Deo dicente vobis, ego sum Deus Abraham & Deus Isaac, & Deus Iacob?*] Legerant Domine, sed non intellexissent, nisi exposuisses. Potuit namque Dominus satis manifestiora testimonia proferre de resurrectione, de Prophetis, è quibus vnum est: Suscitabuntur mortui, & resurgent mortui de sepulchris. Et illud, multi dormientium de terræ puluere consurgent, alii in vitam æternam, alii in opprobrium & confusionem æternã. Veruntamen sicut dixi, non curabant de dictis Prophetarum nisi in Moysi dicto eis demonstretur. Proinde de illo libro quem ipsi recipiebant, inde dandum erat testimonium. Non est Deus mortuorum sed viuẽtium. Qando Deus ista loquebatur iam erant trecenti anni quod Abraham, Isaac & Iacob obierant. Et si anima interiisset cum carne, non diceret Dominus ego sum. Si non essent adhuc in anima viuentes, sed diceret, ego fui illorum Deus quando illi fuerunt. Nemo enim dicit de illo qui non est, ego Dominus illius, quia illi animam esse post mortem corporis denegabant, ostendit eis Dominus viuere illos, de quibus dicebat *Ego sum Deus illorum.* Et quia animæ eorum viuebat constant quod & corpora resurgent, & recipient bona siue mala quæ gesserunt simul cum viuerent. (*Et audientes turbæ, mirabantur in doctrina eius.*) Mirabantur turbæ, quia multi anni fluxerunt, quod ibi non intellexerant nec Pharisæi nec Saducæi quicquam de resurrectione, nec poterant per multos annos illos conuincere Pharisæi per illos quinque libros, quod anima post mortem viueret. Sed ille sciebat qui locutus Moysi fuerat, quo sensu ipsum verbum dixisset.

A

Quomodo Pharisæi interrogant Deum de primo mandato.

CAP. LV.

PHarisæi autem audientes quod silentium imposuisset Iesus Saducæis, conuenerunt in vnum. Et iterum conuenerunt in vnum, & eligunt sapientissimum de suis. [*Et interrogauit eum vnus ex eis legis Doctor tentans eum & dicens. Magister, quod est mandatum magnum in lege.*) Quia discere volebat, ob hoc magistrũ vocabat, quia sic est consuetudo discipulorum. *Quod est mandatum magnum in lege?*

Dicam vnde & iste hoc voluerit interrogare. Erat autem inter Iudæos quęstio, quia Sacerdotes qui volebant holocausta recipere frequenter dicebant quod nulla actio tam grata esset Deo quam sacrificium ei offerre. Illi vero qui sapientes erant considerabant quod sine oblationibus hostiarum multi Patriarchæ placuerunt Deo, & à Propheta edocti malle Deum scientiam

B

sui vnumquemque habere, quam holocausta. Nemo autem vnquam absque fide & dilectione per holocausta sola Deo placuisse inuenitur. In qua sententia se fuisse declarauit. Hac de re iste interrogat quod sit maximum & præcipuum mandatum, quo Deus plus delectetur. [*Ait illis Iesus. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.*) Primum ergo omnium & maximum mãdatum est cognitio atque confessio diuinæ vnitatis, cum executione bonæ operationis. Nec vobis ponitur modus aut mensura in Dei dilectione, sed ex toto corde quantum capere põt anima & quantum cogitare cor, atque mens suggerere, in locutione, opere absque vllius comparatione Deum diligamus. *Hoc est primum mandatum.* Nunc apertius ostendit, quid ille interrogauerit, hoc est ante omnia & super omnia mandata, istud collocandum fundamentum pietatis.) *Secundum autem simile est huic. Diliges proximũ*

C

tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ.) Adiungit Dominus ad hoc quod interrogatus fuerat, quia illud primum non potest fieri sine isto, quia ipse Deus præcepit diligere proximum sicut seipsum. Illud maximum & præcipuum est, istud tamen prius, quia qui non diligit proximum quem videt, Deum quem non videt quomodo põt diligere. Per dilectionem proximi peruenitur ad dilectionem Dei. Et qui ista duo pręcepta ad implet, omnia quæ lex & Prophetę mandauerunt adimplet. Qui enim diligit Deum, non adorat Deos, non assumit nomen Domini in vanum & reliqua quæ ad cultum Dei pertinent. Qui diligit proximum, non occidit nec, mœchatur non furatur, non dicit falsum testimonium, non concupiscit rem proximi sui, quia omnia ista in proximis committuntur, & tali modo seruatur charitas. Et de hoc dictum per Prophetam. *Verbum breuiatum faciet Dominus super terram.*

D

Dominus interrogat Pharisæos.

CAP. LVI.

COngregatis autem Pharisæis interrogauit eos Iesus dicens. Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est?] Quia Pharisæi sẽper parati erant ad cõmouendas quæstiones, cognouerunt aliquando quod & soluere omnia poterat, & etiam proponere quæ ipsi soluere nequirent. Interrogat ipsos Dominus de illo quem dicebant venturum (quia præsentem nolebant credere] cuius filius esse debeat. Si potuissent scire sequentia, dixissent sicut dixerunt de Ioanne, quod nescirent. (*Dicunt ei, Dauid.*) Quia habẽt scriptũ dictum Domini ad eum. De fructu ventris tui ponã super sedem meam, idcirco nouerant. (*Quomodo ergo Dauid in Spiritu vocat eũ Dominũ.*[In Spiritu sancto, non erroris

incerto, nec propria voluntate, sed in Spiritu sancto prophetando vocat eum Dominum suum dicens. [*Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.*) Prophetauit Dauid de ascẽsione Domini Christi quod, is qui de Sancta Maria natus est supra angelos & omnem creaturam eleuatus ad dexteram patris collocatus est, & deitas honorem quem ante habuit per diuinitatem habere cœpit per humanitatem. Et quia Iudæi dedignabantur credere Christum Deum & hominem, propterea intelligere nequibant. Quod autem à patre inimici subiiciuntur, non infirmitas filii ostenditur, sed vnitas naturæ demonstratur. Nam & filius subiicit patri inimicos, qui patrem clarificat super terram. (*Sede à detris meis.*) Gloriam & stabilitatem debemus accipere in ista sessione. Quia n. filius assumptus de sancta Maria Patris fecit voluntatem, rectè ei in ascensione à patre dicitur. *Sede à dextris meis.* Victor in gloria. *A dextris* non locum significat sed æqualitatem. *Donec*, hic pro semper ponitur, vt illud. *Donec senescatis ego sũ Deus.* Quasi diceret. Sede quia subiiciuntur inimici sub pedibus tuis. Pedes n. Domini vel in carnatio, vel Apostoli intelliguntur. [*Et nemo poterat respondere ei verbum*] Tunc nequiter confusi sunt, qui nec Psalmi verbum dissoluere quiuerunt. Post Domini vero ascensum cum similiter alii de ipso verbo confutarentur, inuenerunt quod Melchisedech dixisset hoc ad Abraham reuerso de bello. Quod non põt ita intelligi, quia sequens versiculus contradicit. *Tecum principium in die virtutis tuæ, & reliqua.* (*Neque ausus fuit quisquam ex illa die amplius eum interrogare.*) Nunc pro certo agnouerunt Iudæi, quod verbis nullus posset eum capere, quia sicut fons sapientiæ loquebatur, & comprehendebat sapientes in astutia eorum. Iam in reliquo corruperunt discipulum illius pecunia, vt proderet eum sine turbis. Et comprehendentes eum cum vi traderent Romanæ potestati. Ex quo intelligitur venena inuidiæ posse superari, sed difficile conquiescere. Reprehẽdit Dominus multa in Pharisæis, (*Tunc Iesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos dicẽs, Super Cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi*) Cathedram hic magisterium & doctrinam appellat. Hoc est illum locum & illud magisterium sibi vendicat, quod Moses quondam habuit super populum in deserto. Similiter possumus & ibi doctrinam accipere vbi dicit, & in Cathedra pestilentiæ. Et cathedras vendentium columbas euertit. (*Omnia ergo quæcunque dixerint vobis facite & seruate.*) Mirà patientia Dei, quia illi agebant erga eum vt nequius poterant, & tamen ille propter Sacerdotii dignitatem hortabatur populum vt bona quæ ab eis audiebant tenerent, à malis vero eorum actibus se custodirent. Omnia, subauditur bona, quia cum legebantur scripturæ, non audebant aliud dicere quam bona, propter populum, quia omnes litteris eruditi erant. Multis itaque prosunt dicendo quod non faciunt, sed multo melius prodessent, si facerent quæ dicunt [*Alligant autem onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.*] Onera, hic præcepta & consuetudines eorum quæ & doctrina sua extrahebant dicuntur. Ob hoc debemus illam subauditionem superius dictam seruare, omnia bona quæ dicunt sicut & illo verbo Apostoli *Omnia probate, si inueneritis bona esse, tenete.* Ecce hic dicitur. *Alligant onera grauia & importabilia,* quia importabilia omnia facienda sũt, si ipsi alligantur, *Alligant* dicitur. Alligate vnumquemque iubent. Per metaphoram & allegoriam, & onera & alligatio, & humeri & digiti dicuntur, more oneris. Quod sicut illud alligatur & imponitur in humero ad portandum, & solet is qui onus imponit adiuuare imponenti, ita isti vt crudeles inueniunt ex sua inuentione præcepta, quæ ipsi nec ore nec momento custodiunt, sed aliis præcipiunt obseruanda de oblationibus suis. Qui rector est in Ecclesia, primum debet im-

A plere quæ implenda præcipit. (*Omnia vero opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Non quærunt à Deo retributionem, sed ab hominibus laudationem. Quicunque ita aliquid boni facit vt isti, totum perdit. Dilatant n. phylacteria sua.*) Cum Deus legem per Mosen dedit, dixit ad patres eorum. *Erunt hæc in manu tua & ante oculos tuos*, videlicet in memoria & operatione. Et illi hoc male intelligentes fecerunt sibi in mẽbranis decẽ verba legis & circumdabant capita sua de eis, & vocabant ea Græco nomine Phylacteria, id est custodias, quia *phylaxe* Græcè, Latinè *custodire* dicitur. Et tunc qui plus gestiebat laudari, maius faciebat ipsum phylacterium, vnde dicit Dominus. (*Dilatant n. phylacteria sua, & magnificant fimbrias.*] Similiter iusserat Dominus fieri fimbrias iacintinas in quatuor palliorum angulis, vt esset discretio inter populos Israel, & alienigenas, & in corporibus circumcisio, & in vestimentis fimbriæ, vt si quando in bellum venirent, videntes fimbrias se cognoscerẽt, & scirent quem debellare de-
B berent. Mortuos autem ex circumcisione scirent, quẽ spoliare deberent, quia in bello frequenter amittit caput mortuus, illud membrum nunquam. Fuerunt ergo illæ fimbriæ conuenientes in bello, quia & leuiter homo eas inuenire poterat & non decidebant sicut ramusculi, quos solent portare in bello quod ob signum de nostris faciunt. Ergo Iudæi adinuenerunt sibi in illiis fimbriis vt mitterent ibi spinas, quasi cum compũgerentur rememorarent custodiam legis Dei. Verumtamen mulier quæ tetigit fimbrias Domini, non inuenit ibi spinas. Similiter faciebãt illas maiores, qui magis laudari cupiebant. [*Amant autem primos recubitus in cœnis.*] Recubitus fiebat apud antiquos principes in cœnis in tribus partibus dextera & sinistra & retro, vt cum saturatus esset accũberet in qua parte ipse vellet, & triclinium vocabatur. (*Redarguuntur, qui amant & quærunt per hypocrisim ipsas Cathedras, & salutationes in foro.*) Id est in publico. Non dixit qui habẽt istos honores iuste, sed voluntas & hypocrisis condemna-
C tur. (*Vos autem nolite vocari rabbi.*] Eo modo quo superiora prohibentur. Tamen debemus agnoscere, & summum magistrum omnis doctrinæ, & patrem nostræ auctoritatis, per quem creati sumus illum qui in cœlis est, quia & ista tunc præcipiebant. Non n. prohibuit isto modo patrem vocare, quo præcepit patrem & matrem honorare, sed volebat vt verum magistrum patrem auctorem generis humani vnusquisque agnosceret, & ad animum dirigeret. Nam si vocamus nos aliquem patrem, honorem ætati deferimus, non tamẽ auctorem vitæ nostræ deputamus, sed Deum. Similiter de magistro vel de filio appellantur abusiue, Deus autem naturaliter. (*Qui maior est vestrum, erit minister vester.*] Vel ipse Dominus qui maior erat, quia Deus non venerat ministrari, sed ministrare. Seu ipsius præcepto vt qui vult maior fieri, seruiat cæteris. [*Qui autem se exaltauerit in hoc seculo, humiliabitur in futuro. Et qui se humiliauerit propter Deum in hoc se-*
D *culo, exaltabitur in futuro.*) Quos Deus omnipotens amat, si viderit eos exaltari irrationabiliter per superbiam, humiliat eos per aliquam tribulationem, vt fecit Dauid, quem de regno expelli permisit, & humiliato, in regno residere fecit. Et Ezechiam quoque cui elato regem Assyriorum dominari permisit, in tantum vt valuas templi Domini & laminas argẽteas, quas ipse affixerat regi Assyriorum daret, & clausis in ciuitate nunciis eius, dura respondere non auderet, & tamen ibi erat S. Esaias Propheta. Iterum humiliato centum octoginta quinq; pro eo occidit de exercitu eius, & cũ decem hominibus fugit de terra eius, & in sua terra occisꝰ est à filiis suis. Sic multos alios dilectos Deꝰ castigauit. Quosdã videt ex toto terrena diligere, & præponere æternis, permittit exaltari, vt post sine fine cruciẽtur vt fuerũt multi reges & Tyrãni Assyriorũ & Græcorũ & Romanorum. Quosdam vero anima superbia ince-

dêtes in hoc ſeculo humiliat & in futuro, vt Nabuchodonoſor, Sennacherib, Valerianum Imperatorem quê Sapor rex Perſarum ita humiliauit, vt quandocunque in equum ſuum aſcendere vellet, ipſe accliuis fieret, & de dorſo eius equũ aſcenderet. Herodes quoque quia permiſit ſe Dominum vocari à populis, comeſtus per quinque dies à vermibus expirauit. Quam ſuperbiam timentes antiqui Imperatores Romani, licet pagani eſſent, conſtituerunt vt Imperator cum ornatus eſſet regalibus ornamentis ad ſiniſtram manum apprehenderent in folliculo puluerem mortui hominis, vt memoraret ſe cinerem poſt paululum futurũ, & non ſuper cæteros ſe extolleret. [*Eligat qui voluerit vnum ex iſtis tribus. Eligo ego humiliari cum mitibus modo, quã diuidere ſpolia cum ſuperbis. Væ aũt vobis ſcribæ & Phariſæi Hypocritæ: qui clauditis regnum cœlorum ante homines.*) Væ interiectio eſt dolentis, & ſignificat ploratum æternum. In hoc loco in quo ipſi ſunt quibus iſta prophetauit. In ſcribis intelliguntur & Saducæi, & Sacerdotes, & Phariſæi, & principes populi: quoniam à Phares filio Iudæ Phariſæi dicebantur: quia propter tribum Iubam vocabantur Phariſæi: quamuis omnes qui eandem ſectam tenebant Phariſæi vocabantur: vt Paulus dicit. Viri fratres, ego Phariſæus ſum: cum eſſet de tribu Beniamin. Hypocritæ vocantur, id eſt ſimulatores, pro cauſis ſuperius exprobratis, male interpretando. [*Qui clauditis regnum cælorum.* (Id eſt ſcripturam diuinam clauditis: vel celando quod eos debetis docere, & pro inuidia celatis nolentes vt in me credant. Et omnis magiſter qui cũ doctrina bona malum exemplum diſcipulo præbet regnum cœlorum ei claudit. Scripturan. diuina regnum cœlorum dicitur, quia ibi inuenitur vnde rex cœlorum regni cognoſcitur, & vita æterna. Vnde ſuperius Dominus dixit: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius.* (*Vos n. non intratis.*] Ecce de vobiſmet ipſis rei, quia ſcitis bonum & non facitis, nec introeuntes ſinitis introire. Oſtendit Dominus quia multi volebant illum cognoſcere per ſcripturas, ſed ipſi dicebant, A Galilæa non exurget Chriſtus & tamê audiebant multos inuocantes illum filium Dauid, qui non fuerat de Galilæa ſed de Bethlehem, vnde & S. Maria. (*Væ vobis.*) ſubauditur imminet. [*Qui circumitis mare & arida, vt faciatis vnum proſelitum.*) Proſelitus dicebatur Grçcè aduena, quia de alia gente ad legem ipſorum conuertebatur, vt fuit Iethro & Achior, & multa millia virorum fuerunt, qui de gentibus circumciſi fuerunt, & Deum cœli crediderunt. Iudæi quoque abibant per alienas terras prædicare nomen Domini, ſicut multi Chriſtianorũ fecerunt poſt aduentum Domini. iſti aũt ideo culpãtur quia lucri cauſa hoc faciebant non amore Domini, & quia poſt deſtruebant factum ſuum per malum exemplũ. Quod dicit mare, inſulasq; dicit quæ in mari ſunt [*Et cum factus fuerit, facitis eũ filium gehênæ duplo quam vos.*] Quia qui ante ſemel errabat, cum videbat malum exemplum eorum reuertebatur ad vomitum ſuum, & erat dign⁹ tunc plagis vapulare multis, quia ſeruus ſciens volũtatê Domini ſui, & non faciens digna, vapulauit plagis multis. Filii autem gehênæ dicũtur, ſicut & filii ſeculi, quia cuius opera facit quis, ei⁹ filius & vocatur. (*Væ vobis.*) Subauditur imminet. (*Duces cæci.* Secundum terrenam & corpoream cæcitatê nullus non habês lumê oculorum, vult aliũ ducere. Multi autem cæci in animo, id eſt inſipientes volũt duces fieri, qui ne ſciunt ipſam viam ambulare, nec aliis demõſtrare. Et ſunt qui ſciunt, ſed ipſi non ambulant, nec aliis oſtendunt vt ambulent. (*qui dicitis, quicunque iurauerit per templum, eſt nihil, & qui iurauerit in auro templi, debet.*) Etiã in hoc loco habebant Iudæi inuentum, vt quicunq; iuraret cõtra proximũ ſuũ pro aliqua pacificatione per têplũ, etiam ſi mendaciũ iuraret, nulli⁹ criminis tenebatur. Si aũt in auro iuraſſet têpli, mêdaciũ cogebatur perſoluere. Similiter ſi in altari iuraſ-

A ſet, nihil debebat. Si vero in dono quod ſuper altare erat periuraſſet, tantũ cogebatur exoluere Sacerdotib. quantum ipſum donum erat. Propterea quia iſtud ipſi recipiebant, dicebant quoniam peccatum periurii eſſet. De templo autê & altaris periurio, quod ad templi reſtaurationem pertinebat, dicebant non eſſe periurium. Quod approbat Dominus, quia per templum & altare ſanctificantur omnia quæ intra ſunt. Per cœlum iurare iam ſupra prohibuit. (*Væ vobis Phariſæi & ſcribæ, qui decimatis mentam & anetum & ciminũ, & reliquiſtis quæ maiora ſunt legis.*) Apparet quia Deus Hypocritas ſatis odit, quod totiens Iudæis improperet. Quod dicit, quia decimatis mentã & anetum & ciminũ, oſtêdit per iſtas viliores herbas in hortis quod expreſſe decimas accipiebant de omnibus laborantibus, iudicium & miſericordiam & fidem negligebant. Non aũt ideo eis væ minabatur, quod decimabant etiam minora, ſed ideo quia relinquebant quæ Dei erant, propter quæ decimas accipiebant, id eſt iudiciũ facere

B oppreſſis, aut exigere ab his quæ facere debeant. Miſericordiam ſimiliter negligebãt ſicut ipſe in parabola vulnerati oſtendit, quod tranſierit Sacerdos & leuita, & viderunt vulneratum, & non ſolum non miſericordia moti ſunt, ſed grauius illum reliquerunt, quia non erant & non adiuuerunt, & idcirco ſimiles latronibus extiterunt, quia qui perituro non ſubuenit ſi poteſt, occidit. De fide culpat illos, quod his quibus fidem debebant ſeruare, non cuſtodirent. Primo Dominũ vt Deũ & creatorem, deinde patri & matri, poſtmodum omnib⁹ Deũ colenti bus, quoniã ipſi appellantur proximi. Veruntamen non culpantur ſi accipiunt decimas ſicut in conſequenti dicit, ſed qui dimittunt ea quæ Dei ſunt & proximi iudicium & miſericordiam & fidê, & quæ grauiora ſunt legis, hoc eſt præcipua. Sacerdotum eſt n. & legem Domini in populis adnunciare, & eos qui errant ad legem reducere. Hoc oportuit facere, id eſt iudicium & miſericordiam & fidem & ea quæ ad hoc pertinent, & illa non omittere, decimas accipere.

C Videant magiſtri Eccleſiarum qui habent ſimile miniſterium in populis, & tenent prædia Eccleſiarum, ne ſimiles illis fiant ſi tacuerint populis vitia ſua. [*Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.*) Per culicem quæ eſt muſca aculeo munita (habent n. in ore fiſtulam in modum ſtimuli, qua carnem terebrant vt ſãguinem bibant) minora mandata intelliguntur. Per camelum animal tortuoſum & deforme, maiora mandata. Excolare humano more, eſt ita ad liquidũ deducere vt per ſetas tranſire poſſit. Excolare culicem, de minoribus mandatis diligenter tractare, id eſt de decimis vel de malis verbis. Camelum glutire maius mandatum, iudicium & miſericordiam & fidem intractatũ vel in obliuionem dimittere, ſeu ſpiritaliter culicem liquantes, camelum glutientes: Barraban eligentes, Chriſtum autem occidentes. [*Væ vobis ſcribæ & Phariſæi Hypocritæ, quia mundatis quod de foris eſt calicis & paropſidis.*] Calix vas populi dictus, eo quod in eo ca-

D lida dabatur portio, vel ἀπὸ τοῦ πότος calino, id eſt à ligno. Paropſis vas poculi quadrilaterum, hoc eſt paribus abſidis. Et per iſta vaſcula ipſorum Phariſæorum corpora intelliguntur, quod ipſa corpora à foris nitida reddebant, & intus pleni erant vitiis. Vnde dicit [*Intus autem pleni ſunt rapina & immunditia.*] Rapina eſt quocunque malo ingenio à proximo rem ſuam auferre. Immunditia, qua quiſque vitio cor habet maculatum. Qui cõtrarii ſunt his, de quibus dicitur: *Beati mũdo corde, quoniam ipſi Deum videbũt.* Et immũditia omnis fornicatio accipitur. O cæce Phariſæe, munda pri⁹ quod int⁹ eſt calicis & paropſidis, vt ſtat quod deforis mundum. Ipſe oſtendit ſuperius quæ maculent hominem de corde procedentes cogitationes malæ, homicidia, periurium, & reliqua his ſimilia, Nam ſi iſta defuerint mundus erit homo in conſpectu Domini.) *Væ vobis ſcribæ & Phariſæi Hypocritæ, quia ſimi-*

les estis sepulchris dealbatis.] Sepulchrum à sepulto dictum. Prius enim vnusquisque in domo sua sepeliebatur, postea veritum est legibus, quia fœtore ipso corpora viuentium interficiebantur, Pro qua re in ciuitatibus similiter prohibitum est sepeliri. Diuersis verbis arguit Pharisæos per hypocrisin. Quos ante per vascula, nunc per sepulchra redarguit, & dicit quod similes sint sepulchris quæ erant à foris dealbata de calce & marmoribus ornata, & picta coloribus, intus autem plena erant omni spurcitia, id est immunditia. Apud antiquos aliarum gentium grande studium fuit monuméta patrum ornare, quod in monumentis Romanorum adhuc apparet, & in Machabæorum libro legimus. Sed occidentalis paupertas orientalibus diuitiis comparata nihil est. (*Væ vobis scribæ & Pharisæi qui ædificatis sepulchra Prophetarum.*) Et istis væ futurum Dominus denunciat, non quia sepulchra & monumenta ædificant iustorum & Prophetarum, sed quia sic certi sunt malè fecisse patres suos, occidisse **B** bonos, in tantum sciant illos bonos fuisse vt ipsi monumenta eorum ædificant. Et cum hoc pro certo sciant eadem voluntate tenentur, & filii sunt homicidarum non solum carne, sed imitatione. Potest & alio modo intelligi, quod idcirco ædificabant monumenta iustorum vt notum fieret aliis qui illos occidere potuerint & potentes fuerint, quia & ipsi quod dicebant, si fuissemus in diebus patrum nostrorum non essemus consentientes operibus eorum, iactando & subsannando dicebant, [*Et vos implete mensuram patrum vestrorum.*] Ipsam mensuram quam illi non compleuerunt sed incœperunt, vos implete. Illi occiderunt seruos vos occidetis Dominum, illi Prophetas, vos Dominum Prophetarum vel Apostolos eius. [*Serpentes genimina viperarum.*) Sicut vipera parentes suos occidit, similiter illi fecerunt, & vos facietis. (*Quomodo fugietis à iudicio gehennæ.*] Quomodo fugietis, id est quia talia operamini, à iudicio cehennæ? Hoc est quod Ioannes dixit, *Ab ira ventura*, scilicet ab inferno, vbi omnes mittendi sunt qui talia operantur. **C** [*Ideo ecce ego mitto ad vos sapientes & scribas, & ex illis occidetis,*) Ideo, subauditur dico vobis. Quia vos ita estis facturi. Mittam ad vos sapientes & scribas, doctos in lege veteri & in noua. Et ex illis occidetis, vt Iacobum fratrem Domini & Stephanum. [*Et crucifigetis,*) vt Simeonem filium Cleophæ Hierosolymorũ Episcopum. (*Et ex eis flagellabitis in synagogis vestris.*) Vt omnes Apostolos fecistis, quando ibant à conspectu consilii gaudentes. [*Et persequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram.*] Non omnes iustos Iudæi interfecerunt, quia nec erant quando Abel occisus est. Sed sicut iam dixi, omnes mali de vna generatione esse dicuntur, sicut & omnes iusti de alia. Denique cum Psalmista multos de diuersis gentibus describeret qui montem Domini ascensuti essent dicens. Innocens manibus & mundo corde, & reliqua. Hæc est generatio quærentium Dominum. **D** Similiter ergo Iudæi quia occiderunt parentes suos Prophetas, de Cain progenie esse dicuntur, & cum ipso pœnas subibunt æternas qui fratrem suum interfecit. [*A sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ.*) De Abel nota est historia omnibus. Zacharias fuit filius Ioiadæ Sacerdotis. Qui Ioiada accepit Ioas paruulum infantem, cum interficeret Athalia regina semen regium, vt regnaret ipsa. Quia mortuus erat vir eius & filius eius & abscondit ipsum Ioas per annos septem. In septimo anno eleuauit eum regem, & iussit occidere reginam. Igitur quando Ioiada vixit, fecit Ioas quæ Deo erant placita. Cum autem Ioiada defunctus esset, accepit rex malos consiliarios & dereliquit Deum, & misit ad eum Dominus Prophetas & non audiuit eos. Tunc venit ad eum filius Ioiadæ iste Zacharias, & dixit ad eum sicut scriptum est in libro Paralypomenon, inquit. *Hæc dicit Dominus. Quare transgredimini præceptum Domi-* **A** *ni quod vobis non proderit, & dereliquistis Dominum, vt derelinqueret vos?* Qui congregati aduersus eum, miserunt lapides iuxta regis imperium, in atriis domus Domini. Et non est recordatus Ioas rex misericordiæ quam fecerat Ioiada pater suus secum, sed interfecit filium eius. Qui cum moreretur ait: *Videat Deus & requirat.* Cumque reuolutus esset annus ascendit contra eum exercitus Syriæ, venitque in Iudæam & Hierusalem, & interfecit cunctos principes populi. Et cum peruenisset modicus numerus Syrorum tradidit Dominus in manus eorum infinitam multitudinem, eo quod reliquissent Dominum. In Ioas quoque ignominiosa exercuere iudicia, & abeuntes dimiserunt eum in languoribus multis. Surrexerunt autem contra eum serui sui, in vltionem sanguinis filii Ioiadæ Sacerdotis, & occiderunt eum in lecto suo. Tali modo occisus fuit iste Zacharias inter templum & altare, id est in vna exedra thesaurorũ, siue iuxta Gazo- **B** phylatium. Quod autem Dominus filium Barachiæ eum nominat, pro laude ipsius Sacerdotis facit, qui per omnia Barachias studuit esse, id est benedictus Domini, hoc enim interpretatur. Notandum autem quod iste Ioiadas cum esset summus pontifex reginam iussit occidi. (*Amen dico vobis venient hæc omnia super generationem istam.*) Ac si dicat. Venient hæc omnia quæ digna sunt venire super talibus qui talia fecerũt (*Ierusalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt.*) Hierusalẽ, Hierusalem vocatiui casus sunt, quamuis indeclinabiles. Et non debet habere aspirationem in capite, quia non põt aspirari quod in loco consonantis est, nec apud Græcos habet aspirationem, Quasi dicat, ô *Hierusalem quæ occidis Prophetas ad te missos, & lapidas,* quia ego volui frequenter congregare filios tuos sub alas meæ defensionis, vt gallina congregat filios suos, & noluisti. [*Cessasti à malis operibus, etiam ipsi qui videbantur congregati dispergentur. Et relinquetur domus vestra, in qua vos habetis fiduciam,* **C** *deserta.*) Per Hierusalem habitatores alloquitur, & est species metonimia, per hæc quod continetur ostendens. Quotiens, multotiens, frequenter ostendit quod Prophetas ipse miserit. Quemadmodum Gallina. Magnam pietatem ostendit se operatum erga populum Iudæorum qui gallinæ infirmanti erga populos suos se assimilat, quia nulla auis sic infirmatur erga filios sicut gallina, ita vt si pullos non videas, matrem tamen intelligas. Et nullus est qui possit Dei pietati comparari. Ipse enim in sola pietate sua seipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. (*Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.*) Ecce aduerbium demonstrantis, quia iam instabat tempus, quo erant ipsum occisuri, & Dei custodia ab eis recessura & illud templum in proximo contempturum, & non post multum incensurum & ciuitas deletura. Quod factum est quadragesimo secundo anno post **D** eius ascensionem in cœlum. Et ante per Ieremiam ex persona Domini dictum fuerat, Reliqui domum meã, dimisi hæreditatem meã, facta est mihi hæreditas mea quasi spelunca Hienæ. Hiena bestia est quæ semper in sepulchris mortuorum habitare solet. Et huic bestię comparantur rectè Iudæi, qui frequenter Dominum derelinquebant & ad idola conuertebantur. De quibus scriptum est. Quia non est spes in ore eorum, similes illis fiant qui faciunt ea. [*Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis. Benedictus qui venit in nomine Domini.*) *Ad hoc quod dixerat, quotiens volui congregare filios tuos.* Ad hoc respicit, non me videbitis erga vos in tali voluntate, vt velim congregare filos vestros, donec agatis pœnitentiã, & cognoscatis quia ego sum de quo dictum est in Psalmo, Benedictus qui venit: Adhuc sunt in tali tenore. Veniet Enoch & Elias, & cognoscent, & tunc congregabuntur sub alis,

& sub protectione Domini. Nam aliter non pôt bene intelligi iste versiculus, quia corporali specie ad eos reuersus est, quãdo Pascha celebrauit, & iterum quãdo ligatus adductus est ad crucifigendum. (*Et egressus de templo ibat.*) Ibat iterum ad hospitium suum, sicut solitus erat in Bethaniam. [*Et accesserunt discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationes templi.*] Quæ causa fuit vt discipuli ostenderent ædificationes templi, quas ipse iam per triginta tres annos videbat? Ab eo loco acceperant occasionem quo ipse dixerat, ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, & volebant scire quo sensu illud Dominus dixerit, si potuisset fore, vt talis ædificatio deserta foret. (*Ait illis: Videtis hæc omnia.*] Id est miramini ista. [*Amen dico vobis, non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur.*) Non solum de templo ita factum est, sed & de ciuitate, quia in alium locum ab Ælio Adriano Imperatore omnia reædificata sunt, & in illum locum vbi illa fuerat, sal seminatum est ne quis deinceps manere vellet. Si spiritaliter etiam velis aduertere, habitatio Dei recessit à Iudæis, & venit ad gẽtes. Et capite sublato, omnia membra inter se compugnant. (*Sedente autem eo super montem Oliueti, accesserunt ad eum discipuli eius secreto dicentes.*] Quia secretiora erant interrogaturi mysteria, recte accesserunt & corpore & mente, ne quis infidelium audiret & Iudæis nuntiaret, & esset occasio occidendi eum, qui pro minoribus dictis Esaiam & Ieremiam Prophetas occiderunt. Primitus cum non intellexerunt quod dixerat, relinquetur domus vestra deserta, non fuerunt ausi interrogare quo animo dixerit, sed ostenderunt ei lapides & structuram, volentes ei præbere occasionem dicendi quod ante dixerat. Cum vero ipse manifestius eadem replicauit, iam audent interrogare secretiora aduentus sui, & finis seculi. (*Dic nobis, quando hæc erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis seculi.*] In quibus & de aduentu suo & de consummatione seculi scire volunt. Et Dominus in subsequentibus de istis omnibus respondit, & dixit eis: (*Videte, ne quis vos seducat.*) Pius Dominus in principio ipsos castigat vt se custodiant, ne seducantur ab aliquo Pseudo propheta. (*Multi venient in nomine meo dicentes, ego sum Christus, & multos seducent.*) Ex quibus fuit vnus Simeon qui dixit, quod ipse esset Christus, etiam in conspectu Neronis. Reliquit etiam scriptum in suis libris ita, ego sum Dei sermo, ego sum speciosus, ego sum paraclytus, ego omnipotens, ego omnia Dei. [*Audituri enim estis prælia & opiniones præliorum, videte ne turbemini.*) Multa prælia audierunt & inter Romanos & inter alias gentes, & opiniones, id est famas præliorum. Præcepit tamen ne turbentur, sed teneant fortitudinem animi inter aduersa & prospera, qui non haberent vnde dolerent, seu quid perderent, qui omnia habebant relicta pro Deo, iuxta illius Philosophi consilium. Qui cum de Athenis è schola Romam venisset nauigio, negotiatores cum quibus venerat naufragium passi in mari amiserunt substantias suas. Ille vero qui nihil habebat præter simplex indumentum nõ habuit quod perderet extra se. Cũque negociatores Romam venissent, ille venit coram imperatore, & probato rex quod sapiens esset, dedit multa prædia & honores. Cũque negociatores post multos dies mutuatis preciis vnde redirent in patriam dicebant ad eum, quid vellet mandare parentibus & amicis. Ait: *Dicite eis*, quãdo iter arripiunt portent thesaurum quod mare & fures non possint auferre, sicut ego feci qui nihil perdidi, & modo ditior sum quam illi cum quibus veni, diuites exierunt & pauperes redeunt. [*Oportet n. hæc primum fieri, sed nondum est finis.*) Qui legit verba quæ Orosius de bellis collegit per historias, expauescere poterit pro tantis tribulationibus. Ob hoc muniebat Dominus suos, ne turbarentur & ne putarent instare finem mundi. [*Surget gens in gentem, & regnum aduersus regnum.*] Et Iudæi hoc fecerunt tempore Pi-

A lati, & Romani etiam ipso die quo beatus Petrus introiuit Romam, erant inter se parati in bello, sed ob reuerentiam sancti Petri nullus potuit compari suo nocere, quia obriguerunt eorum brachia, & sani domum redierunt. Ignorauerunt tamen ob cuius meritum saluati essent. (*Et pestilentia & fames.*] Pestilentia est infirmitas in populo, quæ cum vnum apprehenderit celeriter ad plures transit, sicut factum legimus in tempore Sancti Gregorii, & tempore Dauid, quando dicitur angelus percussisse populum, qui diabolus intelligitur. Fit vero ipsa pestis frequenter & in Palæstina & in Italia. Vnde & bene sanctus Gregorius dicit: *Pestilentias sine cessatione patimur.* Fames multæ tunc fuerunt, sed vna fuit per totum orbem decimo anno Claudi. Imperatoris, de qua in Actibus Apostolorum legitur. Terræ motus innumeri illic, & fiebant & fiunt. Aliquando autem & fiunt Dei iussu pro aliquo signo, sicut quando Apostoli orauerunt & terræmotus factus est, vt ostenderet Dominus, quia terreret incredulos, & defenderet pios. Aliquando fiunt

B ex euentu, quia ventus inueniens aditum ingrediens sub terra, & quia violentus est quærit aditum exeundi, & tali modo submouet terram. [*Hæc autem omnia initia sunt dolorum.*) Hæc omnia in Palæstina fuisse legimus ante subuersam prouinciam. Hæc initia dolorum fuerunt, quia acerbiora post venere tormenta. (*Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos.*] Et de Apostolis, & de Apostolorum successoribus intelligendum, quoniam quando prouincia Palæstina deleta est, perpauci viuebant de Apostolis. Nullus autem ex illis exierat in Iudæam: Christiani tamen erant in Iudæa, etiam infra ciuitatem multi fuerunt, non tamen legimus quod ibi mortui fuerint, quia Romani non prohibuerunt vllum exire, nisi illi ipsi qui intra ciuitatem erant. [*Et eritis odio omnibus propter nomen meum.*) Gaudendum odium quod pro Deo suscipitur. Ex qua autem re ipsæ tribulationes venient, ostenditur, cum post occisionem

C Domini, etiam discipulorum prædicitur futura. (*Et tunc scandalizabuntur multi.*] Siue sument scandalum contra proximos qui Christiani fiant, siue irascentur Iudæi, cum viderint omnes gentes in Christum credere, quia Iudæis scandalum est, Deum incarnatum audire. (*Et inuicem tradent, & odio habebunt inuicem pagani Christianos. Et multi Pseudopropheta surgent.*] Pseudo Græcum est & Latinè dicitur *falsus*, vt Theodas & Iudas Galilæus qui eduxerunt populum post se, dicentes se esse Prophetas, sed & ipsi perierunt & quotquot eis consenserunt. (*Et quoniam abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum.*) Ad Antichristi tempora iste versiculus pertinet, quando refrigescet dilectio Christianorum, & multi dimittent Christianitatem, & conuertentur ad ipsius volũtatem. (*Qui autem perseuerauerit vsque in finem.*) Subauditur in fide & dilectione Dei. [*Hic saluus erit.*] Hic pronomen est in isto loco. Ille n. saluus in alia vita erit, qui in

D fide permanserit. (*Et prædicabitur hoc Euangelium in vniuerso orbe.*) Vnum est signum de fine seculi, quod tunc esse debet finis seculi cum omnes gentes audierint Euangelium regni. (*In testimonium omnibus gentibus.*) Nulla gens est sub cœlo quæ non habeat auditum, & Domini facta, & quod ipse Deus à pluribus credatur, si non per prædicatores, tamen per vicinas gentes. [*Et tũc erit consũmatio.*) Nescimus iam gẽtẽ sub cœlo in qua Christiani non habeãtur. Nam & in Gog & in Magog, quæ sunt gentes Hunorum. Quæ ab eis Gazari vocantur. Iam vna gens quæ fortior erat ex his quas Alexander conduxerat, circumcisa est & omnem Iudaismum obseruat. Bulgarii quoq; qui & ipsi ex ipsis gentibus sunt, cottidie baptisantur. (*Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta stantem in loco sancto.*) Abominatio desolationis idolũ vocatur in Danielis libro de qua

ipse prophetauit, sicut & nunc Deus, cum ipsam vidisset in templo cognoscerent prope esse desolationem templi & prouinciæ. Quæ & de imagine Cæsaris pôt intelligi, quam Pilatus posuit in templo ante viginti quinque annos subuersionis vrbis, siue de equestri statua Adriani quam Romani ei fecerant, quia ad bellum pergens in via reclamante quadam vidua stetit cum equo, donec ei iustitiam de oppressore faceret. Quam consules pro pio facto per vniuersas ciuitates poni iusserũt & ipsa stetit in templo Hierosolymeũ ante destructionem ciuitatis, quam ipse Adrianus fecit, qui secundo rebelles Iudæos vltima cæde perdomuit, & in alio loco ipsam ciuitatẽ ædificari præcepit, & Eliam vocauit, & prohibuit ibi Iudæos ingredi. Et ad Antichristi tempora pôt referri, quia iubebit se adorari pro Deo omnipotente, etiam mundo, sicut ait Apost. *Sedebit in templo ostendens tanquam ipse sit Deus, quẽ Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui & destruet illustratione aduentus eius.* (*Tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes.*) Tunc ad hoc respicit, cum venerint ea quæ prædico. Quia sic Lucas narrat. *Cũ videritis ab exercitu circumdari Hierosolymam, tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad mõtes,* videlicet ne includantur in illa obsidione. Nam si si illi qui inclusi fuerint scire pro certo potuissent exitum rei, nullo modo se inibi clausissent. Hoc vero Euangelio multi Christianorum edocti, cum viderunt appropinquare hostem Romanorũ, decesserunt trans Iordanem in regnum Agrippæ & nihil læsionis habuerunt. Etiã Apostoli iam prope adhuc viuebant. Si spiritaliter velis scire, potes omnia illa ad hæreses referre, & peccata. Quæ cum videris regnare super eos, qui magistri Ecclesiæ esse dicũtur. *Tunc qui in Iudæa sunt.* (Hoc est in confessione veræ fidei festinent ascẽdere ad mõtes virtutum. (*Et illi qui supra tectum.*) Id est qui transierunt animo carnalia, non descendant ad pristinos actus mundanæ conuersationis. [*Et qui operatur in agro.*] Qui intelligitur Ecclesia. [*Non respiciat retro.*) Ad ea quæ propter Deum reliquit, sed tendat semper ad propositam fidem. (*Væ autem prægnantibus & nutrientibus.*) Quia fugere non valebunt, sicut legimus de nutrice Miphiboseth. Quæ cum audisset quod mortuus esset Saul & Ionathas, festinabat fugere cum infante, ceciditque cum ipso & claudus effectus est. Legimus etiam quia in ipsa obsidione Maria nobilis & prædiues quondam fœmina, quæ ante vix valebat incedere super terram præ nimia teneritudine, in ipsa obsidione filium suum quinque dies habentem comederit. (*Orate autem ne fuga vestra in hieme vel in Sabbatho fiat.*] Quia in hieme fugere malum esset, ob frigus. In Sabbatho si fugeret, transgrederetur legem Si staret moreretur, vt Machabæi fecerunt. Tamẽ quãdo Vespasianus in prouinciam venit, æstas inerat, quia ipso die Paschæ Titus ad Hierusalem accessit. Sed obsidio Hierusalem per duos annos continua fuit (*Erit n. tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio in mundo vsque modo, neque fiet.*) Et de obsidione Iudæorum pôt intelligi, quia nunquam apud illos tribulatio fuit, sicut apud ipsos qui in ipsa obsidione fuerunt. Non n. remansit canis, neque pars corii in ostio, aut in aliquo iacens loco. Viui abibant homines in sepulchris, & ibi expectabant mortem. Troia decem annis obsessa est, sed non ibi tanta mala sustinuere. Et ad Antichristi tẽpus recte potest aptari in quo tribulatio inenarrabilis erit, quia non solum tormenta ingeret acerbiora sãctis, sed & signa multa faciet, & dona plurima dabit, ad seducendos Christianos. (*Et nisi abreuiati essent dies illi, non fieret salua omnis caro.*) Abbreuiatos dicitur, non mensura sed numero. Hæc enim tribulat o quanto cæteris grauior, tanto temporis breuitate moderatior est futura : Quantũ namq; ex Prophetia Danielis & Apocalypsi intelligi datur (tribus annis & dimidio) ipsa sic grassabitur. Nam dies æquali mensura semper erunt vt Psalmista dicit : *Ordinatione tua perseuerant dies.* [*Sed in numero pauci constituti sunt, in quibus*

A *electi probabuntur & mali manifestabuntur. Tunc si quis dixerit, ecce illic Christus, aut illic, nolite credere.*] Christus non solum Dominus noster hic intelligendus, sed & rex Iudæorum, quia Iudæi sic appellabant reges Et fuerunt multi tunc qui se Christos dixerunt, qui voluerunt esse reges, si tunc potuissent victoriam capere. Et in ipsa ciuitate Hierusalem tres erant, qui se reges dicebant. *Surgent n. Pseudoprophetæ, & Pseudochristi, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi.*) De vtrisque temporibus possunt hæc dicta accipi, sed melius ad Antichristi tempus referimus in quo non solũ ipse faciet multa signa, sed & ministri eius. Cuius n. fides tunc non titubabit, quando videbit crudelem persecutorem signa facere ? (*Ita, vt in errorem inducantur, si fieri potest etiã electi?*] Dubitantis affectu loquitur Dominus, vt & tribulationis magnitudinem designet, & liberum in esse homini monstret affectum. Nam fidelis & si ad ho-

B ram seductus fuerit, tamen cito resurget, vt beatus Petrus : Ecce prædixi vobis, tribus vicibus in ista maledictione replicatum habet, vt non auscultent malorum suasionem. (*Si ergo dixerint vobis, ecce in deserto est nolite exire.*] Ibi abduxit Theodas populum, ille Pseudopropheta. [*Ecce in penetralibus, id est in secretis aliquibus, nolite credere.*] Spiritaliter Ecclesia Catholica, id est vniuersalis, non solummodo in Affrica, aut in alio speciali loco, vel in penetralibus hæreticorum sed per vniuersum mundum, quia ideo Catholica, id est vniuersalis, dicitur. (*Sicut n. fulgur exit ab oriente, & apparet vsque occidentem, ita erit aduentus filii hominis*) Nõ enim venit absconsus, qui in prima maiestate celata nube carnis apparuit. Per figuram quæ idea dicitur, describit suum aduentum. Non erit necesse in secreto quærere, qui manifestus omnibus & terribilis vt fulgur apparebit. Fulgur neutri generis nomen est, nec habet o. in nominatiuo, sed correptum u. Est autem aliud nomen quod dicitur fulgor fulgoris, per

C omne productum, & accipitur pro splendore. (*Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.*] Dat exemplum de re inferiori ad inferiorem per speciem parabolæ, quod sicut aquilæ trans mare dicuntur sentire cadauera, & illuc se congregare, similiter in illa die omnes electos cum Domino esse coadunandos, significans se casurum pro suis in mortem, quia cadauer à casu nomen accipit, seipsum corpus, siue cadauer volens intelligi. Aquilam sanctos suos, quorum iuuẽtus renouabitur vt aquilæ, & qui assument pennas vt aduolent ad Dominum [*Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum.* Vel in comparatione claritatis Dei videbuntur obscurari, vel veraciter obscurabuntur, sicut obscurata fuerunt tempore mortis eius. Nam necdum impletum est quod Ioel dicit. Sol conuertetur in tenebras & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus. (*Cum vero pactum fue-*

D *rit iudicium, & fuerit cælum nouum & terra noua, erit quod Esaias loquitur. Erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum. Et virtutes cælorum mouebuntur.*) Quid nos miseri faciemus, si virtutes cœlorum in illo tremendo die tremiscent? Virtutes cœlorum, angelos, Archangelos & nouem ordines angelorum. [*Et tunc apparebit signum filii hominis in cælo.*) Ipse videbitur & à iustis, & ab impiis sic in Apocalypsi Ioannes dicit: *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Et sicut in actibus Apostolorum legimus dictum quãdo ascẽdit: *Quemadmodũ vidistis eum euntem, ita veniet.* Vel signum filii hominis, crucis vexillum possumus intelligere, vexillum victoriæ triumphantis. [*Et tunc plangent se omnes tribus terræ*) Omnes tribus terræ, oẽs gentes dicit. *Plangentes autem dicent. Beatæ steriles quæ non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Dicent montibus, cadite super nos, &*

collibus operite nos. Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & maiestate.) Cum virtute & maiestate visuri sunt, quem in humilitate positum audire noluerunt. Cum virtute & maiestate, quia omnes angeli & sancti cum illo. [*Ignis in conspectu eius, & in circuitu eius tempestas valida.*) Si solummodo figuram visionis eius populus Israel à monte Synaï qui audiuit timore perterritus sustinere non potuit, quid putamus tunc erit. [*Et mittet angelos suos cũ tuba, & voce magna*) De hac tuba Apostolus Paulus dicit. *Canet enim tuba, & mortui qui in Christo sunt primi resurgent.* (*Et congregabunt electos eius à quatuor ventis.*] A quatuor climatibus cœli dicit, oriente, occidente, aquilone, & austro. Et ne putaret aliquis à quatuor plagis terræ, & non potius à cunctis finibus eius simul: & mediterraneis regionibus electos esse congregandos, subjunxit. *A summis cœlorum vsque ad terminos eorum.* Quia nullus in die illa electus remanebit, qui non occurrat Domino. Venient in aëre ad iudicium siue viui inuenti, gustabunt tamen mortem, siue mortui resuscitandi. (*In momento, in ictu oculi.*) Momentum est quadragesima pars horæ. Ictus oculi, cum clauditur & aperitur. Quicunque bestiis comesti sunt, vel incensi, nulla erit mora neque differentia. Venient autem & reprobi ad iudicium: siue viui inuenti, moriendi & resuscitandi cum aliis mortuis. Interposita tamen differentia, quod iusti cum gaudio in Domino; impij vt videant quem beatum amittent Dominum, vt peracto iudicio dispereant cum diabolo, & decidant in infernum cum corporibus & animabus, sicut descendit Dathan & Abiron in infernum. [*Ab arbore autem fici discite parabolam. Cum iam ramus eius tener fuerit, & folia nata, scitis quoniam prope est æstas.*) Quomodo inquit cum teneri fuerint erumpentes ramusculi, jam prope adest æstas, quia non potest erumpere antequam sol appropinquet. [*Ita & vos, cum videritis hæc fieri.*) Id est hæc signa præcedere quæ prædixi, cognoscite appropinquasse & meum aduentum, & consummationem seculi, & futuri regni jocunditatem, quia talis erit comparatio ad delectationem delectationis huius seculi, qualis est æstas ad comparationem hiemis, quia tunc mœroris nostri nubila transibunt, & vitæ dies æterni solis claritate fulgescent. [*Ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote quia prope est in ianuis.*) Sicut isti seculares sciunt cognoscere per erumpentes ramusculos arborum venientia desiderata tempora, ita & vos scitote per prædicta signa prope esse desiderata vestra gaudia. Et in ianuis, in terminis nouissimis. Sicut enim janua finis est domus, & qui extra januam exit apparet multis, sic & ego diesque iudicij in januis erit tunc, quia tunc exinde incipiam apparere multis. Potest etiam spiritaliter intelligi synagoga, cum ipsa per Enoch credere in Deum cœperit & Eliam, quasi folia & fructus facere per bona opera, prope erit finis, quia cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel saluus erit. [*Amen dico vobis non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.*] Amen, si dici fas est, quasi iuramentum Domini est. Et multum commendat vbicunque hoc adjungit. Generationem hanc, & Iudæorum genus & omnium genus hominũ possumus sentire. [*Cœlum & terra transibunt.*] Cœlum hoc in loco aërium spatium appellat, vbi aues volant. Vnde & volucres cœli dicuntur. Tantum enim spatium ignis assumet & ad delendum, quãtum aqua tenuit in diluuio. Nam cœlum in quo sidera sunt innouabitur in meliorem figuram, vt Ioann. dicit: *Erit cœlum nouum & terra noua.* De terra quoque tantum ardebit, quantum maculatum fuit ab humanis laboribus, reliqua mutabitur in meliorem figuram. [*Verba autem mea non præteribunt.*) Subauditur, vt non sint sicut dixi. Vel alio modo in hac terra nihil cœlo & terra durabilius, ac si diceret, Ante potest cœlum & terra transire, vt nõ sint, quam non fiat quod dixi, quia veritas sum, & impossibile est veritatem posse mentiri. Siue cœlum & terra
A transibunt, id est ab ea specie quam nunc habent, in aliam. *De die autem illa & hora nemo scit, neque angeli cœlorum, nisi pater solus.* Filius per quem factus est omnis dies: & qui est sapientia Dei patris, non potest ignorare; sed *in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi*. In hoc quod ipse vnus Deus est cum patre, nouit ipse omnia quæ nouit pater. Sed ad hoc nescit, quia nescientes facit, sicut cæca fossa dicitur, nõ quod ipsa cæca sit, sed quod nescientes se facit cæcos. Nam interrogatus post resurrectionem de die iudicij ab Apostolis ait. *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate.* Quando dicit, non est vestrum scire, ostendit quod ipse sciat, sed non expediat Apostolis scire, vt semper de aduentu Domini suspecti, sic viuant quasi die altero iudicandi. [*Sicut in diebus Noe, ita erit aduentus filii hominis.*] Sicut autem in diebus Noë nihil aduersi suspicabantur, sed faciebat vnusquisq; quod sibi placitum erat: sic erit in ad-
B uentu Domini, quia illa bella & illæ perturbationes quæ superius narrauit ante erunt. (*Tũc autem erit pax*] Sicut nos scimus modo prædictum de Antichristo, sic sciuerunt Iudæi de Christo prædictum per Prophetas, & tamen præsentem non cognouerunt. Sic timendum nobis est, ne nobis insciis veniat Dominus. Ideoque secundum Domini præceptum conuenit esse semper paratos. (*Quia cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus superueniet interitus, sicut dolor parturientis & non effugient. Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, & alter relinquetur,*) Isti duo populus Iudaicus, & Gentilis. Seu duo populi boni & mali in agro, in scriptura sancta dñi exercere bona opera: vnde in æternum viuant. (*Vnus assumetur & alter relinquetur.*) Quia sunt multi infra sanctam Ecclesiam, qui scripturas legunt & non audiunt, & Christianos se esse profitentur, qui non assumentur. (*Duæ molentes in mola.*) Duæ istę
C synagoga est & Ecclesia, in lege, siue in scriptura dñi molere farinam verbi Dei ad suorum aliorumque pabulum. Sed vna assumetur, altera relinquetur videlicet Ecclesia electorum assumitur, reproborum relinquitur. [*Vigilate ergo.*] Vigilare est bona opera exercere. Quæ si fecerit, etiam si corpore dormiat, ipsa pro eo vigilabunt & orabunt. Vigilat qui exercet operando quod credit. Vnde Paul. Euigilate iusti, nolite peccare. (*Quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.*) Notandum quod non dicit nescimus, sed nescitis. Pro hac enim causa noluit Apostolis patefacere, vt semper incerti credant eum omni die futurum, & tales se præparent vt digni sint ad suscipiendum eũ. Idcirco enim Dominus vltimam nobis horam voluit esse incognitam, vt semper possit esse suspecta, vt dum illam præuidere non possumus ad illam sine intermissione præparemur. Habemus enim ex traditione maiorum quod in Pascha paulo ante mediam noctem, sicut percussor per domos Ægyptiorum transiit percutiendo sic debeat venire, sicut scriptum est. Dũ me-
D dium silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine de cœlis à regalibus sedibus venit. Sic denique nobis scriptum reliquere quod octaua Cal. Aprilis fuit mundus factus, Dominus conceptus est & passus: & simili modo erit destructus. Et statuerunt vt in ipsa nocte nullus ante medium noctis dormitet, sed vigilarent in Dei laudibus secundum istam Domini admonitionem. Et tunc celebrant octaua Cal. Aprilis Pascha. Postea institutum est in Nicæna synodo, vt expectemus post æquinoctium vernalem diem dominicũ & in decem & nouem annis non euenit sic Pascha, nisi vna vice, & tali modo occultus erit nobis ipse dies, Quanto ergo nobis incertus, tanto magis parati esse debemus omni tempore. Etenim vnicuique nostrum venit Dominus, cum dies nostri finis appropinquat. Pulsat, cum per ægritudinis molestiam, mortem vici-

nam esse denuntiat. Cui vigilantes confestim aperimus: si exercentes semper bona opera cum amore suscipimus. Aperire enim iudici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, & videre eum quem se contempsisse iudicem formidat. Ad excutiendam autem mentis nostræ desidiam, etiam exteriora damna per similitudinem adducuntur, vt animus noster ad vigilandum excitetur. Dicit enim. [*Illud autem scitote quia si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam.*) Fur enim domum perfodit, cum diabolus habitaculum animæ infirmat, vt habitator discedat. Omnes enim infirmitates hominum & pecorum à diabolo infliguntur, vt fecerunt in Iob & filijs eius, Tobia, Paulo: Deo tamen permittente, & angelo bono præsidente, ne diabolus iuxta malignam suam voluntatem peragat. Vnde & Dominus ad ipsum de Iob dixit, cum corpus ei dimisit. *Verumtamen animam illius serua.* Duob. enim modis intelligitur hoc ipsum Domini dictum, vt neque in animam eius aliquam læsionem faceret & ad mentem, aut aliud mali, neque habitaculum animæ ita dissiparet vt anima stare non posset. Nam mors quomodo potest fur intelligi, quæ substantia caret? Nihil denique est aliud nisi absentia vitæ, sicut tenebræ non sunt aliud nisi absentia lucis. Paterfamilias homo vocatur, quia principari debet super membra sua, quemadmodum paterfamilias in domo. (*Non sinit perfodi domum suam.*) Cum sentiens & cum gaudens dies exitus, lætus egreditur: & corpus obdormiscit, vt de Iohanne & Stephano scriptum est, quod obdormierunt in Domino. [*Ideo & vos estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis venturus est.*) Nesciente patrefamilias fur domum perfodit, dum à bonis operibus ociosus est. Quilibet missus Dei veniens habitaculum nostrę carnis dissipat, & habitatorem egredi compellit, quia cum ventura damna spiritus non præuidet, hunc mors ad supplicium rapit. Furi vero resisteret, si per bona opera vigilaret, ne impœnitens periret. (*Quis putas est fidelis seruus & prudens quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore.*) Modo Dominus ipsos suos discipulos, & per eos magistros Ecclesiæ admonet, vt & ipsi vigilent & cæteris verbum diuinum adnuntient per quod vigilare & obseruare illam horam sciant. Illi ipsi tamen tunc erunt prudentes & fideles, si in tempore sciant dare conseruis dapes verbi. Hoc est vt tempore congruo non abscondant, neque profunda & alta ignaris turbis ingerant: sed exemplo Domini perfectioribus secretiora, vulgaribus hordei pabulum ministrent. [*Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus inuenerit sic facientem.*] Beatus dicitur bene auctus. Felix & beatus erit qui primo seipsum verbo diuino repleuerit vt ipsi primo faciat, postmodum aliis ore & opere verbi pabulum suggerat, quia sic de eodem Domino scriptum est: *Quæ cœpit Iesus facere & docere.* Ante fecit, postea docuit. Et ipse supra de doctoribus ait: Qui autem fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum. (*Amen dico vobis quod super omnia bona sua constituet eum.*) Magna distantia est inter bonos factores & prędicatores. Bonos enim auditores si vigilantes inuenerit, facit discumbere; hoc est quiescere in vita æterna. Et transiens ministrabit, quæ præparata sunt diligentibus Deum. Bonis autem prædicatoribus si prudenter dispésauerint vt ipsi satientur, & aliis sufficienter ministrauerint, supra omnia bona sua constituet, id est supra omnia cœlestis regni gaudia, non vt ipsi soli habeant, sed vt abundantius cæteris cum sanctis & æternaliter perfruantur. (*Si autem dixerit malus seruus in corde suo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, manducat autem & bibit cum ebriosis.*) Hoc de vnoquoque Christiano potest intelligi: maxime de magistris Ecclesiarum, regibus, Episcopis, comitibus, qui proponunt sibi longa tempora

A viuendi, & percutiunt, vel alias iniustitias faciũt Christianis, vacant commessationibus & ebrietatibus, & aliis viciis. Veniet illis Dominus. Hoc est missus Domini, qui separabit animam de corpore eorum in tempore quando non sperant, partemque eorum ponet cum hypocritis, quibus superius dixit: *Væ vobis hypocritæ.* vel cum illis de quibus dixit: *Vna assumetur, & vna relinquetur.* Hoc est cum his qui descendunt in infernum, ibi erit fletus, & stridor dentium, per quæ in durissima tormenta perducantur. (*Tunc simile erit regnum cœlorum decem virginibus.*] Nunc superiorem parabolam de Apostolis & Doctoribus sub persona boni serui malique præmisit, ostendit quid ille habiturus qui bene ministrauerit verbum diuinum, & quid ille qui negligenter. Nunc generaliter de omni Ecclesia & auditoribus eiusdem verbi diuini parabolam ponit. More tamen prophetali, quo & Apostoli omnesque illi auditores fuerunt eruditi. Habebant enim in vsu illas animas dici virgines, quæ Deum alienum non
B adorauerunt, sponsum vniuscuiusque animæ Deum, sponsam animam Deum colentium. Quia sicut mulier omnia quæ facit cum voluntate viri debet facere, & omnia ad opus ipsius & ad laudem eius, siue ad profectum eius dare quicquid dat: & non debet alium æstimare sapientiorem, speciosiorem, fortiorem quam virum suum. Sic anima vniuscuiusque colentis Deum, quicquid facit cum Dei voluntate & in nomine Domini debet facere. Non debet amare, neque patrem neque matrem, gemmas, aurum, argentum, prædia, vel aliquam creaturam sub cœlo plus quam Deum. Tunc autem amat Deum, si facit quæ ipse præcepit. Si autem iustitiam deserit pro alia re, tunc amat plus illam rem quam Deum, & ibi fornicatur anima eius. Hoc modo debet esse virgo omnis Ecclesia Christi, videlicet omnes Christiani. De talibus virginibus dicit Dominus. *Simile est regnum cœlorum*: hoc est præsens Ecclesia quæ frequenter appellatur regnum cœlorum. Recte per denarium numerum omne genus humanum exprimi-
C tur, quia denarius numerus perfectus & absolutus est, & vltra ipsum nullus numerus nisi de ipso multiplicatus. Et in hac parabola nullus est qui hic non designetur. In quinque autem sensibus corporis vnusquisque subsistit homo. Geminatus autem quinarius denarium perficit. Et quia ex vtroque sexu fidelium multitudo colligitur, sancta Ecclesia similis decem virginibus denuntiatur. Virgo enim nomen est communis generis, & eodem modo dicitur virgo sancta Maria, & virgo sanctus Ioannes. (*Quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso & sponsæ.*] Lampades autem corpora intelliguntur. Tunc exierunt obuiam sponso & sponsæ, quando per baptismum introierunt Ecclesiam eius. (*Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.*] Illæ sunt fatuæ secundum Deum quę mundum, aut ea quæ in mundo sunt plus diligunt quam Deum. Et tunc fornicatur anima alicuius erga Deum, quando aliquod preciũ ei plus placet quam
D Dei, id est retributio vitæ æternæ pro factis suis. (*Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum.*) Quia non habuere opera quæ Deo essent accepta, siue quia male fecerunt, seu quia si quid boni fecerunt pro humana laude fecerunt. (*Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.*] Quia egerunt pro solo Dei amore & retributionis æternæ. Vasa, corda sunt electorum. [*Moram autem faciente sponso.*) Hæc mora adhuc agitur, quia adhuc non venit iudicium. [*Dormitauerunt omnes.*) Infirmati sunt. (*Et dormierunt.*) Mortui sunt. Hoc quotidie fit de fidelibus & infidelibus, sed generaliter in die iudicij fit, [*Media autem nocte clamor factus est.*) Quia sicut diximus, media nocte finem mundi credimus fore, & insperate. Clamor factus est angelorum cum tubis hominum, fulgurum & tonitruorum. (*Ecce sponsus venit.*) Veniet manifestius & non silebit. (*Exite obuiam ei.*) Aduocauit

cœlum desursum, & terram deorsum, hoc est & qui in cœlo sunt & in terra. [*Tunc surrexerunt omnes virgines illæ.*) Quia boni & mali resurgent cum corporibus. (*Ornauerunt lampades suas.*) Habuerunt corpora resuscitata. [*Fatuæ autem sapientibus dixerunt. Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguntur.*] Hoc est, adjuuate nos apud Deum. [*Responderunt prudentes dicentes. Ne forte non sufficiat nobis & vobis.*) Non dicunt hoc pro auaritia, sed pro timore, quia vix poterunt sua opera vnumquemque liberare. Vnusquisque enim pro operibus suis recipiet mercedem, neque poterunt in illa die aliorum virtutes aliorum vitia subleuare. Sicut enim tempore captiuitatis Babyloniæ Hieremias & Ezechiel & Abbacuc, Daniel, Ananias, Misahel non potuerunt alios liberare, sic & sancti in illa die non poterunt adjuuare alios, nisi quos bona sua opera adjuuerint. Cum operibus bonis poterunt adjuuare preces sanctorum. (*Ite potius ad vendentes, & emite vobis.*) Non consilium dederunt, sed crimen improbrauerũt. Accidit autem. Ite ad adulatores, pro quorum vanis laudationibus opera vestra exercuistis. Venditores namque olei, adulatores intelliguntur. Qui enim alicuius opus pro aliquo dono laudat, quasi oleum vendit. De quo Psalmista: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* (*Dum autem irent emere, venit sponsus.*) Quia cum non potuerunt esse cum Domino & electis, erunt cum diabolis quos auscultarunt. (*Venit sponsus.*) Peragetur iudicium. [*Et quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias.*) Illi qui habuerunt perfecta opera, recepti sunt, vt sint cum Deo & angelis suis, hoc est in illa cœlesti beatitudine. [*Et clausa est ianua.*) Aditus misericordiæ interclusus. Non enim post iudicium patet precum aut meritorũ locus. Tunc erit clausa ianua omnibus malis exclusis, quæ modo quotidie omnibus ex corde pœnitentibus aperitur. Quod similiter beatus Beda in quodam rithmi versiculo ingenuit dicẽs. Nulla erit suspitio salutis vel remedij, ianua clausa thalami completis sponsi nuptiis. (*Nouissime veniunt & reliquæ virgines, dicẽtes Domine, Domine aperi nobis.*) Frustra tunc clamabunt qui illum hic clamantem per sua Euangelia & suos prædicatores audire noluerunt. Ingeminant *Domine, Domine*, sed frustra, quia pœnitentiæ tempus nunc erit, quia *pœnitentia* dicitur quasi *punientia*. Puniendi tempus erit, sed spes veniæ iam vltra non erit, quia nequaquam tũc veniã inueniet qui modo non vult pœnitentiã agere, vt Dauid dicit: *Quoniã non est in morte qui memor sit tui.* Magna erit seueritas post iudicium, quia ante iudicium ineffabilem misericordiam prærogauit. [*At ille respondens ait. Amen dico vobis, nescio vos.*) Nescio vos, subauditur per operationem meos fuisse. Nescire enim Dei, reprobare est. Væ superbis, quibus Deus ista dicturus est. (*Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.*]

Quia multoties ipse per se clamauit in hoc seculo, vigilate, & audire dedignati sunt, clamabunt multipliciter, & non exaudientur. De quo væ præfatus Beda in iam dicto rithmo prosequitur dicens: O quam infœlix anima priuata hoc conuiuio, quæ vltra in memoriam non reuertetur Domini. Semper enim debemus vltimum diem metuere, quem nunquam possumus præuidere. Quem Dauid metuens dicebat. Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, vt sciam quid desit mihi, quia si quis iter pergere debet, vult accipere viæ sumptus sufficienter. Vt sciam quid desit mihi. Timebat ne extingueretur lampas eius, idcirco dicebat, vt sciam quid desit mihi. Præparemus incessanter sumptus in via, ne in illa die excludamur clausa ianua. [*Sicut homo qui peregre proficiscens.*) Quia Dominus cito erat transiturus de seculo corporaliter. Et discipuli de die iudicij interrogauerunt, ipse autem noluerat certum tempus ostendere. Quantum timenda & præcauenda esset

A ipsa dies multis parabolis propositis ostendit. Dixit superius de vigilanti & prudenti seruo, atque de negligenti. Iterum generaliter de omni Ecclesia sua, quæ se Deum adorare profitetur sub specie decem virginum. Nunc iterum principaliter de Apostolis & doctoribus, & cum illis de omnibus hominibus. Homo iste, Dominus noster Iesus Christus, qui pro nobis sua gratuita pietate homo fieri dignatus est cum Deus esset. [*Peregre proficiscens.*) Peregre, id est longe, venit à nomine quod est pereger, inde & peregrinus, id est pergens longius. Proficiscens à verbo proficiscor deponens verbum, venit participium. Ipse Dominus Christus peregre profectus est quando in cœlum ascendit, quia licet in cœlo diuinitas fuerit, tamen hõ ille quem de S. Maria assumpsit in cœlo antea non fuit. (*Vocauit seruos suos.*] Apost. ad quos hæc loquebatur, tradidit illis doctrinam Euangelicam. (*Et vni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero vnum.*) Non omnes Apost. æqualiter docti recesserunt à Domino, sed alij plus, alij minus. Minus enim erat sapiens Thom. qui dixit: *Domine, nescimus quo vadis*, quam Petrus. Item minus Philippus cui dictum est, *tanto tempore vobiscum sum & non cognouistis me. Philippe*, quam Iohan. qui dixit: *In principio erat verbum.* Ideo in quinque talentis diuersas gratias intelligere debemus, vel in quinque talentis donũ quinque sensuum, id est exteriorum scientia exprimitur, videlicet visus, auditus, gustus, odoratus, & tactus. Quia satis abundeque honoratur, qui in his quinque sensibus vigere permittitur. In duobus talentis, intellectus & operatio designatur. In vno talento intellectus tantummodo designatur. Credimus tamen, quia Apostoli electi & quinque & duo talenta habuerint & adhuc in Ecclesia Christi multi habent similiter. [*Vnicuique secundum propriam virtutem.*] Non pro largitate aut parcitate, alteri plus & alteri minus tribuens, sed pro accipientium viribus. Quia & in eremo quamuis septuaginta duo seniores eodem spiritu fuerint repleti quo

C & Moses, non tamen sic profuse vt Moses. (*Et profectus est statim.*) Quia tandiu conuersatus est cum discipulis quousque vidit eos non indigere præsentia corporalis instructionis, & post recessit ab eis corporaliter, quos tamen spiritaliter nunquam deseruit. [*Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo.*) De Apost. non dubitandum, quod talenta quæ à Deo acceperunt, iuxta Dei voluntatem duplicauerint. Vnde & sequax eorum Paul. habens & quinque & duo talenta, dicebat; *Væ mihi est, si non euangelizauero, quia dispensatio mihi credita est.* Item de exterioribus talentis. Ad ea quæ mihi opus erant & his qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Et item. *Omnia ostendi vobis, quia sic oportet laborare, & suscipere infirmos.* Ille exteriora talenta duplicat, qui de terrenis officiis vitam æternam sibi comparat. De vnoquoque homine ista intelligere possumus,

D maxime tamen de his qui locum Apostolorum in Ecclesia tenent, prædicatoribus videlicet diuini verbi. Potest quoque in duobus talentis, intellectus & charitas intelligi, quia operatio in hominis arbitrio est dimissa. Si enim operationem ibi intellexerimus, poterit surripi vt dicat quis: ideo non posse operari bonũ, quia non acceperit talentum operationis. Scimus autem quia Deus hominem in libero arbitrio habet dimissum, vtrum velit facere mandata Dei, an non. [*Qui autem vnum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui.*] Pecuniam in terra abscondere, est acceptum ingenium in terrenis actibus implicare. Lucrum spiritale non quærere, cor à terrenis desideriis nunquam leuare. Vnum talentum Iudas intelligentiæ accepit, quia similiter eruditus fuit à Domino vt cæteri, sed in terreno auaritiæ lucro cũcta conuertit, qui loculos magistri habens quæ poterit furatus

eſt, quouſque & Dominum vendidit. Videat ſe vnuſquiſque, quia nullus eſt qui omnes ſenſus corporis ſanos habeat, qui poſſit queri non accepiſſe aut accipere potuiſſe talentum. Potuit enim quia ſanitate vigebat diſcere qua viueret, & ſibi & aliis prodeſſe. Nam nullus ſe poterit excuſare de ignorantia, quia non licet ignorare, quia repleta eſt terra Domini ſcientia, imo de pigritia cõdemnabitur, & deiectione talenti. Alius Euangeliſta dicit, *quod talentum in ſudario ligauerit.* Ille doctrinam patrisfamiliæ in ſudario ligat, qui donum intelligentiæ in luxuriis, aut comeſſationibus, aut ebrietatibus vel aliis huius ſeculi voluptatib. conuertit, [*Poſt multum vero temporis venit Dominus ſeruorum illorum, & poſuit rationem cum eis.*) Generalis examinatio omnium hominum operũ in die iudicij erit. Sed & quotidie agitur, dum electi & reprobi de hoc ſeculo rapiuntur. (*Et accedens qui quinque talenta acceperat obtulit alia quinque talenta dicens.*) Non verbis dicent, ſed opera perfecta monſtrabuntur, quia in illa die vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit. Etiam in hoc ſeculo hoc fit, cum quis quinq; ſenſus corporis in bone opere implicat, & alios ſuo exemplo inſtruit & Deus eam intentionem rectã perſpice. Largitus ei ſcientiam etiam ampliorem, quam ei qui naturali ingenio pollebat. (*Ait illi Dominus eius. Euge ſerue bone & fidelis.*] Euge Græcum nomen eſt, & dicitur Latine bene, ſubauditur gaude bone ſerue. Seruus non ſemper conditione dicitur timoris, ſed etiam dilectionis. De illo alio loco Dominus dicit. *Iam non dicam vos ſeruos.* De iſto & hic, *ſerue bone.* Et in alio loco. *Dicite, ſerui inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus.* De iſto ergo quod ad dilectionem pertinet dicitur ſeruo, non timoris, ſed amoris Deo placendi. [*Fidelis*) Quia Dei dona & cuſtodiuit in ſe, & in aliis ampliauit. (*Super pauca fuiſti fidelis.*] Super pauca, ſuper terrena, quia quamlibet in hoc ſeculo terrenæ res cœleſtibus comparatæ, pauca & vilia ſunt. (*Intra in gaudium Domini tui.*] Suſcipe *quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit.* [*Acceſſit autem & qui duo talenta acceperat.*] Si hic operationem pro talentis accipimus dicent multi. *Non accepi à Domino talentum vt poſſim operari quæ intelligo, & propterea non poſſũ perficere opera Dei.* Sed ſcimus quia oẽs homines liberũ habemus arbitriũ vt operemur aut opera Dei, aut opera Diaboli. Propterea melius eſt intelligere in intellectũ atque charitatem. [*Ait illi Dominus eius. Euge ſerue bone.*) Vterque ſeruus ſimile gaudium recepit, & qui de quinque decem & qui de duobus quatuor fecit, non conſiderans lucri magnitudinem, ſed ſtudij voluntatem, quia Deus intentionem in vnoquoque homine conſiderat, vt dixit ipſe de vidua quæ duo minuta in Gazophylatium, miſit inquit. Dico vobis, quia vidua plus omnibus diuitibus miſit. Quid autem maius dari poteſt fideli ſeruo, quam eſſe cum Deo, & videre gaudium Domini ſui? [*Accedens autem & qui vnum talentum acceperat, ait: Domine, ſcio quia homo durus es, metis vbi non ſeminaſti & congregas vbi non ſparſiſti.*) Per ſeruum iſtum, omnes mali intelliguntur. Siue ſingulariter vnuſquiſque malus, quia nullus prope poteſt inueniri qui non à Deo acceperit talentum quoniam, vnicuique res de qua viuit, pro talenti acceptione deputabitur. Etiã & qui locum apud diuitem obtinet, ſi non intercedit pro pauperibus, pro talenti retentione reputabitur. (*Homo durus es.*) Iuſtitiam Dei multi ſeculares duritiam putant. Sed ſicut veritas naturaliter eſt, ſic etiam iuſtus & iuſtitia naturaliter, & iniuſte non poteſt agere qui eſſentialiter bonus eſt. (*Metis vbi non ſeminaſti.*) Quia etiam in gentilium populo quicunque bona ſtuduit operari, Deo accepta fuerunt eorum opera, vt in Magis, quibus non fuerat prædicatum ac reliquis quorum actus non habemus conſcriptos. [*Et colligis vbi non ſparſiſti.*] Scil. prædicationis verbum. Vnde datur intelligi. Quia qui bene operati ſunt in-

A ter gentes, non habebunt in Tartaro tam dira tormenta vt illi qui vt nequius potuerunt operati ſunt. Seu alio ſenſu. Quia non ſolum illos punis qui cognouerunt quid debuiſſent facere, ſed & illos qui te ignorauerunt, & qui te non audierunt. [*Et timens abii, & abſcondi talentum in terram.*) Ac ſi dicat. Cum conſideraui quia & illos punis per ignorantiam, & illos qui per infirmitatem fragilitatis, & quos recipis ſine macula recipis, deſperaui me poſſe ad tuam gratiam, vel ad tuum regnum peruenire, & idcirco totũ meum ſtudium in terrenis collocaui, vt ſi amitterem vitam beatam in futuro, vel præſentem dilectionem non amitterem. Etiam in præſenti poteſt accipi, quia cum quilibet acumen ingenij quod à Deo accepit non ſequitur, perdit per ſuam deſidiam quod ſcire poterat & aſſequitur plerumque is qui hebes acumen habere videbatur, per aſſiduitatem & per ſuam bonam voluntatem. (*Ecce habes quod tuum eſt.*) Ex quo primus parens noſter in Paradiſo peccans, ipſas ſuas culpas B in Dominum ſuum voluit reputare dicens: *Mulier quam dediſti mihi dedit mihi, & comedi ex eo.* Omnium hominum genus culpas ſuas in alios geſtiunt retorquere. Vnde & hic ſeruus dicit. *Ecce habes quod tuum eſt.* Quaſi diceret. Et ſi alios non inſtruxi, meipſum cuſtodiui, & in me habes ſaluum talentum. Qui enim debuit ſimpliciter inertiam ſuam & peccatum confiteri, dicit ſe prudenti conſilio egiſſe ne pecuniam perderet, qui hoc ſolum timere debuit ne ſine lucro ad Deum reportaret. (*Reſpondens autem Dominus eius, dixitque ei. Serue male & piger.*) Seruus malus appellatur, quia calumniam fecit Domino, & peccatum ſuum in eum voluit retorquere. Piger, quia noluit talentum dare ad erogationem. (*Sciebas quod meto vbi non ſemino, & congrego vbi non ſparſi. Si & illud iuxta tuam ſententiam exquiro, quod ad erogandum non dedi, quare tu ſciens voluntatem meam non dediſti pecuniam meam ad menſam?* Nummulatij à nummo dicuntur, quia ipſi eos percutiunt. Et ſolent monetarij accipere argen-C tum ab aliquibus & ſolent denarios formare & poſt annum integrum reddere quod acceperunt, & medietatem de ingenio ſuo ſuper acceptum. Quod diuina lex de terrenis pecuniis prohibet fieri, quoniam initium eſt cupiditatis, exigere velle quæ te neſcias commodaſſe. Vnde Pſal. dicit de iuſto viro. *Pecuniam ſuam non dedit ad vſuram.* De ſpiritali vero, id eſt, prædicatione diuina, quæ non ſtuduerit multiplicari, exoluet debitas pœnas. [*Tollite ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta.*] Conueniens videbatur, vt cum talentum ab illo tollebatur ei daretur qui duo quam qui quinque. Sed ſi vim dicti perpendimus, plus ille habuit qui duo, id eſt intelligentiam & charitatem, quam ille qui quinque ſenſus corporis accepit, quia ſcientia Dei & charitas omnes apud Deum præcellunt virtutes. Frequenter ergo videmus illum qui bene exterioribus adminiſtrat (licet ſimplex frater) habeat maiora dona à Deo quam ille qui de ſua ſcien-D tia ſe iactans alios dedignatur. Et iſte vnus malus ſeruus, Iudæorum populus poteſt intelligi, qui doctrinã legis quam accepit noluit multiplicari in gentili populo. Cui talentum ablatum eſt, ſicut ipſe alio loco dicit. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. [*Omni habenti dabitur.*) Habenti fidem vel bonam volũtatem, dabuntur reliqua bona. (*Ei autem qui non habet fidem vel bonam voluntatem, & quod videtur habere per hypocriſin, auferetur ab eo.*) Siue terrenæ res quas magis amauit quam vitam æternam. (*Auferetur ab eo, & tunc neutrum habebit. Et inutilem ſeruum eiicite in tenebras exteriores.*) Superius dixi quia tenebræ interiores cæcitas mentis appellatur, exteriores tenebræ erunt in inferno, vbi neque Deus, neq; ſol ei lucebit. Deus lux eſt, qui ab illo elongatur, in tenebris conſtituitur. (*Ibi erit fletus & ſtridor dentium.*) Per fletum & ſtridorem dentium dira tormenta præ-

dicuntur & vera resurrectio corporum demonstratur. Talentum genus ponderũ est maximum. Sunt autem tria genera, minimum quinquaginta librarum, mediũ, septuaginta duarum, summum, centum viginti. [*Cum autem venerit filius hominis in sede maiestatis suæ, & omnes Angeli cum eo.*) Multa Dominus dixit quæ ad diem iudicij fienda sunt, sed quando ipse dies aut hora esse debeat, non dicit. Sed constat profecto, quia qui alia scit secretiora mysteria quod & ipsum sciat. Dixit superius admonitiones ad omnes, nunc autem ostendit quid in nouissima hora ipse facturus sit. Scimus quia iudicium dedit pater filio, & qui in primo aduentu venit iudicandus, in secundo veniet iudicaturus viuos & mortuos.

Nulla autem lingua potest enarrare quanti terrores ibi erunt cum cœlum & terra ardebit, sonus tonitruorum & fulgurum audietur, Angeli resonantes tubas mortalium turbam concutient. Cur enim non credamus quod illi qui corpora de aëre assumunt, vt frequenter visi à patribus leguntur, sono æreo debeant insonare, vt fecerunt quando Dominus per subiectam creaturam locutus est turbis. Ad hũc iudicij diem omnes nouem ordines Angelorum venient, omnes homines boni & mali [*Tunc sedebit in sede maiestatis suæ*) Per sessionem auctoritas iudicandi, majestas pro potestate. Multi autem putauerunt in valle Iosaphat, qui est locus in Iudæa futurum esse iudicium, sed nequaquam verum est, quamuis sonet Iosaphat iudiciũ, sed in aëre erit vt Paulus dicit, rapiemur in aëre, & sic semper cum Domino erimus. [*Et congregabuntur ante eum omnes gentes.*) Quicunque spiritum vitæ habuerũt immortalem, sicut Angeli & homines ibi aderunt. (*Et separabit eos ab inuicem, sicut pastor separat oues ab hædis.*) Quia iam dixerat, ego sum pastor bonus, perseuerat in ipsa parabola, quod sicut pastor ad vesperam oues ab hœdis segregat, vt hos mittat in vnam mansionem, illos in aliam. Similiter Deus tunc ad vesperam huius mundi collecturus suas oues in ouile, hœdos in erebum retrusurus. (*Et statuet quidem oues à dextris.*) Id est in bonam partem. (*Hædos autem à sinistris.*) Id est in malam partem. Videant nunc qui adhuc viuũt, vt festinent esse oues Christi, vestiant nudos, & alant indigentes, viuant simpliciter, non de rapina, neque noceant alicui, quia qui hœdos in hac vita imitatus fuerit, socius tunc impiorum erit. Hædis comparantur quod lasciuum est animal, & luxuriosum quorum similes sunt dissoluti in voluptatibus suis, luxuriosi & auari erga proximos suos. (*Tunc dicet rex his qui à dextris eius erunt. Venite benedicti patris mei,* hoc est mecum venite, cum quo hæredes esse debetis vitæ æternæ. Benedicit, quia ad imaginem Dei facti, ideo benedicti. (*Possidete, hoc est absque vlla contradictione.*) *Paratum vobis regnum.*] per præsentiam Dei. Regnum, latam mansionem, quæ non angustabitur vobis, sed dilatabitur spatiose. (*A constitutione mundi.*) Quã vnam beatam in principio à Deo credimus esse creatam, vbi fieret receptaculum iustorum. [*Esuriui enim in membris meis.*) Quod est Ecclesia mea. [*Et dedistis mihi manducare.*] Siue cibo terreno, siue spirituali [*Sitiui, & dedistis mihi potum.*] Sicut cibus spiritalis, sic est & potus. Vnde & B. Paulus dicebat. Bibebant de spiritali. (*Hospes eram, & collegistis me*] Hospes dicitur & qui suscipit & qui suscipitur. Hospes eram hospitio indigebam & suscepistis me, quia hospes non solum suscipiẽdus, sed & trahendus & quærendus. Vnde & B. Tobias cum sederet ad mensam misit filium quærere qui cum eo ederet. [*Nudus, & cooperuistis me.*) Est nuditas corporalis, & spiritalis. Vnde dictum est. [*Beatus qui custodit vestimenta sua ne nudus ambulet.*] *Infirmus, & visitastis me*) Et in infirmitate corporis, & in infirmitate animæ visitandi sunt qui Deum patrem inuocant. Cum enim aliquis in tribulationibus huius seculi tristari incipit, tunc infirmatur. Quem si quis visitauerit, & verbo suo

A confortauerit: mercede non carebit. [*In carcere eram, & venistis ad me.*) Carcer à coercendo dicitur, eo quod rei ibi coerceantur. Hoc est constringantur. Carcer etiam angustia & pusillanimitas animi intelligi potest. Et hæc omnia pietatis opera & carnaliter & spiritaliter exerceri, possunt intelligi, & ad actualẽ vitam pertinent. Quæ qui studiose adimpleuerit in hoc, post ad theoricam Dei contemplationem peruenit, in qua sine fine oculi eius videbunt regem in decore suo. (*Amen dico vobis, quod vni de his fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis.*) Attendendum quod dixit, de his minimis fratrib. suis, hoc est, qui Deum patrem credũt, & ipsum inuocant, & non sunt elati, sed humiles spiritu. [*Tunc dicet his qui à sinistris erunt.*) Notandum quod non habet, eius, sed tantum à sinistris: quia Deus sinistrum nihil habet. Vnde scriptum est. *Vias quæ à dextris sunt, nouit Dominus.* Peruersæ vero sunt, quæ à sinistris sunt. [*Discedite à me.*) Ecce terribilis & timenda vox, etiam si nihil addidisset, quia qui à Deo recedit, Dia-
B bolo traditur. Et nihil aliud extra Deum, nisi malum inenarrabile. (*Maledicti.*) Maledictus non potest esse, vbi est benedictus. A Deo creati benedicti, operibus vestris maledicti. (*In ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis eius.*) In ignem æternum discedere, id est inordinate cadere præcipiuntur, quia jam ab illa die crudeliter tractandi sunt. Æternus erit eis ignis, quia licet ipsi finem peccandi habuissent, tamen volũtatem habuerunt: & semper viuere, & semper peccare, & ideo ex voluntate sine fine damnabuntur. [*Qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.*) Hic apparet quod pœnæ infetorum non pro hominibus, sed pro Angelis malis paratæ sunt. Quicunq; in consortium eorum per mala opera seipsum jungit, sustinebit quæ ille habet sustinere [*Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare*) Et cætera. De omnibus quibus iusti coronantur, impij condemnantur, quia contraria eius egerunt. (*Et ibunt hi in supplicium æternum.*) Duab. vicib. in hoc loco Dominus affirmat, quod supplicia æterna erunt impiis.
C Sic dicuntur impij in æternis suppliciis esse, sicut dicuntur iusti in vita æterna. Et si impij non essent semper cruciandi, nec iusti semper glorificandi, sicut dicũt Græci. Origenes eorum doctor eximius errauit, putãs diem iudicij spacium mille annorum obtinendum, vt hoc spacio venirent omnes impij acta pœnitentia ad veniam. & ipse Diabolus. Et per multos annos ita docuit. Cum autem audisset ista duo verba, ignem æternum, & supplicium æternum, recognouit errorem suũ, & venit in Synodum & publice confessus est se recognouisse errasse, quod impij æternaliter debuissẽt cruciari, sicut & iusti in vita æterna æternaliter lætari, & accepit pœnitentiam, & abstinuit à missæ officio vsque ad diem mortis suæ. Et hoc retinendum quod his qui iudicaturus dicitur, filius hominis vocatur, vt sciamus quia qui iudicatus est, ipse idem erit iudicaturus. [*Et factum est cum consummasset Iesus sermones hos omnes.*) Consummatio ad perfectionem pertinet. Bonorum
D enim est consummare, id est ad perfectionem deducecere. Consummauit, qui quantum voluit, dixit & quod necessarium esse sciuit.

Sequitur expositio Christiani in Passionem dominicam.

D*ixit discipulis suis. Scitis quia post biduum pascha fiet.*] Pascha Hebræum est non Græcum, nec dicitur à passione, sed à transitu, eo quod percussor Ægyptiorum, qui Diabolus intelligitur, percussis Ægyptiis non fuerit ausus introire in domos Hebræorum propter sanguinem agni, quem in postib. videbat. Vel alio modo à transitu dicitur pascha, quoniam Dominus per domos Hebrçorum transiuit ipsa nocte, quando Ægyptij percutiebantur vt saluaret populũ suum. Hoc autem distat inter pascha & azima, quia pascha ipsa prima dies erat quando agnum comedebant.

Azima autem septem dies qui sequebantur in quibus non audebant panem comedere de fecibus infectum, & ideo azimi dicebātur ipsi dies. [*Et filius hominis tradetur vt crucifigatur.*) Biduum compositum nomen est ex aduerbio *bis* & Græco *dio*, i. duo. Post biduum post duos subauditur dies. Et ad hoc respicit quod dixit, filius hominis tradetur post biduū. Nam pascha in crastinum celebratum fuit, quia quarta feria hæc loquebatur, in quinta feria pascha celebrauit, h.e. agnum comedit. Sexta feria quod est biduū traditus est. (*Et filius hominis tradetur.*) rectè fili⁹ hominis quia diuinitas impassibilis & sola caro passa est. Tradetur à Iudæis, quia quencūq; occidere volebant, adiudicabant eum morti, & tunc dabant potestati Romanæ, quia ipsis non licebat nec arma portare, nec quem quā occidere, (*Tunc congregati sunt principes sacerdotum in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas.*) Quia iam conspirauerant vt eum occiderent. Nunc iterum congregātur agentes consilium quo illum comprehendant sine turbis. Credebant namq; eum inuitum pati & timebant si vna vice de manib. eorum quocūque modo euaderet, quod vlterius eum non comprehenderent. Congregantes se ad summum sacerdotem, quia de sua gente maiorem non habebant. Post transmigrationem denique semper sacerdotes eis præfuerant in honore regio vsque ad Herodem. Congregantur ergo non timentes seditionem populi, sed cauentes, ne auxilio populi de manib. eorū tolleretur. Caiphas interpretatur inuentor malorum. (*Consilium fecerunt vt Iesum dolo tenerent & occiderent.*) Dolus est mentis calliditas ab eo quod deludat, seu dolus cū quis aliud dicit & aliud cogitat. Sciebant enim quia ipse non erat dignus morte: licet lingua hoc dicerent. (*Cum autem esset Iesus in Bethania in domo Simonis leprosi.*] Hoc antequam Dominus Hierusalem sedens super asinam veniret, factum est. Sed Matthæus propterea repetit quia ad mortem eius præfigurandam factum est. Et significat Maria Ecclesiam Christi, quæ spiritaliter, cum bonum odorem notitiæ Domino dedit, & quotidie facit annuntiando de die in diem salutare eius. Maria autē est soror Lazari, quæ iam lauerat pedes eius & exterserat capillis capitis sui sicut Iohannes Euangelista affirmat, & bonis operibus inhærendo & amando & seruiendo saluatori, hoc promeruit vt digna fieret manus super caput saluatoris mittere, cunctis pœnitentibus spem veniæ prætendēs, si ex corde pœnituerint remissionē perfectam cōsecututos. [*Simonis leprosi.*) Non quod tunc leprosus fuerit, quia nullus leprosus in ciuitate, vel in villa cum aliis hominibus manebat, sed quia ante leprosus fuerat, & à Domino curatus, vt virtus Domini memoretur nomine pristino inscribitur. Simon interpretatur *obediens.* Bethania *domus obedientiæ.* Alabastrum genus est marmoris candidi variis colorib. intertincti, de quo solent vascula cauare medici & in eo ponere, quia ibi melius conseruatur, & ab ipso marmore ipsum vnguentum vocatur, eo quod frequentius ibi conseruetur, & per speciem metonimiam, per continentem id quod continetur ostendens. Pretiosum dicitur, quia sicut medici Græcorum dicunt, omnia alia vnguenta antecellit. Marcus ipsam herbam aromaticam ponit, vnde ipsum vnguentum conficitur. Nardus enim aromatica frutex est habens nigram & crassam radicem & fragilem, sed pinguem. Odor eius cum cypresso proximus, sapore aspero, folia parua & densa, cuius cacumina in aristas excrescunt quæ & spicæ nominantur. Et inde dicit Marcus. Nardi spicati, id est de nardo spicas habente, quia autem pretiosus esset, & de radicibus & de spicis & de foliis, factum fuerat. Iohannes autem *nardi pistici* posuit. Pistis fides Græce dicitur, & à pisti pisticus deriuatur. Et dicitur Nardus fidelis, eo quod cum veritate factus, nullam impositurām aut mixturam malæ rei habuerit. Quæritur autem quare ista mulier tunc hoc voluerit facere Domino, quod ante non fecerat, vel quare permiserit sibi fieri
A hoc pretiosum opus. Postquam Dominus Lazarum suscitauerat in Bethaniam non venerat nisi tunc primum, & illa non potuit amplius obsequium facere pro suscitato fratre. (*Emit hoc vnguentum & vnxit caput eius.* Quia erat consuetudo Iudæorum caput vngere de confectis vnguentis, quoniam inerat eis copia de balsamo, quod in eorum terra nascebatur, & pro hac consuetudine diuites & pauperes post lauationem faciei vngebant caput. Vnde & Dominus dicit: *Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, & faciem tuam laua.* Ex hac ergo consuetudine Dominus caput vngebat, & ideo sibi permisit fieri. Typice autem Ecclesia Christi caput vngit, cū mysteria assumptæ humanitatis digna reuerentia suscipit. (*Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes.*) Per speciem synecdoche multi pro vno indignati fuisse dicuntur, cum Ioannes solum Iudam dicat fuisse indignatum. (*Potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus.*] De ista causa Iudas scanda-
B lum sumpsit contra Dominum, cum ante semper incredulus fuerat. Et iratus est quoniam non licuit ei vendere ipsum vnguentum, & putauit non esse Deū, quoniam qui semper despecte vixerat, & gloriam huius seculi pro nihilo duxerat, & tunc permittebat se vngi tam pretioso vnguento. Erat namque consuetudo in ipsa terra, & in multis terris, in quib. non possunt viuere pro abundantia serpentium, nisi habeant medicinas, vt medici facerent & vnguenta & Tyriacas, quia abundant eis herbæ & pigmenta & vendant his qui hoc non habent. Vnde & vestrates scamoniā comparant, quòd illi qui vendunt de vili herba conficiunt. (*Dixit autem Iudas. Vt quid perditio hæc? potuit enim istud venundari multo, & dari pauperibus.*) Venundari multo, quia trecentis denarijs, id est viginti quinque solidis venundari potuisset. Tamen Ioannes dicit, quia libra vnguenti fuit. Hoc est quod cum vna libra poterat cōparari. Non dare volebat pauperibus, sed auaritiam suam aggregare. (*Sciens autem Iesus ait illis, quid molesti*
C *estis huic mulieri.*) Molestus dicitur durus, iratus, (*Opus bonum operata est in me.*) Alij Euangelistæ dicunt quare Deo placuerit opus hoc pretiosum fieri. [*Præuenit inquit vngere caput meum, in sepulturam meam.* Quoniam ipse non erat in monumento tam diu vt necessarium foret condire corpus eius de aromatibus. Permisit sibi mulieri hoc sibi facere, vt & mortem suam per hoc factum ostēderet, & deuotione mulieris adimpleret quæ ob hoc ipsum vnguentum emerat. [*Pauperes enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis.*] De præsentia corporis loquebatur, quia recessurus erat ab eis. Nā præsentia diuinitatis semper adest omnib. electis suis, sicut ipse post resurrectionem suis discipulis dixit. *Ecce ego vobiscū sum vsque ad consummationem seculi.* (*Mittens enim hæc subauditur mulier, vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.*) Hoc est officiū quod post mortem meam mihi faciendum erit: præuenit facere me inspirāte, quod præ celeri resurrectio-
D ne facere non poterit. (*Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc Euangeliū in toto mundo.*) Ac si dicat. Cum prædicatur Euangelium meum, dicetur, & quod hæc fecit in memoriam eius. Per omnem mundum & ipsa laudabitur, & exemplum ab ipsa capietur domino seruiendi, & spiritaliter de Ecclesia potest accipi. (*Et contristati, cœperunt singuli dicere. Nunquid ego sum Domine.*) Quamuis conscij sibi essent nihil tale erga magistrum cogitasse, tamen plus credunt magistro quam sibi. Et contristantur eo quod talis sit inter eos qui hoc cogitauit. (*At ipse respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.*) Paulatim & per inditia sicut pius Dominus & magister eum volebat castigare, sed ipse irreuerens factus, non solū contristatus non erat vt cæteri, sed etiam manū cum magistro in vasculū mittebat. Peccatū enim auaritiæ quod in mente habebat, etiā à cætero inuerecūdū reddebat.

Paropsis autem est vas quadraugulum & quadrilaterum, i. parib. absidibus. [*Tunc abiit vnus de duodecim.*] A Quod Euangelistæ dicunt, quod Iudas post vnctionẽ capitis Domini ad Pharisæos ierit, & iterum referunt quod post bucellam abierit. Sciendũ, quod ex illa hora animo deliberauerit se iturum. Auditũ. n. habebat, quia principes sacerdotum decretum habebant, vt si quis eum nosset proderet. [*Qui dicitur Iudas Scariothes.*] Scariothes, à vico in quo ortus est, sic vocatur. *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam.*] Inde etiã pessimus Iudas, quia ipse prior abiit ad Pharisæos, & pretiũ Domini in potestate illorum dimisit. Et quicũq; Christianus veritatẽ celat pro munere, vel membrum Christi propter munera iniuste opprimit, similis Iudæ est, quia ipse dixit. *Ego sum veritas. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Similis & ille, qui cõcordiã fraternæ pacis dissipat, quia Deus charitas est. [*At illi constituerũt ei 30. argenteos.*] Nõ est inconueniẽs eodẽ pretio credere Ioseph vẽditũ: quamuis auctores de hoc varient, quoniã Ioseph in figuram Domini præcessit, & Ioseph vẽditus est in seruitio perpetuo, Dominus autem solũ modo manifestatus est sine turbis esse. B Cõstituerũt ei se daturos, nõ tamen dederũt, nisi post perditionẽ [*Exinde quærebat oportunitatẽ, vt eum traderet.*] Subauditur. Sine turbis traderet & aliis, & ipse non haberet. *Prima a. azimorũ.*] Hoc est prima die quo fermẽtatos panes abiiciebãt ipsa dei paschæ, quoniam tunc etiã azimos comedebãt. Mane quinta feria interrogauerũt & vespere venit ipse post eos in ciuitatẽ comedere agnũ. [*Accesserũt discipuli eius, Petrus & Andreas qui seniores, & ætate & sapientia erãt.*] Nã Ioan. iunior illic erat: intereos fuit Iudas qui pecuniam Domini custodiebat. [*Vbi vis paremus tibi comedere pascha?*] Præceptum & vsus erat in illa terra, ad festa præclara ad templũ Domini venire, agnum tamen comedere cum quo voluisset, tantũ si minor esset familia in domo, assumeret vicinũ domus suæ. Idcirco interrogabant vbi vellet agnum manducare, quia Iudæ ministerium erat ipsum agnum & alia necessaria comparare. C (*At Iesus dixit. Ite in ciuitatem ad quendam & dicite ei.*) Quid necesse erat nomen dicere cum ipse ducem suum eis ostenderet dicens.

[*Introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo amphoram aquæ portans, sequimini eum in domum in quã intrat, & dicetis patrifamilias domus.*] Quod Mattheus intendens ad alia, alteri dicendum reliquit. Marcus similiter de lagena dicit. Sed amphora & lagena pro vno ponuntur, & à Græco vtraque nomina oriuntur. Significãt autẽ vasculũ fictile ansas duas habens, quod rustici ad conseruandam aquã solent habere. Mystice per aquã lauacrum pro ablutione mundi ostenditur, pascha spiritale volentib. celebrare. Per amphoram & lagenam fragilitas nostra quæ erat abluẽda per baptismũ. (*Magister dicit tẽpus meũ prope est, apud te facio pascha.*) Quod dicit tempus meum prope est, subauditur, ad celebrãdum pascha. Neq; enim ille sic fidelis erat, vt ei de sua vicina morte indicare debuisset, quia si fidelis D fuisset discipuli domum nossent, & frequentius Dominũ suscepisset. (*Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & parauerunt pascha.*) Videlicet parauerunt quę necessaria erant, & ornauerunt domum. (*Vespere autẽ facto discumbebat cum duodecim discipulis suis.*) Agnus ad vesperã iussus est immolari, ipsa nocte quando percussor debebat trãsire, siue quia nocte Luna mutatur, quando fit in quarta decima, quia potestas Lunæ in nocte est, siue quia populus Israel in ipsa nocte fugit de terra Ægyptiorũ. (*Et edentib. illis dixit. Amen dico vobis, quia vnus vestrum me traditurus est.*) Qui de passione prædixerat, prædicit de traditione, vt agat cõscius pœnitentiam, & non designat eum specialiter, ne impudens factus peior fieret. [*Filius quidem hominis vadit sicut scriptũ est de illo.*] Vadit, id est ad mortem, sicut scriptum est. In multis scripturæ locis hoc dictũ

A est, vt in Esaia. Propter scelus populi mei percussi eũ. (*Væ autem homini illi per quem tradetur.* Hoc est perpetuum. Væ autem homini illi imminet in inferno, quia pro auaritia suã illum tradet. Nã & pater tradidit illum & filius tradidit seipsum. Sed pater & filius pro charitate, Iudas pro auaritia. (*Bonum erat ei si natus non fuisset.*) Non quod aliquod bonũ habiturus quis sit nisi nascatur, sed simpliciter loquitur quod melius fuerit ei nõ esse, quã male esse. (*Respondens autem Iudas dixit? Nunquid ego sũ Rabbi?*) Superbia apparet in voce ipsius & incredulitas cum alij maiores illo dixerint Domine, & iste quasi nõ esset Deus dicit, Magister. Expectauit. n. & non cũ aliis se excusauit, quia volebat vt Deus illũ proderet manifeste, vt haberet occasionẽ vt diceret, iã quia tu ista improperas quæ non feci, debeo te derelinquere, & alium magistrũ quærere. Sed Deus præscius cogitationũ non inueniet in illo occasionẽ. (*Ait illi Tu dixisti.* Ac si dicat. Non ego dico, sed tu. Nõ inuenies in me occasionem vt me derelinquas. (*Cœnantib. autem eis accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit.*) B Postquã veteris paschæ, quod præceptum fuerat consummauit, & finem fecit vmbrarũ veterum, incepit initiare initium nouæ gratiæ nouique sacrificii. Accepit panem qui cõfortat cor hominis, & quod corpora humana plus continet, & ponit in eo sacramentum sui amoris. Sed multo magis ille panis spiritalis plene cõfortat oẽm hominem & creaturam, quia in ipso mouemur & sumus. *Benedixit* primum, quia in ipso homine hominum genus benedixit, & post, quem de S. Maria assumpsit, benedictionẽ diuinæ immortalitatis, & potentiã veraciter inesse monstrauit. *Fregit*, seipsum panem, quia ipse se voluntarius obtulit ad passionem, vbi pro facietate nostra fregit habitaculũ animæ suæ: sicut ipse dixit. Potestatẽ habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterũ assumendi eam. [*Deditque discipulis suis & ait: Accipite & comedite, hoc est corp⁹ meũ.*] Dedit discipulis suis sacramentum corporis sui in remissionẽ peccatorũ, & conseruationẽ charitatis, vt me- C mores illius facti, semper hoc in figura facerent, quod pro eis acturus erat, non obliuiscerentur. *Hoc est corpus meũ:* * id est in sacramento. (*Et accipiens calicẽ: gratias egit, & dedit illis dicens.*) Quia inter omnes vitæ alimonias cibus panis & vinum valent ad confirmandam & recreandam nostram infirmitatem, recte per hæc duo ministerium sui sacramenti confirmare placuit. Vinum namque & lætificat & sanguinem auget. Et idcirco non inconuenienter sanguis Christi per hoc figuratur: quoniam quicquid nobis ab ipso venit lætificat lætitia vera, & auget omne bonum nostrum. Sicut denique si aliquis peregre proficiscens dilectoribus suis quoddam vinculum dilectionis relinquit, eo tenore, vt omni die hæc agant, vt illius non obliuiscantur: ita Deus præcepit agi à nobis, transferens spiritaliter * corpus in panem, vinum in sanguinem, vt per hæc duo memoremus quæ fecit pro nobis de corpore & sanguine suo & non simus ingrati tam amantissimæ charitati. Quia au- D tem aqua miscetur in sacramento sanguinis eius, per aquam populus suus ostenditur pro quo mori voluit. Et neque vinum sine aqua, neque aqua sine vino, quia ipse pro nobis mortuus est, ita nos pro ipso vel pro fratribus nostris quod est Ecclesia, mori debemus. Vnde & de corpore suo sanguis & aqua exiit. Quod autem dicit: *hic est sanguis meus noui Testamenti*, ad distinctionem veteris Testamenti dicit, quod sanguine Hircorum peccatum non potuit emundare seruientibus peccatis. (*Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine, vitis vsque in diem cum illud bibam vobiscum nouum in regno patris mei.* Vitis Iudæa, vinum Patriarcharum & Prophetarum ac reliquorum electorum. Vsque tunc fecit Iudæa racemos vnde vinum flueret, id est opera per fidem. Ab oc-

* al. hoc est, verè in sacramẽto subsistens, vide Sixt. Senens. lib 6. Bibl. Sanctæ annot. 111.

* al. Panem in corpus & vinum in sanguinem. Vide Sixt. Sen. eodem loco,

cisione Domini labtuscas, vsquequo Enoch & Helias educant in regnum, in Ecclesiam Christi in fine seculi. Siue simpliciter ab illa hora cœnæ non bibit vinum: quousque immortalis factus & incorruptibilis post resurrectionem. Quod vero sacramentum corporis & sanguinis sui post cænam dare voluit discipulis suis, & nos ieiuni capere illud iubemur, hæc ratio est. Dominus ostendit figurale testamentum à se præceptum donec veniret verum, imposuit ille terminum & dedit initium noui Testamenti. Hac de causa nouū ante vetus celebrauit. Fecerunt autem multo Apostoli tempore similiter post alium cibum dominicum sumentes. Post vero cum venerunt Hebræi ad communicandum: tunc præceptum est in synodo vt vnusquisque homo (si etiam de aliis peccatis purificatus fuerit) prius reficiatur de cibo spiritali, & postmodum de temporali. [*Et hymno dicto, exierunt in montem Oliueti.*] Vel ex consuetudine Iudæorum ipsa die ante cœnam cantauit centesimum duodecimum Psalmum, i. *Laudate pueri Dominum*, vsque mediū centesimum tertium decimum. *Non nobis, Domine non nobis*, & post cibum reliquum quod restat, vsque centesimum octauum decimum Psalmum. Seu orationem illam quam Ioannes refert eum orasse ante comprehensionem. *Exiit vero iterum de ciuitate, & pergit in montem Oliueti vt det locum traditori & comprehensoribus.* [*Tunc dicit eis Iesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.*] Prædicit quid passuri sint, vt cum venerit hora patiendi leuius ferant. Et notandum quod dixit: in ista nocte quia sicut qui ebrii sunt, nocte ebrij sunt, sic qui scandalum patiuntur in nocte adhuc sunt, hoc est in ignorantia. Si enim perfecti essent in scientia, non posset terrena tentatio eis scandalum efficere, quia perfectorum est æquo animo inter aduersa & prospera stare. [*Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.*] Deus omnipotens ex persona sua locutus est per Zachariam, quod ipse daturus esset vnicum pro nobis morti, & Apostoli præ timore relicturi. Sed Dominus fecit sicut bonus pastor cum vidit leones & lupos venientes, iuit obuiam & opposuit seipsum morti pro ouibus suis. Et interim fugere oues cum viderunt mori pastorem. Dixit enim. *Si me quæritis sinite hos abire.* [*Postquam autem surrexero præcedam vos in Galilæam.*] Cum duris miscet læta, vt recreet animos eorum. Ouium dixit, quia ipsi dispergendi erant pro illius morte, subiungit quia resurget, & videbunt eum in Galilæa. Viderunt enim eum post resurrectionem aliquam discipulorum, sed pleniter in Galilæa. De qua apparitione B. Paulus. Deinde visus est Apostolis omnibus. (*Respondens autem Petrus dixit. Et si omnes scandalizati fuerint in te: ego numquam scandalizabor.*) Non de leuitate Petrus hoc loquitur, sed de ardentissima voluntate. Verum is qui sciebat omnia, nouerat quid homo faceret: non adhuc repletus Spir. S. (*Ait illi Iesus. Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam Gallus cantet, ter me negabis.*) Ecce & Petrus in nocte negat Dominum tertio, quia omne peccatum facilius in nocte surripit quam in die. Et omnis qui peccat in nocte est. (*Tunc venit Iesus in vallem quæ dicitur Gethsemani.*) Descendit de monte Oliueti in vallem Gethsemani, vbi est nunc Ecclesia, in loco quo ipse orauit. Gethsemani vallis pinguium dicitur, exemplo nos instruens, vt qui adorare desiderat in montem luminis ascendat. Habeat quoque vallem pinguium, id est humilitatem. (*Et assumpto Petro. Et duobus filiis Zebedæi, cæpit contristari & mæstus esse.*) Quia enim carnem assumpserat etiam passiones carnis habere necesse erat, præter illam solam quæ cum carne creata non fuerat, id est peccatum: quoniam contristari cœperat ne tristitia noxia cum bona se misceret, accepit quos solitus erat in secretis, vt cum eis semper diuina colloqueretur. Sic nos omnes facere debemus tempore tristitiæ, cum bonis & amicis loqui, vt non habeat in

A nobis locum tristitia, quæ mortem operatur, & tali modo vitabitur à nobis. (*Tunc ait illis. Tristis est anima mea vsque ad mortem.*) Secundum quod caro erat illud dicebat, non secundum impassibilem diuinitatem. Tristabatur autem, siue pro Iudaico populo, qui fuerat pars & populus Dei, siue pro Apostolorum tribulatione, seu etiam pro perfido Iuda, non autem pro morte sua quam voluntarie subibat: ordinatam cum patre ante multa curricula annorum. Nam & si dicamus secundum hominem contristatum, nihil obstat intelligi, quia caro erat & tristitia carnis passio est nisi Dei virtute toleretur. (*Et progressus pusillum.*) Lucas dicit. *Auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis.* Et qui veraciter se vult exaudiri, orationes secretas debet quærere, quæ remotæ sunt ab omni strepitu & tumultu vitiorum. Præmonens etiam in omni tribulatione nostra refugium & murum nostrum Dominum assidue flagitemus, vt ab imminenti periculo iuxta illius placitum liberemur. (*Mi pater, si possibile est transeat à me calix iste.*]
B *Mi*, vocatiuus possessiui est, à meo veniens. Dicit ergo pro Iudæis. Si possibile est saluari gentes sine abiectione Iudæorum, vt non ipsi mihi inferant mortem, fiat. Verumtamen, non quod humano affectu loquor, sed magis quod tecū in diuinitate disposui, fiat. Et hic exemplum capere debemus orandi, vt quandocunq; pro temporali nostra aliquā re Deo supplicamus, semper in fine illius placitam voluntatem amplius postulemus, vt si forsitan nos contra salutem nostram petimus, ille qui Saluator est noster, secundū suum consilium nos gubernet & exaudiat. (*Et venit ad discipulos suos & inuenit eos dormientes.*) Et tristitia pro Domino eos deprimebat, etiam & tempus erat quo soliti erant dormire. Solet enim post lachrymas & tristitiam somnus accedere, maxime cibo indultis. (*Et dicit Petro sic. Non potuisti vna hora vigilare mecum?*) Vt Petrus præpatet se ad sustinendam tentationem, pro tristitia redarguitur. Ac si dicat. Si tristitia futura iā te oppressum haber, quid facies cum venerit? Apparet quia ne-
C gabis qui iam vigilare mecum non potest. (*Vigilate & orate.*) Et corpore vigilate & animo. (*Et orate, vt non intretis in tentationem.*) Non dixit, non tentemini quod non potest esse, quia nullus fuit qui non fuerit tentatus. Et qui non est tentatus, non est probatus. Non debemus orare vt non tentemur, sed ne inducamur in tentationem. Ideo dicit vt non intretis in tentationem quam ferre non potestis. [*Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.*] Spiritus, id est anima, parata est ad danda membra pro salute hominum, sed caro expauescit, sicut terrena res, terrena tormenta. Quid dicent qui puri homines sunt, si sic plenus diuinitate Dominus noster loquebatur. (*Iterum secundo abiit & orauit dicens. Pater mi, si non potest transire hic calix nisi bibam illum, fiat voluntas tua.*] Non quod humano affectu loquor, fiat, sed propter quod ad terras tua voluntate descendi. Si potest fieri, vt sine interitu Iudæorum gentium multitudo credat, passionem re-
D cuso. Si autem illi excæcandi sunt, vt omnes gentes videant, non mea pater sed tua voluntas fiat. (*Iterum tertio abiit, & orauit.*) Sicut tentatio tribus modis perficitur, ita arma contra tentationem ter expetenda sunt. [*Tunc venit ad discipulos suos & inuenit eos dormientes.*) Causæ superius comprehensæ opprimebant oculos eorum.

(*Dormite iam & requiescite.*) Per contrarium intelligitur. Ac si dicat. Non est tempus dormiendi, quia appropinquabit, qui me tradet. Et est Ironiæ species. Si autem secundum Marcum qui dicit. *Dormite*, & postea infert, sufficit, intelligimus eos aliquid spacij dormisse, & tunc dixisse Dominum satis habetis soporatum. (*Surgite, eamus.*) Ac si diceret. Non nos inueniant quasi timentes & retractantes, vltro pergamus ad mortem, vt sciant quia non deuitamus neque fugimus. [*Adhuc*

ipso loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus exierunt, missi à principibus sacerdotum & senioribus populi.) Sacerdotes petierunt Pilatum, & Pilatus dedit vnam cohortem; id est, quingentos milites, & cum his sacerdotes miserunt suos seruos cũ côtis & sudibus, de quibus & Malchus fuit. [*Qui autem tradidit eum, dedit eis signum dicens. Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum.*] Timuit Iudas, ne ipse seipsum absconderet, sicut fecit quando volebant eum præcipitare & lapidare. Et ideo tale eis signum dedit, vt postquam eum osculatum habuisset, si ipse euanesceret, Iudas non perderet pretiũ. Apparet autem quia pius Dñs hanc consuetudinẽ habuit, vt quando à foris suus reuerteretur discipulus oscularetur eum. Quod nunc apud nos non fit, nisi post plures dies. Hoc signum & Cain habuit, vt omnes oscularetur præ timore similis in facto, similis in scelere, licet iste peior. [*Et confestim accedens ad Iesum, dixit. Aue Rabbi.*] *Aue* Latine dicitur, Græce *Kere*: Hebraice sicut ipse Iudas dixit, *Salameleeh*: verbum salutatorium, per quod totus mundus ex præcepto Romanorum se salutabat.

[*Dixitque illi Iesus. Amice, ad quid venisti.*] Per antiphrasin intelligitur, id est per contrarietatem: quasi non amicus qui tales hostes adducit. Vel amicus per cognitionem, non amicus per operationem. Ad quid venisti, subauditur perfice. Siue vt alius Euangelista Osculo filium hominis tradis? Quod signum pacis apud cunctas gentes est in discordiam conuertis. Constituerunt autem antiqui hoc signum pacis esse, vt iungerentur illi quos homines solent facere concordare, aut discordate. Et esset hoc signum sicut nos duo membra iungimus, sic omnia membra erunt vnum. (*Tunc accesserunt & manus iniecerunt in Iesum.*) Ante factum est quod Ioannes refert, quia cum dixit eis ego sum, abierunt retro sicut inuiti solent ruere, & ceciderunt in terram. Et cum habuerunt diuisos discipulos, tunc ligauerunt eum. O miseri, qui debueratis osculari pedes eius, manus ligastis. (*Et ecce vnus ex his qui erant cum Iesu, extendens manum exemit gladium.*) Petrus hoc fecit eodem ardore fidei quo & cætera. Placuit autem Domino ita fieri, vt omnes cognoscerent quod ipse nollet se defendere, & vt facta virtute, dimitterentur discipuli.

(*Et percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius.*) Quid cogitasti princeps sacerdotum, quando vidisti seruum tuum sanum, & illum qui hoc fecit morti adiudicasti. Typice, Malchus interpretatur rex. Et populus Iudæorum qui rex debuit esse se regendo, seruus peccati factus est. (*Et perdidit auriculam eius dextram.*) Per quam Dei audire præcepta debuit, sed eis Dominus restituit, qui credere voluerunt ex eis. (*Ait illis Iesus. Omnes enim qui acceperint gladium, subauditur ad malefaciendum, gladio peribunt.*) Si non materiali gladio, gladio inuisibili, siue verbi Dei gladio. Sed & frequenter videmus, quod is qui iniuste aliquem occidit, nisi pœnitentiam agat frequenter & ipse in præsenti moritur. Ipsa videtur esse sententia, quam ipse ad Noe locutus est dicens. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.*

(*An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum.*) Non est mihi necessarium auxilium duodecim Apostolorum, qui possum habere si volo duodecim legiones Angelorum. Nec debet habere duodecim, sed duodecim legiones. Vna legio apud antiquos sex millibus complebatur, quod sunt septuaginta duo Angelorum, in quot gentes linguæ diuisæ sunt. Contra vnamquamque gentem possum habere vnam legionem Angelorum. Frustra Prophetæ prophetauerunt: nisi sicut ipsi prophetauerunt, ego faciam. (*In illa hora dixit Iesus turbis. Tanquam ad*

A *latronem existis cum gladiis & fustibus.*] Venerant ad resistendum, si aliquis eum vellet liberare de turbis. Nam discipuli non habebant gladios, nisi illos duos quos emerant, quia nullus Iudæus arma ad bellandum portabat. Apparet & istos Romanos ad prædicationem Domini retro venisse, quibus ista loquebatur. Nam de principibus Iudæorum nullus ibi erat nisi serui eorum, qui venerant vt renuntiarent Dominis suis, si Romani voluntatem habuissent comprehendere illum. Non enim certi erant, si comprehenderetur. (*Hæc est hora vestra.*) *Omnis qui male agit, odit lucem, & omnes malefactores plus amant noctem quam diem.* (*Hoc autem totum factum est.*) Traditio, hoc est comprehensio. De traditione dicit Psalm. Qui edebat panes meos, magnificauit aduersum me supplantationem. De comprehensione. Sicut ouis ad occisionem ducetur.

[*Tunc discipuli omnes relicto eo fugerunt.*) Impleta sunt verba Domini dicentis. *Scandalum patiemini in* B *me in ista nocte.* Permisit eos fugere sicut pius magister, & dedit se ad discrimina. (*At illi tenentes Iesum, duxerunt eum ad Caipham principem sacerdotum, vbi scribæ & Pharisæi conuenerant.*) Matthæus summatim narrat, sed Ioannes dicit, qui adductus est primum ad Annam, quia in via erat venientibus & fuerat præterito anno summus Sacerdos. Deinde adductus est ad domum Caiphæ, qui erat ipso anno summus Sacerdos. Dominus enim præceperat, vt summus Sacerdos quamdiu viueret, locum summi sacerdotij obtineret. Sed Herodes vt munera caperet adinuenit, vt nihil amplius habetet potestatem nisi vno anno, nisi iterum redimeret. Et Romani postea ita fecerunt, quamdiu ipse locus stetit. Ad istum ergo quia princeps sacerdotum erat per redemptionem conuenerunt alij primores, & ibi falso iudicatus est morti, & de isto ductus est in prætorium.

Ob hoc non debet haberi in Euangelio Ioannis, C adducunt Iesum ad Caipham, per d sed à Caipha, vt sit ablatiua præpositio, & ablatiuus casus Caipha, quia si ministri noluerunt introire in prætorium quanto magis Caiphas qui princeps sacerdotum erat? Qui putabant se contamminari inter paganos qui habebant iam ipsos septem dies azimos. In Græco quoque ἀπὸ τοῦ Caipha, ablatiuo casu. (*Petrus autem sequebatur à longe.*) A longe sequebatur, quia erat cito negaturus. Adhuc tamen non videbat tormenta præparari, propterea sequebatur. Sed in atrium principis Ioannes illum introduxit, sicut ille refert, quia notus erat pontifici.

Sicut dicunt, quia Caiphas habebat sororem Ioannis in matrimonio, & Anna sororem Caiphæ. (*vt videret finem,*) videlicet quid iudicarent de eo sacerdotes. [*Principes autem sacerdotum & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, vt* D *eum morti traderent.*] Sciebant quod Romani non illum occiderent nisi causam dicerent. Et non inuenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Dicunt alia Euangelia, quod imputauerunt quod commouerit populum; & sequi se fecerit per suam prædicationem, & prohibuerit tributa dare Cæsari, & dixerit se Christum regem esse. Quæ omnia falsa erant. (*Nouissime venerunt duo falsi testes.*) Quia Dominus præceperat, vt ad vnius testimonium nullus condemnaretur: propterea duos ordinabant ipsi principes. (*Hic dixit. Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.*) Nec verba, nec sensum ita dixit Dominus. *Vos soluite templum hoc*, hoc est templum habitationis animæ meæ, & ego resuscitabo. Soluite, id est dissoluite, & resuscitabo. Plus pertinent ad corpus, quam destruere & reædificare, quæ ad petrinam domum pertinent. Hic apparet quod

omnis homo qui alio sensu dicit quam ille qui primus dixit falsus testis est, quia non eo sensu dicit quo ille dixit. Et quid eis nocebat si ille etiam sic dixisset? vel quod pertinebat ad eius damnationem. [*Et surgens princeps sacerdotum, ait illi.*] Quia Sacerdos non audiebat, neque Christum, neque falsos testes dicentes, vnde inueniret locum condemnandi illum, surgit de solio suo & adjurat, vt inueniat aliquam occasionem calumniandi. Iesus autem tacebat. Ipse enim sciebat, quia magis ad calumniam vellent retorquere quã credere, propterea tacebat. (*Et princeps sacerdotum ait illi, Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es Christus filius Dei.*) Intellexit iste iniquissimus põtifex quia adjuratus per nomen Dei, non duceret in vanum, sed responderet veritatem. Sed Dominus ita responsum suum temperauit, vt nomen suum videretur contemnere, neque etiam pateretur vllam calumniam. [*Tu dixisti. Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei.*] Id est illum qui filius hominis appellatur, videbunt boni oculis cordis habere eandem virtutem quam Deum, cum ascenderit in cœlum, & data fuerit ei omnis potestas in cœlo & in terra, & venientem in nubibus ad iudicandum totum mundum, qui à vobis iudicatus est. Quid facerent sui martyres, si ipse sic tacuisset. Iam quia dispositum habebat quia mori pro populo annuntiauit veritatem, vt daret exemplum martyribus suis, quod constanter debeant annuntiare vsque ad mortem. (*Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua.*) Consuetudo Iudæorum erat quando aliquid quasi blasphemiæ audirent, scinderent vestimenta sua. Quod Paulũ & Barnabam in Lycaonia quando Deorum cultu honorabantur fecisse legimus. Herodes autem, quia non dedit honorem Deo, vt nomen Dei quod sibi imponebatur falso respueret, ab Angelo percussus est. Intellexit ille sacerdos quod Dominus dixit, quod ipse ad dexteram patris sessurus & mundum esset iudicaturus, quod nulli alij conuenit nisi Deo. Sed quod ille putauit blasphemiam, nostra firma fides est (*Respondentes dixerunt. Reus est mortis.*) Proprium hoc Romanorum est verbum eis assiduum, & dicitur reus culpabilis. (*Tunc expuere in faciem eius.*) Vsus etiam erat Iudæis, vt quos pro nihilo ducebant, in faciem spuerent. Vnde & Dominus de Maria sorore Aaron. Si pater illius spuisset in faciem eius, debuisset septem diebus rubore perfundi. [*Et colaphis eum ceciderunt.*] Colaphus Græce pugnus dicitur. (*Alii autem palmas in faciem ei dedere.*) Sicut alii Euangelistæ referunt *cooperuerunt faciẽ eius*, vt quia Prophetam se dixerat, & irridendo dicebant. *Si Propheta es, dic per Prophetiam quis est qui te percussit.* De illa Prophetia debueratis plorare, quod iam vobis habuit prophetatum, quod circumdaretur ab exercitu Hierusalem. [*Petrus vero sedebat foris in atrio.*] Erat domus excellentior vbi sedebant illi sacerdotes, & stabat ante eos Dominus. Excepto illa, erat alia iuxta ipsam. Quod hic atrium dicitur, vbi serui principis sacerdotum focum habebant, & poterant de ipsa videre sedentes in concilio, ibi erat Petrus introducente Ioanne: vnde Dominus videre potuit Petrũ, & Petrus ipsum. Non autem audebat appropinquare illi, ne agnosceretur. Nam illi qui adduxerunt, in domum Pilati intrauerunt, & Dominum sacerdotibus dimiserunt. Atrium autem dicitur quasi atrum, videlicet ex fumo. Nam in templo Domini atria domus quæ ante principale tectum templi erant dicuntur. In illa ergo alia domo expectabat Petrus, volẽs scire vtrũ dimitterent eum sacerdotes, an adiudicarent morti. (*Et accessit ad eum vna ancilla dicens. Et tu cum Iesu Galilæo eras.*) Curiosum animal est fœmina, & ardens nouitate. Audierat ista fœmina à seruis pontificis qui illic fuerant, quod ille fuerat ibi quando comprehensus est Dominus, & nolebant dicere, siue ne audiretur virtus per hoc quod ibi fecerat, siue quia non audebãt

A manum leuare super eum, quia lex Romanorum est, vt qui in conuentu alium percussisset, manum amitteret. Et ista vel illa alia fœmina non potuerunt tacere, sed statim cœperunt ei improperare quia cum Domino in comprehensione fuerit. Et quod peius est, & iste sexus non defuit à persecutione Domini, sed tamen redimitur, & prima viris nuntiat resurrectionem.] *Et pusillũ, accesserunt qui stabant, Serui sacerdotis, & cognatus Malchi ipse dixit. Et te vidi cum illo. Alii dixerunt. Loquela tua manifestum te facit.*] Non quod alterius linguæ esset Petrus, quam illi arguebant, sed vnaquæque prouincia proprietates & sonos habet, quod non habent aliæ in quibus cognoscuntur homines. Vnde in actib. Apostolorum dicunt. Nonne omnes isti qui loquũtur Galilæi sunt. Et quomodo nos audiuimus linguam nostram in qua nati sumus? Et Petrus prædicans dicit ita vt appellaretur lingua eorum *Acheldemach*. Apparet in hoc dicto, quod aliter Hierosolymitæ, aliter Galilæi ipsum locum appellabant. [*Tunc cœpit detestari & iurare, quia non nouisset hominem.*]

B Melius fuerat B. Petro fugere cum reliquis quam stare & detestari, & negare Dominum, quia cum Dominum negauit, discipulum se illius esse negauit. Et hoc est quod modo faciunt qui tormentis cedunt, & negant se esse Christianos. [*Et continuo Gallus cantauit.*] Ante respexit Dominus Petrum, & tunc Petrus recordatus verbi Domini. [*Et egressus foras fleuit amare.*] Fragilis erat adhuc B. Petrus, qui nec plorare ausus est in atrio sacerdotis. Spiritaliter designat quia non possumus inter malos perfecte agere pœnitentiam, & multum nocent consortia malorum. Inter discipulos positus Christum filium Dei confessus est, in atrio sacerdotis, eundem se negauit nosse. [*Mane autem facto consilium inierunt omnes principes sacerdotum & Seniores populi aduersus Iesum, vt eum morti traderent.*] Vide instantiam mali. Tota nocte vigilauerunt, vt homicidium perpetrarent. Inuidia & odium non permittebat cogitare ipsos quid faciebant, quin imo innocentem & facientẽ etiam virtutes mor-

C tificabant. [*Et vinctum adduxerunt & tradiderunt eum Pontio Pilato præsidi.* Habebant denique in consuetudine, vt quem adiudicabant morti, ligatum traderent potestati Romanæ, quia ipsi potestatem occidendi nõ habebant. Pontius dicebatur Pilatus, in prænomine suo à prouincia quæ est prope Constantinopolim, quia ibi natus fuerat, de qua Ponticum mare dicitur. Vnde dictum est mare Ponticum dulcius, quam cætera maria. Pilatus, proprium est illi. Pontius, interpretatur *declinans* consilium, quia dixit se declinaturũ consilium Iudæorum. Sed si perfecte fecisset, hodie illi placuisset. Pilatus *os malleatoris* dicitur, pro principatu in quo inique gessit super Dominum. [*Tunc videns Iudas qui eum tradidit quod damnatus esset, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus dicens.*] Iudas cupiditatis magnitudine non cogitauit exitum rei, & propterea tam immani præcipitio se tradidit. Sic multi faciunt, quando per-

D suadet amor peccati, tum obliuiscuntur pœnas inferni, & omnia Dei magnalia. Et cum perpetratum fuerit, tũ sciunt quia concupiscentia vulnerauit, & trãsiit, occidit, & abiit. Vnde & de senibus in Susannæ fabula dicitur. Et auerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iustorum. O detestande Iuda, pro triginta denariis Dominum & magistrum tradidisti: oblitus doctrinæ & beneficiorum eius etiam si Deus non esset. Cum ergo vidit quod potestati Romanæ traditus esset, tũc credidit quod ab ipso audierat, quod crucifigendus esset. Nam ante semper credidit, quod propitius sibi esse deberet & elapsurus de manib. Iudæorũ, & veniam à Domino impetrasset nisi se præoccupasset occidere. [*Peccaui tradens sanguinem iustum.*] Ecce miser Iudas testis Domini est, quod iuste semper vixerit, & nihil mali in illo viderit. Dicit B. Hierony-

mus, quia cum quis ita peccat vt possit opus malũ destruere, tunc potest agere pœnitentiam. Si autem non destruit opus malũ, non potest agere pœnitentiam. Ait enim. *Si quando sic peccat frater in fratrem, vt valeat emẽdare quod peccauit, potest ei dimitti. Si autem permanent opera, frustra voce assumitur pœnitentia.* Ista non cogitãt qui aliis contra iustitiam libertatem auferunt, aut alodem. Ecce vnum inseruit, aut aufert alodem, & nascuntur filij illi, & in fine seculi mille erunt qui contra ipsum clamabunt, quia sicut crescunt progenies, sic crescit peccatum illius & cum venit ad malũ confessorem, iubet abstinere ei à vino, aut à carne quadraginta dies. O perditio animarum! oblitus es quod Deus dixit, si offers munus tuum ante altare & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuũ & vade reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Nunc etiam dicitur quia in vanum agit pœnitentiam, quamdiu peccatum vegetauit & crescit. [*At illi dixerunt. Quid ad nos.*] Multum ad vos pertinet, quia si ille peccauit qui magistrum tradidit, vos qui principes populi eratis, nõ solũ non prohibuistis mala facere, sed offerendo pecuniam discipulum ad hoc prouocastis, & per mendacia ad iudicandum morti tradidistis. [*Tu videris.*] Videris in hoc loco non est præsentis temporis indicatiui modi, sed coniunctiui præteriti tẽporis. Quasi dicant. Præuidere antequam pretium acciperes debuisti, ne tale opus ageres vnde pœniteres. Iudas autem iã tunc non potuit destruere, sed principes potuissẽt si maluissent, quia Pilatus inuitus faciebat, etiam optionem dedit si voluissent dimittere. [*Et proiectis argenteis in templo recessit.*] Noluerũt principes recipere argentum, timentes si ipsi argentũ reciperent, & non redderent Dominum, abiret ad præsidem, & cognosceret præses eorũ malitiam. Ille vero sciens quod de templo ei data fuerant, in templum proiecit. [*Et abiens laqueo se suspẽdit.*] Sicut enim Achitophel cum vidit non factum suũ consilium statim intellexit quia Dauid reuerteretur in regnũ, & non potuit portare improperium quod futurũ super eum erat, & ob hoc suspendio interiit. Sic & iste cũ vidit impleri quæ Dominu dixerat de seipso, videl. tradetur gentibus: certus factus est reliqua secutura, i. occident eum, & die tertia resurget, & non ferens verecundiam suam laqueo vitam sibi extorsit. Verũtamẽ cœli terræque perosus, in aere periit Per triginta denarios quos accepit Iudas, triginta maledictiones sunt super eum in Psalterio: inter quas dicitur, & Episcopatum eius accipiat alter. Vnde pro certo cognoscitur, & ipsum cũ aliis Apostolum ordinatum. (*Principes autem sacerdotum acceptis argenteis dixerunt. Non licet mittere eos in corbanam.*] Corbanã Hebraice nominatur. Græcè Gazophylacium, Latine diuitiarũ custodia. [*Quia pretium sanguinis est.*] O miseri, pretium non licet mittere cum denariis, & vos immundos fecistis de homicidio. Quomodo audetis in templo Domini, aut sacrificium Dei, aut vasa eius attingere. Ideo dixit vobis Domin⁹, *quia similes estis sepulchris dealbatis.* Argentũ nihil fecit, & vos cõmaculastis vosipsos, discipulum & argentum, & modo de immunditia argenti cogitatis de vobis nihil. [*Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.*] Tunc fuit in sepulturã peregrinorum, & modo idem ipse locus hospitale dicitur Francorum, vbi tempore Caroli villas habuit, concedente illo rege pro amore Caroli. Modo solummodo de eleemosyna Christianorum viuunt & ipsi Monachi & aduenientes. [*Propter hoc vocatus est ager ille Acheldemach, hoc est ager sanguinis.*] Non solum Christianorum scripta, verum paganorum ac locorum nomina, sacrilegium Iudæorum testantur vsque hodie quamuis Basilica ibi in vna parte habeatur. Et videtur quasi à Latino quod est ager, & Græco quod est emath, i. sanguis compositum nomen. [*Tunc adimpletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam dicentem.*] Quia omnia acta Domini prædicta sunt à Prophetis, minus possumus ambigere. Et dignũ erat vt
A
omnes boni qui veniebant de illo adnuntiarent, & hoc etiam quia triginta denariis venũdandus, & quia ager de ipsis cõparandus erat. [*Iesus autẽ stetit ante præsidẽ.*] Præses dictus est, eo quod præsideat ad tutelam loci. Vt enim minueret Imperator vel Romani potentiam Iudæorum, primo misit alienigenam Herodẽ. Post mortem eius diuisit in *triarchas*: inde in *tetrarchas*, ad vltimũ in præsides & præfectos. Et si ita non egissent, non deleuissent eos quãdo voluissent. Paulatim & per partes hoc egerunt, vt sapientes. Idcirco totũ domuerunt, & in potestatẽ suam redegerunt. [*Et interrogauit eum præses dicens. Tu es Rex Iudæorum.*] Pilatus nihil aliud interrogat nisi de rege Iudæorũ, quia timebat ne aliquis sibi tyrannidem assumeret, sicut Theodas: quoniam ob hoc præsidebat ipse prouinciæ, vt hoc custodiret. *Dicit illi Iesus. Tu dicis*] Quãdo eis locutus est, semper vt veritas veritatem locutus & moderate, vt nullus posset reprehendere nec loquacitatem, nec taciturnitatem
B
eius. *Et cum accusaretur à principib. sacerdotum, & senioribus. populi, nihil respondit.*] Si enim voluisset per omnia respondere vt posset, dimitteretur, & non fieret necessaria redẽptio. [*Tunc dicit illi Pilatus. Non audis, quanta aduersum te dicunt testimonia.*] Suadebat ei Pilatus se defendere, quia volebat eum liberare. [*Et non respondit ei verbũ: ita, vt miraretur præses vehemẽter.*] Mirabatur, quia nolebat se excusare sicut reliqui homines, qui ad mortem imputantur. Quis enim nisi pro Deo moreretur, non quanta instantia posset ageret ne moreretur? [*Per diem autem festum consueuerat præses dimittere populo vnum vinctum quem voluissent.*] Ob reuerentiam scilicet festi concedebatur vita vni reo. (*Habebat autem insignem vinctum, hoc est nominatum pro malitiis suis, qui dicebatur Barrabas.*] Bar, *filius* dicitur, Rabbi *magistri*, subauditur eorum, i. Iudæorũ. Ab illo enim die à Diabolo qui tanquam latro insidiatur causis Domini, tecti sunt & regẽtur vsquequo cõuertãtur. (*Congregatis ergo illis dixit Pilatus. Quem vultis dimittam vobis. Barrabam:*
C
an Iesum qui dicitur Christus. Sciebat enim quod per inuidiam tradidissent eum.) Quanta agit inuidia inter homines. Ecce Dominus nihil habebat in hoc seculo nisi victum & vestitum, & seruiebat omnibus prædicando, infirmos sanando, & tamen factione primorum oderunt illum, & occiderunt & elegerunt qui numquam aliud nisi male fecerat. Tales sunt populi. Qui habet potentiam, facile conuertit inferiores ad voluntatem suam, licet multum sit. Non recogitant quis iustior sit, sed quod principem suum intelligunt velle, ad hoc cõuertuntur. Et hæc propter dona fiunt, quia scriptũ est. *Diuitiæ addunt amicos plurimos, à paupere autem, & hi quos habuit separantur.* (*Sedente autem eo pro tribunali.*) Pro conditione, pro his quæ ad tribus pertinebant. (*Misit ad eum vxor eius.*) Antequam in palatium veniret, laborauit multum Pilatus, vt Dominus dimitteretur. Sed cum vxor mãdauit quia in somnis post quam dies factus fuerat multa de illo vidisset, tunc amplius satagebat. (*Nihil tibi, & iusto illi.*) Hoc est nihil tibi
D
nocuit: nihil illi noceas. (*Multa enim* (*subauditur somnia*) *passa sum hodie per visum propter eum.*) Ab Angelis videlicet. Diabolus enim cũ suis satagebat vt Dominus crucifigeretur, æstimans verum hominem esse. Nec mirum si ad istam fœminam Angeli venerint: cum & Balaam Deus locutus sit, & Cornelio Angelus apparuerit. (*Principes autem sacerdotum & seniores persuaserunt populis vt peterent Barrabam, Iesum vero perderent.*) Non est peccatum peius quam inuidia. Ecce vxor Pilati & Pilatus iustum pronuntiant Dominum, & ipse traditor & principes seducunt populum, vt eligant Barrabam qui multa mala eis fecerat & de homicidio & de latrocinio, & tradant Dominum morti, qui multa bona opera operatus est eis. Sed adhuc talis est consuetudo apud plures, vt quicquid viderint vel audierint principes suos laudare, laudent absque examinatione, vt vituperent omne quod vide-

rint eos vituperare. Sed vnusquisque cum audit aliquem vituperare aut laudare, debet se custodire ne aut bonum dicat malum, aut malum dicat bonum, quia væ veniet ei qui hoc facit. [*Respondens autem præses ait illis. Quem vultis vobis de duobus dimitti?*] Quia principibus persuadere non potuit, vt Dominum dimitterent, retulit hoc ad generalitatem, vt si principes propter inuidiam valebant illum perdere, populus qui expertus fuerat eius multiplicia beneficia peteret eum viuere, quia si vulgaris populus eum petiisset, contra principum voluntatem seruaret eum vitæ Pilatus. Vel quia hoc sacerdotes cognouerunt, ante persuaserunt turbis, vt Barrabam eligerent. [*At illi dixerunt. Barrabam.*] Sic est consuetudo hodie vt pro vno verbo principis, veritatem deserant.

[*Dicit illis Pilatus. Quid igitur faciam de Iesu qui dicitur Christus.*] Hæc omnia dicebat Pilatus vt liberaret eum. [*Dicunt omnes. Crucifigatur.*) Ante sexties clamauerant. Benedictus qui venit in nomine domini, & modo clamant crucifigatur. In istis sex diebus nihil aliud fecit nisi vobis prædicauit vsque ad vesperam, & quomodo commisit illa peccata pro quibus clamatis, crucifige. (*Ait illis præses. Quid enim mali fecit.*) Plures anni erant, quo Pilatus ipsum habebat ministeriū: malum ipsius non audierat, neque viderat, neque vos. (*At illi magis ac magis clamabant. Crucifigatur.*) Crimen non dicebant, quia nesciebant, sed vt seducti clamabant Crucifigatur. (*Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, s. in liberatione, sed magis tumultus fieret.*) Cum perspexerunt sacerdotes quia Pilatus volebat eū liberare, intulerunt dicentes. (*Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris.*) Timens & ista verba, & ne seditio in plebe fieret, quia satis prona erat gens ad excitandam seditionem: monstrauit omnibus quam inique illi agerent, lauans manus suas coram populo. Ac si verbis dixisset. Ecce isti qui legem Dei habent, & præcepta eius se dicunt custodire, faciunt de quo ego volo esse immunis, qui alienus à lege eorum sum. (*Innocens ego sum à sanguine iusti huius.*) Quia ego scio quod ipse iustus est, & vos innocentem vultis occidere, vos sitis rei, non ego, vos videritis. (*Et respondens vniuersus populus dixit. Sanguis eius super nos, & super filios nostros.*) Quia Pilatus innocentem se pronuntiauit, ad hoc responderunt isti dicentes. Nos simus rei, vt requiratur sanguis huius à nobis & à filiis nostris. Exauditi fuerunt Iudæi. Requisiuit Dominus sanguinem eius cum ipsa die Paschæ quo ipsi piaculum in saluatore commiserunt, à Vespasiano & Tito in Hierusalem quasi in carcere & illic ipsi homicidæ pessima morte perierunt. (*Tunc dimisit illis Barrabam: Iesum autem flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur.*) Quod Pilatus eum flagellauit inuitus hoc fecit, quia Romana lex præcipiebat, vt qui crucifigendus erat, ante flagellaretur. Traditus est itaque Dominus militibus verberandus & illud sacratissimum corpus pectusque Dei capax flagella secuerunt. Est adhuc columna in Hierusalem, ad quam ligatus fuit interim. O quis tunc posset credere, quod creator omnium in illo tempore haberetur, & multum miseri qui ibi interfuerunt. Iam frequenter habent dictum beati ventres, qui non genuerunt & vbera quæ non lactauerunt, & adhuc habent dicere. Attendendum autem quod dicit, tradidit eis, id est ad eorum voluntatem. Quamuis milites illum suscepissent, tamen illis traditus est, & ipsi eum susceperunt. Milites manus præbuerunt & ligna, sed Iudæi occiderunt, quia & Pilatus & milites inuiti egerunt quod egerunt. Nec tamen Pilatus immunis fuit, quia potuit liberare si vellet. Perituro enim si non subuenit qui potest, occidit. (*Tunc milites suscipientes Iesum in prætorio.*) De loco vbi Pilatus sedebat, qui *Lythostratos* dicebatur. (*Duxerunt in domum Pilati.*) *Lithos* Græce, Latine *lapis* dicitur. Lythostratos lapide stratos. A prætore, prætorium deriuatur. (*Congregauerunt vniuersam cohortem.*) Ipsa cohors quæ illum comprehenderat expectabat

A ibi ne forte aliquis tumultus oriretur. (*Congregauerunt ergo populum, quia nullus sine populo rex potest esse. Et exuerunt eum suis vestimentis, & circumdederunt ei chlamidem coccineā.*) Chlamis illa coccinea, pro purpura quæ reges soliti erant indui, circumdata est ei. Est quoque purpura quædam rubea cocco simillima. (*Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius.*) Pro diademate aureo, spineam coronam, & pro sceptro quod reges solent ferre imposuerunt ei arundinem. Omnia ista ad illusionem fecerunt eo quod accusatus fuerit, quia regem se dixerit. Corona spinea, Ramus præcisus de spinis fuit, & plicatus sicut circulus, & impositus super caput eius. Calamus autem ei datus, qui abundat in ipsa terra, & leuitate eius omnes propter hoc ferunt in manu. Typice per spinas peccata nostra significantur, quæ accepit in corpore suo vt moreretur in cruce pro peccatis nostris, qui peccatum non fecerat vllum. Calamum habebat in manu, vt omnia venenata se deleturum ostenderet. Siue calamum tenebat vt sacrilegium scriberet Iudæorum, quia cum calamo Græci & aliæ gentes scribunt. (*Et genu flexo ante eum.*) Sic erat consuetudo adorare regem, vel principes eius. Quod quia Mardochæus noluit agere obuiam Aman, deleri eum voluit cum progenie sua. (*Aue, rex Iudæorum.*) Aue, Latinum verbum est, & non habet amplius nisi aue & auete, & est verbum salutatorium, sicut apud Græcos χαῖρε, χαίρετε. Nam Hebraice *salamelech* dicitur.] *Et expuentes in eum acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius.*) Qui pro bono non fecerant quod faciebant, ostenderunt in spuitione & percussione capitis eius. [*Exeuntes autem inuenerunt hominem Cireneum nomine Simonem.*) Ioannes dicit, quia primus ipse portauerit crucem, & post obuiam habuerint Simonem quendam. Spiritaliter innuit quia Dominus crucem suam portauit, videlicet mortificationem in corpore suo, quia omnia peccata mortua fuerunt in illo.

(margin letters B and C stand beside the lines "rat vllum" and "mortificationem")

Et post portauit & portat gentilis populus, sequens vestigia eius. Cyrenen Lybiæ ciuitas est & interpretatur *hæres*, & Simon obediens. Quia enim obediens fuit gentilis populus prædicatoribus, factus est hæres de illa hæreditate. Vnde Iudæus populus glorificabatur de adoptione filiorum. Et recte de villa veniebat. Villa, Græce *pagos* & inde pagani dicuntur. Et hoc congruit gentili populo, quia de paganitate veniens, cœpit sequi Christum, & eum imitari. (*Hunc angariauerunt.*) Id est imposuerunt portare crucem post Iesum. (*Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha.*) Euangelista exposuit, quod est *Golgotha*, id est Caluariæ, subauditur locus. Syrum est, non Hebræum, tamen Hebræi sic appellabant ipsum locum. Quia ibi Caluariæ auferebantur reis hominibus: locus extra ciuitatē. Placuit Deo ibi mori vbi rei puniebantur, vt erigeretur vexillum virtutum, vt quomodo crucem & reliqua improperia, sic etiam hoc pro nobis subiret: Qualiter

D autem in cruce fuerit, Sedulius pulchre comprehendit dicens.

Neue quis ignoret speciem crucis esse colendam
Quæ Dominum portauit ouans ratione potenti,
Quattuor inde plagas quadrati colligit orbis.
Splendidus auctoris de vertice fulget eous
Occiduo: sacra lambuntur sidera planta.
Arcton dextra tenet: medium læua erigit axem,
Cunctaque de membris viuit natura creantis.
Et cruce complexum Christus regit vndique mūdum.

(*Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.*) De ipso malo vino vnde postea dederunt, inde & modo dederunt, siue æstimantes eum sitire pro baiulatione crucis: siue quia latrones hoc petierunt. Et cum dedissent illis, dederunt etiam Domino, siue vt Lucas dicit: *illudebant illum milites, acetum offerentes.* Typice vinea Domini Iudæa, conuersa erat in amaritudinem vt fa-

ceret vinum amarum. Quod autem dicit, & eum gustasset, noluit bibere, ostendit quia gustauit paululum, & ab ore remouit.

[*Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserunt vestimenta eius sortem mittentes.*] Ioannes apertius hoc exponit, quod alia vestimenra quatuor milites inter se partiti sunt. Tunicam autem, quia inconsutilis erat, sortem miserunt cuius esse deberet. Hoc significabatur, quia Euangelium disseminandum per quatuor angulos terræ. Ecclesia autem eius vna esset futura per totum mundum. Quia licet terrarum spacia separentur, electi tamen vnum corpus Christi sunt, & vna est Ecclesia Catholica, id est, vniuersalis. (*Et sedentes seruabant eum.*) Expectantes vt moreretur, & ne aliquis deponeret, vsquequo præses iuberet. [*Et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam. Hic est Iesus rex Iudæorum.*] Consuetudo erat apud Romanos, vt quãdo aliquis morti adiudicabatur, post omnium iudiciũ scribebatur causa pro qua occidebatur, & in loco vbi plectendus erat legebatur. Ex hac consuetudine Pilatus iussit scribi, & quia iratus est Iudæis quia crucifigebant eum, sic dictauit ipsum titulum. Et cum Iudæi petierunt aliter scribi, dixit. Quod scripsi, scripsi. Deo autem placuit vt sic scriberetur, vt cognoscant licet inuiti Iudæi, quia ipse est rex vniuersæ terræ, & ipsorum. Spiritalibus quoque Iudæis, hoc est confessorib. benignus rex. Fuit autem in trib. linguis scriptum, in Hebræo propter Iudæos, in Græco, quia nobiles Romanorum Græce loquebantur, in Latino, propter Romanos. Et istæ tres linguæ excellentiores in toto mundo sunt, & propter perfectionem sui, & propter eas quæ eas loquebãtur Hebraica, quia ipsa erat mater linguarum Græca, propter sapientiam. Quia sapientiores sunt omnibus gentibus & ipsa sonorior aliis linguis. Latina propter Romanos qui tunc orbi terræ dominabantur. [*Tunc crucifixerunt cum eo duos latrones vnum à dextris, & vnum à sinistris.*] Velint nolint Iudæi, omnia mystice aguntur. Licet ipsi putent turpe supplicium. Ecce Dominus medius crucifigitur, vt ostẽdatur, quia ipse est iudex populi boni & mali. Et sicut in iudicio boni ponentur ad dexteram, mali ad sinistram, ita & modo bonus ad dexteram, malus ad sinistram. [*Prætereuntes autem blasphemabant eum, mouentes capita sua.*] Qui ante non poterant eum videre præ inuidia quando virtutes faciebat, tunc ambulabãt coram ipso quia tunc eum videbant sicut ipsi semper optauerant. Mouebant capita, sicut solent facere hi qui superiores se arbitrantur, contra eos quos despiciunt. [*Vah, qui destruis templum Dei.*] *Vah*, interiectio est lætantis, quia lætabantur videntes quod semper cupierant. Fuit autem apud antiquos integra interiectio, *vah*. sed tamen multis gentibus est ista communis. Ob gratiam captãdam de principibus vulgares populi ista loquebantur, & principes vt illi amplius hoc iterarent, postea eadem loquebantur demonstrantes se sibi placere quæ dixerant. [*Similiter & principes sacerdotum dicebant. Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere.*] Nolentes Pharisæi, & inuiti testimonium perhibent Christo, quod alios saluos fecerit, & in hoc apparet, quia si vellet, posse seipsum de præsenti periculo liberare. [*Si rex Israel est descendat de cruce & credimus ei.*] Scandalum Iudæorum in hoc maximum erat, quia Dominus filiũ Dei sese dixerit, & regem Iudæorum, & hoc semper replicant & improperant. Quod autem dicũt descendat nunc de cruce, vel pro impossibilitate dicunt quasi non posset hoc facere, vel dæmones suadebant eis dicere hoc, quia iam sentiebãt virtutem Christi, videntes omnia elementa conturbari, & intelligentes creatorem mundi esse: pœnitentes quod crucifixissent eum: sicut Paulus Apostolus dicit. Si enim intellexissent, numquam Dominum gloriæ crucifixissent.] *Id ipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Per tropum qui appellatur silepsis, vtrique

A latrones introducuntur blasphemasse eum: cum iuxta Lucam vno blasphemante, alter confessus sit eum. Et potest fieri, vt primo ambo blasphemassent; postea vnus, cum vero vidit elementa turbari, conuersus est & credidit eum Dominum. Habuit vero idem latro tres virtutes in ipsa cruce, pro quibus Domini gratiam assecutus est, id est fidem, spem, & charitatem. Fidem habuit, quia Dominum credidit regnaturum, quem secũ videbat mori. Habuit spem, quia illa præmia quæ nos sperabamus, & ipse postulauit dicens. (*Memento mei Domine cum veneris in regnum tuum.*) Habuit charitatem, qui sociũ suum inter tormenta castigare studuit dicens. (*Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione es.*) Propterea meruit audire. (*Hodie mecũ eris in Paradiso.*) Hoc est in illo loco vbi diues Lazarum vidit cum Abraham. Qui Paradisus recte vocatur ad comparationem aliorum locorum infernalium. Vbi etiam depositos credimus illos, quos de pœnis inferni Dominus liberauit, vsquequo in cælũ ascendens secum illos B omnes in æternam Hierusalem duxit. Nam sicut Dominus primogenitus fuit ex mortuis, sic etiam primum suum corpus & animam in Paradisum cœlestem introduxit, & post alios, quod non fuit antequã in cælũ ascenderet post 40. dies. (*A sexta autẽ hora tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonam.*] Quia dominus sexta hora crucem ascendit. Sol abscõdit radios suos tribus horis in quib. Dominus in cruce fuit, & sicut ipse trib. horis in patibulo pependit, sic trib. dieb. in sepulchro iacuit. Et sicut non omnes tres horę completę sunt in passione eius, sic nec per omnes dies iacuit in sepulchro, sed à toto pars intelligitur. Iudæi suspicati sunt quod Eclypsis Solis Lunæ fuerit ipso tempore, sed non fuit, quia eclypsis solis non potest esse nisi in ortu Lunæ, neq; eclypsis Lunæ nisi in veteri Luna. Ea hora Dominus pepẽdit in cruce quã Adam peccauit in Paradiso. Nam scriptũ est, *quod audierit Adam vocem Dei ambulantis in Paradiso post meridiem.* Eadem hora qua Adam mortem induxit, eadem hora C secundus & verus Adam mortem vicit. Et sicut Dominus trib. horis pependit in cruce, sic Adã trib. horis fuit in Paradiso. (*Et circa horam nonã clamauit Iesus voce magna dicens. Eli Eli lamasabathani.*) Hebraica lingua ponitur iisdem versiculus propter reuerentiã Domini, quia oratio eius est, ideo non est interpretatum. Nõ autem habet in Hebræo respice in me, sicut in nostris Psalteriis, neq; meus, nisi vna vice, nec etiam in Græco. Nam Græce dicitur, *θεὲ ὁ θεός μου ἵνα τί ἐγκαταλέλειπάς με*, ex persona hominis qui patiebatur hæc loquitur, quia quasi omnia habebant Iudæ secundum suam voluntatem impleta, cum illum viderent mori in cruce. Non autem debet coniungi *l* cum *i*, sed separatim, nec debet habere in capite aspirationẽ. El enim primum nomen est de decem nominibus quibus Deus appellatur apud Iudæos, & inuenitur in nominib. Hebræorum in fine, vt Michael, Gabriel, Raphael. Dicitur autem Græce ἰσχυρὸς, id est fortis. (*Quidam autem illic stantes & audientes dicebant. Heliam vocat iste.*) Mi- D lites hoc dicebant, quia ignari erant Hebrææ linguæ. Sed & si Iudæi hoc dicebãt irridendo, & commutando in malam partem, vt reliqua. Nam & Heli Prophetæ nomen, Deus meus interpretatur. (*Et continuo currens vnus ex eis, accepit spongiam, impleuit aceto, & imposuit arundini & dabat ei bibere.*) Sicut Lucas refert, milites illudentes hoc fecerunt, quia & hoc Prophetatũ fuerat, & Dominus dixerat, quia sciebat Prophetatum de se, & nec dum completum dixit. (*Sitio.* Hoc est scio de me prophetatum, & nec completũ impleatur. Et tunc erunt omnia impleta quæ de mea passione fuerunt prophetata. Bene hunc potum fuit conueniẽs dari Christo, quia sicut acetum de bono vino fit, ita Iudæi de bona progenie mali erant facti. (*Iesus autem iterum clamans voce magna.*) Id est circumstantibus & audientibus. Quid clamauerit Ioãnes scribens inquit.

(*Pater, in manus tuas commmendo spiritum meum.*) Ipse homo qui quærebatur se derelictum à patre, ipse animam suam illi tradidit, & illi commendat à quo creatum corpus & anima eius fuerat, id est à diuinitate. Quod Græce dicitur *ischiras isu paratisso, meto pneuma mu.* εἰς χεῖρας σοῦ παραθήσομαι τὸ πνεῦμά μου. Quod bonum est homini Christiano dicere quãdo de corpore exire debuerit, exemplo Domini qui hoc ita dixit. *Emisit spiritum i. animam.* Quia vnde supra dixerat, potestatem habeo ponendi animã meam: inde dicunt modo emisit spiritum. Quid enim emittere spiritũ nisi & animam ponere? Sed anima dicta propter quod viuit; spiritus autem vel pro spiritali natura, vel pro eo quod spiret in corpore. Similiter animus pars animæ est, i. voluntas animæ. Mens autem & ipsa pars animæ. h. e. memoria. Ita autẽ hæc omnia adiuncta sunt animæ, vt vna res sit, & pro efficientiis diuersis diuersa nomina sortiatur anima. [*Et ecce velum templi scissum est in duas partes.*] Ante sancta sanctorum pendebat cortina satis pretiosa vltra quã nullus introibat nisi summus Sacerdos, & hoc semel in anno, & hoc quod intra erat dicebatur sancta sanctorum, quia non habebãt Iudæi sanctius aliquid. Ibi fuerat archa, antequam Hieremias illam absconderet, & ibi erat propitiatoriũ; tamen ex vno fronte apparebant, ex altera parte reliquum erat absconsum, & illud appellatur velum quia in illa velabar, h. e. celabat. Aliud velũ pendebat exterius: inter primũ altare & populum. De isto dicunt Iudæi quod scissum fuerit, & nõ primum: scinditur velum templi, vt ostendat omnia sacra transeunda ad populum gentilium. Ante enim dicebatur. Notus in Iudæa Deus: modo dicitur: *A solis ortu vsque ad occasum laudabile nomen Domini.* [*Et terra mota est, & Petræ scissæ sunt.* Refert Iosephus, superliminare quod infinitæ magnitudinis erat, fractum esse atque diuisum, etiam angelicas virtutes tunc in ipso tempore clamasse. Transeamus ex his sedibus. In omnibus his signis elementorũ creator debet agnosci, pro cuius morte elementa commouentur. Typice commouenda corda gentiliũ, & aperiẽda in Dei confessione. Aperta, quidem tunc fuerunt, sed mortui ex eis non resurrexerunt nisi post Dominum resurgentem, vt sit promogenitus ex mortuis, quia nullus ante ipsum immortalis resurrexit, sed omnes iterum mortui sunt, vt Lazarus. Isti autem immortales resurrexerunt, & cum Domino ascenderunt. Dormientes dicũtur mortui in omnibus scripturis diuinis, & locus vbi quiescunt κοιμητήριον, Hoc est dormitorium dicitur Græca lingua, vt veraciter ostendantur omnes resurgendi in fine mundi. [*Et exeuntes de monumentis, post resurrectionem eius.*] Quod dicit resurrectionẽ eius, & ad hoc respicit quod dicit, surrexerunt, & ad hoc, exeuntes de monumentis. [*Venerunt in sanctam ciuitatem.*] Adhuc vocatur Hierusalem sancta propter templum Domini, & vasa quæ ibi fuerant sanctificata, & multos sanctos qui ibi erant viuentes: licet nos non per omnia habeamus de eis. Nam post inuenimus Apostolos ibi orasse: & omnem cultũ religionis obseruasse, vsque ad subuersionẽ eius: anno quadragesimo secundo ascẽsionis eius. Quod tempus datum est eis ad pœnitentiã agendã. Et quia noluerunt agere pœnitentiam egressi duo vrsi sunt Vespasianus & Titus de saltu gentilium: & occiderunt ex eis vndecies centena millia, & eduxerũt centum millia. Quod dicit apparuerunt multis: ostenditur non fuisse generalis resurrectio, sed specialis, vt & hi resurgerent, quos Deus chariores habuit; & illis apparerent qui electi erant ad cognoscendum arcanum Dei. [*Centurio autem & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræmotu & his quæ fiebant, valde timuerunt.*] Centurio iste sicut habemus scriptum, ipse fuit Longinus, qui iussu Pilati aperuit latus Domini. Noluit enim Pilatus, vt eius crura cum latronib. frangerentur, quod crudele satis erat & inhonestum & ne Iudęi dicerent, non eũ fuisse mortuum, sed quasi spasmum fuisse passum. Nulla autem

A causa sic miratus est Centurio, quomodo quando voluit & quando dixit in manus tuas commendo spiritũ meum: tunc mortuus est. Alij enim homines nec quãdo volunt nascuntur, nec qua volunt hora moriũtur. Et in hoc maxime cognouit Deum esse, & propterea credidit, & baptizatus: etiã pro Christo postea occisus est ab Octauio præfecto. Non solũ autem ipse, sed milites glorificauerunt Deũ. [*Erant autẽ ibi mulieres multa à longe, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei.*] Fuit consuetudo inter Iudæos quod Prophetis & prædicatorib. legis mulieres ministrabant de substantiis suis victũ atq; vestitũ. Et non erat inter eos vlla reprehensio in gentib. quia scandalum potuit generare, noluit agere B. Paulus. Vnde dicit. *Numquid non habemus potestatem mulierem circumducendi, sicut Cephas,* & reliqui. Ministrantes autẽ de substantiis suis Domino vt meterẽt eius spiritalia verba: nõ quod Dominus indigeret eorũ carnalia, sed vt ostenderet prædicatorib. hæc sibi iure deberi. Sed & Dominus quamuis Deus

B esset, tales comites & ministros elegit, de quibus nec quetela esse potuisset. [*Inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi.* Maria à qua septẽ dæmonia eiecerat, & Maria Iacobi, & Ioseph mater quæ erat matertera Domini, quia soror erat S. Marię. Matertera dicitur quasi mater altera, & mater filiorũ Zebedæi quæ filiis suis ibi seruiebat cum Domino. (*Cum autem sero factum esset.*) Præcipiebet lex, vt qui suspensus fuisset in patibulo ad vesperã deponeretur, quod ei de quinque regib. Iosuæ præcepit fieri, & idcirco crura fracta sunt vt morerentur & deponerentur. (*Venit quidam homo diues.*) Non propter aliquã iactantiã dicit Euãgelista quod iste diues fuerit, sed vt ostendatur idcirco potuisse impetrare corpus Domini quod diues fuerit, & decuriæ ordine: vnus videl. de consiliariis. Pauperes enim non erant ausi accedere ad tam potẽtem præfectum, quia non curabat de hoc quod Salomon dixit. *Qui despicit pauperem, peccat.* Nostri enim quib. præceptũ est pauperes colligere, ipsi

C despiciunt eos: quãto magis ille pagan⁹. [*Venit quidam homo ab Arimathia.*) Ab Arimathia: ipsa est Ramathaim, ciuitas Samuelis Prophetæ in regione Samnitica iuxta Diospolim. (*Nomine Ioseph.*) Nõ fuit iste nutritius Domini: quia ille pauper erat: non in alio loco Euangelij de hoc dicitur, nisi hic. Vnde ostenditur multos discipulos Dominum habuisse, de quib. non habemus scriptum, & qui non sequebantur, sed in domo sua faciebant quæ Dei erant. (*Hic accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu.* (Potentia ipsius monstratur, quod ipse per se accessit, & non per alium mandauit, sed etiam ipse quod illum quasi damnatum ausus est sepelire.

Et tradunt de eo, quod Iudæi pro hac causa miserũt illũ in custodiam, & ipsa nocte resurrectionis Domini eleuata sit in aere domus in qua clausus habebatur, & venerit, & eduxerit eum Dominus. Et post cum Iudæi requirebant corpus Domini à militib. dicebãt milites. Reddite vos Ioseph & nos reddemus corpus. (*Tunc Pi-*

D *lat⁹ iussit reddi corp⁹.*) Magnæ dignitatis fuit iste Ioseph secundũ seculum, & secundũ Deum, qui & potens fuit impetrare, & dignus ministeriũ sepulturę peragere. De isto Ioseph primus accipitur Psal. cantatus. Beatus vir qui nõ abiit in consilio impiorũ, & reliqua. (*Et accepto corpore Ioseph, inuoluit illud in sindone munda.*) Sindone, linteum dicitur, quod mercatus est nouum: de quo nihil nullius operis factum fuit. Et inuoluit ibi cum aromatibus corpus Domini.

Erat iam proximum obseruatio sabbati, & idcirco non potuit aliud facere nisi in gyro corporis posuit aromata, & inuoluit in sindone: & posuit in monumento sine cooperculo, vt post sabbatum reuerterentur cum aliis aromatibus & tunc diligenter aromatizaret Dominum. Sed quia Ioseph conclusus fuit in custodia à Iudæis, & mulieres pauperes non potuerunt in crastino præparari: tertia die volebant hoc

perficere, si corpus inuenissent. Ex hac consuetudine mos obtinuit in Ecclesia, vt corpus Domini in altari quando consecratur, non in serico, neque in panno tincto, sed in linteo consecratur. Iuxta quod à B. Syluestro constitutum in gestis pontificum legimus. Et ex ista sepultura Domini simplici ambitio diuitum condemnatur, qui nec in sepulchro volunt carere diuitiis.

[*Et posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra.*] In nouo monumento ponitur, ne si alius ante positus fuisset, dubitatũ esset quis resurrexisset. Et sicut in vtero S. Mariæ, nec alius ante eum, nec post eum iacuit. Et in excisa petra positus est, ne si ex minutis lapidibus fuisset ædificatum: suffossis tumuli fundamentis furto ablatus crederetur. Omnia ista propter nostram credulitatem facta sunt. Ante homines in domib. sepeliebantur. Sed cum fœtor inhabitantes necaret, præceperunt Romani publico edicto, ne in domo sepelirentur homines neque in ciuitate. Tunc quia graue videbatur sub dio puro sepelire cognatos & amicos, reuersi sunt ad antiquam sepulturam, vt exciderent in petris, siue sub terra criptas, & ibi sepelirent. Vnde pleraque adhuc inueniuntur & iuxta Romam, & in aliis terris, vt est cimiterium Calixti, vbi iacuit S. Cecilia, & S. Vrbanus cum multis militibus. Referunt de ipso monumento, quia mons est super naturalem petram: vbi stare terra perhibetur, & in ipsa petra excisa cripta, & in ipsa cripta excisum sarcophagũ in latere aquiloni: habet pedes septem in longitudine, trium palmorum in altitudine: cætero pauimento ipsa cripta tantæ altitudinis est, vt intro stans homo extensa manu vix possit attingere culmen, & rotunda in gyro. Quam similitudinem & ex nostris quæ in hac terra excisa inueniũtur possumus colligere. Habet autem colorem album cum rubicundo ipsa petra, & patens erat à meridie, vnde corpus dominicum est illatum, & super petram erat hortus. Nunc vero est conclusus locus, & in ipsa cripta Basilica consecrata. [*Et aduoluit s[...]um magnum ad ostiũ monumenti, & abiit.*] Idcirco aduoluit Ioseph lapidem ne bestia aliqua intraret, & corpus dominicum tangeret. Licet in gyro clausuram habuerit pro horti cura.

(*Erat autem ibi Maria Magdalena, & altera Maria.*) Istę sunt Mariæ de quibus supra dictum est: *soror Lazari, & mater Iacobi & Ioseph.* Nam Maria pro nimio dolore quo st viderat in cruce, non potuit ad monumẽtum abire. Sed ista Lazari soror optime recognouit liberationem suam, quæ viros & mulieres de obsequendo Domino vicit. Aliis remeantibus ad sua, istæ aspiciebant quomodo poneretur corpus, vt ei tempore congruo possent munus deuotionis impendere.

(*Altera autem die quæ est post parasceuen.*) Parasceuẽ Græco nomine, *præparatio* Latine dicitur, quã nos sextam feriam vocamus, in qua Dominus crucifixus est. Quæ ideo præparatio dicitur, eo quod tunc Iudæi sibi parabant quod edere in sabbato solebant. In sexto die Domino placuit crucifigi, quia Adam in sexto peccauit, & in ipsa eiectus est de Paradiso. Similes sunt illæ animæ quæ parant Domino de bonis operibus requietionis locum in cordibus suis.

(*Dicunt in sabbato ad Pilatum. Domine recordati sumus quia seductor ille dixit adhuc viuens, post tres dies resurgam.*) Ecce Iudæi nostræ saluti & profectui in hoc loco seruierunt, quia non solum Euangelistas, sed & custodes habuimus resurrectionis Domini. Sic faciunt qui contra Deum pugnant. Vnde ipsi satagunt, ne fiat quod ipsi nolunt: vnde ipsi præparant quod Deus habet dispositum. Optime fecerunt quando lapidem signauerunt, & custodes adhibuerunt: certiores nos reddiderunt de Domini resurrectione. Sed tamen perspiciendum quod adhuc vigeat in Iudæa in mentibus eorum quem nec nominare queunt præ inuidia, sed seductorem eum appellant. Si sciretis qualia custodes nuntiaturi essent: numquam eos ad custodiendum deputassetis. (*Ait illis Pilatus. Habetis custodiam: ite custodite sicut scitis.*) Non quod ipsi Iudæi milites habuissent in potestate, sed quasi dixisset. Ecce custodiam do vobis: ordinate quomodo custodiatur, vt non habeatis quid dicatis.

(*Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum.*) Id est de custodia & sigillatione. Nam sabbatum erat, propterea nihil aliud optati sunt, nisi per verbum. Apparet autem quia prope erat monumentum quod in sabbato ausi sunt ambulare. Et hoc videndum quia Ioseph cũ esset de Ramathaim prope Hierusalem, volebat se sepelire, vt illic resurgeret cum multis sanctis qui ibi iacebant. Persecutores vero Domini talem leguntur exitum habuisse. Primus Herodes qui illum voluit occidere, & pro ipso innocentes occidit: iussitque omnes scripturas diuinas aduri, vt putaretur progenies eius de regali semine Dauid esse, & accepit Mariamnam Aristoboli filiam, vt in perpetuum haberet eius progenies regnum. Sed quia iniuste & contra Dei voluit voluntatem, cito decidit. Ipse enim non plusquam tribus annis regnauit post innocentes iugulatos; vrebatur autem à foris igne sacro seu lento, corpus eius totum putridum erat de intus. Anhelitus eius tetrum odorem reddebat: pedum inflatio, & verendorum, & pro his omnibus maxima febris. Iam habebat occisam vxorem suam Mariamnam, tres filios suos de ea. Aristobolum, Hircacum, & Antipatrem, & alios tres. Et tamen in his dolorib. præcepit omnium nobilium filios recludi in vno loco, & vocauit ad se socerum suum, & ait illi. Ego noui quod Iudæi lætabuntur de morte mea, sed si tu voluisses, ego habuissem lugentes exequias, vt cum mortuus fuissem, interfecisses nobilium filios, & tunc haberem lugentes exequias. Ille promisit se ita facturum, sed nihil fecit, sed cum mortuus fuit, præcepit ille omnes dimitti. Postquam vero mala conualuerunt in eum, accepit ille cultellum, quasi ad purgandũ pomum, & occidit seipsum, & sic obiit. Archelaus vero filius eius, in Vienna exilio relegatus obiit. Herodes quoque tetrarcha Herodis filius qui Ioannem decollauit, & Pilato in passione consensit, Lugduno exilia tus est. Herodes alius, nepos Herodis, Aristoboli filius, qui Iacobum fratrem sancti Ioannis decollauit per quinque dies à vermibus in ventre comestus obiit. Pilatus vero propria se manu interfecit.

(*Vespera autem sabbati quæ lucescit in prima sabbati.*) Vespera à stella dicitur, quæ solet oriri prima aduesperascente die. Vespere autem sabbati, hoc est in sabbati vespere quæ incipit lucescere, pertinet tamen ad primam sabbati. Nam aduentum Domini dies præcedebat vesperam, & quicumque integram diem volebat celebrare, ante celebrabat diem, & post vesperam & noctem, vt significaretur quia Adam de Paradiso venit in mundum: quasi de luce ad tenebras, de innocentia ad peccatum. Post resurrectionem vero vespera & nox præcesserunt, vt ostenderetur quia de peccato iterum venimus ad innocentiam per Christum. Quod diuersa mulierum tempora describuntur in Euangeliis, non mendacij est, sed frequentia mulierum. (*Venerunt ad vesperam sabbati.*) Post ipsius diei vesperam venerũt cum adhuc tenebræ essent, id est venerunt primo mane. Hoc ergo dicit vespere sabbati. Ac si diceret, nocte quæ sequitur sabbatum. Ipso die quando passus est reuertentes parauerunt aromata & vnguenta, & sabbato quidem siluerunt secundum mandatum legis, vt à vespera vsque ad aliam vesperam obseruarent sabbatum. Ideoque sepulto Domino quamdiu licuit operari, idest vsque ad solis occasum, in vnguentis præparandis fuerunt occupatæ, & quod tunc non valuerunt, transacto sabbato emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Vespere, & masculini & fœminini generis inuenitur, tam apud Græcos quam apud Latinos. Sed tamen illi dicunt hespera per aspirationem: nos per v. vespere, quod in multis nominibus agimus, cum in nostram linguam transeunt, aut s. aut

v. ponentes pro aspiratione illotum, vt illi hex: nos sex. Quadraginta horas iacuit Dominus in sepulchro, & propterea per quadraginta dies apparuit eis. [*Et ecce terræmotus factus est magnus.*] Terræmotus fact⁹ est propter custodes vt terrerentur, vt non auderent prohibere venientes, & tamen videntes veritatemque adnuntiarent. Nihil enim sic terret mortalium pectora, quã tonitruum & terræmotus. Spiritaliter istæ duæ fœminæ, duæ plebes sunt Iudaica & Gentilis. Terræmotus, concussio Dei ex prædicatione Spir. S. [*Angelus Domini.*] Obsequia Angelorum per quos illud ministerium perfectum est. [*Reuoluit lapidem.*] Non vt Domino viam panderet, sed mulieribus monstraret iam abiisse Dominum, & vt claustra inferni deiecta, & superata doceret. [*Sedebat super eum.*] Idcirco sedebat vt ostenderet omnia Christum habuisse deuicta, & mortem & corruptionem. Nam quando natus est stantes apparuerunt Angeli, vt monstraretur quia haberet pugnare cũ Diabolo. [*Erat autem aspectus eius sicut fulgur.*] Et hoc ad terrorem custodum. Debet autem habere v. in nominatiuo, quia propter timorem custodum in fulgure apparuit. (*Et vestimentum eius sicut nix.*) Ad blandiciem mulierum factum est, vt in niuis specie appareret. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes. Et propter custodes talis apparuit, & vt signaret quia is quem nũtiabat, & terribilis reprobis, & blandus futurus esset iustis. In fulgure enim terror timoris, in niue blandimentum amoris. [*Respondens autem Angelus, dixit mulieribus.*] Ad hoc alius Euangelista dicit, quia dicebant mulieres, quis reuoluet nobis lapidem? Ad hoc dicitur respondisse. Primo pellit timorem, quia sic est consuetudo & ratio vt primo pellatur timor, cum quo non potest homo bene intelligere. Post verò audiant, de quo loquebantur ipsæ mulieres (*Nolite timere vos.*) Ac si aperte dicat. Illi timeant qui Iesum non amant, quia propter illos hæc terribilia facta sunt. Vos autem quæ Iesum quæritis nolite timere, quia ad illius obsequium veni, ad cuius & vos venitis, & vnum Deum habemus, & vnam voluntatem. (*Scio enim quod Iesum qui crucifixus est quæritis.*) Quoniã ego scio quod propter obsequium crucifixi venitis, nolo vt vos timeatis, vel me, vel terræmotum. (*Non est hic.*) Corpus ipsius quæritis, non est hic. Nam per diuinitatem vbique est. (*Surrexit enim.*) Per se resurrexit, nullius indigens auxilio, quia quantum voluit iacuit, & quando voluit surrexit. (*Sicut dixit.*) Quando de morte prædixit. (*Venite & videte locum.*) Vt si verbis meis non creditis, vel oculis vestris credatis, cum vacuum sepulchrum videritis. Sicut Dominus eius bonus, sic etiam missus eius. Si aliquis superb. alicui aliquid dixisset: nollet vt post eius dicta fidem cũ oculis quæreret, Sanctus autem Angelus etiam nihil requirentib. fœminis post sua verba explorare oculis iubet. (*Vbi posuerunt eum.*) Ioseph s. & Gamaliel, & Nicodemus, (*Et cito euntes dicite discipulis eius, quia surrexit.*) Quia discipuli fugerunt & vos semper stetistis; & hic enim frequenter requisistis, vos estote nuntij illorum, vt per vos discant, quæ fragilis sexus estis illi qui viri fuerunt & amplius vobis timuerunt. (*Dicite etiam Petro.*) Vt quia eum fœmina fecit negare, fœmina faciat confiteri, & qui per fœminam elongatus est de discipulis iterum per fœminam aggregetur. (*Et ecce præcedet vos in Galilæam.*) Id est antecedet vos in Galilæam. Et quamuis alio loco videatis, tamen generali visione discipulorum, ibi eum videbitis, ibi non sunt homicidæ qui eum occiderunt. Typice Galilæa transmigratio facta, vel reuelatio interpretatur. Et recte Dominus in Galilæa videtur, vt ipso situ corporis mysterium suæ resurrectionis discipulis loqueretur. In Galilæa videtur, qui iam de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de pœna transmigrauerat ad gloriam. Et nos exemplo discipulorum transmigremus de peccatis ad virtutes. Tunc videbimus Dominum in hoc seculo mente, in futuro facie ad faciem.
A (*Exierunt cito de monumento, cum timore & gaudio magno.*) Duplex mulierum mentes metus inuaserat, timoris & gaudij, & vnus ex miraculi magnitudine, alter ex desiderio resurgentis. Et tamen vterque fœmineo more concitæ actus nuntiantes discipulis, quia mulier viro mortem adnuntiauerat, & ad malum incitauerat: nunc mulier viris vitam denuntiat. (*Et ecce Iesus occurrens illis, dixit: Auete.*) Quia magnam curam habebant veniendi ad monumentum, & nunc iterum concito gradu de Domino pergunt adnuntiare. Recte merentur obuium habere Dominum, vt maledictum Euæ mulieris in mulierib. solueretur. (*Illa autem accesserunt: & tenuerunt pedes eius.*) Istæ accedunt & tenuerunt pedes eius, & osculantur, & adorant, quia credebant eum Deum. Illi vero quæ eum Deum esse dubitabat, dicitur. *Noli me tangere.* Dicunt autem multi, quia ipsa vna eademque fuerit Maria Magdalena, & primo dubitauerit: post vero ad vocem Domini correcta, meruerit osculari pedes Domini, & adorare eum.
B (*Tunc ait illis. Nolite timere.*) Naturale est hominum, cum aliquid supra naturam suam viderint timere: maxime fœminarum. Quia ergo videbant corpus incorruptibile & glorificatum vltra humanam naturam, pauebant. Quib. primo timor pellitur, vt æqua mente possint intelligere quæ dicuntur. (*Ite nuntiate fratribus meis.*) Propterea Apostoli fratres Domini dicuntur, quia eis sua clementia concesserat, vt inuocarent patrem Dominum dicentes. Pater noster, & reliqua. Et præceperat ne alium patrem auctoritatis nostræ inuocaremus, nisi patrem ipsius, etiam primogenitus ipse frater ex resurrectione factus est. (*Vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.*) Visus est Dominus ab aliquibus discipulis antequam in Galilæam pergerent, sed tamen generalis visio discipulorum ibi fuit: vbi nõ erant homicidæ qui illum occiderant. Et verbis & rebus Dominus discipulis se suaque facta commendat.
C Quia enim ipse de corruptione ad incorruptionem, de mortali ad immortalitatem transierat, quasi in Galilæa videbatur. Galilæa namque transmigratio facta interpretatur, siue reuelatio. Legi in quodam libro quod Galilæa illa pars ciuitatis vocaretur Hierusalem: pars quam Galilæi ædificauerant. (*Ibi me videbunt.*) Hoc est me videbunt qui occisus fui, non solum spiritum. Sedulius scribit quia Dominus resurgens primæ Mariæ matri visus fuerit. Sic enim dicit:

---Hoc luminis ortu
Virgo parens aliæque simul, cum munere matres,
Messis aromaticæ notum venere gementes
Ad tumulum---

Quæ cum abissent, ecce quidam de custodib. venerunt in ciuitatem. Permissum est militib. videre ex parte resurrectionem Domini, sed sub terrore, vt non auderent prohibere. Attamen non est præceptum adnuntiare, quia pro mala voluntate venerant: ideo non merentur fieri nuntij Domini, sed tormentorum suorum.
D (*Nuntiauerunt omnia quæ facta fuerant.*) Quia non erant Iudæi non celabant veritatem, nec in malam partem conuertebant donec Iudæi eos corrumpebant. (*Et congregati cum senioribus consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus.*) Pecunia argentum dicitur. Vnde & in Græco *argirion* dicitur. Ecce Iudæi qui dixerunt Domino, descende de cruce, & credimus tibi: surrexit de sepulchro quod maius est, non solum non crediderunt, sed & argentũ de templo Domini tulerunt, & pro mendacio dederunt, dicentes. *Dicite quia discipuli eius venerunt, & furati sunt eum nobis dormientibus.* Sapiens cito deprehendit veritatem & mendacium quod apparet in ambobus. Nunc suadent Iudæi apertum mandatum. Si dormierunt, quomodo scierunt qui furarentur. Si vero vigilauerũt, quare non prohibuerunt. (*Et diuulgatum est verbum istud apud Iudæos.*] Videlicet quod milites

in passione S,Petri inuenimus. (*Vndecim discipuli abierunt in Galilæam.*) Vndecim abierunt, quia duodecim° A occisus est. Et de Apostolis propter dignitatem sol ummodo Euangelista dicit. [*Nam & alii discipuli & fœminæ abierunt in montem vbi constituerat eis Iesus.*] In montem, id est Tabor, quem & ad secreta loquenda elegerat, & ad orandũ. Constituerat autem ante resurrectionem, quando prædixerat de sua passione & post resurrectionem per fœminas. [*Et videntes eum adorauerunt, quidam autem dubitauerunt.*] Vnde dubitauerunt Lucas ostendit dicens: *Existimantes se spiritum videre.* Putabant enim quod solummodo spiritum eius viderint, quia corpus quod viderant subtilius aliis corporibus erat, quod iã immortale & impassibile erat. Existimabant se spiritum videre. [*Quidam autem dubitauerunt.*] Dubitatio eorum nostram auxit fidem dum manifestius latus ostensum est Thomæ & loca clauorum in manibus ac pedibus. [*Et accedens Iesus, locutus est eis dicens.*] Et accedendo propius & loquendo dubitationem aufert, quod & corpus esset qui videretur, B & qui loqueretur. (*Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.*) Et data est potestas, qui Paulo crucifixus & mortuus erat, & qui resurrexerat. Nam secundum diuinitatẽ semper habuit, quia, hoc est ei habere quod esse, qui ante minoratus paulominus ab Angelis fuerat, supra Angelos eleuatus est. Per cœlum & terram, vniuersa creatura intelligitur. Typice vt ante regnabat in cœlo, per fidem credentium regnet in terris. [*Euntes ergo docete omnes gentes*] Ordo pulcherrimus, vt primo doceantur qui sit Deus pater, & filius, & Sp.S. per quẽ fit remissio peccatorum, & quia nisi quis corde crediderit & ore confessus fuerit, non habet remissionem peccatorum. Cum hæc homo intellexerit tunc debet baptizari. Nam si ætatem habuerit & hæc non crediderit, in vanum baptizatur sicut pecus aut metallum. Infantibus vero paruis pro eorum fide qui pro eis respondent fit remissio, sicut de paralytico dicitur. [*Vidẽs Iesus fidem illorũ qui offerebant, dixit paralytico. Confide* C *fili, dimittuntur tibi peccata tua.*] (*Baptizantes eos in nomine patris & filii & Spir. sancti.*) Sicut est æqualitas in Trinitate, sic in vocatione & immersione æqualitas, cũ vnoquoq; nomine & mersio celebrari debet: baptizantes, id est lauantes, quia sicut à foris ita interius mẽtem lauat. Et ideo cũ tali elemento res agitur, vt quod videt fieri à foris, credat similiter intus fieri, quia peccata quasi quædam sordes animarum. (*Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis.*) Superius præcepit docere de credulitate Dei, & de remissione peccatorum quæ fit in baptismo his qui credunt & cõfitentur, & credulitatem etiam habent, nunc præcepit vt doceantur baptizati, quid seruare debeant, vt vestem quam acceperunt in baptismo, immaculatam perferant ante tribunal Christi, & quia baptismum vnum est, & non potest iterari. [*Omnia inquit quæcunque mandaui vobis.*] Omnia subauditur præcepta quæ mandaui, id est commendaui custodienda vobis, vt qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant quæ præce- D pta sunt. (*Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.*) Quid est quod dicit, *ecce ego vobiscum sum:* cum alibi dicat. Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos cum adhuc essem mortalis, sicut & vos. Quod autem promittit: ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi, de præsentia diuinitatis, & adiutorio quo prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate. Quamdiu viuentes fuerunt fuit cum eis omnibus inuocationibus eorum, & modo vident faciem eius in contemplatione claritatis, quia corpore recedebat, diuinitatis præsentiam pollicebatur, ne diffiderent, licet corpus non viderent. Est Deus vbique & est etiam cum reprobis præsentia diuinitatis, quia cuncta videt & penetrat. Sed aliter est cum electis, vt faciat eorum volunratem, & secundũ suum placitum eos dirigat: vt Psalmista ait. Volũtatem timentium se faciet & deprecationẽ eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Qui autem dicit, vsque in finẽ sæculi debeat esse cum discipulis: ostendit se scire diem iudicij, & demonstrat quod post mortem discipuli esse debeant. Ecce ostendit duas sibi inesse naturas, vnam quæ recedebat corporis, alteram quam pollicebatur diuinitatis. Vnde conticescat Eutices Abba & Monachus, qui Christũ post humanam assumptionem negauit assistere de duabus naturis, sed solam in eo diuinam asseruit esse naturam. Cum enim hæc prędicaret, & non posset conuinci ab aliquo, Martianus Imperator congregauit Synodum sexcentorum triginta Episcoporum in Cidonia vrbe aduersus eum, & per quadraginta dies disputatũ est ab Episcopis cõtra eum & sex Monachos eius, & non potuerunt eos conuincere. Tunc in angustia Imperator constitutus dixit ad oẽm cœtum. Ecce nos reliquimus idola & voluptates nostras quib. pagani delectabamur, & modo abdicatis delectationibus pro fide nostra patiemur infernum. Sed scitote quia nisi cognouero verissime quid debeam credere, conuertam me ad seculi voluptates cum omni orbe terrarũ, vt si vitam æternam perdidero fruar delectatione seculi: & non doleam in illa vita vtrũque perdidisse. Ecce vos oẽs Episcopi non potestis conuincere istos septem, qui dicunt verbi Dei & carnis naturam vnã esse: & dicunt quia vos hæretici estis & vos hæreticos è contra eos putastis: sed in disputationib. contraire non potestis & ideo ignoro quib. potissimum credere debeam. Vos qui columnæ & rectores Ecclesiarum esse debetis inuenite consilium quo non pereat mundus, qui vobis à Dño est cõmendatus. Tunc respondentes Episcopi dixerunt Oremus oẽs Dñm vt ostendat populis suis, qui verum, quive falsum dicat. Tunc extitit quidã qui diceret quendam esse reclusum in petra, in similitudinem sancti Simeonis, Achatium nomine per triginta annos, qui virtutes faceret, & aliũ heremitam super Iordanem eiusdem famæ virũ. Tunc consilio Episcoporum præcepit illuc ire, & adducere illos. Cumq; venissent ad specum Achatij duo Episcopi, dixerunt ei mandatum Imperatoris & Episcoporum. At ille respondit: *Ego non ingrediar de hoc specu viuus, quia nec ambulare possum nec disputare.* Erat namque ad mensuram corpusculi eius excisa petra: ita, vt neq; huc neque illac se posset conuerti, sed quasi orans iacebat inclusus in petra. Panis autem dabatur ei per fenestram & potus. Quod de corpore eius iuxta purgationem humanam exibat, per foramen ad terram decidebat. Igitur cum Episcopi quod nollet exire, præceperunt destrui specum, & expelli eum. Tunc cœpit ille adiurare, ne viuentem eum expellerent: sed Episcopi pro salute populi non eum audierunt. Cumque eductus esset, fuit sic rigidus sicut in specu steterat, & non valuit se erigere aut ambulare, cũ equo tamen deportauerunt eum ad Imperatorem, simul cum illo alio heremita. Dixitq; ad eos Imperator. Quod vobis impedimentum fecimus, pro salute totius mundi fecimus. Quia ecce sunt septem monachi, qui dicunt quod vna natura filii fuerit in filio Dei post assumptionem carnis. Quod omnes Episcopi aliique cum eis denegant, sed in disputando non põt conuincere illos, & nisi subueneritis, omnes iterum ad paganitatem reuertemur: quia nescimus quid credere debeamus. Respondens Achatius dixit: *Ego non possum verbis contendere, quia diu est, ex quo disputare, vel sillogismos legere desini.* Isti autem ab infantia vsque nunc hoc studuerunt. Et magister gentium præcepit discipulo, dicens. *Noli verbis contendere, ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* Propterea necesse est conuerti ad Deum, vt ipse ostendat quis rectius credat: & si vult saluam fieri Ecclesiam suam Tunc interrogauit si esset in vicino aliquis locus, vbi Deus virturem ac signa per aliquem demonstraret. Dixerunrque ei, quod S. Eufemia virgo miracula demonstraret frequenter in his qui per eius

suffragium Deum peterent, quasi milliaria duo à ciuitate. Abijt Imperator cum omni synodo. Cumque peruenissent illuc, præcepit ille Achatius aperire sepulchrum eius. Quod cum aperuissent visa est jacere quasi dormiens in lecto. Venitque rex, & osculatus est eam in pectore & Episcopi, atq; omnis populus. Hoc facto, præcepit præfatus vir Episcopis & monachis: vt scriberet vnusquisq; fidem suam & sigillaret. Quod cum fecissent, posuit eas prædictus vir supra pectus eius vidente rege & Episcopis ac hæreticis. Quo facto, exierunt omnes de basilica, & clausæ sunt oēs in gyro: & sigillatæ de anulo regis, & Episcoporum atque hæreticorum. Dixitque Achatius ad oēm cœtum. Ieiunate & orate per tres dies in circumitum Basilicæ, vt ostendat nobis Dominus quorū fides beneplacita habeatur. Fecerunt ita vt præceperat. Die aūt tertia, dixit Achatius Episcopis & hæreticis. Videte diligenter sigilla vestra si salua sunt, ne postea aliqua dubitatio habeatur. Responderunt Episcopi & hæretici. Salua sunt signacula nostra, quia per vices tam nostri quam illorū in die ac nocte vigilauerunt. Quodcunq; nobis Deus ostenderit, absque dubitatione credemus, nec contradicemus. Tunc aperuerunt ianuas, & peruenerunt ad sepulchrum virginis, & viderunt quod vnā chartam haberet de pectore suo eleuatam, & super os suū missam, ac compressis manib. deoscularetur, aliam autem quasi corrosam à soricib. minutatim sub pedib. calcabat. Non tamen cognouerunt quæ vna esset & quæ altera. Dixitq; Achatius ad cœtum. Videtis quia vnam fidem osculatur per quam ipsa salua facta est, aliā calcat sub pedibus? Quid vobis videtur? Responderunt omnes, illi fidei omnes nos subiiciemur, quā ipsa osculatur. Eleuatisque manib. eius desuper charta apparuit esse charta Episcoporum, & illa hæreticorum corrosa. Quod videntes omnes glorificauerunt Deum, & corroborati sunt in fide sua. Hæretici quoque hæc videntes, proiecerunt se ad pedes Achatii, & crediderūt sicut in charta integra inuenerunt, & egerunt pœnitentiam ab errore suo. Postea vero reduxerunt illos bonos homines ad loca sua, & illum primum recluserunt in ergastulo suo, sicut fuerat, & illum alterum dimiserunt in solitudine sua & saluauit Dominus Ecclesiam suam ab errore perfidorum. Quod & nos filii Ecclesiarum orare debemus vt Deus omnipotens eam custodiat vsque in finem seculi inconcussam & incontaminatam vt absq; macula & ruga occurrat in die iudicii. quod annuere dignetur, qui pro ea effudit sanguinem suum Dominus noster Iesus Christus, qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

Explicit expositio super Matthæum.

EXPOSITIO BREVIS SVPER LVCAM.

LVcas ipse consurgens causa scribendi Euangelium, ne Pseudo Euangelistis esset facultas prædicandi falsa, sub nomine 12. Apostolorum falso fuisse Euangelia conscripta, quod Dauid in 24. sortes diuisit Sacerdotes cum Leuitis, & familias, & octaua sors Abia, vt præco noui testamenti monstraretur. [*Iusti ante Dominum.*] Non est iustus ante Dominum, si iustitia non ex mentis simplicitate formetur. Prius mandatum, posterius iustificatio. Cum iudicamus congrue, cernere Domini iustificationes videmur. Laus;à genere, ā moribus, ab æquitate, ab officio, à mandato, à iustificatione. (*Et forte exiit.*) Non tunc incensum erat ponendum, sed prisca forte cum inuicem Abia succederet in ipso anno. Incensum autem deferri decimo die septimi mensis expiationis, siue propitiationis, qui aliquando in Septembri, aliquando in Octobri occurrit, propter varium cursum Lunæ. Corda patrum conuertit in filios. Prudentia iustorum est, non de legis operibus iustitiam præsumere. Taciturnitas, & signum

A & pœna incredulitatis fuit. Angeli cum ad nos mittūtur, sic exterius implent ministerium vt tamen nunquam desint interius per contemplationem, quia circumscriptus non est. (*Post hos dies.*) Videlicet officij Zachariæ. Post diem expiationis, mutatio fiebat Sacerdotij, Aliter per Zachariam Sacerdotium Iudæorum: per Elisabeth legis sterilitas, quia nihil ad perfectum adduxit. Et licet Moysi temporibus & deinceps effloruerit, in aduentū tamen Domini quasi senectute confecta erat. Sacerdotiū Dei, secreta cognoscit Hebetes foris stant, & quinq; mensib. occultant, quia legifer per quinq; libros mysteria Christi per ænigmata adnuntiat: vel lex Christi dispensationem in quinque ætatibus præfigurat, (*Erat pater eius Ioseph.*) Opinionem vulgi expressit. Et multi adoptant, quos filios vocant. (*In signum cui contradicetur.*) Nam de secta hac notum est, quia vbique ei contradicitur. (*Lapis offensionis, vt reuelentur ex multis.*) Incertum erat, qui Iu-

B dæorum gratiam Christi recipere qui respuere vellet Anna venerandæ couersationis dignæ ætatis dicitur fuisse Christo testimonium dare, & Ecclesiam significat. Numerus annorum viduitatis quo peregrinatur in seculo, septies per septē duodecim duodeni: octoginta quatuor fiunt, quatuor ad huius seculi cursum duodecim ad perfectionem Apostolicæ doctrinæ pertinent, quisquis totum vitæ suæ tempus Apostolicis manciparet institutis, octoginta quatuor annis Domino seruit. Per septem quos cum viro suo manserat, dominicæ incarnationis tempus signatur: quia per septem *perfectio* significatur. Anna, *gratia Dei.* Phanuhel, *facies Dei*: Aser, *beatus*, & octauus in ordine nascendi. [*Reuersi sunt in Nazareth.*] Prætermisit Lucas quod dixit Matthæus, Dominum ex Ægypto deportatum. (*Sapientia & gratia Dei.*) Sapientia secundum carnem, quia in eo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Gratia vt dicit Ioannes, plenum gratia & veritate: quod Lucas sapientiam dicit. (*Et ibat in Pas-*

C *cha.*) Lucas recte vitulo assimilatur, qui de Zacharia narrat. Maria ad templum mittit Dominum cum hostia: Ioannem similiter non cum parentibus, & post laudantes Deum discipulos in templo. [*Sed cum esset annorum duodecim Christus.*] Vbi tempus affuit, vtramque suam naturam cœpit aperire, ne paruuli erubescant discere à senioribus. Deus auscultare voluit homines, ne infirmi docere audeant, non docuit vsque ad triginta annos. (*Stupebant super prudentia.*) Quia ætatem paruam videbant. Quasi homo interrogabat seniores; quasi Deus respondit, quod seniores & docti mirarentur. (*Iesus sapientia, ætate, & gratia proficiebat.*) Ætas ad carnem, sapientia ad animam, gratia ad intelligentiam naturalem, quæ concessa est causa rationis. Herodes & fratres eius, filii alterius Herodis; inter quos & ipsum Herodem, Archelaus frater eorum decem annos regnauit. Anna ante Cayphas ipso anno quo Dominus crucifixus est. [*De lapidibus filios Abrahæ.*] De quibus Paulus: Si au-

D tem vos Christi, ergo semen Abrahæ estis. Securis Christus qui retinetur ex manubrio, incidit, ex diuinitate. Arbor, genus humanum. Videtur quod circa tempus natiuitatis Domini pax per duodecim annos fuerit, vt compleretur quod Propheta dixit: Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, vt Apostoli per orbem ire possent. Prima descriptio quæ orbem terræ totum descripserit, vel certe primo cœpisse, quando Cyrinus Syriam venit. Augustus, Christum, consules, prædicatores. Denarius pro decem nummis de ære soluebatur, quod significat Decalogum. Securis ad radices, quando tota simul progenies tollitur. (*Qui habet duas tunicas.*) Per hæc quod tunica plus est necessaria, quam pallium, præcipitur vt etiam valde necessaria cum proximis partiamur. (*In igni.*) hoc est in purgatione sanctifica-

ſanctificationis, & probatione tribulationis. Etiam Spiritus ſanctus ignis nomine. Vnde dicitur: *Baptizabimini Spiritu ſancto.* Per paleam, iuſti examinis diſcretio. Per aream Eccleſia. Paleæ, iſti qui myſteriis imbuuntur diuinis. Zizania, qui non dignantur audire diuina mandata. Ioannes Baptiſta figuram legis tenet. Cœlum apertum propter nos, & propter nos Spiritus ſanctus, & reliqua. (*In te placitum meum conſtitui.*] hoc eſt per te gerere quod mihi placet, quia hunc non creaſſe pœnituit. Tricennalis, & à fide ſanctæ Trinitatis & operatione decalogi, triginta cubitorum funiculus erat, qui mare ambigebat, & vi. metretas capiebat. Ioſeph trigeſimo anno de carcere educitur. Dauid trigeſimo anno rex conſtituitur. Ezechiel trigeſimo anno apertos cœlos vidit. Tabernaculum longitudine triginta cubitos habuit.

Iacob & Heli fratres fuerunt, mortuo Heli, Iacob in vxore generauit Ioſeph. Matthæus per quadraginta duas generationes præſentis ſeculi ſignificat laborem Eccleſiæ. Lucas autem per ſeptuaginta ſeptem à Chriſto vſque ad Deum aſcendens, ſignificat aſcenſuram Eccleſiam poſt baptiſmum, & remiſſionem peccatorum ad cœlum. In generationibus Matthæi noſtrorum ſuſceptio peccatorum, à Chriſto. In Lucæ generationibus, obliuio peccatorum à Chriſto. Et ille deſcendens iſte aſcendens. Et Lucas de ſeptuaginta editione ſumpſit hanc generationem. Enoch in ſeptuageſimo loco, vt ſignificet qui ſpiritualiter decalogum impleuerint transferendos in requiem. [*Non tentabis.*] Suggerebatur enim tanquam homini, vt ſigno aliquo exploraret ipſe quantum eſſet, id eſt quod multum apud Deum poteſt, quod vitioſe fit cum fit. (*Vſque ad tempus.*) Poſtea enim acceſſit non tentaturus, tribus fraudibus expoſitis, omnem tentationem dicit eſſe conſummatam, quia videlicet his omnium vitiorum origines amplectentur, vt Ioann. ait: *omne quod in mundo eſt concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Et in Euangeliis, tribus ſolum negotiis ab æterna vita excluduntur. Primus pro villa, ſecundus pro bobus, tertius pro vxore. Vxoris apetitus, ſicut & gula ad concupiſcentiam carnis pertinet. Villæ emptio, pro auaritia ad ſuperbiam vitæ reſpicit. Probatio ad curioſitatem, quæ eſt vana gloria. Ad quod Dominus triplici telo armari iuſſit, vt ieiunio contra concupiſcentiam carnis, eleemoſyna contra auaritiam, precibus iactantia pellatur. In ſecundo libro Ioſephus repetit ea, quæ ante Dominus ante traditionem fecit ſcilicet primo anno, alii de ſecundo. (*Virtute ſpiritus.*) Signa miraculorum dicit. Primo Dominus virtutum ſigna monſtrauit per ſapientiam. Præceptum Iudæis fecerat, vacate & videte. Et domus ſynagoga dicebatur Vnctus eſt in Iordane præ participibus ſuis, oleo ſpiritali & virtute cœleſti. Diem retributionis, quo filius hominis venturus eſt in gloria. Aperuit Dominus librum, qui aperuit ſcripturam, reddit miniſtro, Apoſtolis. Stetit, quando incarnatus eſt, ſed quando in cœlum aſcendit plicatum reddidit, quia non omnibus omnia ſunt dicenda. Ideo implera, quia ſicut prædixerat ipſe & magna faciebat, & maiora euangelizabat. Teſtimonium illi dabant eum eſſe, de quo Prophetæ prædixerant. (*Fabri filius.*] quia pater Chriſti igne operatur & ſpiritu. [*Seipſum curare,*) hoc eſt virtutes in ſua patria iubet facere. Noluit Dominus alia morte mori, niſi in cruce. In poteſtate fit ſermo Doctoris, cum ea quæ docet operatur. [*Sine)* Quieſce à me torquendo. Non voluntatis eſt iſta confeſſio, quæ præmium non ſequitur, quoniam diabolus primus peccauit: ideo primo lingua eius obcluſa eſt. (*Et nihil ei nocuit.*) Non debilitauit in membris. Homines expellunt dæmones Dei verbo, Chriſtus propria poteſtate. Vir liberatus, animus hominis intelligitur, fœmina caro intelligitur à con-

A cupiſcentia refrenara. Non putauit ſe diabolus morte Domini eſſe damnandum Mare Galilææ & Tyberiadis & Geneſar, vnum eſt, & reria, quaſi retinentia dicuntur, non merſæ, ſed periclitatæ ſunt. Nondum cœperat ſacrificium ſui corporis, quia non oportebat auferri vetus, donec veniret nouum. In monte orat, in ciuitate prædicat, & ſatis contemplatiuè & actiuè vitæ exempla donat. Caphanaum etiam dicta eſt ciuitas Chriſti, quam illuſtrando virtutibus fecerat ſuam. Quatuor virtutes, ſobrietas, ſapientia, iuſtitia, & virtus. Paraclyt.us, homo peccator, turba, conſuetudo peccandi, domus, ſcriptura ſacra eſt, ſub tegulis, quia ſub conceptibili velamine. Cum lecto, hoc eſt cum carne debet Chriſtum cognoſcere, & lectum tollere, ipſam carnem refrenare per continentiam. Ad domum, & ad paradiſum ire, vel interna cuſtodia. Sanos, qui ſuam iuſtitiam nolentes conſtituere. Quicunque ieiunant niſi in membris Chriſti incorporentur, fruſtra faciunt.

B Ioannes ieiunauit vt meritum augeret, Chriſtus abſque peccato, peccata donauit. (*Nemo bibens vetus.*) Iudæos dicit. (*In ſecundo ſabbatho primo.*) Hoc eſt ſecundo Sabbatho, prima incarnatione, videlicet ſecundum, quia per legem præceptum primum, quia ante legem à iuſtis obſeruatus eſt. Panes ante Sabbathum coquebantur, & in Sabbatho ponebantur in duabus cum thure patenis aureis, vſque ad illud Sabbathum. P. Hebræi non ſonant. Alphæus Cleopas dictus eſt, & Alphæus *doctus* dicitur. Iudas Tarhæus Scarioth, *memoria mortis.* Maritima à mari, in qua Tyrus erat. Raro infirmum in monte inuenies curatum. Et ſi generaliter Chriſtus loquitur ſpecialius tamen in diſcipulos oculos leuat. Matthæus propter reſurrectionem, quinque ponit beatitudines. Lucas virtutes amplectitur. In paupertate temperantiam, in eſurie iuſtitiam, in luctu prudentiam, noſcentes pro quibus debeant flere, in perfe-

C ctione fortitudinem, vt valeant tolerare. Omnia iſta Dominus habuit. Prophetas, Pſeudoprophetas, dicit: Peccatum vſque ad mortem. Impugnatio charitatis fraternitatis, pro quo Paulus non orat pro Alexandro. (*Omni petenti.*] Id eſt honeſte & iuſte. Fructus malus, operatio carnis, fornicatio, &c. Fructus ſpiritus, bonitas, charitas. Spinas ſeculi curas, fundamentum ſingulariter Chriſtus, fundamenta pluraliter, Doctores. Foſſio intentio quæ de cordibus fidelium omnia terrena eruit moraliter. Fundamenta, vniuſcuiuſque cogitationes vel intentiones bonæ. Fluminis inundatio, portæ inferi, vel temperantia carnis. Domus diaboli mundus. Sine fundamento: quia omne peccatum non habet ſubſtantiam vel diſcrimen extremi iudicii. (*Erat moriturus.*) Quare dicitur moriturus cum non fuerit? Quia reuera erat moriturus, ſi Domini precibus non vixiſſet. Centurio fide acceſſit ad Deum. Dominus & humilitatem oſtendit in eundo, & potentiam abſens ſanan-

D do. Ad reguli filium ire noluit, ne diuitias honorare putaretur: hic, ne conditionem ſpreuiſſe videretur. Iſte gentium populum figurat. Seniores quos miſit: Eccleſiæ ſunt boni viri centum viris ſtipati. Quod ſignificat perfectionem virtutum. Centum annis ædificatur arca. Abraham centannis filium accepit. Iſaac centuplum inuenit, de læua centum tranſit in dexteram, centeſimus Pſalmus miſericordiam canit. Mittit Iohannes diſcipulos ad Dominum, vt credant in eum: & ideo Dominus fecit virtutes, & dixit: *Beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Qui minor eſt in regno Dei, vel Dominus vel angelus. Iuſtificatur Deus per baptiſmum, dum ſe omnes peccata propria confitendo iuſtificant. (*Spreuerunt in ſemetipſis, contra ſemetipſos.*) Hoc aliqui ex perſona Dñi, aliqui ex perſona Euangeliſtæ dictum putant & per hæc exponens de Phariſæo. Generatio

Iudæorum de ipsis cantauimus vobis Prophetæ. Qui autem dixerunt ad eos: *Saltatio religiosa, agilitas membrorum, cantus exultatio lamentum, conuertimini ad me in ieiunio.* Discipuli, filij sapientiæ. A

MAria primo in Galilæa, secundo in Bethania vnguento Dominum vnxit: Ecclesia vel anima in præsenti carnis eius mysteria celebrando, in futuro glotiam æternitatis, quod sibi turpiter exhibuit, hoc totum in Domino replicauit. Pharisæi, Iudaicum populum significant. Domus Pharisæi, custodia legis est, discubuit, in carne apparuit.

Duo debitores duo populi, vel Pharisæus & mulier. Fœnerator, *creator*. Chorozain, *ministerium meum*. Iohanna, *Domini gratia eius*, vel *Dominus misericors*. Susanna *lilium*. Maria, hic *amarum mare*, magdalum *turris*. In petra non fuit perseuerantiæ amor, nec in lampadibus, denarius perfectionis. Actiua & contemplatiua in decalogo. In actiua, dilectio proximi, in contemplatiua dilectio Dei. Lucerna, verbum Dei: vas electum carne, vel vas auaritiæ, terrenas voluptates, quæ sunt lectum, candelabrum, corpus. Qui enim habet idem amorem verbi, dabitur sensus intelligendi. Nauicula, hic crucem significat, gerasa colonum eiiciens, vel aduena eiiciens gentilitatem significat. Vrbs insignis trans Iordanem iuncta Galaath. Per virgam quæ secundum Marcum portanda, potestas accipienda in subiectis designatur. Et ne induerētur duabus tunicis, præcepit non dupliciter, sed simpliciter incedere. Diuersi conuiuantium discubitus, diuersas Ecclesias per orbem. Quinquaginta, quia quinquagesimus Psalmus pœnitentiæ. Dies assumptionis, tempus passionis dicit: (*Videbam Sathanan,*) non modo, sed prius videbam quando corruit. Scripta sunt nomina vestra, quasi litteris adnotata apud Dei memoriam fixa æternaliter. (*Reuelasti paruulis.*) aduentus sui Sacramenta Apostolis aperuit. Timore, damnat acumen. (*Omnia mihi tradita sunt.*) Id est omnia electa vt ad me veniāt. [*Nemo scit quis sit filius nisi pater, & cui voluerit filius reuelare.*) Quia ad vtrumque respicit, & ad filium & ad patrem. [*Quis vestrum.*) Amicus Dominus intelligitur. In media nocte, in tribulatione. In pane sui, intelligentia Trinitatis. Amicus qui venit de via, noster est animus, qui de terrenis ad Deum reuertitur. Ostium intelligentia diuini sermonis. Pueri patrisfamilias, prædicatores veritatis in requie. Et fide intelligentia datur, est homo. Panis charitas, lapis, duritia, piscis, fides propter baptismum. Serpens, infidelitas, in ouo spes. Scorpio, desperatio: Malos dilectores seculi, terrena bona quæ nobis bona videntur data à Deo. Confessio hæc ad laudem, quia Martha & Maria, & discipuli studiosi fuerunt ad audienda Domini secreta.

Lucerna humanitas, testa, lumen, diuinitas, candelabrum, Ecclesia, lucerna, sub modio, sub mensura legis, vel intra terminos Iudææ gentis. Corporis nostri lucerna intentio, corpus opera nostra. Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.

Qui decimatis has noui eleemosynas vestras, nec de his admoneo. Vno digito, hoc est nec in minimis perficitis. Non monumenta Prophetarum ædificare, sed interfectorem amare, peccatum est. Consentitis operibus eorum, Dominum qui eis de Prophetis pronuntiatus est iniuriis agendo. Sapientia Dei, ipse videlicet. Per Abel & Zachariam, vtriusque gradus martyres & laici, scilicet altaris officio mancipati. Clauis scientiæ, humilitatis Christi est. Intrare, est non esse contentum superficie literæ, sed vsque ad intelligentiæ secretioris arcana penetrare. Doctor, qui exemplo docuit. *Nec intrat nec permittit intrare.* Fermentum Pharisæorum, Hypocrisis. Attendite ne æmulemini simulatores, quia veniet tempus in quo eorum Hypocrisis reuelabitur. In templum Domini ædificatum tabulatum quinque cubitis super laquearia. Assis, si declinatur, masculini generis. Dipondius, genus est ponderis leuissimi, ex duobus assibus compositis. Quod de vobis non est cura Deo, cum de passeribus, subauditur dicit? Sed aliud scientia, aliud cura. [*Nonne vos pluris estis.*] Hoc est maioris precii. Est legendum quod ad comparationem numeri pertinet. Sed pluris estis, hoc est maioris apud Deum meriti & dignitatis, & æstimationis, quam innumera passerum vel corpora vel genera computamini. Non remittetur qui manifeste intelligens opera Dei, eadem stimulationis inuidia, calumniatur & Christum, & opera sancti Spiritus dicit Beelzebub, iste non dimittetur. (*Anima plus est, quam corpus.*) Anima hic pro ista vita posita est, vt est illud. Qui amat animam suam [*Pluris estis illis,*) id est charius valetis. (*Quod minimum.*) Id est adiicere ad staturam suam. (*Transiens.*] Tansit de iudicio, ad regnum redit. Quis, pro difficultate non pro impossibilitate posuit, id est rarum. Alio pro impossibili ponitur, vt quis similis tibi, id est nullus. Supra omnia cœlestis regni gaudia. Non vt soli docti Dominum teneant, sed vt abundantius cæteris sanctis æterna possessione fruantur, *Qui docti fuerint fulgebunt, & qui ad iustitiam erudiunt multos.* In vno malo seruo, cunctus populus malorum designatur. Aliud est nescire, aliud scire noluisse. Ignifer seruorum, Spiritus sancti gratia designatur. Sanguis inquit, pro intinctione ponitur, & prius ab eo perfundi, & sic corda inflammare. Et quo ardor nostri angebatur & coartabatur ærumnis tempore passionis, ex mora nostræ redemptionis non ex metu mortis. B

Quinque in vna domo pater & mater, & filius & filia nurus vel socrus. Synagoga, Christus, filia, Ecclesia. Nimbus, caro Christi resurgens, ex quo imber prædicationis, auster, æstus tribulationis, subauditur procedit. (*Quid autem & à vobis ipsis non indicatis quod iustum est.*] Hoc est quod homo est, nec mala quæ caueat, nec bona potest ignorare quæ appetit. Minutum siue quadrans, quarta pars vnciæ videtur, & quinta pars in atrio templi. Sacrificia deferebantur à laicis in interiora ad Pilatum. Os malleatoris, diabolus, miscuit bona opera cum viciis, & perdidit multos sicut & illi decem & octo, supra quos cecidit turris in Siloam, id est primo Chain. Significant eos qui nomen Domini iniqua specie imitantur, quia iisdem litteris nomen Domini scribitur. Turris Siloa quod interpretatur missus, & significat Dominum. Super quem ceciderit, conteret eum. Vel nos ædificare debemus turrim virtutum. Vinea, domus Israel. Ficulnea, synagoga. Cultor vineæ, ordo Doctorum. [*Succide eam per ramos.*) prædicatio Apostolorum) *Fodiam*] prædicem stercora malorum. Quæ fecit, commemorem. Si fecerit, non subiunxit, qui procliuiorem videbat ad malum. (*Mulier inclinata,*) pars synagogæ quia credidit. Per quatuordecim. i. sex per ætates & sex tempora Domini visitationis in terrenis intenta. Vidit, prædestinando, vocauit, per doctrinam, imposuit manus, spiritalia dona. Homo, Christus, ortus, Ecclesia, granum sinapis, verbum Euangelii, accepit à diuinitate homo Christus. Rami, dogmatum diuersitates, vel ipse Christus quem Ioseph sepeliuit in ortu. Fermentum, dilectio Dei & proximi, donec perficiamus omnia mandata. Quærunt intrare salutis amore, & non poterunt itineris asperitate. Claudet ostium, locum pœnitentiæ auferet. Manducauimus in obscurioribus locis scripturarum, bibimus apertiora. Fletus de arbore, stridor dentium de frigore, duplex gehenna ostenditur. C D

Eiicio dæmonia & sanitates perficio, hodie & cras, tertia consumor. Refertur ad corpus eius quod est Ecclesia. Expelluntur dæmonia, cum relictis paternis superstitionibus credunt in eum omnes gentes, & perficiuntur sanitates, cum secundum eius præcepta

viuitur. Posteaquam fuerit diabolo & huic seculo renuntiatum, vsque in finem resurrectionis, quia tanquam tertia consummabitur, hoc est ad plenitudinem Euangelicam. Per corporis etiam immortalitatem perficietur Ecclesia, vel hodie & cras præsens, & in futurum, quo ipse prædicauit tertia die cum resurrexit, omnia scripta de se consummauit. Non prohibuit fratres vel cæteros imitari, sed discreuit illam imitationem ab eleemosyna. Ideo non ait, ne fiat tibi peccatum, sed retributio. Sunt autem quædam conuiuia, quæ comessationes vocantur. Comessationes sunt luxuria, conuiuia. Si quis simpliciter exemplo facit filiorum Iob, sicut cætera fraterna officia, Deus remunerator erit. Panem in regno Dei manducat, si quis Christum incarnationis Sacramento frui meruerit, sed multius ore non corde. Ideo narrat parabolam de illis, cum duplo exercitu contra simplum venit, qui nos vix in solo opere præparatos, simul de corpore & cogitatione discutiunt. Stola prima vestis innocentiæ, serui prædicatores, anulum, fidei signaculum in manibus: vt per opera fides clarescat, calciamenta in pedes, officium Euangelizandi. Vitulus Christus. Hœdos apud ipsos Christus. Vnus de seruis, Propheta aliquis de Spiritu sancto. [*Omnia quæ habet pater mea sunt.*] De his dixit, quæ ad patris pertinent diuinitatem. Ista parabola & ad duos, pœnitentem & iustum potest referri. [*Deridebant eum.*] quia lex & Prophetæ non præcipiebant, ita omnibus bonis imo abundaturos, si legem obseruarent. [*Væ homini per quem scandalum venit.*] Id est Pharisæi irridebant doctrinam Domini, & auertebant alios ne in eum crederent. Vtilius est innoxium pœna atrocissima vitam finire corpoream, quam fratri nocenti mortem animæ mereri perpetuam, id est pusillus est qui scandalizatur contra iustitiam, non est curandum de scandalo fratris. Septuagies septies, quadringentis nonaginta vicibus. (*Auge nobis fidem.*] Quia Dominus dixerat supra. Si in alieno fideles non fuistis, idcirco hæc docuit. Granum sinapis gargarizatum, purgat caput, per pistillum, persecutio, per morum arborem omnes arbores, vel verbũ Euangelij in gentibus missum designatur. Seruus arãs aut pascens, quilibet Doctor intelligitur. Regreditur de agro, cum intermisso opere prædicationis ad conscientiam reuertitur. Cui non dixit statim transi de hac vita in æternam, sed stude virtutibus, cui præcingi, est mentem ab omnibus malis cogitationibus constringere. Si homo ab homine multa seruitia quærit quanto magis creator noster. [*Inutiles serui.*] quia Dominus vester bono vestro non indiget. [*Qui fuerit in tecto.*] in celsitudine virtutum. (*Vasa eius.*] concupiscentiæ carnales [*in agro*] in Ecclesia. Vxor, illos qui in tribulatione retro aspiciunt absque spe diuinitatis. [*In illa nocte*) in illa tribulatione, (*in lecto*) in quiete, id est in ocio. Neque negotijs secularibus, neque Ecclesiasticis curis occupati. (*Vnus assumetur.*) Et qui propter Deum faciunt. Qui aliter, relinquetur, [*Duæ molentes.*] Qui in plebibus constituti reguntur à doctoribus fœminarum: nomine quia peritorum regi eis expedit. Et molentes, propter temporalium negotiorum orbem atq; circuitum designantur. [*Vna assumetur.*] Ea pars quæ connubia propter amorem tantum generis exercuerit, terrenamque substantiam propter Deum dispensauerunt. (*Duo in agro*) in Ecclesia prædicatores. (*Vnus assumetur.*) qui verbum Dei propter Dominum annuntiat. Tres ordines prædicatorum, continentes atque conjugati. (*Vbi fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ,*) vbi Dominus, & electi cum illo, qui eius passione tanquam carne satiantur. Aquila altius volat per lapidem, à serpentibus se defendit, baptizatur in Iordane. Semper orare, ea agere semper quæ iusta sunt. (*Iudex quidam erat in ciuitate.*) Parabolæ aut ex similitudine, aut dissimilitudine ponuntur. Hic iudex non ex similitudine, sed dissimilitudine adhibetur scilicet ostendens quantum Deus curæ de

A deprecantibus & se. (*Putas inueniet.*) Charitatem bonorum ostendit Dominus futuram in die iudicij. Non autem dubitat sed arguit, sicut Paulus. Puto, & ego spiritum Dei habeo. Pro duobus modis iusti dicuntur vindictam precari de malis. Quatuor sunt species, quibus homo superbus cum bonum se habere putat, sibi datum pro suis meritis putat, aut iactat se habere quod habet à singularitate, vult habere quod habet. Nolite effici sensibus, sed malitia, vel sicut pueri in discendo, non contradicendo. Neque rationes opponit, sed fideliter suscipit, sicut & oues. Verbum audierat iste princeps de introitu regni cœlorum de pueris, propterea interrogat quibus operum meritis intrare possit. Non se magistrum bonum non esse, sed magistrum absque Deo nullum bonum esse testatur. Foramen acus, angustias passionum, qua scissa natura nostra resarcire dignatus est, possibile est apud Deum videlicet vt diues efficiatur pauper Christi, & sit humi-

B lis & reliqua, in hoc tempore, hoc est societate omniũ Christianorum. Zachæus iustificatus dicitur, significat gentilem populum. Sicomorus crucem significat, quia à multis irridetur. Ascendere, in crucifixum credere, descendere, quia si nouetamus Christum, secundum carnem iam nouimus. (*Homo nobilis,*) Christus. (*Regio longinqua.*) Ecclesia est, vel quia à finib. terræ ad eum clamat Ecclesia, vel quia lõge est à peccatoribus salus. (*Decem mnas.*] Denarius numerus ad legem pertinet. Elegit discipulos per legem imbutos, dedit decẽ mnas. Quia legis dicta spiritaliter intelligere fecit. Mina quã Græci mna dicunt, à dragmis appenditur. Ciues, Iudæi, rediet, ad iudicium, sciret, scire faceret. Primus seruus, ordo doctorũ, qui in circumcisione mnam vnam: hoc est vnum Deũ, vnam fidem prædicare iussus est. Decem mnas acquisiuit populum Iudæorum In modico in verbo diuino. Decem ciuitates, animæ per legis verbum ad gratiam Euangelii venientes. Alius seruus, cæcus qui prædicauit præputio, quinque mnas,

C gentilitas quinque sensibus dedita. [*Esto super quinque ciuitates*] Hoc est super eos quos imbuisti, esto magnus & sublimis. Pecunia verbum Euangelii Bethphage, domus buccæ, viculus Sacerdotum, Bethania ibi iuxta: ciuitas, Ecclesia super monumentum Lazari, quia multos ante passionem suam docẽdo donis pia confessionis & obedientiæ spiritalis impleuit. (*In monte.*) hoc est in ipso Domino qui vnctiones spiritalium charismatũ luce refonet. Duo mittuntur, vel propter geminã charitatem, vel propter locutionem & operationem, qui contradicebant, magistri errorũ. Dimidius annus erat quo Dominus non fuit reuersus in Galilæam, quando venit ad passionem. Si isti tacuerũt quando ipse tacuerit, petræ scissione clamauerit. Monumenta aperta sũt, spiritaliter gentiles, qui lapides dicti sunt. Ciuitas vel iste mundus, vel mens vniuscuiusque hominis. Quando à Iudæis susceptus est, decimus dies mensis fuit: Deo agnus iussus est accipi. Ob duas causas veritas celanda est, eamque indignus qui quærit, & qui

D inique quærit, à qua non est capax. Primus seruus ad vineam, Moses quem exacerbauerit. Alter Dauid de quo dixerit, qui nobis pars Dauid, tertius, Prophetarum chorus, ambigendo dicitur, forsitan vt libera voluntas homini relinquatur. Lapidem, hoc est fidem Christi subtrahere, qui peccator est, & credit in Deum. Conquassatur quando peccat. Super quos veniet illis desuper in iudicio, cum pœna perditionis. Moraliter vnusquisque vinea Domini per baptismum efficitur. Serui, Lex, Psalmi Prophetæ vel alia scriptura Domini, occidit, à se Spiritum S. effugat. Gazophylacium erat arca foramen habens desuper posita, iuxta altare ad dexteram. Ingredientibus domum Domini duo erant. Spiritaliter dicitur dilectio Dei & proximi. Vidua Ecclesia, diuites Iudæi de iustitia præsumentes. [*Terroresque de cælo.*]

Stella gladio ſimilis per annum totum ſupra Ieruſalem pependit. [*Signa magna.*] Currus & equites armati per aërem diſcurrere viſi ſunt. Vitula ad ſacrificium educta, enixa eſt agnam, (*Tunc qui in Iudæa ſunt fugiãt ad montes.*] Eccleſiaſtica hiſtoria narrat, quia fugerunt omnes Chriſtiani trans Iordanem in ciuitatem nomine Pellam, donec deſolatio compleretur. [*Donec impleantur tempora nationum.*) hoc eſt donec credat multitudo eorum. (*Sonitus maris & fluctuum.*) quia delendum mare motus ſui præmittet indicia. Et Matthæus ipſam iudicij præſentiam narrat. Lucas præcedentia. Areſcent qui in hoc mundo florere videbantur, generationem autem, hominum genus: aut ſpecialiter Iudæorum. Cœlum quod tranſibit non æthereum aut ſiderum, ſed aërium in quo aues cœli volant, ipſa quæ in aquis perierunt. Paſcha primus dies quando agnus occidebatur: Azima, in craſtinum, quando egreſſi ſunt de Ægypto, per ſeptem dies, qui ſignificant totum vitæ noſtræ tempus, in quibus fugere debemus de Ægypto. [*Cœperunt autem accuſare.*) Petrus cucurrit, quod Ioann. ſe narrat feciſſe, Petrus ante fecerat, & quia Lucas dixit, Ioann. tacuit. Stadium, octaua pars milliatij, id eſt ſexaginta ſtadia octo, paſſuum i. v. ſignificant, id eſt v i i i. & ſemis. Quod congruit his, qui de morte ac ſepultura certi, de reſurrectione autem erant dubij. Reſurrectio poſt ſeptimam Sabbathi facta eſt. Octauus numerus reſurrectioni congruit. Diſcipuli illi incedebant, dolentes illum eſſe mortuum. Sextum Sabbathi compleuerunt & ſeptimum, quia hunc in ſepulchro quieuiſſe non dubitabant. De octaua dimidium tantum egerunt, quia reſurrectionem non perfecte crediderunt. Qui falſum teſtimonium dicit contra Deum pecuniam vendit, & qui fraternam concordiam diſſipat. (*Non bibam de genimine vitis.*) Vel ſimpliciter vel myſtice, poteſt intelligi. In pane aqua, in vino aqua, deſignatur, vt oſtendit per aquam populum ſuper menſam. Menſa hæc cœleſtis gloria. (*Ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret.*) Expetere Sathanæ, eſt ad afflictionem electorum anhelare. Quando miſi vos ſine ſacculo, &c. Sunt virtutes quæ ſemper tenendæ ſunt, ſunt aliæ quæ non ſunt, vt fames, ſitis, vigilias, nuditatem, lectionem. Similiter de iſto in perſecutionem præcipit habere pecuniam, victui neceſſaria, etiam & gladium. Gladij vero duo, ſufficiunt ad teſtimonium ſponte paſſi Saluatoris. Vnus ad audaciam Apoſtolorum, alius non exemptus patientiam eius. (*Quantum iactus eſt lapidis*) Vt in eum dirigerent lapidem, id eſt intentionem legis quæ in lapide ſcripta eſt. Agonia, alacritas vel confidentia. (*Sicut guttæ ſanguinis decurrentis.*] Significat terram irrigatam ſanguine & per preces eius obtenturas, vt fidem diſcipulorum per ſanguinem ſuum purgaret, & orbem terræ ſua morte reſuſcitaret ad vitam. (*Sinite vſque huc.*) Id eſt non vos moueat quod futurum eſt, permittite vt me comprehendant. Dum interrogauerit, Petrus percuſſit. Seruus, populum Iudæorum ſignificat: Sacerdotum, ex quo eorum ſuggeſtu Barrabam elegerunt. Petrus oſtendit diuino iudicio auditum legis ab eis ablatum eſſe. In eo quod ſanata auris eſt, eos deſignat qui crediderunt de Iudæis. Non per principes & ſacerdotes veneruat corpore, ſed mente, quia Herodes naturæ & religione Iudæus erat, ideo mittit Pilatus ad eum Ieſum. Alba veſtis, quod Eccleſia dicit in cantico canticorum. Dilectus meus candidus & rubicundus. Columna in Eccleſia montis Sion poſita, Domini cruoris veſtigia demonſtrat. Barrabas Antichriſtum ſignificat. Cyrene, Lybiæ ciuitas eſt, & interpretatur hæres. Maria Magdalena ſoror Lazari. Iohanna vxor Chuzi procuratoris Herodis: Maria Iacobi, ſoror ſanctæ Mariæ.

A

Eiuſdem Chriſtiani in Iohannem per modum Epithomatũ expoſitiuncula.

GRatiam pro gratia, id eſt primo fidem, deinde remiſſionem peccatorum, & vitam æternam. De plenitudine eius miſericordiæ accepimus. Lex per Moſen data eſt, oſtenſa peccata, hoc eſt remiſſio peccatorum. Veritas, cognitio ipſius & vitæ æternæ datio. Trinitas vnus Deus miſit Iohannem baptizare, & Iohannes aliqua nouerat de Domino: aliqua eſſe doctus in baptiſmo, videlicet quia ipſe per omnes ſuos ſeruos eſſet baptizaturus, & ipſius baptiſmus diceretur, non alicuius. Dolus eſt cum aliud agitur & aliud fingitur. In Nathanahele confeſſionem peccati laudauit, folia ficulneæ intelliguntur peccata, Nathanahel, populus qui de Iudæis credidit deſignatur, Philippus, prædicatores. Angeli, prædicatores, B aſcendentes ſupra filium hominis, ſupra Eccleſiam ſuam. Aſcendentem vnumquemque vt Paulus. *Qui audiuit*, ait, *verba in paradiſo, quæ non licet homini loqui.* Deſcendentem, cum dicit: *Non potui loqui vobis tanquam ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus.* [*Stabat Ioannes*] id eſt in perſecutione virturum, vnde merebatur celſitudinem conſiderare diuinitatis. Stabant diſcipuli, quia magiſtrum eius ſequebantur in bonis. [*Videns Ieſum ambulantem.*) Hoc eſt in terra cum hominibus conuerſantem, & profectum vitæ demonſtrantem. (*Agnus.*) quia immolaturus erat pro nobis, & lanis ſui velleris largiturus exempla virtutum. Bene duo diſcipuli, quia qui Dominũ ſequitur, geminæ charitatis munere ornatus debet incedere. Vidit illos quia qui intentionem bonam habent, Dominus & approbat & adiuuat. Quod manſionem eius inquiſierunt, docent vt omnes qui dominum opere ſequentur, pro vita æterna hoc agant. Hora decima, quia qui ad Domini manſionem vult venire, legem quæ in decem C verbis comprehenditur debet habere conſummatam. Die vno manſerunt, quia melior eſt dies vna in atrijs tuis, ſuper millia. Sicut Andreas fratrem ſuum ad Dominum adduxit, ſic vnuſquiſque proximum ſuum debet ad Dominum ducere. Intuitus eum Ieſus interioribus oculis cordis: & nomen quod à parentibus acceperat, dicit: & nomen quod Eccleſiæ congruæ vel fundamento impoſuit. Dico Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circumciſionis, id eſt executorem. Nathanahel, domus Dei vel Deus meus. Die tertia, tertia ætate ſeculi. Primo ante legem, Patriarcharum exemplo, ſecundo ſub lege, ſcriptis Prophetarum, tertio, ſub gratia Euangelij. Mater Domini, ſynagoga, mulier, Eua appellata eſt, ſtatim vt facta, inquit: *Formauit eam in mulierem.* Vaſa ſex, lapidea corda ſunt ſanctorum, quę poſita ſunt ad exemplum credentibus, per ſex ſeculi ætates. Secundum purificationem Iudæorum. Quia illis data ſolis eſt lex. Metretas binas, D dilectionem Dei & proximi. Ternas, propter myſterium Trinitatis, miniſtri, Apoſtoli. Implendo, id eſt intelligendo. Prima hydria ſub Abel, ſecunda ſub Noë, tertia ſub Abraham, quarta ſub Dauid, quinta ſub Ieſu, populus de captiuitate reductus, per ſeptuaginta annos plenitudinem bonorum operum, per dona Spiritus ſancti vita intelligitur. Sexta ætate Dominus apparuit qui ipſam aquam in vinum mutauit. Trichlinium eſt, tres ordines in Eccleſia, coniugatorum, continentium, Doctorũ. Per columbam Spiritus ſanctus accipitur, per boues prædicatores, per oues, plebs. Quadraginta ſex annis, quia Chriſtus de Adam erat: Et Adam interpretatur ibi quadraginta ſex. Boues, doctrina cœleſtis: oues, opera munditiæ & pietatis, columbæ, ſpiritus intelligitur. Vendunt boues, qui doctrinam Dei pro terreno quæſtu impendunt; vendunt oues, qui pro humano fauore opera

pietatis exercent, vendunt columbas, qui gratiam Spiritus ſancti pro precio ac pro vulgi opinione tradūt: nummos vendunt, qui aperte terrenis reb. inſeruiunt. Funiculi, multitudo peccatorum, effudit æs, qui aufert figuras rerum quas dilexerunt. Prima ædificatio templi, ſub Salomone ſeptem annorū. Sub Zorabel, quadraginta ſex annorum. Et conceptio hominis in vtero, ſex diebus lactis ſimilitudinem habet: nouem, ſanguinis, in duodecimo ſolidatur, in octauo decimo firmatur, ſex & nouem & duodecim & decem & octo quadraginta quinque ſunt. Adde vnum quo in membra diuiditur, quadraginta ſex fiunt. Nicodemum, interpretatur. [*Si terrena dixi vobis,*) Hoc eſt ſoluite templum hoc. [*Cœleſtia.*) Spiritus vbi vult ſpirat. (*Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit.*] De purificatione, id eſt per baptiſmum, vtrum Ioannes an Chriſtus eſſet melior. Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum id eſt filio. Hominibus vero alij datur per ſpiritum in ſermone ſapientiæ, & reliqua. Pater diligit filium, & omnia dedit ei in manum: vt ſit æqualis patri ſubauditur. Enon dedicatio, & cehe, ſalim, ſichar, concluſio: Sichem humerus. Fatigatur ex itinere. Carnis aſſumptio, iter ipſius: hora ſexta, ſextam ætatem ſeculi ſignificat, ad puteum, ad profundum noſtræ habitationis, mulier, Eccleſia de gentibus: Hydria, cupiditas, aqua voluptas ſeculi. Donum Dei, Spiritus ſanctus, aqua fons vitæ: quinque viri, quinque ſenſus corporis. Meſſores, Prophetæ, & Patriarchæ deſignant deorſum ſemine nati, Apoſtoli ſurrexerunt, ſimul gaudeat qui ſeminat, & qui metet: Apoſtoli & Prophetæ: annuntiant Chriſtiani paganis: biduo manſit, geminum charitatis præceptum dedit: hoc eſt filio audite quod eſſe, & hoc videre quod eſſe (*De morte ad vitam.*] A morte infidelitatis ad vitam fidei. [*Qui audierint viuent.*) id eſt qui obaudierint vel obedierint. Dedit filio vitam, id eſt genuit filium: qui eſſet vita in ſemetipſo, gignendo dedit. De iſta reſurrectione animarum dicebant hæretici iam factam. [*Pater non iudicat quemquam.*] Quia forma ſerui quæ iudicata eſt, iudicabit in fine, & non ibi videbitur diuinitas. Non facio voluntatem meam, hoc eſt ſolum meam. Omnia demonſtrat filio non faciendo, demonſtrat filio, ſed demonſtrando facit per filium pater, vnum eſt facere & demonſtrare maiora demonſtrabit ei. Aſſumpto omnia, id eſt reſurrectionem corporum. (*Sicut pater ſuſcitat mortuos, ſic & filius quos vult viuificat*) id eſt ſimilis de reſurrectione animarum in reſurrectione corporum. [*Pater non iudicat quemquam.*) Stadiis vigintiquinque legem ſignificat, quia quinquies quini, vigintiquinque faciunt. Sed huic legi antequam Euangelium veniret, deerat perfectio. Perfectio autem in ſenario numero comprehenditur: quia Deus ſex diebus mundum perfecit. Et quinque per ſex multiplicentur vt lex per Euangelium impleatur, quia ſexies quinque xxx. faciunt. *Venit Chriſtus.*) Primo ſummatim dicit, poſtea recapitulat quomodo venerit, & oſtendit, quia pedibus ipſum mare tranſiit, non per nauim. (*Deus pater ſignauit.*) Signum ponere, conſignare. Dixerunt Iudæi. Moyſes dedit manna, tu hordeum. *Omne quod dat mihi pater, non eiiciam foras.*) De illa vita æterna vnde dictum eſt, intra in gaudium Domini. *Qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum.*) Hoc eſt qui manet in me, & ego in eo. *Cum videritis filium hominis aſcendentem vbi erat.*] Tunc intelligitis non de carne corporis dixiſſe, quia caro hominis ad manducandum nihil prodeſt. Manet quis in Deo, cuius membrum eſt, manet ipſe in nobis, cum ſumus templum eius. Qui perſeuerauerit, hic ſaluus erit. *Nolebat ambulare in Iudæam*] Exemplum præbebat ſuis. *Tempus meum nondum aduenit.*) Tempus exultationis, quod erit in die iudicii vel tempus paſſionis. *Ad diem feſtum hunc.*) Vbi gloriam humanam quæratis. Scenofegia eſt in iſto mundo tanquam in deſerto: & Chriſtus latet,

A *vbi ſum vos non poteſtis venire.*) Non dixit vbi ero, ſed vbi ſum per diuinitatem. *Si quis ſitit fluenta aquæ viuæ.*] Chariſmatum, dona vel charitas intelligitur. Nondum ſpiritus datus ſic profuſe, ſicut poſt reſurrectionem ſuam, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Quare poſt reſurrectionem? quia perfectiores erant Apoſtoli ad cuſtodiendum ſpiritum, vt in reſurrectione noſtra flagret. *Oues meæ vocem meam audiunt.*) Hoc eſt qui perſeuerauerit, & reliqua. *Ego veni vt vitam habeant æternam.*) Ingredientes in Eccleſiam, vt abūdantius habeant in vita æterna. Ingrediuntur per fidem in Eccleſiam: egrediuntur, ad vitam æternam. *Sicut nouit me pater, & ego agnoſco patrem.*] In hoc conſtat quia cognoſco patrē & cognoſcor à patre. *Quia animam meam pono pro ouibus meis.*) Id eſt ea charitate qua pro ouibus meis morior, quantum patrem diligam oſtendo. *Facta ſunt encænia.*) Per tres vices celebrabant Iudæi encæniorum diem. Vnum, quando

B Salomon dedicauit templum in menſe Octobri, decimo die eiuſdem menſis. Secundo, quando ab his dedicatum eſt qui de Babylone venerant. Tertio, quando à Iuda Machabæo iterum dedicatum eſt, id eſt in Decembri vigeſima quinta die eiuſdem menſis. *Pater clarifica filium tuum.*) Similitudinem dedit nobis, in tentatione quid agere & dicere debeamus. *Et clarificaui.*) Hoc eſt ante ſecula, & eſt quando ſtellam magi ad eum demonſtrandum viderunt, & cum ſpiritus in ſpecie columbæ ſuper eum apparuit: & cum in mōte transfiguratus eſt. *Clarificabo.*) Cum reſurget & aſcendet in cœlum. *Nunc iudicium eſt mundi.*) Iudicium hic diſcretionis accipitur: vt Pſalmiſta. *Nunc princeps huius mundi.*) Id eſt diabolus. *Eiicietur foras.*) Videlicet de cordibus electorum multorum. *Omnia traham ad meipſum.*] Id eſt omnia de quibus diabolus erit eiectus. Non dixit omnes. Si omnia, corpus & animam, & reliqua omnia prædeſtinata, vel electa. *Si exaltatus fuero.*) Si, pro cum. *Quis eſt iſte filius hominis*]

C Superi⁹ dixit, venit hora vt glorificetur filius hominis, & dixit. *Adhuc modicum lumen in vobis eſt.*) Quaſi dixerit Chriſtus in domo manet in æternum. *Ne tenebræ vos comprehendant.*) Hoc eſt ſi negaueritis eius humanitatem. Propterea non poterant credere. Vbi intelligendum eſt, quia nolebant: quemadmodum dictum eſt Domino, ſi non credimus illi, ille fidelis eſt, negare ſeipſum non poteſt, non quia mutari homines, ſed quod vitalia ſapiunt, non poſſunt credere. *Ego non iudico quemquam.*] Hoc eſt modo. *Verbum quod locutus ſum.*) Id eſt meipſum. *Dedit filio vitam.*] id eſt gignendo. *Nunc clarificatus eſt filius hominis.*) Quia exeunte immundo, omnes mundi remanſerunt. *Et continuo clarificabit eum.*) Scilicet paſſione & reſurrectione ſua. *Quæritis me, & ſicut dixit Iudæis, quo ego vado, vos non poteſtis venire, & vobis dico modo.*) Iudæis autem non dixit, modo ſubauditur. *Si quominus dixiſſent.*] Hoc eſt ſi alicubi niſi in domo patris mei fuiſſent mul-

D tæ manſiones paratæ, dixiſſem vobis. Parauit nobis dum pro nobis mortuus eſt. *Si abiero.*] Hoc eſt per carnis abſentiam. *Philippe qui videt me.*] Tanquam melior eſſe pater: cupiebat videre ſubauditur. *Maiora faciet.*) Etiam in ſalute gentium quo facerent dixit. *Quia ad patrem vado & quod petieritis, hoc faciam. Et alium paraclytum.* Hoc eſt vt plus habeant. *Rogabo patrem.*) Per humanitatem, dabo per diuinitatem. *Ego viuo.*) Mox per reſurrectionem immortalis. *Et vos viuetis.*) In fine immortales. *Qui habet mandata mea.*) Id eſt in memoria. *Et ſeruat*) Id eſt in opere. *Diligam eum.*) Hoc eſt vt perueniat ad viſionem veritatis. *Et manifeſtabo ei meipſum.*) Subauditur per eandem charitatem. *Et ſermo qui ipſe eſt.* (*Pacem.* In prima non dixit meam, ſed in ſecunda, & iſta eſt mundana, illa, perpetua.

(*Propter verbum quod locutus ſum vobis,*) hoc eſt

credulitatis: quia sine verbo, nihil est baptismus. Manere nos in Christo, & Christum in nobis, hoc est nobis prodest, non illis. (*Praecepta patris seruaui.*) Hoc est vt morerer pro hominibus. [*Gaudium vestrum impleatur.*] Hoc est habere consortium cum ipso. Aliud est esse seruum timoris: aliud amoris. [*Omnia nota feci vobis.*) Significat quod se sciebat esse facturum.

Earis volendo: fructum afferatis operando. (*Si non venissem, peccatum non haberent,*) Hoc est peccatum incredulitatis quo despexerunt credere in eum: videlicet homicidij, quo eum occiderunt. (*A patre procedit & ego mittam.*) Vnum est: quia procedit à patre & filio, & venit sua sponte. (*Perhibebit de me.*] Hoc est vt faciat eos credere in me. (*Hac ab initio dixi.*) Hoc est de promissione sancti Spiritus, vel de expulsione synagogæ: videlicet de occisione: & reliqua. (*Ille arguet mundum.*) Arguet ille spiritus veritatis de his mundũ: sed solummodo Iudæam, tanquam si diceret, ille infundet in vestris cordibus charitatem. [*Natus est homo in mundum.*] Subaudiendum est, vel Christus surrexit, vel Ecclesia parturiet filios in vitam æternam. *Me non rogabitis.*] Id est non interrogabitis. *Non petistis quicquam.*] Hoc est quia in nomine Iesu nõ petierunt. *Non rogabitis.*) Hoc de futuro dixit qui sufficienter habebunt. *Quia vos me amastis.*] Subauditur. Pater prius amauit gratuitò, & effecit vt crederent in filium: & amarent eum. *Exiui à patre.*] Subaudiendum est, quia in ea forma qua æqualis est patri, & in assumpta creatura minor apparuit. *Et veni in mundum.*) hoc est in forma serui huius mundi amatoribus præbuit. *Reliqui mundum.*] Id est humanitatem ad patris maiestatem adduxit. *Ecce nunc palam loqueris.*] Putabant Apostoli adhuc rudes palam fuisse, quia profunditatem datorum capere non volebant, *Nunc scimus.*) Dominus sciens cogitationes eorum, locutus est de his quæ ipsi interrogare volebant. *Modo creditis inquit Iesus, ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisque in propria,*) Hoc subaudiendum, in infidelitatis timorem. *In me pacem habeatis,*) id est fidem non desideratis, vel etiam inter suos pacem habeant, & se ament. *Claritatem quam dedisti mihi dedi eis.*] Hoc est cognitionem omnipotentis patris in filio. *Trans torrentem Cedron.*] Cedron, genitiuus Græcus pluralis est, quod potest dici cædrorum. *Aut ad sequentes dies vos ascendite, ego non ascendam.*] videlicet ad istum primum ascendit. *Veni vt qui non vident videant.*) Et qui videbant, id est videre putabant, noluerunt in eum credere, & ideo cæci permanserunt, Monumentum Dei dicitur ab Euangelistis locus rotundus: ad cuius ostium aduolutus fuit lapis. Sepulchrum vero dicitur locus in ipso tugurio, in aquilonari parte monumenti, in quo Dominicum corpus quieuit. Lapis reuolutus diuisus est, & duo altaria desuper facta sunt.

Sepulchrum sanctæ Mariæ est in valle Iosaphat, in basilica in qua aliquando sepulta fuit. Sed de eodem sepulchro quomodo, vel quo tempore, an à quibus personis sanctum corpusculum eius sit ablatum, nullus potest referre pro certo.

Corpus Simeonis & Ioseph Baioli Domini in ipsa valle, in alia Basilica sepulta sunt inter montem Syon & montem Olíueti, in valle Iosaphat.

Sal terræ dicitur, qui in terra inuenitur, & non fit de aqua. Vnde Dominus Vos estis sal terræ.

In Draconitida regione est fons cui nomen Fiala: vnde oriuntur fontes subterranei, centum viginti stadi s vsque ad Cæsaream Philippi, quæ & Paneas dicta est à Panio monte, vbi diuisi oriuntur Ior, & Dan. Et post paululum junguntur & fit fluuius centum viginti stadiis vsque ad vrbem Iuliam: & tunc facit lacum Genesar, qui & chennereth vocatur. De locustis, & mel siluestre. Locustæ sunt in ipsa terra minimum genus: quarum corpuscula in modum digiti manus exilia & breuia sunt. Et quia earum breuis est volatus,

A similes sunt saltibus leuium ranarum: & facile in herbis rapiuntur, & coctæ in oleo victum præbent pauperum. De melle vero siluestri. Sunt arbores paruæ, lata & rotunda habentes folia, lacteum colorem, & saporem mellei: quorum foliorum natura fragilis valde est: & qui volunt comedere ea, primum manibus confricant, deinde comedunt, & hoc est mel siluestre in siluis repertum. Locus vbi dominus quinque millia hominum pauit, citra mare Galileæ est, & post arctum habens fontem, de quo bibunt ipsi qui sunt Capharnaum, secus lacum chennereth. Mons Thabor, triginta stadiis sublimatur, super latus viginti quatuor, subauditur stadijs.

Explicit super Iohannem.

Homelia in caput XIII. Matthæi.

B CVmque dormirent homines, venit inimicus, & superseminauit zizaniam in medio tritici, & abiit) Cum vero negligentius agerent præpositi ecclesiæ, aut dormitionem mortis acciperent apostoli, venit diabolus & superseminauit eos quos malos filios dominus interpretatur. Sed recte quæritur, vtrum hæretici sint, an male viuentes catholici? Possunt enim dici mali filij etiam hæretici, quia ex eodem semine Euangelii & Christi nomine procreati, prauis opinionibus ad falsa dogmata conuertuntur. Sed quod dicit eos in medio tritici seminatos, quasi videntur illi significari, qui vnius communionis sunt. Verumtamen quia dominus agrum ipsum non ecclesiam ipsam, sed hunc mundũ interpretatus est, bene intelliguntur hæretici, qui non societate vnius ecclesiæ vel vnius fidei: sed societate vnius nominis Christiani, in hoc mundo permiscentur bonis, vt illi qui in eadem naui sunt: palea potius quam zizania deputentur, quia palea etiam fundamentum ipsum habet cum frumento, radicemque communem. In illa enim plane sagena

C qua concluduntur boni pisces, & mali: non absurde mali catholici intelliguntur. Aliud enim est mare, quod magis mundum istum significat: aliud sagena quod vnius fidei vel vnius ecclesiæ communionem videtur ostendere. Inter hæreticos & malos catholicos hoc interest, quod hæretici falsa credunt: illi autem vera credentes, non viuunt ita vt credunt.

Solet autem quæri, etiam schismatici quomodo ab hæreticis distent, & hoc inueniri cum schismaticos non fides diuersa faciat, sed communionis disrupta societas. Sed vtrum inter Zizania numerandi sint, dubitari potest. Magis enim spicis corruptis videntur esse similiores, sicut scriptum est. Vento autem comparatur filius iniquus, vel paleis aristarum fractis, vel scissis, & de segete abreptis. Quo enim altiores, id est superbiores, eo fragiliores sunt. Nec tamen consequens est, vt omnis hæreticus aut schis-

D maticus ab ecclesia corporaliter separetur. Si enim falsa de Deo credit, vel de aliqua parte doctrinæ quæ ad fidei pertinet ædificationem, ita vt non quærentis cunctatione tentatus sit, sed inconcusse credentis, nec omnino scientis opinione atque errore discordans: hæreticus est, & foris est animo, quamuis intus corporaliter videatur. Multos enim tales portat ecclesia, quia non ita defendunt falsitatem sententiæ suæ, vt intentam multitudinem faciant. Quod si fecerint, tunc pelluntur. Item quicunque inuident bonis, ita vt quærant excusationes excludendi eos aut degradandi: vel crimina sua sic defendere parant: si obiecta vel prodita fuerint, vt etiam conuenticulorum segregationes vel ecclesiæ perturbationes cogitent excitare, iam schismatici sunt, & ab vnitate in corde discissi: etiam si non inuentis excusationibus aut occultatis fa-

ctis suis, sacramento ecclesiæ corporali conuersatione socientur. Quapropter illi soli catholici mali recte deputantur: quia quamuis vera credant, quæ ad fidei doctrinam pertinent: & si quid forte nesciunt & quærendum existimant, salua pietate disceptiunt sine aliquo præiudicio veritatis: & bonos, vel quos bonos putant, amant, atque honorant, quantum possunt: tamen facinorose & flagitiose viuunt: contra quam viuendum est, credunt. Tales enim, etiam si prodantur aut accusentur: pro disciplina ecclesiæ salutisque suæ correcti vel à communione suspensi, nullo modo recedendum licitum sibi esse à communione catholica æstiment: sed quocumque permissi fuerint satisfactionis quærentes locum: & aliquando per pœnitentiam in frumentum mutantur, siue correcti aut remoti, siue etiam verbo Dei B nullo nominatim accusante aut increpante perterriti. Aliquando autem, etiam sub nomine pœnitentiæ ita viuunt vt solent: aut non multo minus: quidam etiam amplius: nullo modo tamen à catholica vnitate discedunt. Quibus ita viuentibus, si mors obrepserit, paleæ deputantur vsque in finem. Hoc etiam ipsi credunt. Nam si aliter credunt, & inconcusse tenent: iam inter hæreticos numerandi sunt: putantes Deum etiam omnibus in magna iniquitate vsque in finem vitæ perseuerantibus: tamen quia vnitatem ecclesiæ non sincera dilectione vt bene viuerent, sed magis pœnarum timore tenuerint, veniam daturum. Isti ergo non hoc credunt, vel non C firmiter opinantur: sed si adhuc forsitan quærunt, sed magis eos decipit spes dilationis, dum se diutius victuros putant: & perditos mores aliquando in melius mutaturos. Contra quos dicitur: Ne tardes conuerti ad Deum: neque differas de die in diem. Subito enim venit ira eius & in tempore vindictæ disperdet te. Illi enim conuertuntur, qui recte viuere incipiunt. Hoc est enim redire ad Deum. Qui autem concupiscentias suas perseueranter sequuntur, dorsum quodammodo ad Deum habent: quamuis in vnitate positi, sæpe illum retro collo conentur aspicere. Ergo & isti iuxta proprietatem caro sunt: spiritus ambulans & non reuertens. Sed tamen vt dictum est, propter eandem vnitatem atque fidem D ecclesiæ, neque inter zizania, quoniam illa ex terra radicata sunt: neque inter aristatum paleam: quæ se etiam frumentis gaudet aspera dissensione, & fragili elatione superimponere. Sed quamuis subiecta frumentis, tamen inter paleam quæ vltima ventilatione separanda est, numerantur. Boni autē catholici sunt: qui & fidem integram sequuntur, & bonos mores: & quod ad fidei doctrinam pertinet, ita quærunt si quod quærendum habent, vt absit concertatio periculosa: vel quærenti vel cum quo quæritur, vel eis qui differentes audiunt. Ita autem docent: si quod docendum habent vt visitata, vt confirmata, securissime & fidentissime & lenissime vt possunt, insinuent. Insinuata vero (etiam si veritatis mani-E festatione liquidissima perceperunt) quærendi potius quam præcipiendi, aut affirmandi modo propter audientis infirmitatem. Si enim tantum habet pondus aliquod verum, vt vires discenti excedat: suspendendum est, vt extendat crescentem: non imponendum vt obterat paruulum. Id est illud domini. Sed filius hominis cum venerit, putas, inueniet fidem super terram. Aliquando autem & occultandum est: sed cum spe hortatoria, vt non faciat desperatos fragiliores: sed desiderium capaciores, Inde est eiusdem domini: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis illa portare modo. Quod vero ad mores pertinet: hoc bene & breuiter dicitur. Aut confligendum est amore temporalium bonorum vt non vincat, aut etiam edomitus subditusque esse

A debet: vt cum surgere cœperit, facile reprimatur, aut ita extinctus, vt se omnino nulla ex parte commoueat. Ex quo fit, vt ipsam etiam mortem propter veritatem alii fortiter obtineant, alii æquanimiter, alii libenter. Quæ tria genera fructus sunt fertilis terræ, triceni & sexageni & centeni. In horum quoque genere inueniendus est tempore mortis suæ, si quis de hac vita recte cogitat emigrare. Toleranda sunt autem non solum zizania vsque ad messem: quæ tunc diabolus aspersis prauis erroribus falsisque opinionibus superseminasset, hoc est, præcedente nomine Christi hæresis superiecisset, magis ipse latuit, atque occultissimus factus est, hoc est enim & abiit. Sed etiam palea, vsque ad ventilationem Nec probatur fortius grauitas frumentorum, B nisi paleæ perturbationibus, quas comprimere non potuerit, veritate defessa, cesserit vnitate seruata. Quamquam in hac parabola dominus sicut expositione conclusit: non quædam sed omnia scandala: & eos qui faciunt iniquitatem, zizaniorum nomine significasse intelligitur. [*Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset: tunc apparuerunt zizania.*] Cum enim spiritalis homo esse cœperit diiudicans omnia: tunc ei possunt errores apparere. [*Serui autem dixerunt. Vis imus, & colligimus ea?*] Vtrum ipsi sunt serui quos paulo post messores appellat: an quia in expositione parabolæ messores appellat, dixit esse angelos. Nec quisquam ausus fuerit facile dicere angelos nescisse, quis zizania superse-C minauerit: & ea tunc apparuisse angelis cum herba fructum fecisset, magis oportet intelligi homines ipsos fideles seruorum nomine hoc loco significatos: quos etiam bonum semen dixit. Nec mirum, si & bonum semen ipsi dicuntur, & serui patrisfamilias: sicut & de se ait, quod & ipse sit pastor. Ex diuersis enim significationibus vna res etiam plures & diuersas similitudines recipit: præsertim quia cum ad seruos loqueretur, non ait: *In tempore messis dicam vobis. Colligite primum Zizaniam.* Sed *dicam* (inquit) *messoribus*. Vnde intelligitur colligendorum zizaniorum ad comburendum alia esse mysteria: nec quemquam ecclesiæ filium debere arbitrari ad se hoc officium pertinere. Cum igitur esse quisquis spiri-D talis cœperit, cognoscit errores hæreticorum & omnino diiudicat atque discernit quicquid audierit aut legerit abhorrere à regula veritatis. Sed donec in eisdem spiritualibus perficiatur & quodammodo maturescat: in fructu quem herba dedit, potest eum mouere. Quare sub nomine Christi non tam multæ hæreticorum extiterint falsitates, inde est quod serui dicunt. Nonne bonum semen seminasti in agro tuo: vnde habet zizania? Deinde cum cognouerit hanc excogitasse diabolum fraudem: cum contra nominis auctoritatem nihil se valere sentiret vt fallacias suas eodem nomine obtegeret: potest ei voluntas suboriri, vt tales homines de rebus humanis auferat si aliquam temporis habeat facultatem: sed fa-E cere debeat iustitiam Dei, consulit vtrum hoc præcipiat vel permittat: & hoc officium esse hominum velit. Hinc est quod serui dicunt. Vis imus, & colligimus ea? Quibus quia veritas ipsa respondit: non ita hominem constitutum esse in hac vita, vt certus esse possit qualis quisque futurus sit postea, cuius in præsentia cernit errorem: vel quod etiam error eius conferat ad profectum bonorum. Nonne talis auferendus de hac vita est? ne cum malos interficere conatur, bonos interficiat. Quod forte futuri sunt, aut bonis obsint, quibus & inuiti forte vtiles sunt. Sed tunc opportune incipit fieri: cum iam in fine non restat vel tempus commutandæ vitæ, vel proficiendi ad veritatem ex occasione atque comparatione erro-

ris alieni. Tunc autem hoc non ab hominibus, sed ab angelis fieri dinoscitur.

Inde est quod respondet paterfamilias. Non. Ne forte colligentes zizania: eradicetis simul & triticum. Sed in tempore messis: dicam messoribus, &c. Atque hoc modo patientissimos & tranquillissimos reddidit. Quæri autem potest quod ait. Alligate fasciculos ad comburendum. Cur non vnum fascem, aut vnum aceruum zizaniorum fieri dixerit? Nisi propter varietatem hæreticorum: non solum à tritico, verum etiam à seipsis discrepantium. Ipsa vniuscuiusque hæreseos conuenticula in quibus singillatim sua cõmunione deuincti sunt, nomine fasciculorum significauit: vt iam tunc incipiant alligari ad comburendum, cum catholica communione segregati suas proprias quasi ecclesias habere cœperint: vt combustio earum sit in fine seculi, non alligatio fasciculorum. Sed si ita esset, non iam multæ resipiscendo, & in catholicam remeando ab errore discerni. Quapropter & alligatio fasciculorum in

A fine futura est, vt non confuse sed pro modo peruersitatis suæ vniuscuiusque erroris pertinacia puniatur. [*Ne forte colligentes zizaniam, eradicetis simul & triticum.*] Vtrum quia etiam boni cum adhuc infirmi sunt, opus habent in quibusdam malorum commixtionem siue vt per eos exerceantur, siue vt eorum comparatione magna illis exhortatio fiat, vt nitantur ad melius: quibus sublata altitudo charitatis, quasi euulsa marcescat quod est eradicari. Nam sicut Apostolus ait, vt in charitate radicati & fundati, possitis comprehendere; an forte ideo simul eradicatur triticum cum auferuntur zizania: quia multi primo zizania sunt, & postea triticum fiunt. Qui nisi patienter cum mali sunt tolerentur: ad laudabilem mutationem non perueniunt. Itaque si euulsi fuerint, simul eradicatur & triticum: quod probati essent, si eis non parceretur, præstante & adiuuante Domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

Finis Druthmari in Matthæum.